Digitized by Google

S-3 10.H.2

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES

CATHOLICÆ

IN MODUM CATECHESEOS.

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES
CATHOLICÆ
IN MODUM CATECHESEOS,

IN QUIBUS QUIDQUID AD RELIGIONIS HISTORIAM

ECCLESIÆ DOGMATA, MORES, SACRAMENTA, PRECES, USUS ET CEREMONIAS PERTINET, EXPLANATUR.

AUCTORE

FRANCISCO-AMATO POUGET

MONTISPESSULANEO, PRESBYTERO CONGREGATIONIS ORATORII GALLICANI SACRAE FACULTATIS PARISIENSIS DOCTORE THEOLOGO.

TOMUS QUARTUS

FLORENTIÆ MDCCXCV.

APUD CAIETANUM CAMBIAGI TYPOGRAPHUM REGIUM.

SUPERIORUM ADPROBATIONE.

PROSTANT APUD FRANCISCUM ALEXANDRI.

Digitized by Google

INDEX TITULORUM
TOMI QUARTI

INSTITUTIONES CATHOLICÆ AD FORMAM CATECHISMI

TERTIA PARS

In qua oſtenditur quibus auxiliis & adiumentis ita vivere poſſimus, ut nobis pateat aditus ad vitam æternam.

CAPUT OCTAVUM.

De Sacramento Matrimonii pag. 1.
§. 1. *De Matrimonio in genere* ib.
§. 2. *De Matrimonio quatenus ſacramentum eſt* . 13.
§. 3. *De impedimentis Matrimonii, ac primo de Dirimentibus. Cur iſthæc impedimenta appoſita ſint* 22.
§. 4. *De impedimentis non dirimentibus Matrimonium iam contractum.* 30.
§. 5. *Quæ ſint diſpoſitiones & præparationes præviæ ad Matrimonium. Quomodo agendus ſit nuptiarum dies.* 38.
§. 6. *Quæ ſint Coniugatorum inter ſe Officia.* 49.
§. 7. *Quæ ſint officia Coniugatorum circa Liberos* 73.
§. 8. *Quæ ſint officia Coniugatorum erga famulos* 91.
§. 9. *De Divortio* 95.
§. 10. *Quæ ſint Officia coniugum, inſtante morbo alterius coniugis. Quæ viduorum, vel viduarum Officia* 130.

SECTIO ALTERA

De Oratione, omnibuſque ad eam pertinentibus.

CAPUT PRIMUM.

De Oratione in genere 161.
§. 1. *Quid ſit Oratio, quæ variæ eius ſpecies* ib.
§. 2. *De neceſſitate orationis* 163.
§. 3. *Quis orandus. Pro quibus orandum* 175.
§. 4. *Qui ſint effectus Orationis* 180.
§. 5. *Quæ debeat eſſe affectio in Orante* 185.
§. 6. *Quid petendum a Deo ſit* 191.
§. 7. *Quæ ſint conditiones orationis* 196.
I. Conditio. *Orandum in nomine Chriſti.* 197.
II. Conditio. *Orandum in ſpiritu, & veritate.* 198.
III. Conditio. *Orandum cum humilitate, & compunctione cordis.* ib.
IV. Conditio. *Orandum attente, at-*

tque adeo eum prævia præparatione. 200.
V. Conditio. Orandum cum fiducia. 205.
VI. Conditio. Orandum perseveranter. 208.
§. 8. Quomodo Deus exaudiat orantes 212.
§. 9. Quo corporis habitu orandum 218.
§. 10. Quo tempore, quibus diebus & horis præcipue orandum 221.
§. 11. Quo loco orandum Quæ debeatur sacris Oratoriis & Templis reverentia 234.

CAPUT SECUNDUM.

De Oratione in specie: ac primum de oratione mentali 239.
§. 1. Quid sit oratio mentalis: quæ eius necessitas, quæ facilitas ib.
§. 2. De Meditatione 243.

CAPUT TERTIUM.

De Oratione vocali in genere 252.

CDPUT QUARTUM.

De Oratione Dominica 254.
§. 1. De Oratione Dominica in genere. Explicatur eius proœmium ib.
§. 2. Explicantur singulæ petitiones orationis Dominicæ 263.
I. Petitio. Sanctificetur nomen tuum. ib.
II. Petitio. Adveniat regnum tuum. 267.
III. Petitio. Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra. 270.
IV. Petitio. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. 277.
V. Petitio. Dimitte nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris. 290
VI. Petitio. Ne nos inducas in tentationem. 298.
VII. Petitio. Sed libera nos a malo 307.
Explicatur ea vox. Amen. 314.

CAPUT QUINTUM.

De quibusdam aliis Precationum formulis 316.
§. 1. De Salutatione Angelica ib.
§. 2. Explicatur ea Precationis formula, quæ Angelus dicitur 319.

CAPUT SEXTUM.

De Publicis precibus Ecclesiæ & Officiis in genere 320.
§. 1. Qua lingua publicas Ecclesiæ Preces, publica Officia celebrari oporteat ib.
§. 2. De Ecclesiæ Ritibus, & Ceremoniis in genere 326.
§. 3. De usu Cereorum & Lampadum 331.
§. 4. De Turis usu 334.
§. 5. De variis cuiusque Ecclesiæ ritibus & ceremoniis in divinorum Officiorum celebratione 340.
§. 6. De usu Cantus, Musices, & Organorum 350.

CAPUT SEPTIMUM.

De sacrosancto Missæ sacrificio 365.
§. 1. De Sacrificio tam interiori quam exteriori in genere ib.
§. 2. An teneamur offerre Deo Sacrificium interius 373.
§. 3. An teneamur offerre Deo Sacrificia exteriora. Quæ fuerint hæc Sacrificia ante & post legem Moysi 374.
§. 4. Explicantur specialius sacrificiorum Iudaicorum ritus 378.
§. 5. Cuius rei typus essent Sacrificia ante Moysen oblata, maxime vero sacrificium Melchisedech 390.
§. 6. Explicantur res expressæ & ad-

umbratæ per sacrificia Iudaica 395.
§. 7. *Probatur esse in Ecclesia sacrificium exterius & sensibile* 412.
§. 8. *De nominibus Liturgiæ & Missæ, quibus hoc sacrificium designatur* 435.
§. 9. *Quid sit Missæ Sacrificium* 440.
§. 10. *Cur & quem ad finem offeratur Missæ sacrificium* 445.
§. 11. *Cui Missæ sacrificium offeratur, & cur fiat in eo memoria Sanctorum* 449.
§. 12. *Pro quibus Missæ sacrificium offeratur* 452.
§. 13. *Explicantur specialius multa pertinentia ad Missam pro Defunctis* 459.
§. 14. *De Missis Maioribus, de iis quæ Privatæ dicuntur, item de iis in quibus solus Sacerdos communicat* 464.
§. 15. *De locis in quibus celebrari Missam oporteat; & de privatis & domesticis Oratoriis* 474.
§. 16. *De altari in quo Missa celebratur; itemque de sacris linteis, vasis & ornamentis altarium* 479.
§. 17. *De sacris vestibus Episcoporum, Presbyterorum, & Ministrorum in Sacrosancti Sacrificii celebratione* 490.
§. 18. *Quibus diebus & horis celebrari Missæ Sacrificium oporteat* 506.
§. 19. *Quomodo interius affectos esse oporteat, & qua sanctitate & morum integritate præditos, qui Missæ sacrificium offerunt* 513.
§. 20. *Qualiter affectos esse oporteat eos qui Missæ celebrationi intersunt. Quæ sit optima Missam audiendi ratio* 515.
§. 21. *De Ordine Missæ in genere* 518.
§. 22. *Explicantur ad litteram Missæ preces & ritus. Quid facto opus sit ut in iis mens Ecclesiæ teneatur* 522.
I. *Missa Catechumenorum. Psalmus* Iudica *ib.*
II. *Confessio. Subiectæ preces usque ad introitum* 524.
III. *Introitus. Cur quædam in cornu Epistolæ, quædam in cornu Evangelii, quædam in medio altari recitentur* 527.
IV. Kyrie eleison. Gloria in excelsis 533.
V. *Dominus vobiscum*, Collecta, 535.
VI. *De Epistola, Graduali*, Alleluia, *Prosa, Tractu* 539.
VII. *De Evangelii lectione* 543.
VIII. *De Pronao* 544.
IX. *De Missa fidelium; ac primo de recitatione Symboli.* 547.
X. *De populi Oblationibus & Eulogiis* 551.
XI. *De oblatione panis & vini seorsum facta per sacerdotem* 556.
XII. *De Lotione manuum, & de oratione*, Suscipe sancta Trinitas 560.
XIII. *De Monitione*, Orate fratres; *& de secretis orationibus* 566.
XIV. *De præfatione & hymno Angelico*, Sanctus 571.
XV. *De Canone Missæ ac* 1. *de oratione*, Te igitur 573.
XVI. *De Commemoratione vivorum* 576.
XVII. *De Oratione qua recitantur nomina Sanctorum ante consecrationem, quæ in Missali libro inscribitur*, infra actionem, *incipitque his verbis*, Communicantes. 578.
XVIII. *De Oratione*, Hanc igitur oblationem 586.
XIX. *De Oratione*, quam oblationem 588.
XX. *De Consecratione* 590.
XXI. *Series Canonis:* Unde & memores 596.
XXII. Supra quæ 597.
XXIII. Supplices te rogamus 600.
XXIV. Memento *pro mortuis* 602.

XXV. Nobis quoque peccatoribus 604.
XXVI. Pater noster. Libera nos 609.
XXVII. *De fractione hostiæ, & utriusque speciei commixtione* 616.
XXVIII. Agnus Dei: *Pacis osculum* 630.
XXIX. *De Communione Sacerdotis* 633.
XXX. *De Communione Populi* 635.
XXXI. *De Postcommunione, & fine Missæ* 644.

CAPUT OCTAVUM.

De Exorcismis, & Benedictionibus 650.
§. 1. *De Exorcismis* ib.
§. 2. *Quid sit Benedictio* 654.
§. 3. *Qui sint præcipui Ritus Benedictionum* 656.
§. 4. *Cur reserventur Benedictiones quædam Episcopis, aliæ Presbyteris permittantur* 658.
§. 5. *De Benedictione sacrorum Oleorum & Chrismatis, quæ fit ab Episcopo feria V. in cœna Domini* 659.
§. 6. *De Benedictione Campanarum* 670.
§. 7. *De ritu Consecrationis & Dedicationis Ecclesiæ, & Altaris* 678.
§. 8. *Explicantur præcipui ritus consecrationis Ecclesiæ, vel Altaris* 688.
§. 9. *De Benedictione Aquæ baptismalis* 704.
§. 10. *De Benedictione Aquæ lustralis, & de usu huius aquæ* 709.

CAPUT NONUM.

De supplicationibus, quæ Processiones nuncupantur 716.
§. 1. *De processionum origine variisque speciebus. Quæ mens Ecclesiæ sit, qui scopus in variis Processionibus* ib.
§. 2. *De ordine & Ritu Processionum. Itemque de precibus quæ in illis fieri solent, maximeque de Sanctorum Litaniis* 725.

CAPUT DECIMUM.

De piis usibus nulla Ecclesiæ lege præscriptis, sed fidelium arbitrio relictis 731.
§. 1. *De Peregrinationibus sacris* ib.
§. 2. *De piis Societatibus, quas Confraternitates vocant* 738.
§. 3. *De Rosario, & Corona B. M. Virginis Gallice* Rosaire, & Chapelet 747.
§. 4. *De piis usibus quos approbat Ecclesia. Itemque de iis quos tolerat solum* 749.

CAPUT UNDECIMUM.

De Visitatione Episcopali 752.

CONCLUSIO, COLLECTIO ET REPETITIO TOTIUS OPERIS

De iis quæ hominem viatorem beatum efficiunt, donec æternam beatitudinem consequutus sit 757.

Digitized by Google

INSTITUTIONES CATHOLICÆ

AD FORMAM CATECHISMI

TERTIA PARS.

In qua oſtenditur quibus auxiliis & adiumentis ita vivere poſſimus, ut nobis pateat aditus ad vitam æternam.

CAPUT OCTAVUM.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

§. 1. *De Matrimonio in genere.*

Inter. QUid eſt Matrimonium?

R. Matrimonium eſt ſocietas legitima virum inter & feminam, a Deo ipſo inſtituta, ad multiplicationem generis humani. (A)

I. Quandonam illa ſocietas eſt legitima?

R. Quando leges in ea incundæ ſervatæ ſunt.

I. Quæ leges in Matrimoniorum fœdere ſervandæ ſunt?

R. Vel Matrimonium conſideratur ut contractus civilis: vel ut Sa-

(A) GENES. II. 18. Dixit quoque Dominus Deus: Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.... Adæ vero non inveniebatur adiutor ſimilis eius... Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam: cumque obdormiſſet, tulit unam de coſtis eius, & replevit carnem pro ea.

Et ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc, os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una. *1. Cor. xi. 9. Epheſ. v. 31. Mat. xix. 5. Marc. x. 7. 1. Cor. vi. 16.*

MATTH. XIX. 4. Qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit eos: &

PARS III. SECT. I CA. VIII. §. 1.

cramentum. Si priori modo consideretur, variæ leges Matrimoniorum sunt vel fuerunt pro temporum & regionum varietate. Si posteriori, leges habet peculiares, quas inferius subiiciemus.

I. Matrimonium ergo non semper est aut fuit Sacramentum?

R. Solum Christianorum Matrimonium Sacramentum est. Iudæorum & infidelium Matrimonia habent quidem rationem veri & legitimi contractus, sed non possunt esse Sacramentum: Sacramenta quippe novæ legis solis sunt instituta Christianis, idque ex Christi institutione. Matrimonium ergo ante Christum Sacramentum non fuit. Per Christum evectum est ad dignitatem Sacramenti.

I. Quid erat ergo Matrimonium ante Christum?

R. Contractus civilis, quo ex institutione Dei fiebat inter virum & feminam ad liberorum procreationem societas legitima, eaque indissolubilis.

I. Quid hoc rei est *societas indissolubilis?*

R. Societas quæ sola morte alterutrius coniugum dissolvi possit.

I. Licebat tamen, ni fallor, Iudæis dare libellum repudii uxoribus suis?

R. Concessum quidem illis id fuit *ad duritiam cordis ... ab initio autem non fuit sic.* Deus enim Matrimonium instituit, ut esset societas quæ sola a terutrius coniugum morte dissolveretur. (B) Matth. xix. 8.

I. Licetne feminæ plures simul habere viros?

R. Apage hoc nefas, quod nec licet, nec licuit, nec licere potuit umquam. Quanta hinc in orbe confusio nasceretur nemo non videt.

I. Licetne viro plures simul habere uxores?

R. Matrimonium institutum a Deo est, ut esset societas unius viri cum una uxore, ut essent *duo*, inquit Christus, non plures *in carne una.* Tamen permisit olim Deus ad generis humani propagationem plu- Matth. xix. 5. Mar. 10.

dixit; propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.

(B) MATTH. xix. 6. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere? Ait illis; quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem & aliam duxerit, mœchatur.

MARC. x. 2. Accedentes Pharisæi interrogabant eum: Si licet viro uxorem dimittere; tentantes eum. At ille respondens, dixit eis: Quid vobis præcepit Moyses? Qui dixerunt: Moyses permisit libellum repudii scribere, & dimittere. Quibus respondens Iesus, ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud. Ab initio autem creaturæ, masculum & feminam fecit eos Deus. Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit ad uxorem suam: & erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Et in domo iterum Discipuli eius, de eodem interrogaverunt eum. Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.

res simul haberi uxores. Id patet tum exemplo sanctorum virorum Abrahæ &. Iacob, tum ex verbis
Deut. xxi. 15 Moysi in Deuteronomio. *Si habuerit homo uxores duas*, inquit, *unam dilectam & alteram odiosam... non poterit filium dilectæ præferre filio odiosæ*, &c.

Sed Christus res ad primævam institutionem revocavit, prohibuitque omnino plures simul habere uxores. Qui dimissa uxore alteram duxerit mœchatur, inquit Christus. Multo magis certe si retenta priori uxore, alteram superduxerit. (C)

Pars III. Sect. I. Ca. VIII. §. 1.

Et hinc quidem manifeste colligitur Lutherum, Melancthonem, Bucerum, ceterosque horum asseclas fuisse legis Dei corruptores. His siquidem concedentibus, & id licite fieri posse contra Christi legem temere & impie decernentibus, Philippus Landgravius Hassiæ retenta secum & minime repudiata priori uxore superduxit alteram. (D)

(C) Matth. v. 32. Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis caussa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat

xix. & Marc. x. *Vide supra litt.* (A & B)

Luc. xvi. 18. Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchator: & qui dimissam a viro ducit, mœchatur.

Rom. vii. 2. *Vide in Respons. sequent.*

1. Corinth. vii. 10. Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat ... Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius vivit. Quod si dormierit vir eius, liberata est: cui vult nubat: tantum in Domino.

(D) Consultatio Lutheri, *ex Historia variationum Illustrissimi DD.* Benigni Bossuet Meldensis Episcopi, *n.* 5. Nunc suadere non possumus, ut introducatur publice, & velut lege sanciatur permissio plures quam unam, uxores ducendi. Si aliquid hac de re prælo committeretur, facile intelligit vestra Celsitudo, id præcepti instar intellectum & acceptatom iri, unde multa scandala & difficultates orirentur. Consideret, quæsumus, Celsitudo vestra quam sinistre acciperetur, si quis convinceretur hanc legem in Germaniam introduxisse, quæ æternarum litium & inquietudinum (quod timendum) futura esset seminariom.

N. 6. Quod opponi potest, quod coram Deo æquum est id omnino permittendum, hoc certa ratione & conditione est accipiendum. Si res est mandata & necessaria, verum est quod obiicitur; si nec mandata nec necessaria sit, alias circumstantias oportet expendere, ut ad propositam quæstionem propius accedamus: Deus matrimonium instituit, ut tantum duarum & non plurium personarum esset societas, si natura non esset corrupta; hoc intendit illa sententia: *erunt duo in carne una*, idque primitus fuit observatum. Gen. ii. 24.

N. 7. Sed Lamech pluralitatem uxorum in matrimonium invexit, quod de illo Scriptura memorat tamquam introductum contra primam regulam. Gen. iv. 23.

N. 8. Apud infideles tamen fuit consuetudine receptum; postea Abraham quoque & posteri eius plures duxerunt uxores. Certum est hoc postmodum lege Moysis permissum fuisse, teste Scriptura, Deut. xxi. 15. ut homo haberet duas uxores: nam Deus fragili naturæ aliquid indulsit. Cum vero principio & creationi consentaneum sit unica uxore contentum vivere, huiusmodi lex est laudabilis, & ab Ecclesia acceptanda, nec lex huic contraria statuenda; nam Christus repetit hanc sententiam: *erunt duo in carne una* Matth. xix. 5. & in memoriam revocat, quale matrimonium ante humanam fragilitatem esse debuisset.

N. 9. Certis tamen casibus locus est dispensationi. Si quis apud exteras nationes captivus ad curam corporis & sanitatem, inibi alteram uxorem superinduceret; vel si quis haberet leprosam: his casibus alteram ducere cum consilio sui Pa-

Digitized by Google

Pars III. Sect I Cap VIII. §. I.

storis, non intentione novam legem inducendi, sed suæ necessitati consulendi, hunc nescimus qua ratione damnare liceret.

N. 10. Cum igitur aliud sit inducere legem, aliud uti dispensatione, obsecramus vestram Celsitudinem sequentia velit considerare. Primo ante omnia cavendum, ne hæc res inducatur in orbem ad modum legis, quam sequendi libera omnium sit potestas. Deinde considerare dignetur vestra Celsitudo scandalum nimium, quod Evangelii hostes exclamaturi sint, nos similes esse Anabaptistis, qui simul plures duxerunt uxores. Item Evangelicos eam sectari libertatem plures simul ducendi, quæ in Turcia in usu est.

N. 11. Item Principum facta latius spargi quam privatorum consideret.

N. 12. Item consideret privatas personas, huiusmodi Principum facta audientes facile eadem sibi permissa persuadere, prout apparet talia facile irrepere.

N. 13. Item considerandum Celsitudinem vestram abundare nobilitate efferi spiritus, in qua multi, uti in aliis quoque terris sint, qui propter amplos proventus, quibus ratione cathedralium beneficiorum perfruuntur, valde Evangelio adversantur. Non ignoramus ipsi magnorum nobilium valde insulsa dicta; & qualem se nobilitas & subdita ditio erga Celsitudinem vestram sit præbitura, si publica introductio fiat, haud difficile est arbitrari.

N. 14. Item Celsitudo vestra, quæ Dei singularis est gratia, apud Reges & Potentes etiam exteros magno est in honore & respectu, apud quos merito est, quod timeat ne hæc res pariat nominis diminutionem. Cum igitur hic multa scandala confluant, rogamus Celsitudinem vestram, ut hanc rem maturo iudicio expendere velit.

N. 15. Illud quoque est verum quod Celsitudinem vestram omnimodo rogamus & hortamur, ut fornicationem & adulterium fugiat. Habuimus quoque, ut, quod res est, loquamur, longo tempore non parvum mœrorem, quod intellexerimus vestram Celsitudinem eiusmodi impuritate oneratam, quam divina ultio, morbi, aliaque pericula sequi possent.

N. 16. Etiam rogamus Celsitudinem vestram, ne talia extra matrimonium, levia peccata velit æstimare, sicut mundus hæc ventis tradere & parvipendere solet. Verum Deus impudicitiam sæpe severissimè punivit: nam pœna diluvii tribuitur Regentum adulteriis. Item adulterium Davidis est severum vindictæ divinæ exemplum, & Paullus sæpius ait: *Deus non irridetur. Adulteri non introibunt in regnum Dei:* nam fidei obedientia omnes esse debet, ut non contra conscientiam agamus. 1. Timoth. III. 9. Si cor nostrum non reprehenderit nos, possumus læti Deum invocare; & Rom. VIII. 13. Si carnalia desideria spiritu mortificaverimus, vivemus; si autem secundum carnem ambulemus, hoc est, si contra conscientiam agamus, moriemur. 1. Cor. VI. 9. Hebr. XIII. 4.

N. 17. Hæc referimus ut consideret Deum ad talia vitia non ridere, prout aliqui audaces faciunt, & ethnicas cogitationes animo fovent. Libenter quoque intelleximus vestram Celsitudinem, ob eiusmodi vitia angi & conqueri. Incumbunt Celsitudini vestræ negotia totum mundum concernentia. Accedit Celsitudini vestræ complexio subtilis, & minime robusta, ac pauci somni, unde merito corpori parcendum esset, quemadmodum multi alii facere coguntur.

N. 18..... (Princeps Scanderbegus) suos milites sæpius ad castimoniam hortari auditus est, & dicere, nullam rem fortibus viris, æque animos demere ac Venerem. Item quod si vestra Celsitudo insuper alteram uxorem haberet, & nollet pravis affectibus & consuetudinibus repugnare, adhuc non esset vestræ Celsitudini consultum ac prospectum. Oportet unumquemque in externis istis suorum membrorum esse dominum, uti Paullus scribit: Curate ut membra vestra sint arma iustitiæ. Quare vestra Celsitudo in consideratione aliarum caussarum, nempe scandali, curarum, laborum, ac sollicitudinum, & corporis infirmitatis, velit hanc rem æqua lance perpendere, & simul in memoriam revocare, quod Deus ei ex moderna coniuge pulcram sobolem utriusque sexus dederit, ita ut contentus hac esse possit. Quot alii in suo matrimonio debent patientiam exercere ad vitandum scandalum? Nobis non sedet animo Celsitudinem vestram ad tam difficilem novitatem impellere, aut inducere; nam ditio vestræ Celsitudinis, aliique nos impeterent, quod nobis eo minus ferendum esset, quod ex præcepto divino nobis incumbat matrimonium, omniaque humana ad divinam institutionem dirigere, Rom. VI. 9.

atque in ea quoad possibile conservare, omneque scandalum removere.

N. 19. Is iam est mos seculi, ut culpa omnis in Prædicatores conferatur, si quid difficultatis incidat, & humanum cor in summæ & inferioris conditionis hominibus instabile, unde diversa pertimescenda.

N. 20. Si autem vestra Celsitudo ab impudica vita non abstineat, quod dicit sibi impossibile, optaremus Celsitudinem vestram in meliori statu esse coram Deo, & secura conscientia vivere, ad propriæ animæ salutem, & ditionum ac subditorum emolumentum.

N. 21. Quod si denique vestra Celsitudo omnino concluserit, adhuc unam coniugem ducere, iudicamus id secreto faciendum, ut superius de dispensatione dictum; nempe ut tantum vestræ Celsitudini, illi personæ, ac paucis personis fidelibus constet Celsitudinis vestræ animus & conscientia sub sigillo confessionis. Hinc non sequuntur alicuius momenti contradictiones aut scandala. Nihil enim est inusitati Principes concubinas alere; & quamvis non omnibus e plebe constaret rei ratio, tamen prudentiores intelligerent, & magis placeret hæc moderata vivendi ratio, quam adulterium & alii belluini & impudici actus; nec curandi aliorum sermones, si recte cum conscientia agatur. Sic & in tantum hoc approbamus: nam quod circa matrimonium in lege Moysis fuit permissum, Evangelium non revocat, aut vetat, quod externum regimen non immutat, sed adfert æternam iustitiam & æternam vitam, & orditur veram obedientiam erga Deum, & conatur corruptam naturam reparare.

N. 22. Habet itaque Celsitudo vestra non tantum omnium nostrum testimonium in casu necessitatis, sed etiam antecedentes nostras considerationes, quas rogamus, ut vestra Celsitudo tamquam laudatus, sapiens, & Christianus Princeps velit ponderare. Oramus quoque Deum ut velit Celsitudinem vestram ducere ac regere ad suam laudem & vestræ Celsitudinis animæ salutem.

N. 23. Datum Vittembergæ die Mercurii post festum S. Nicolai 1539. Martinus Luther, Philippus Melancthon, Martinus Bucerus, Antonius Corvinus, Adam, Ioannes Leningus; Iustus Vintferte, Dionysius Melanther.

Ex pag. 63. *tom.* 2. *Hist. variat.* Instructio quid Doctor Martinus Bucer apud Doctorem Martinum Lutherum, & Philippum Melancthonem sollicitare debeat; & si id ipsis rectum videbitur, postmodum apud Electorem Saxoniæ. PARS III. SECT. I. CAP. VIII. §. I.

N. 1. Primo ipsis gratiam & fausta meo nomine denunciet, & si corpore animoque adhuc bene valerent, quod id libenter intelligerem. Deinde incipiendo quod ab eo tempore quo me noster Dominus Deus infirmitate visitavit, varia apud me considerassem, & præsertim quod in me repererim, quod ego ab aliquo tempore, quo uxorem duxi, in adulterio & fornicatione iacuerim. Quia vero ipsi & mei Prædicantes sæpe me adhortati sunt ut ad Sacramentum accederem: Ego autem apud me talem præfatam vitam deprehendi, nulla bona conscientia aliquot annis ad Sacramentum accedere potui. Nam quia talem vitam deserere nolo, qua bona conscientia possem ad mensam Domini accedere. Et sciebam per hoc non aliter quam ad iudicium Domini, & non ad Christianam confessionem me perventurum. Ulterius legi in Paullo pluribus quam uno locis, quomodo nullus fornicator, nec adulter regnum Dei possidebit. Quia vero apud me deprehendi quod apud meam uxorem præsentem a fornicatione ac luxuria, atque adulterio abstinere non possem, nisi ab hac vita desistam, & ad emendationem me convertam: nihil certius habeo exspectandum quam exheredationem a regno Dei & æternam damnationem. Caussæ autem, quare a fornicatione, adulterio, & his similibus abstinere non possim apud hanc meam præsentem uxorem, sunt istæ. *1. Cor. VI. 9. Hebr. XIII. 4.*

N. 2. Primo quod initio, quo eam duxi, nec animo, nec desiderio eam complexus fuerim. Quali ipsa quoque complexione, amabilitate, & odore sit, quomodo interdum se superflue in potu gerat, hoc sciunt ipsius aulæ Præfecti, & virgines, aliique plures: cumque ad ea describenda difficultatem habeam, Bucero tamen omnia declaravi.

N. 3. 2.° Quia valida complexione, ut medici sciunt, sum, & sæpe contingit ut in Fœderum & Imperii Comitiis diu verser, ubi laute vivitur, & corpus curatur: quomodo me ibi gerere queam absque uxore, cum non semper magnum gynæceum mecum ducere possem, facile est conicere & considerare.

N. 4. Si porro diceretur quare meam

PARS III. SECT. I. CA. VIII. §. I.

oxurem duxerim, vere imprudens bumo tone temporis fui, & ab aliquibus meorum Consiliariorum, quorum potior pars defuncta est, ad id persuasus sum. Matrimonium meum ultra tres septimanas non servavi, & sic constanter perrexi.

N. 5. Ulterius me Concionatores constanter urgent, ut scelera puniam, fornicationem, & alia; quod etiam libenter facerem: quomodo autem scelera, quibus ipsemet immersus sum, poniam, ubi omnes dicerent; *Magister prius te ipsum puni?* Iam si deberem in rebus Evangelicæ confœderationis bellare, tunc id semper mala conscientia facerem & cogitarem: Si tu in hac vita gladio, vel sclopeto, vel alio modo occubueris, ad dæmonem perges. Sæpe Deum interea invocavi, & rogavi, sed semper idem remansi.

N. 6. Nunc vero diligenter consideravi scripturas antiqui & novi Testamenti, & quantum mihi gratiæ Dominus dedit, studiose perlegi, & ibi nullum aliud consilium nec medium invenire potui, cum videam, quod ab hoc agendi modo penes modernam uxorem meam NEC POSSIM, NEC VELIM abstinere, (quod coram Deo testor) quam talia remedia adhibenda quæ a Deo permissa nec prohibita sunt. Quod pii Patres ut Abraham, Iacob, David, Lamech, Salomon, & alii, plures quam unam oxorem habuerint, & in eumdem Christum crediderint, in quem nos cre-
1. Cor. x. 4. dimus, quemadmodum S. Paullus ad Cor. x. ait, & præterea Deus in veteri Testamento tales sanctos valde laudarit: Christus quoque eosdem in novo Testamento valde laudat: Insuper lex Moysis præmittit, si
Deut. 21. 15. quis duas uxores habeat, quomodo se in hoc gerere debeat.

N. 7. Et si obiiceretur Abrahamo, & antiquis concessum fuisse propter Christum promissum, invenitur tamen clare quod lex Moysis promittat, & in eo neminem specificet ac dicat, utrum duæ uxores habendæ, & sic neminem excludit. Et si Christus solum promissus sit stemmati Iudæ, & nihilominus Samuelis pater, Rex Achab, & alii plures uxores habuerunt, qui tamen non sunt de stemmate Iudæ. Idcirco hoc, quod iitis id solum permissum fuerit propter Messiam stare non potest.

N. 8. Cum igitur nec Deus in antiquo, nec Christus in novo Testamento, nec Prophetæ, nec Apostoli prohibeant, ne vir duas uxores habere possit; nullus quoque Propheta, vel Apostolus, propterea Reges, Principes, vel alias personas punierit, aut vituperarit, quod duas uxores in matrimonio simul habuerint, neque pro crimine aut peccato, vel quod Dei regnum non consequentur, & de his qui duas uxores habent, nullam omnino mentionem faciat. Apostoli quoque cum gentibus indicarent quomodo se gerere & a quibus abstinere deberent, ubi illos primo ad fidem receperant, uti in Actis Apo- Act. xv. 20.
stolorum est; de hoc etiam nihil prohibuerunt, quod non duas uxores in matrimonium habere possent; cum tamen multi Gentiles fuerint, qui plures quam unam uxorem habuerunt: Iudæis quoque non prohibitum fuit, quia lex illud permittebat, & est omnino apud aliquos in usu. Quando igitur Paullus clare nobis dicit *oportere Episcopum esse unius uxoris* 1. Tim. iii. 2
virum, similiter & ministrum: absque necessitate fecisset, si quivis tantum unam oxorem deberet habere, quod id ita præcepisset, & plures uxores habere prohibuisset.

N. 9. Et post hæc ad hunc diem usque in Orientalibus regionibus aliqui Christiani sunt, qui duas uxores in matrimonio habent. Item Valentinianus Imperator, quem tamen Historici, Ambrosius, & alii docti laudant, ipsemet duas oxores habuit, legem quoque edi curavit, quod alii duas uxores habere possent.

N. 10. Item, licet quod sequitur non multum curem, Papa ipsemet Comiti cuidam qui sanctum sepulchrum invisit, & intellexerat uxorem suam mortuam esse & ideo aliam & adhuc unam acceperat, concessit, ut is utramque retinere posset. Item scio Lutherum & Philippum Regi Angliæ suasisse, ut primam uxorem non dimitteret, sed aliam præter ipsam duceret, quemadmodum *præter propter* consilium sonat. Quando vero in contrarium opponeretur, quod ille nullum masculum heredem ex prima habuerit, iudicamus nos plus hic concedi oportere caussæ quam Paullus dat, unumquemque debere uxorem 1. Cor. vii. 2.
habere propter fornicationem. Nam utique plus situm est in bona conscientia, salute animæ, Christiana vita, abstractione ab ignominia & inordinata luxuria, quam in eo ut quis heredes, vel nullos habeat. Nam omnino plus animæ quam res temporales curandæ sunt.

N. 11. Itaque hæc omnia me permoverunt, ut mihi proposuerim, quia id

Digitized by Google

cum Deo fieri potest, sicut non dubito, abstinere a fornicatione, & omni impudicitia, & via quam Deus permittit, uti: Nam diutius in vinculis diaboli constrictus perseverare non intendo, & alias absque hac via me perseverare NEC POSSUM, NEC VOLO. Quare hæc sit mea ad Lutherum, Philippum, & ipsum Bucerum petitio, ut mihi testimonium dare velint, si hoc facerem illud illicitum non esse.

N. 12. Casu quod autem id ipsi hoc tempore propter scandalum, & quod Evangelicæ rei fortassis præiudicare aut nocere posset, publice typis mandare non vellent; petitionem tamen meam esse, ut mihi scripto testimonium dent: si id occulto facerem, me per id non contra Deum egisse, & quod ipsi etiam id pro matrimonio habere, & cum tempore viam inquirere velint, quomodo res hæc publicanda in mundum, & qua ratione persona quam ducturus sum, non pro inhonesta, sed etiam pro honesta habenda sit. Considerare non possent, quod alias personæ quam ducturus sum graviter accideret, si illa pro tali habenda esset, quæ non Christiane, sed inhoneste ageret. Postquam etiam nihil occultum remanet, si constanter ita permanerem, & communis Ecclesia nesciret, quomodo huic personæ cohabitarem, utique hæc quoque tractu temporis scandalum caussaret.

N. 13. Item non metuant, quod propterea, & si aliam uxorem acciperem, meam modernam uxorem male tractare, nec cum ea dormire, vel minorem amicitiam ei exhibere velim, quam antea feci: sed me velle in hoc casu crucem portare, & eidem omne bonum præstare, neque ab eadem abstinere. Volo etiam filios, quos ex prima uxore suscepi, Principes regionis relinquere, & reliquis aliis honestis rebus prospicere: esse proinde adhuc semel petitionem meam, ut per Deum in hoc mihi consulant, & me iuvent in his rebus, quæ non sunt contra Deum, ut hilari animo vivere & mori, atque Evangelicas caussas omnes eo liberios, & magis Christiane suscipere possim. Nam quidquid me iusserint quod Christianum & rectum sit, sive Monasteriorum bona, seu alia concernat, ibi me promptum reperient.

N. 14. Vellem quoque & desidero non plures quam tantum unam uxorem ad istam modernam uxorem meam. Item ad mundum, vel mundanum fructum hac in re non nimis attendendum est; sed magis Deus respiciendus, & quod hic præcipit, prohibet, & liberum relinquit. Nam Imperator & mundus me & quemcumque permittent, ut publice meretrices retineamus; sed plures quam unam uxorem non facile concesserint. Quod Deus permittit hoc ipsi prohibent: quod Deus prohibet, hoc dissimulant; & videtur mihi sicut matrimonium Sacerdotum. Nam Sacerdotibus nullas uxores concedunt, & meretrices retinere ipsis permittunt. Item Ecclesiastici nobis adeo infensi sunt, ut propter hunc articulum quo plures Christianis uxores permitteremos, nec plus nec minus nobis facturi sint.

N. 15. Item Philippo & Luthero postmodum indicabit, si apud illos præter omnem tamen opinionem meam, de illis nullam opem inveniam; tum me varias cogitationes habere in animo: quod velim apud Cæsarem pro hac re instare per mediatores, etsi multis mihi pecuniis constaret: quod Cæsar absque Pontificis dispensatione non faceret; quamvis etiam Pontificum dispensationem omnino nihil faciam: verum Cæsaris permissio mihi omnino non esset contemnenda; quam Cæsaris permissionem omnino non curarem, nisi scirem quod propositi mei rationem coram Deo haberem, & certius esset Deum id permisisse, quam prohibuisse.

N. 16. Verum nihilominus ex humano metu, si apud hanc partem nullum solatium invenire possem, Cæsareum consensum obtinere uti insinuatum est, non esset contemnendum. Nam apud me iudicabam si aliquibus Cæsaris Consiliariis egregias pecuniæ summas donarem, me omnia ab ipsis impetraturum: sed propterea timebam, quamvis propter nullam rem in terra ab Evangelio deficere, vel cum divina ope me permittere velim induci ad aliquid quod Evangelicæ caussæ contrarium esse posset: ne Cæsareani tamen me in aliis secularibus negotiis ita uterentur & obligarent, ut isti caussæ & parti non foret utile: esse idcirco adhuc petitionem meam, ut me alias iuvent, ne cogar rem in iis locis quærere, ubi id non libenter facio, & quod millies libentius permissioni, quam cum Deo & bona conscientia facere possunt, confidere velim.

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. I.

quam Cæsareæ vel aliis humanis permissionibus: quibus tamen non ulterius confiderem, nisi antecedenter in divina Scriptura fundatæ essent, uti superius est declaratum.

N. 17. & ultimo. Denique iterato est mea petitio ut Lutherus, Philippus, & Bucerus mihi hac in re scripto opinionem suam velint aperire, ut postea vitam meam emendare, bona conscientia ad Sacramentum accedere, & omnia negotia nostræ Relligionis eo liberius & confidentius agere possim

Datum Melsiogæ Dominica post Catharinæ festum anno 1539. Philippus Landgravius Hassiæ.

Instrumentum copulationis Philippi Landgravii & Margaretæ de Saal. In nomine Domini amen.

Notum sic omnibus & singulis, qui hoc publicum instrumentum vident, audiunt, legunt, quod anno post Christum natum 1540. die Mercurii mensis Martii post meridiem circa secundam circiter, indictionis anno 13 potentissimi, invictissimi Romanorum Imperatoris Caroli V. clementissimi nostri Domini anno regiminis 21. Coram me infra scripto Notario & teste Rotemburgi in arce comparuerint Serenissimus Princeps & Dominus Philippus Landgravius Comes in Catznelenbogen, Dietz, Ziegenhain, & Nidda, cum aliquibus suæ Celsitudinis Consiliariis ex una parte; & honesta & virtuosa virgo Margareta de Saal, cum aliquibus ex sua consanguinitate ex altera parte; illa intentione, & voluntate coram me publico Notario ac teste, publice confessi sunt, ut Matrimonio copulentur: & postea ante memoratus meus clementissimus Dominus & Princeps Landgravius Philippus per Reverendum Dominum Dionysium Melandrum, suæ Celsitudinis Concionatorem, curavit proponi ferme hunc sensum. Cum omnia aperta sint oculis Dei, & homines pauca lateant, & sua Celsitudo velit cum nominata virgine Margareta matrimonio copulari, etsi prior suæ Celsitudinis conjux adhuc sit in vivis, ut hoc non tribuatur levitati & curiositati, ut evitetur scandalum, & nominatæ virginis & illius honestæ consanguinitatis honor & fama non patiatur; edicit sua Celsitudo hic coram Deo, & in suam conscientiam & animam, hoc non fieri ex levitate, aut curiositate, nec ex aliqua vilipensione iuris & superiorum, sed urgeri ex aliquibus gravibus & inevitabilibus necessitatibus conscientiæ & corporis, adeo ut impossibile sit sine alia superindicta legitima coniuge corpus suum & animam salvare: Quam multiplicem caussam etiam sua Celsitudo multis prædoctis, piis, prudentibus, & Christianis Prædicatoribus antehac indicavit, qui etiam consideratis inevitabilibus caussis id ipsum suaserunt ad suæ Celsitudinis animæ & conscientiæ consulendum, quæ caussa & necessitas etiam Serenissimam Principem Christianam Ducissam Saxoniæ, suæ Celsitudinis primam legitimam coniugem, utpote alta principali prudentia & pia mente præditam movit, ut suæ Celsitudinis tamquam dilectissimi mariti animæ & corpori serviret & honor Dei promoveretur ad gratiose consentiendum. Quemadmodum suæ Celsitudinis hæc super relata syngrapha testatur; & ne cui scandalum detur eo quod duas coniuges habere moderno tempore sit insolitum, etsi in hoc casu Christianum & licitum sit, non vult sua Celsitudo publice coram pluribus consuetas ceremonias usurpare, & palam nuptias celebrare cum memorata virgine Margareta de Saal: sed hic in privato & silentio in præsentia subscriptorum testium volunt invicem iungi matrimonio. Finito hoc sermone nominati Philippus, & Margareta sunt matrimonio iuncti, & unaquæque persona alteram sibi desponsatam agnovit & acceptavit, adiuncta mutuæ fidelitatis promissione in nomine Domini. Et ante memoratus Princeps ac Dominus ante hunc actum me infrascriptum Notarium requisivit, ut desuper unum aut plura instrumenta conficerem, & mihi etiam tamquam personæ publicæ, verbo ac fide Principis addixit ac promisit, se omnia hæc inviolabiliter semper ac firmiter servaturum, in præsentia reverendorum prædictorum Dominorum M. Philippi Melancthonis, M. Martini Buceri, Dionysii Menandri; etiam in præsentia strenuorum ac præstantium Eberhardi de Than Electoralis Consiliarii, Hermanni de Malsberg, Hermanni de Hundelshausen, Domini Ioannis Fegg Cancellarii, Rodolphi Schenck, ac honestæ ac virtuosæ Dominæ Annæ natæ de Miltitz viduæ defuncti Ioannis de Saal memoratæ sponsæ matris, tamquam ad hunc actum requisitorum testium.

Et ego Balthasar Rand de Fulda, pot-

Digitized by Google

PARS III. SECT. I. CAP. VIII. §. 1.

I. Mortuo alterutro coniugum licetne novum inire Matrimonium?

Rom. VII. 2. 3. *R.* Licet. *Quæ sub viro est mulier*, inquit Apostolus, *alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri: ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.* Quod de muliere dixit Apostolus, id & de viro intelligendum esse ait in priori Epi-
VII. 7. 8. 9 stola ad Corinthios. *Volo*, inquit, *omnes vos esse sicut meipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic. Dico autem non nuptis & viduis, Bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego, quod si non se continent nubant: melius est enim nubere quam uri.*

I. Licetne viduis non solum ad secundas, sed ad tertias, & ad quartas, & ad ulteriores nuptias convolare?

R. Licet & licuit semper in Ecclesia Latina: id patet tum ex Tertulliano antequam ad hæresim Montanistarum descivisset, tum ex Sanctis PP. Ambrosio, Augustino, (E) Hieronymo, cuius non abs re fue-

---

estate Cæsaris Notarius publicus, qui huic sermoni, instructioni, & matrimoniali sponsioni, & copulationi cum supra memoratis testibus interfui, & hæc omnia & singula audivi, & vidi, & tamquam Notarius publicus requisitus fui, hoc instrumentum publicum mea manu scripsi & subscripsi, & consueto sigillo munivi in fidem & testimonium. BALTHASAR RAND.

(E) TERTUL. *lib.* 1. *ad uxor. cap.* 1. Præcipio igitur tibi; quanta continentia potes, post excessum nostrum renunties nuptiis, nihil mihi isto nomine collatura, nisi quod tibi profueris.

Cap. 3. Denique prohiberi nuptias nusquam omnino legimus, ut bonum scilicet. Quid tamen bono isto melius sit,
1. Cor. VII. 1. & seq. accepimus ab Apostolo, permittente quidem nubere, sed abstinentiam præferente: illud propter insidias tentationum, hoc propter angustias temporum. Qua ratione utriusque pronunciationis inspecta, facile dignoscitur necessitate nobis concessam esse nubendi potestatem. Quod autem necessitas præstat, depreciat ipsa.
Ibid. 9. Quod denique scriptum est, *melius est nubere quam uri*: quale hoc bonum est, oro te, quod mali comparatio commendat? Ut ideo melius sit nubere; quia deterius est uri. At enim quanto melius est, neque nubere neque uri... Non propterea appetenda sunt quædam, quia non vetantur: & si quodam modo vetantur, cum alia illis præferuntur. Prælatior enim superior, dissuasio est infirmorum. Non ideo quid bonum est, nec ideo malum non est, quia non obest. Porro plene bonum hoc antecedit, quod non modo non obest, sed insuper prodest: namque malle debes quod prodest, quam quod non obest.

Cap. 4 Nam disiunctis a matrimonio, duæ species humanæ imbecillitatis necessarias nuptias faciunt. Prima quidem potentissima, quæ venit de concupiscentia carnis: sequens de concupiscentia seculi. Sed utraque repudianda est a servis Dei, qui & luxuriæ & ambitioni renunciamus.

Cap. 7. Defuncto per Dei voluntatem viro, etiam matrimonium Dei voluntate defungitur. Quid tu restaures, cui finem Deus posuit? Quid libertatem oblatam tibi, iterata matrimonii servitute fastidis? *Obligatus es*, inquit, *matrimonio, ne quæsieris solutionem, solutus es matrimonio, ne quæsieris obligationem*. Nam etsi Ibid. 27.
non delinquas renubendo, carnis tamen pressuram subsequi dicit.

Lib. 2. *cap.* 1. Quanto grandis est continentia carnis quæ viduati ministrat, tanto si non sustineatur ignoscibile videri potest. Difficilium enim facilis est venia. Quanto autem nubere in Domino perpe-

trabile est, uti nostræ potestatis, tanto culpabilius est non observare quod possis. Eo accedit, quod Apostolus de viduis quidem & innuptis, ut ita permaneant suadet, cum dicit: *Cupio autem omnes meo exemplo perseverare*: de nubendo vero in Domino, cum dicit: *Tantum in Domino*; iam non suadet; sed exerte iubet. Igitur in ista maxime specie, nisi obsequimur, perielitamur. Quia suasum impune quis negligat, quam iussum: quod illud de consilio veniat, & voluntati proponatur: hoc autem de potestate descendat & necessitati obligetur: illic libertas, hic contumacia delinquere videatur. 1. Cor. vii. 8. Ibid. 39.

Ibid. *Cap.* 2. *Mulier defuncto viro libera est, cui vult nubat, tantum in Domino.* Hic certe nihil retractandum est: nam de quo retractari potuisset, Spiritus cecinit: ne quod ait, Cui velit nubat, male uteremur, adiecit, Tantum in Domino, id est, in nomine Domini, quod est indubitate, Christiano. Ille igitur Spiritus sanctus, qui viduas & innuptas integritati perseverare mavult, qui nos ad exemplum sui adhortatur, nullam aliam formam repetundarum nuptiarum, nisi in Domino præscribit.

S. Ambros. *lib. de viduis cap.* 11. *n.* 68. Quod tamen pro consilio dicimus, non pro præcepto imperamus, provocantes potius viduam, quam ligantes; neque enim prohibemus secundas nuptias, sed non suademus. Alia est enim infirmitatis contemplatio, alia gratia castitatis. Plus dico, non prohibemus secundas nuptias, sed non probamus sæpe repetitas; neque enim expedit quidquid licet: *omnia mihi licent*, dicit Apostolus, *sed non omnia sunt utilia*. Et vinum bibere licet, sed plurimum non decet. 1. Cor. vi. 12.

N. 69. Licet ergo nubere, sed pulcrius est abstinere; sunt enim vincula nuptiarum.

Cap. 12. *n.* 72. Honorabile itaque coniugium, sed honorabilior integritas; nam *& qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit*. Quod igitur bonum est, non vitandum est: quod est melius, eligendum est. Itaque non imponitur, sed præponitur. Hebr. xiii. 4. 1. Cor. vii. 38.

Cap. 13. *n.* 81. Non ergo copula nuptialis quasi culpa vitanda, sed quasi necessitatis sarcina declinanda.

Cap. 14. *n.* 82. Sed nec vidua præceptum accipit, sed consilium: consilium autem non semel datum, sed sæpe repetitum.

S. Aug. *de bono viduit. cap.* 12. *n.* 15. De tertiis, & de quartis & de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem: unde ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre. Sed ne cuiquam brevitas huius responsionis meæ forte displiceat, uberius disputantem reprehensorem meum audire paratus sum. Fortassis enim offert aliquam rationem, quare secundæ nuptiæ non damnentur, tertiæ damnentur. Nam ego, sicut in exordio sermonis huius admonui, *non audeo plus sapere quam oportet sapere*. Quis enim sum, qui putem definiendum, quod nec Apostolum video definisse? Ait enim: *Mulier alligata est, quamdiu vir eius vivit*. Non dixit, primus aut secundus aut tertius, aut quartus: sed, *Mulier*, inquit, *alligata est, quamdiu vir eius vivit: si autem mortuus fuerit vir eius liberata est; cui vult nubat; tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit*. Quid huic sententiæ, quantum ad hanc rem adtinet, addi vel detrahi possit, ignoro. Deinde ipsum quoque Apostolorum, ac nostrum magistrum & Dominum audio Sadducæis respondentem, cum proposuissent mulierem non univiram vel biviram, sed, si dici potest, septiviram in resurrectione cuius futura esset uxor. Increpans enim eos, ait, *Erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim nec nubent, nec uxores ducent: non enim incipient mori, sed erunt æquales Angelis Dei*. Eorum itaque resurrectionem commemoravit, qui resurgent ad vitam, non qui resurgent ad pœnam. Potuit ergo dicere: *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei*; in illa enim resurrectione multinubæ istæ esse non poterunt: deinde addere, Quia nec aliqua ibi nubit. Sed nec ipsam, ut videmus, tot maritorum mulierem ulla suæ sententiæ significatione damnavit. Quapropter nec contra humanæ verecundiæ sensum audeo dicere, ut quotiens voluerit, viris mortuis nubat femina: nec ex meo corde præter Scripturæ sanctæ auctoritatem quotaslibet nuptias audeo condemnare. Quod autem dico univiræ viduæ, hoc dico omni viduæ: *Beatior erit, si sic permanserit*. Rom. xii. 3. Rom. vii. 2. 1. Cor. vii. 39. Matth. xxii. 29. & 30. 1. Cor. vii. 40.

PARS III. SECT. I. CAP. VIII. §. I.

rit huc referre narrationem plane singularem. „ Rem dicturus sum, „ *inquit*, incredibilem, sed multo„ rum testimoniis approbatam. An„ te annos plurimos cum in chartis „ Ecclesiasticis iuvarem Damasum „ Romanæ urbis Episcopum, & „ Orientis atque Occidentis Syno„ dicis consultationibus responde„ rem, vidi duo inter se paria vilis„ simorum e plebe hominum com„ parata, unum qui viginti sepelis„ set uxores, alteram quæ vicesi„ mum secundum habuisset mari„ tum, extremo sibi, ut ipsi puta„ bant, Matrimonio copulatos. „ Summa omnium exspectatio, vi„ rorum pariter, & feminarum, post „ tantas rudes, quis quem prius ef„ ferret. Vicit maritus, & totius „ urbis confluente populo corona„ tus, & palmam tenens adoream„ que, per singulos sibi acclaman„ tes, uxoris multinubæ feretrum „ præcedebat. „

Ex hac historia liquet quartas & ulteriores nuptias non fuisse Romæ prohibitas tempore S. Hieronymi. Patet id quoque ex aliis S. Hieronymi testimoniis, nec non & ex Græcis Patribus Ioanne Chrysostomo & Epiphanio. (F)

(F) S. HIERON. *in Comm. in Epist. ad Tit. tom. 4. part. 1. col.* 414 Montanus & qui Novati schisma sectantur, nomen sibi munditiæ præsumpsere: putantque secunda matrimonia ab Ecclesiæ communione prohibenda: quum Apostolus de Episcopis, & Presbyteris hoc præcipiens, (1. Tim. III. 2.) utique in ceteris relaxarit: non quod hortetur ad secunda matrimonia; sed quod necessitati carnis indulgeat.

Epist. 39. alias 50. seu Apol. pro Lib. advers. Iovinian. tom. 4 part 2. col. 241. Ego etiam nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia digamiam, immo nec trigamiam; & ita licere quinto & sexto & ultra, quomodo & secundo marito nubere: sed quomodo non damnantur istæ nuptiæ, ita nec prædicantur. Solatia miseriæ sunt, non laudes continentiæ. Unde & in alio loco dixi: Ubi unus maritus exceditur, nihil refert, secundus an tertius sit: quia desinit esse monogamus. (1. Cor. VI. 12.) *Omnia licent; sed non omnia expediunt*. Non damno digamos, immo nec trigamos, & si dici potest octogamos, habeat cui libet octavum maritum, & esse desinat prostituta.

Epist. 91. Alias 11. ad Ageruch. ibid. col. 744. Quid igitur? Damnamus secunda matrimonia? Minime; sed prima laudamus. Abiicimus de Ecclesia digamos? Absit: sed monogamos ad continentiam provocamus.

S. IOAN. CHRYSOST. *Sermo de libello repud N 3. in dictum Paulli, Mulier astricta est legi quanto tempore vixerit vir illius: si autem dormierit, libera est cui vult nubere, tantum in Domino.* (1. Cor. VII. 39.) Et habentibus viros & non habentibus, & viduis & secundo nubentibus marito, & omnibus simpliciter sermo ille utilis est. Nam quæ habet virum, non volet vivente illo quærere alium, audiens se vivente illo astrictam esse. Quæ vero est libera, siquidem voluerit secundo nubere, non simpliciter neque temere hoc facit, sed cum legibus quæ sunt a Paullo positæ: dicit enim *libera est, cui vult nubere, tantum in Domino*: hoc est cum continentia & honestate. Sin voluerit cum defuncto servare fœdera, audiet repositas sibi coronas, maioremque alacritatem capiet. *Beatior enim est*, inquit, *si sic manserit*. N 4. Vides quo pacto omnibus sermo ille utilis, & se ad illarum infirmitatem demittit, & istas suis laudibus non defraudat? Etenim quod de nuptiis & virginitate fecit, hoc & de prioribus & secundis nuptiis: quemadmodum enim illic non exclusit nuptias, ut ne gravet infirmiores; neque necessitatem imposuit, ut ne volentes in virginitate degere propositis coronis spoliaret: sed demonstravit quidem, bonas esse nuptias: declaravit autem meliorem esse virginitatem: ita & hic quoque alios gradus ponit nobis, maiorem

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. I.

Non defuerunt tamen Ecclesiæ quibus iteratæ sæpius nuptiæ displicerent. Iamdiu apud Græcos prohibitæ sunt quartæ, & ulteriores nuptiæ. (G)

Non reprehendimus veterem

---

scilicet & sublimiorem altero alterum, nempe viduitatem: alterum vero inferiorem, nempe secundas nuptias. Et fortiores quidem ac transilire nolentes ad certamen præparat, & infirmiores cadere non permittit, dicens enim: *Beatior autem est, si sic manserit.*

Homil. 14. *in* 1. *Epist. ad Timoth. n.* 2. Cur enim, quæso, hortatur, ut secundas non contrahat nuptias? An quod rem improbaret? Nequaquam, hoc hæreticorum est; sed quod vellet eam postea spiritualibus incumbere, & ad virtutem se conferre: neque enim immundum est connubium, sed occupationibus plenum.

Homil. 7. *in* 2. *Epist. ad Timoth. n.* 4. Audiant mulieres; illarum enim caussa mortuos memoravi; illæ, inquam, quæ secundas nuptias appetunt, & defuncti torum maculant, quæ tamen priorem dilexerunt. Non secundas nuptias improbans ut impudicas hæc dico: non enim id permittit Paullus, fœnum ori meo apponens, ac mulieribus dicens, *Non peccat si nubat.* Sed sequentia videamus. *Beatior autem erit, si sic permanserit.* Hoc multo melius illo est. Quare? Plurimis de caussis. Si enim non nubere melius est, quam nubere, hoc illo multo melius est.

S. Epiph *adv. Her. lib.* 2. *tom.* 1. *Hæres.* 48. *quæ est Cataphryg. n.* 9. At Ecclesia Catholica & virginitatem prædicat, & cœlibem vitam, ac castimoniam, viduitatemque collaudat; & honestas nuptias colit, & approbat; stupra vero, adulteria, ac libidines prohibet... His enim delectatur quidem, qui eiusmodi pietatis specimen præstare potuerint, ut virginitatem, castimoniam, continentiamque profiteantur: singulares porro nuptias commendat, cum sacerdotalia munera & ornamenta cum iis, qui post unas nuptias continentiam servaverint, aut in virginitate perstiterint, communicanda esse velut in quodam exemplari monstraverit:
1.Tim. III.2. id quod Apostoli deinde Ecclesiastica Sacerdotii regula honeste ac religiose decreverunt. Quod si quis post uxoris obitum secundas nuptias pro sua imbecillitate desiderat, minime id quidem veritatis regula prohibet, in eo dumtaxat qui Sacerdos non fuerit. At isti prohibent, adeoque Paulli illa sententia comprehenduntur: *prohibentium nubere.* Nam cum 1.Tim. IV.3.
qui secundis nuptiis alligatus fuerit, expellunt, ac ne facere istud audeat vim ac necessitatem adhibent. Nos autem neque necessitate ulla constringimus, suademus: nec aliter quam honestis præceptis ac consiliis eum, qui quidem possit, ad id præstandum impellimus; eum vero qui minus potest nulla vi cogimus, nec a salute prorsus excludimus.

(G) S. Basil *Epist.* 1. *Canon. ad Amphil. can.* 4. De trigamis & polygamis definiere eumdem Canonem, quem & de digamis, servata proportione: annum videlicet in digamis, alii vero duos annos. Trigamos autem tribus, & sæpe quatuor annis segregant. Id autem non amplius coniugium, sed polygamiam appellant, vel potius moderatam fornicationem. Quapropter & Dominus Samaritanæ, quæ maritos quinque per vices habuerat, *quem nunc, inquit, habes, maritus non* Joan. IV. 18.
est: quippe quod ei qui digamiæ mensura excideruot, digni non sint qui vel mariti vel uxoris nomine appellentur. Iam vero consuetudine accepimus in trigamis quinquennii segregationem, non a canonibus, sed eos qui præcesserunt sequendo. Oportet autem eos non omnino arcere ab Ecclesia, sed auditione dignare duobus vel tribus annis: ac post hae ipsis permittere, ut consistant quidem, abstineant vero a boni communione, & sic, exhibito pœnitentiæ aliquo fructu, communionis loco restituere.

Epist. 2 *can.* 50. Trigamiæ lex non est. Quare lege matrimonium tertium non contrahitur. Ac talia quidem, ut Ecclesiæ inquinamenta, habemus, sed condemnationibus publicis non subiicimus, ut soluta fornicatione magis eligenda.

Epist. 3. *can.* 80. Polygamiam Patres silentio prætermisere, ut belluinam, prorsusque ab hominum genere alienam. Ea autem nobis videtur peccatum esse fornicationis maius. Quapropter consenta-

Digitized by Google

hanc Græcæ Ecclesiæ disciplinam. Videtur tamen Apostoli menti, cuius verba supra retulimus, magis ea disciplina consonare quam sequimur. Viduis enim concedit Apostolus absolute facultatem novi Matrimonii ineundi, nulla apposita restrictione circa quartas, quintasve nuptias.

§. 2. *De matrimonio quatenus sacramentum est.*

I. Qua ratione constat matrimonium evectum fuisse a Christo ad sacramenti dignitatem?

R. Ut taceam quod ait Apostolus, matrimonium *magnum esse sacramentum in Christo & in Ecclesia*, certissima traditione constat matrimonium semper habitum esse ab Ecclesia pro vero & proprie dicto sacramento. (A) *Ephes. v. 32.*

Quidquid enim ad rationem veri, & proprie dicti sacramenti requiritur, nimirum, ut sit signum sensibile, gratiam conferens ex Christi instituto, id in matrimonio Christianorum reperitur.

Signum sensibile quidem: nimirum mutuus consensus partium coram testibus, & Parocho, & be-

---

neum est eos subiici canonibus, ut scilicet postquam anno fleverint, & tribus substrati fuerint, sic suscipiantur.

1. Cor. vii. 28. & 39. S. Ioan. Chr. *Oper. imperfect. in Matth. Hom.* 32. *circa med.* Permissum est repudium, malum quidem, sed licitum. Hac ratione & Apostoli permiserunt secundas adire nuptias, propter incontinentiam hominum. Nam secundam quidem accipere, secundum præceptum Apostoli est; secundum veritatis autem rationem, vere fornicatio est. Si secundam permittente Deo publice & licenter committitur, fit honesta *Deut. xxi. 15.* fornicatio. Propterea bene dixit, quia Moises hoc permittit, non præcepit. Aliud est enim præcipere, aliud permittere: quod etiam præcipimus, semper erit: quod autem permittimus, nolentes permittimus: quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possumus.

Imperator Basilius Maced. *lib. 2. iuris Orientalis, novella cuius titulus est*: Non fas esse quartas ad nuptias progredi. Iam olim a priscis scripta lex est, eademque a piissimo Iustiniano confirmata, per quam usque ad quartas nuptias iis qui volunt matrimonia permittuntur: fortassis hoc respiciente, quod usuvenire plerisque soleat, ut cito Matrimonii consortem amittant, vel ut iuvenibus hoc accidat, qui naturæ cupiditatibus obsistere nequeunt: ideoque ipsis contingere ut a castis quidem nuptiis divertantur, ad prohibitos autem concubitus sese conferant. Oportebat vero nos quoque, velut eiusdem tam naturæ, quam imbecillitatis consortes, priscis in hoc legibus acquiescere. Sed a lege divina nos præpediri cernimus. Propterea serenitas nostra salacibus amantium cupiditatibus frœnum iniicere volens, usque adeo quemquam ad matrimonium quartum progredi vetat: ut etiam tertium contrahentes ad Ecclesiasticos canones ableget. Ideoque ut eadem iura procedant in tertio quoque coniugio, quæ & in quarto: manifestum omnibus esto, futurum ut si quis ausus fuerit ad quartas nuptias, non nuptias accedere; non solum pro nullis habeantur hæ nuptiæ, nec liberi in his procreati pro legitimis adnoscantur: verum etiam, ut ipse pœnis pollutorum scortationis sordibus subiiciatur, eiusmodi videlicet personis a se invicem separatis. *Hanc reperies libro, cui titulus est:* Iuris Græco-Romani tam canonici quam civilis *Tom. 1. in fol. Franco-furti* 1601. *pag.* 86 & 87.

A) S. Ambros. *lib. 1. de Abraham c. 7. num.* 59. Iterum tentatur Saræ pudicitia, ut exigatur omnium. Nam & Abimelech in uxorem sibi eam sumpserat, & dixit ei in nocte Deus: *Ecce tu morieris propter mulierem.* Advertimus adulterium divino iudicio morte puniri. Ideoque addidit: *Hac autem cohabitatur cum viro.* *Gen. xx. 3.*

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 2.

Habet quidem omnis viri, mulierisque concubitus nulla legitimi matrimonii sorte celebratus, suam culpam. Discite enim qui ad gratiam baptismatis tenditis, velut quidam fidei candidati, continentiæ disciplinam sobriam. Nulli licet scire mulierem, præter uxorem. Ideoque coniugii tibi datum est ius, ne in laqueum incidas, & cum aliena muliere delinquas. Vinctus es uxori, noli quærere solutionem; quia non licet tibi, uxore vivente, uxorem ducere. Nam & aliam quærere, cum habeas tuam, crimen est adulterii, hoc gravius, quod putas peccato tuo auctoritatem lege quærendam.. Nec hoc solum est adulterium, cum aliena peccare coniuge, sed omne quod non habet potestatem coniugii: tamen locus iste docet gravius crimen esse, ubi celebrati coniugii iura temerantur, & uxorius pudor solvitur. Ideoque cum prætenderet Abimelech quod uxorem alienam esse ignoraverit, quam sororem esse vir ipse suam dixerit, respondit ei Dominus:
Ibid. 6. *Et ego cognovi quoniam puro corde fecisti hoc, & peperci tibi, ut non peccares in me: propter hoc non sum passus te tangere illam*. Cognoscimus velut præsulem custodemque coniugii esse Deum, qui non patiatur alienum torum pollui: & si qui fecerit, peccare eum in Deum, cuius legem violet, gratiam solvat: & ideo quia in Deum peccat, sacramenti cælestis amittit consortium.

N. 65. Noli te ancillæ miscere ne suscipias ex illa filium, & uxor tua non patiatur, coheredem illum filio suo fieri. Vides enim hinc solvi gratiam matrimonii. Certe si incidisti, & habes filium,
Gen. xxi, 10. *eiice ancillam & filium eius;* melius est enim ut ancilla quam uxor recedat, & filius ancillæ quam legitimus eiiciatur.

S. Aug. *De Bono coniug. cap.* 18 *n.* 21. Propterea sacramentum nuptiarum temporis nostri sic ad unum virum & unam uxorem redactum est, ut Ecclesiæ dispen-
1. Tim. iii. 2. Tit. i. 6. satorem non liceat ordinare, nisi unius uxoris virum. Quod acutius intellexerunt, qui nec eum qui catechumenus vel paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt. De sacramento enim agitur, non de peccato. Nam in Baptismo peccata omnia dimittuntur: sed qui dixit,
1. Cor. vii. 28. *Si acceperis uxorem, non peccasti; & si nupserit virgo, non peccat*: &, *Quod vult faciat, non peccat, si nubat*: satis declaravit nuptias nullum esse peccatum. Propter sacramenti autem sanctitatem, sicut femina etiamsi catechumena fuerit vitiata, non potest post Baptismum inter Dei virgines consecrari; ita non absurde visum est eum qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quamdam sacramenti amisisse; non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam. Ac per hoc sicut plures uxores antiquorum patrum significaverunt futuras nostras ex omnibus gentibus Ecclesias uni viro subditas Christo: ita noster Antistes unius uxoris vir significat ex omnibus gentibus unitatem uni viro subditam Christo... Sicut ergo sacramentum pluralium nuptiarum illius temporis significavit futuram multitudinem Deo subiectam in terrenis omnibus gentibus: sic sacramentum nuptiarum singularium nostri temporis significat unitatem omnium nostrum subiectam Deo futuram in una cælesti civitate. Itaque sicut duobus pluribusve servire, sic a viro vivo in alterius transire connubium nec tunc licuit, nec nunc licet, nec umquam licebit.... In nostrarum quippe nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quam fœcunditas uteri.

Cap. 24. *num.* 32. Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines in caussa generandi est, & in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir eius vivit, nec saltem ipsa caussa pariendi: quæ cum sola sit qua nuptiæ fiunt, nec ea re non subsequente propter quam fiunt, solvitur vinculum nuptiale nisi coniugis morte. Quemadmodum si fiat ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiam si plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum Ordinationis, & si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad iudicium permanente. Generationis itaque caussa fieri nuptias, Apostolus ita testis est; *volo*, inquit, *iuniores nubere*: & quasi ei diceretur, Ut quid? 1. Tim. v. 14.
continuo subiecit, *Filios procreare, matres-familias esse*. Ad fidem autem castitatis illud pertinet, *Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier*. Ad sacramenti sanctitatem 1. Cor. vii. 4.

Digitized by Google

nedictio Parochi coniungentis illos in matrimonium.

Gratia autem hoc signo sensibili confertur; gratia, inquam, qua fit ut

---

Ibid.10&11. illud, *uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir uxorem non dimittat*. Hæc omnia bona sunt, propter quæ nuptiæ bonæ sunt, proles, fides, sacramentum. Nec prolem autem carnalem iam hoc tempore quærere, ac per hoc ab omni tali opere immunitatem quamdam perpetuam retinere, atque uni viro Christo spiritaliter subdi, melius est utique & sanctius: si tamen ea vacatione sic urantur homines, quomodo scriptum est,
Ibid. 32. *ut cogitent quæ sunt Domini, quomodo placeant Deo*; id est ut perpetuo cogitet continentia, ne quid minus habeat obedientia: quam virtutem tamquam radicalem, atque ut dici solet, matricem, & plane generalem, sancti antiqui Patres in opere exercuerunt: illam vero continentiam in animi habitu tenuerunt. Qui profecto per obedientiam, qua iusti & sancti erant, & ad omne opus bonum semper parati, etiam si ab omni concubitu abstinere iuberentur, efficerent. Quanto enim facilius possent, vel iussione, vel exhortatione Dei non concumbere, qui prolem cui uni propagandæ concumbendo serviebant, obediendo poterant immolare.

De Fide & operibus cap. 17. *n.* 37.... Noli esse adulter, si vis baptizari: crede Christo, qui hoc quod facis dicit esse adulterium, si vis baptizari; noli esse membrum meretricis, si vis fieri membrum Christi.

Lib. I. *De nuptiis & concupiscentia, cap.* 10. *n.* 11. Quoniam sane non tantum fœcunditas cuius fructus in prole est, nec tantum pudicitia, cuius vinculum est fides: verum etiam quoddam sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniu-
Ephes. v.25. gatis, unde dicit Apostolus, *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam*: Huius procul dubio sacramenti res est, ut mas & femina connubio copulati quamdiu vivunt inseparabiliter perseverent, nec liceat excepta
Matth.v.32. caussa fornicationis a coniuge coniugem dirimi. Hoc enim custoditur in Christo & Ecclesia, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio separetur. Cuius
Ps. XLVII 2. sacramenti tanta observantia est *in civitate Dei nostri, in monte sancto eius*, hoc est in Ecclesia Christi, quibusque fidelibus coniugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, ut cum filiorum procreandorum caussa vel nubant feminæ, vel ducantur uxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere, ut alia fœcunda ducatur. Quod si quisquam fecerit, non lege huius seculi, ubi interveniente repudio sine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia; quod etiam sanctum Moysen Dominus, propter duritiam cordis illorum, Israelitis permisisse testatur: sed lege Evangelii reus est adulterii: sicut etiam illa si alteri nupserit. Usque adeo manent inter viventes semel inita iura nuptiarum, ut potius sint inter se coniuges, qui ab alterutro separati sunt, quam cum his quibus aliis adhæserunt. Cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum coniuges permanerent. Denique mortuo viro cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium potest cum quo prius adulterium fuit. Ita manet inter viventes quiddam coniugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis: sicut apostatæ anima velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit. Redderetur enim proculdubio redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem qui recesserit ad cumulum supplicii, non ad meritum præmii.

Cap. Cum in Ecclesiæ. *Extra.* de simonia. *Ex* Concil. Lateran. generali *Decret.* Greg. IX. *lib.* 5. *titul.* 3. *cap.* 9. Cum in Ecclesiæ corpore ... Horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis, locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro Episcopis, vel Abbatibus, seu quibuscumque personis Ecclesiasticis ponendis in sedem, sive introducendis Presbyteris in Ecclesiam, necnon & pro sepulturis & exequiis mortuorum *& benedictionibus nubentium*, seu aliis sacramentis aliquid requiratur.... Ne igitur hæc de cetero fiant, vel pro personis Ecclesiasticis deducendis in sedem, vel Sacerdotibus instituendis, aut sepeliendis mortuis, seu benedicendis nubentibus, seu aliis sacramentis conferendis seu collatis aliquid exigatur, distinctius prohibemus. Si quis autem contra hæc venire præsumpserit,

Digitized by Google

coniuges quietam inter se cum mutua dilectione vitam agant, & sancte utantur matrimonio, & liberos Christiane instituant, & mutuam sibi fidem illibatam servent, & ferant patienter onera matrimonii, & tribulationes huic annexas, & iuvent se se mutuo in prosperis & in adversis.

Idque *ex Christi instituto*. Hanc enim virtutem Christus matrimonii Christiani vinculo tribuit, ut gratiam hanc conferret: tribuit autem, inquiunt sancti Patres, dum adesse voluit nuptiis in Cana Galilææ celebratis, cuius rei historia habetur cap. 2. Evangelii secundum Ioannem. (B)

---

portionem cum Giezi se noverit habiturum.

(B) *Vide supra part.* I. *sect.* 2. *cap.* 1. *§.* 6. *litt.* (P) Ioan. II. 1. *& seq.*

S. Cyrillus Alexand. *Epist. ad Nestorium de excommunicat. quæ lecta & probata fuit in Concil. Ephes. circa finem tom.* 4. *Concil. Lab. p.* 1082. Sacra virgo Deum carni secundum hypostasim unitum corporaliter genuit... Non quod propter naturam propriam temporali, ea videlicet quæ in novissimis seculi temporibus accidit, nativitate necessario indigeret: sed quo nostræ quoque substantiæ ortum sua benedictione cumularet; maledictioque, quæ mortalia corpora nostra in mortem præcipitabat, hoc ipso in posterum contra universum genus nostrum sævire desisteret, quo illud carni unitum ex muliere in lucem prodiisset. Et illo tandem;
Gen. III. 16. *In dolore paries filios* tuos, per ipsum labefactato verum esse ostenderet quod
Ose. XIII. 14. 1. Cor. XV. 54. Isai. XXV. 8. Apoc. VII. 17. & 21. 4. Prophetæ voce dictum fuerat: *Absorpsit mors prævalens:* & rursum: *Abstulit Deus omnem lacrimam ab omni facie.* Hac ipsa quoque de caussa simul cum sanctis Apostolis ad nuptias in Cana Galilææ dispensatorie vocatum, huc se contulisse, suaque benedictione easdem cohonestasse dicimus. Hæc tenere, hæc sapere cum a sanctis Apostolis & Evangelistis, tum ab universa quoque sacra & divina Scriptura, tum ex veraci denique sanctorum Patrum confessione edocti sumus.

Lib. 2. *cap.* 11. *in Ioan. cap.* XXII. *vers.* 1. Opportune ad patranda miracula Christus aggreditur, licet fortuito ad ea vocatus videatur. Nam cum nuptiæ celebrarentur, caste nimirum & honeste, adest quidem mater Servatoris, sed & ipse una cum discipulis suis invitatus venit, non tam epulaturus quam ut miraculum faceret, ac præterea generationis humanæ principium sanctificaret, quod carnem nimirum attinet. Conveniebat enim ut qui naturam ipsam hominis renovaturus, ac totam in meliorem statum revocaturus erit, non solum iis qui iam in ortum vocati erant benedictionem impertiretur, sed & iis quoque qui postea nascituri essent gratiam præstrueret, & eorum ortum sanctum efficeret. Porro tertiam tibi hanc habeto rationem. Dictum est alicubi ad mulierem a Deo, *In dolore partes filios*. Gen. III. 16. Quomodo igitur hanc a nobis execrationem depelli oportebat, aut quanam alia ratione condemnatas nuptias vitare licebat? Istud etiam solvit Servator hominum amantissimus Præsentia sua nuptias cohonestavit, ipse gaudium & lætitia quum sit universorum ut veterem partus tristitiam depelleret.

Super vers. 11.., Nuptiæ quippe honorabiles sanctificatæ sunt, & execratio in mulieres repulsa; non enim in doloribus ultra parient liberos, cum ipsum quoque nostræ generationis initium Christus benedixerit.

S. Epiphan. *Lib.* 2. *Tom.* 2. *advers. hæres. Hæres.* 67. *quæ est Hieracit. num.* 6. Nam *venerabiles esse nuptias*, ut Dei aspirante gratia cæleste regnum obtinere Heb. XIII. 4. quis vel ex eo non agnoscat, quod ad nuptias invitatus Salvator ipse fuerit, ut iis benediceret? Quod si tum nuptiis interesse noluisset, earumdem eversor fuisset, nec unum quemque pro sua imbecillitate benigne atque indulgenter admittere putaretur, Quamobrem *venerabiles nuptiæ sunt*, cum eas ipse constituerit, Ideoque & adesse iisdem voluit, ut eorum ora præcluderet, qui contra veritatem disputant. Quin & illic apud Canam Galilææ primum signum fecit, & in vinum aquam convertit. Nam ut ortus ex virgine fuerat, ut orbi terrarum excitatam ex virgine lucem ostenderet; ita & primum miraculum nuptiarum in gratiam apud Canam Galilææ facere voluit: quo honestas nuptias prodigiis, ac miraculis illustraret.

Digitized by Google

I. Undenam matrimonium sanctificandi vim habet?

R. Ex meritis Christi, & ex eius coniunctione cum Ecclesia, quam matrimonii sacramentum exhibet atque repræsentat.

I. Quid sibi volunt hæc verba a te supra laudata Apostoli, qui de matrimonio disserens ait, *Sacramentum hoc magnum est, Ego autem dico in Christo & in Ecclesia?* *Eph. v. 32*

R. Horum Apostoli verborum sensus is est; 1. Matrimonium Christianorum esse vere sacramentum, ut mox diximus. 2. Esse mysterium, & grande mysterium quidem; nam repræsentat & veluti ponit ob oculos ineffabilem coniunctionem Christi cum Ecclesia.

I. Quomodo matrimonium Christianumrepræsentat ineffabilem coniunctionem Christi cum Ecclesia?

R. 1. Quemadmodum Christus *exivit a Patre & venit in mundum* ut adhæreret Ecclesiæ: sic *relinquit homo patrem & matrem suam ut adhæreat uxori suæ.* *Joan. xvi. 28* *Gen. ii. 24. Matth. xix. 5. Marc. x. 7.*

2. Ecclesia formata est, ut ita dicam, e latere Christi mortui in cruce, ex quo *exiit sanguis & aqua*, qui dicuntur fontes Salvatoris: femina formata est e latere viri dormientis. *Joann. xix. 34.* *Gen. ii. 21.*

3. Christus est caput Ecclesiæ; Vir caput uxoris.

4. Christus & Ecclesia unum corpus efficiunt: vir & uxor *iam non sunt duo sed una caro*, inquit Christus. *Ephes. v. 23. Coloss. 1. 8. Matth. xix. 6.*

5. Unus est spiritus Christi & Ecclesiæ: unus debet esse spiritus viri & uxoris. *Ephes. i. 23. Coloss. i. 24.*

6. Christus diligit Ecclesiam; Ecclesia reveretur Christum. Debet vir uxorem diligere, debet uxor timere & revereri virum suum, ex Apostolo. *Ephes. v. 25. & 28.*

7. Indissolubili vinculo Christus & Ecclesia coniunguntur. Non recedet umquam Christus ab Ecclesia, nec separare quidquam poterit Ecclesiam a caritate Christi. Sic vir & uxor indissolubili vinculo quoad vixerint inter se coniunguntur, debentque fidem sibi mutuo servare illibatam. *Mat. xxviii. 20.* *Rom. viii. 35*

8. Christus novis in dies Ecclesiam auget & ditat bonis: Ecclesia quantum in se est servit gloriæ Christi. Debent pariter vir & uxor mutuis se se invicem iuvare consiliis, auxiliis, bonis: Inter ipsos debent esse omnia communia. (C)

Sunt & aliæ multæ eiusmodi similitudines & convenientiæ, quas quisque facile ex supradictis collige-

(C) Genes. ii. 18. Matth. xix. 4. §. *sup. litt.* (A).

Matth. xxviii. 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.

1. Cor. vii. 1. *& seq. Vide superius Part. 2. Sect. 3. cap. 7. litt.* (D)

Ephes. iv. 4. Unum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.

v. 22. Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino. Quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ: ipse Salvator corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite uxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ. Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut

re, & intelligere, & meditari poterit.

I. Quis sacramenti matrimonii minister est?

R. Non una est ea de re Theologorum sententia, nec quidquam Ecclesia definivit. Alii existimant ipsos contrahentes ministrare sibi ipsi hoc Sacramentum, dum mutuum sibi dant consensum coram legitimo Parocho & testibus. Alii censent Parochum excipientem mutuum contrahentium consensum, & dantem ipsis benedictionem nuptialem coram testibus, esse ministrum huius sacramenti. (D)

I. Quinam capaces sunt huius sacramenti?

R. Quicumque viri sive feminæ

---

aliquid eiusmodi; sed ut sit sancta & immaculata. Ita & viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit seipsum diligit. Nemo enim umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam sicut & Christus Ecclesiam. Quia membra sumus corporis eius, de carne eius & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Verumtamen & vos singuli unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum.

COLOSS. III. 18. Mulieres subditæ estote viris: sicut oportet in Domino. Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas.

(D) IOAN. MALDON. Societ. Iesu Presbyt. *Tract. de Sacrament: de Matrimon. quæst. 1. resp. ad sextum argumentum 3. sententiæ.* Respondeo, etiam esse ordinarium ministrum huius Sacramenti Sacerdotem. Sed quemadmodum Baptismus potest conferri ab iis, qui non sunt Sacerdotes, quod attinet ad essentiam: ita etiam Matrimonium potest dari ab iis, qui non sunt Sacerdotes. Dicet aliquis, Esto, ita sit, tamen nemo baptizari potest a seipso, nemo absolvi a seipso. Ergo nemo dare sibi ipsi potest Sacramentum Matrimonii. Respondeo, propterea quod Sacramentum Matrimonii non consistit in actione, sed in societate individua vitæ, quocumque pacto fiat, aut contrahatur illa societas more Christiano, fit Sacramentum. Quapropter si vir, & femina propria voluntate sine ullo Ministro eiusmodi societatem ineant, fit, ut quasi per accidens, in hoc Sacramento possit idem esse minister, & subiectum Sacramenti.

GUIL. ESTIUS *in Lib 4. Sentent. distinct. 26. §. 10* De ministro huius Sacramenti, non parva est inter Catholicos Scriptores difficultas. Præsertim cum Magister & alii antiquiores nihil aut perparum de hac re ex professo tradidisse legantur.

Est autem communis Scholasticorum posteriorum sententia, virum & feminam Matrimonium contrahentes, esse proprios huius Sacramenti ministros. Idque ex eo probant, quia ad Ministrum Sacramenti pertinet verba formæ pronunciare, & per ea Sacramentum conficere. Faciunt autem hoc vir & mulier, dum verbis conceptis sibi invicem dant fidem. Idem confirmari videtur ex Decreto Concilii Florentini de Sacramentis, ubi sic legitur; *Caussa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Cum igitur mutuum illum consensum verbis exprimant illi ipsi qui Matrimonio copulantur; consequitur eos efficere Matrimonium, & proinde Matrimonii, id est, huius Sacramenti perficiendi ministros esse.

Rursum confirmatur ex eo, quia Matrimonium inter Christianos contrahi potest (saltem præveniendo legem positivam Tridentini Concilii) per eos solos qui Matrimonio copulantur, nemine alio præsente; & tamen cum Sacramentum sit novæ legis, non potest perfici absque Ministro: ergo contrahentes ipsi & non alii ministrorum gerunt officium.

Porro Scotus in hanc distinctionem scribens, sentire videtur id non esse perpetuum. Sic enim ait: *Ut plurimum ipsimet contrahentes ministrant sibi ipsis*

Digitized by Google

hoc Sacramentum, vel mutuo vel uterque sibi. Sed nec hoc requiritur necessario, si in omni contractu (videlicet Matrimoniali) est Sacramentum: quia aliquando parentes contrahunt pro filiis vel filiabus, præsentibus eis, non exprimentibus signa propria. Si ergo ibi est Sacramentum: oportet dicere, quod minister huius Sacramenti potest esse indifferenter, quicumque potest esse minister in contractu Matrimonii. Sic ille.

Verum facile potest Scoto responderi, quod quamvis alii plerumque intersint contrahentes, semper tamen principaliter contrahunt per proprium consensum illi qui coniugio copulantur: sive id verbis faciant, sive aliis signis idem valentibus, inter quæ etiam silentium ipsum interdum secundum iura computatur: quia tali casu qui tacet præsumitur consentire. Unde non est necesse propter ea quæ Scotus adfert alios ab ipsis coniugibus aliquando agnoscere Sacramenti huius ministros.

Aliorum opinio est in hoc Sacramento, sicut in aliis Ecclesiæ Sacramentis, non alium esse quærendum ministrum, quam qui sit ipsius Ecclesiæ Minister, idest, Sacerdos virum & mulierem certis ac præscriptis verbis coniungens. Hanc sententiam tradit & multis argumentis propugnat Melchior Canus libro 8. locorum Theologicorum capit. 5. ubi contendit Matrimonium sine Ecclesiæ Ministro contractum, non esse vere, & proprie Sacramentum, eo quod proprius Minister per quem administrari debuit, illi desit. *Deinde adductis omnibus Melch. Cani probationibus, quindecim argumentis contentis, quæ maxima ex parte habes infra apud Sylvium, sic concludit:*

Non ignoro hanc Cani sententiam a Dominico, & aliis nonnullis non solum reiici, & refelli, sed etiam novitatis ac temeritatis nomine taxari. Quorum rationes apud ipsos Auctores videant, & expendant studiosi. Certe rationes, & auctoritates satis ostendunt, neque novam neque temerariam esse hanc sententiam, neque a Patrum sententia alienam; præterquam quod Sacramentorum sanctitati quam maxime congruit. Unde & Dominicus Bannesius scribens super 1. quæstione 1. articulo 8. dicit communem sententiam modo a multis improbari, non solum post celebrationem Concilii Tridentini, sed etiam antea: & Cani sententiam multos alios sequi absque ulla temeritate. *Quod enim*, inquit, *uno tempore occultatur, postea per diligentiam & studium advenientium multoties innotescit*, &c. Et post multa: *Respondetur*, inquit, *illam sententiam de Matrimonio non fuisse communem omnium Theologorum; sed aliqui oppositum docuerunt.* Præterea licet fuisset communis, non tamen fuit firma sententia, ut patet ex Magistro, S. Thoma, Scoto & omnibus aliis in 4. qui omnes sub dubio relinquunt, neque aliquid certo definiunt. Hæc ille, & quæ sequuntur.

PARS III. SECT. I. CAP VIII §. 2.

Denique vitantur multa paradoxa per hanc sententiam, ut quod huius Sacramenti minister non sit unus sed duo non ordinati, sed laici, vir & mulier; quod iidem suscipientes & conferentes: quod forma consistat sine verbis: quod nullam contineat cæremoniam peculiarem, &c.

FRANC. SYLV. *in suppl. ad 3. part. D. Thomæ quæst.* 42. *art.* 1. Quæritur 1. *Qui sit Minister Sacramenti Matrimonii*. Multorum opinio habet, esse ipsos contrahentes, adeo ut nonnulli Melchiorem Canum aliud sentientem graviter reprehendant.

Responsio verior est, huius Sacramenti ministrum esse solum Sacerdotem. Primo quia sponsus & sponsa sunt ab illo benedicendi, ut loquuntur Patres Concilii 4. Carthag. can. 13. & ante illos, Evaristus Epist. 1. addens *hunc esse morem ut uxor a parentibus dotetur, & cum precibus, & oblationibus a Sacerdote benedicatur*. Cuius benedictionis etiam meminit Siricius Epistolæ 1. cap. 4. significans illam esse tam sacram, ut eius violatio sit apud fideles instar sacrilegii.

Quod autem illa benedictio sit essentialis; probatur primo, quia Ambrosius Epistola 70. docet coniugium Sacerdotali benedictione sanctificari debere.

Secundo, quia Patres dicti Concilii Carthaginens. sponsos admonent, ut cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis, in virginitate permaneant. Si vero benedictionem illam æstimassent solum esse cæremoniam, non erat caussa cur tantæ reverentiæ habendæ novos coniuges admonerent: nam æqualem vel maiorem benedictionem Christiani quilibet singulis diebus accipiunt in fine Sacrificii, tum a Sacerdotibus, tum ab Episcopis;

neqne tamen propterea monentur abstinere ab usu coniugii

Tertio, quia benedictio, quæ Matrimonio solum est accidentalis, non adhibetur secundis nuptiis, ut art 2. qu. 63. docebitur: Patres autem loquuntur de benedictione quæ omnibus Christianorum coniugiis debet adhiberi. *Unde* a cap. *nullus* 30. quæst. 5. nniversaliter decernitur *quod nullus fidelis cuiuscumque conditionis sit, occulte nuptias faciat, sed benedictione accepta a Sacerdote publice nubat in domino.*

Quod autem in Concil. Carthaginens. dicitur sponsus & sponsa cum benedicendi sunt a Sacerdote, non significat aliquos spnnsos non esse benedicendos, ea nimirum benedictione quam dicimus esse formam; sed perinde est, ac cum sponsus & sponsa sunt Matrimoninm in facie Ecclesiæ contracturi.

Quarto, quia Alexander III. capit. *Cum in Ecclesia,* tit. de Simonia; dicens *horribile esse quod pro sepulturis, & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium seu aliis Sacramentis aliquid requiratur*: addit: *Ne igitur hæc de cetero fiant, vel pro personis Ecclesiasticis deducendis in sedem, vel Sacerdotibus instituendis, aut sepeliendis mortuis, seu benedicendis nubentibus, seu aliis Sacramentis conferendis, seu collatis aliquid exigatur; strictius prohibemus.* Ubi semel & iterum, benedictionem nuptiarum vocat Sacramentum.

Si dicas nomen Sacramenti late sumi, idque inde patere quod sepulturæ & exequiæ mortuorum ibidem comprehendantur sub Sacramentis: Respondetur non ita esse. Cum enim dicitur, seu aliis Sacramentis, relatio non fit nisi ad benedictiones nubentium, de quibus proxime procedit.

Secundum argumentum sumi potest ex fine Concili Constantiensis, ubi Martinus V. vult suspectam rogari, *an credat quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ-unctionis, vel solemnizationis Matrimonii, peccet mortaliter.* Ibi enim solemnizationem Matrimonii Pontifex vocat Sacramentum, sicut Confirmationem, & Extremam-unctionem: ac proinde solemnizans illud ita est minister Sacramenti, sicut confirmans, & inungens. Tertium, Concilium Florentinum docet omnia Sacramenta tribus perfici, *rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona Ministri*: Si autem contrahentes forent ministri huius Sacramenti; ipsum aliquando perficeretur sine verbis, scilicet per litteras, vel nutus matrimonialem consensum exprimentes. Neque dici potest quod in Concilio intelligantur non solum verba proprie dicta, sed etiam ea signa quæ gerunt vicem verborum: Nam si quis tentaret aliquod aliud Sacramentum conferre per nutus & signa, vere deessent verba, & eorum defectu Sacramentum non subsisteret. Deinde, sic intelligendo, caussa efficiens Matrimonii *non solum regulariter esset mutuus consensus per verba de præsenti expressus*, quomodo loquitur Concilium, sed semper: numquam enim potest effici Matrimonium, nisi coniuges verbis proprie dictis vel signis æquivalentibus consensum exprimant.

Quartum, Concilium Tridentinum vult *Parochum viro & muliere interrogatis: & eorum mutuo consensu intellecto, dicere; Ego vos in Matrimonium coniungo in nomine Patris,* &c. *vel aliis verbis uti, iuxta receptum uniuscuiusque provinciæ ritum.* Ista autem verba sunt vera, ergo Parochus vere illos coniungit Matrimonio, saltem quatenus est Sacramentum; & propterea est Minister Sacramenti.

Quintum arg. Sacramentorum quæ in actione consistunt Minister alius est a suscipiente: ut patet ex eo quod nullus possit se baptizare, confirmare, absolvere, ungere.

Sextum, contrahentes non sciunt se esse ministros huius Sacramenti, neque iubetur Parochis ut eos doceant habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia; & tamen absque tali intentione, nullum sacramentum potest subsistere. Neque responderi potest sufficere, quod velint contrahere: nam & hoc volunt hæretici & pagani, qui tamen nec habent intentionem faciendi quod facit Ecclesia, nec verum Sacramentum Matrimonii perficiunt.

Septimum, si contrahentes sunt ministri huius Sacramenti, & consequenter eorum non tantum verba, sed etiam signa, facta, nutus sunt forma: sequitur copulam carnalem animo maritali factam ab eis qui sponsalia prius contraxerant, esse formam Sacramenti. Atqui

pubertatis annos attigerunt, nec ullum habent impedimentum quominus matrimonium fiat.

I. Quinam pubertatis annos attigerunt?

R. Viri post expletum annum quartumdecimum, feminæ post expletum duodecimum dicuntur pubertatis annos attigisse.

I. Possuntne amentes & furiosi contrahere valide matrimonium?

PARS III. SECT. I. CAP VIII §. 2.

R. Possunt, si lucida habent intervalla; possunt, inquam, si in illis integra tunc ratio vigeat: si desint illa intervalla, non possunt, quia carent libertate necessaria ad contractum faciendum. (E)

---

nullam habet speciem veri, Christum id instituisse pro forma Sacramenti, quod non potest absque gravi peccato fieri: talis autem copula fieri non potest absque gravi peccato, cum pertineat ad clandestinum Matrimonium, ab Ecclesia semper improbatum, ac præsertim si pro signo consensus non aliud sit quam ipsa corporum commixtio.

Octavum, absurdum videtur in Sacramenti alicuius administratione minus tribuere Episcopis & Presbyteris, quam Laicis; cum soli Episcopi & Sacerdotes sint ad ministerium Sacramentorum ordinati.

GASPAR. IUENIN Orator. Gallic. Presbyt. *Comment. hist. & dogmat. de Sacrament. Dissert. duodecim. cap. 2. quæst. 3.* Duplex est circa difficultatem, de qua agitur, Doctorum sententia. Nonnullis placet virum & feminam contrahentes esse proprios huius Sacramenti ministros. Alii vero, qui in responsione ad ultimam obiectionem laudabuntur, censent non alium hic quærendum ministrum quam qui sit Ecclesiæ Minister, id est, Sacerdos qui virum & mulierem præscripta verborum forma coniungit.

Conclusio. Solus Sacerdos est minister Sacramenti Matrimonii.

Probatur argumentis tum Melchioris Cani, tum Sylvii, tum Estii. 1. Concilium Carthaginense IV. can. 13. præscribit ut sponsus & sponsa a Sacerdote benedicantur. Idem iniungit Epistola decretalis adscripta Evaristo Papæ; ait nempe: *Hunc esse morem ut uxor a parentibus dotetur & cum precibus, & oblationibus a Sacerdote benedicatur*. Eiusdem benedictionis meminit Siricius Papa Epist. 1. cap. 4. Iam vero eam benedictionem esse essentialem Sacramento ostenditur, tum ex eo quod (ut diximus huiusce Sacramenti essentiam asserentes contra Lutheranos) Patres gratiæ sanctificantis productionem illi adscripserint: vixque, si accidentalis cerimonia reputetur, ostendi poterit contra Sectarios Matrimonium esse proprie dictum Sacramentum novæ legis. 2. Laudati Concilii Carthaginensis Patres sponsos admonent, ut cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia quam par est illi benedictioni exhibere, in virginitate permaneant: Eam igitur non habuerunt tamquam ritum accidentalem, alioquin suasissent fidelibus ut iis diebus quibus præsentes se sistunt Missæ sacrificio, temperent ab actu coniugali, cum (ex adversariorum principiis) fideles ad finem Missæ non minori, quam in Matrimonio, benedictione donentur a Presbyteris. 3. Quæ meri sunt ritus, nonnumquam omittuntur: Verum licet benedictio quæ incipit: *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, ille vos in Christo benedicat*, &c. omittatur in secundis nuptiis, ob idque Matrimonio accidentalis iudicetur, hæc aut æquivalens, *Ego vos in Matrimonium coniungo*, &c. nusquam omittitur iuxta Canonem, *Nullus*, caus. 30. quæst. 5. *Nullus fidelis cuiuscumque conditionis sit, occulte nuptias faciat, sed benedictione accepta a Sacerdote publice nubat in Domino*.

Iam vero si Sacerdotalis benedictio sit Matrimonii Sacramento essentialis, seu, si sit illius forma, ut allata loca demonstrare videntur, sequitur Sacerdotem necessarium esse eiusdem Sacramenti Ministrum, cum is unus sit Sacramenti Minister, qui profert illius formam, ut in Baptismo ceterisque Sacramentis videre est, &c.

(E) DECRET. 2. *part. caus.* 32. *Quæst.*

Digitized by Google

PARS III. SECT. I. CAP. VIII §. 3.

§. 3. *De Impedimentis matrimonii, ac primo de Dirimentibus. Cur istæc impedimenta apposita sint.*

I. Quænam sunt impedimenta matrimonii?

R. Duplicis generis ea sunt. Alia dirimentia dicuntur, quia non solum impediunt contrahendum, sed & dirimunt iam contractum.

Alia impedientia solum dicuntur, & non dirimentia; quia impediunt contrahendum, ita ut stante impedimento, matrimonium sine peccato contrahi nequeat, sed non dirimunt iam contractum.

I. Quænam sunt impedimenta dirimentia?

R. Quatuordecim numerantur, his versibus memoriæ iuvandæ caussa comprehensa:

1. *Error*, 2. *conditio*, 3. *votum*, 4. *cognatio*, 5. *crimen*.
6. *Cultus disparitas*, 7. *vis*, 8. *ordo*, 9. *ligamen*, 10. *honestas*.
11. *Si sis affinis*, 12. *si forte coire nequibis*;
13. *Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ*.
14. *Si Parochi & duplicis desit præsentia testis*.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

I. Quid intelligis per impedimentum *Erroris*?

R. Intelligo Errorem non quemlibet, sed errorem personæ. Si quis, verbi gratia, velit ducere Rachelem, & supponatur ipsi per fraudem Lia soror eius, matrimonium cum Lia contractum nullum est; quia ubi nullus est consensus, ibi nullum matrimonium. At cui per fraudem Lia subintroducitur, is non Liæ, sed Racheli suam dat fidem.

I. Ergo inter Iacob & Liam matrimonium nullum fuit?

R. Fuit post subsequentem consensum & ratihabitionem: sed ante hanc ratihabitionem matrimonium inter eos nullum fuit.

I. Si quis velit ducere uxorem divitem, nobilem, virginem, & matrimonio contracto deceptum se fuisse experiatur; validum ne est matrimonium?

R. Validum est. Solus error personæ, de qua mox diximus, & conditionis servilis, de qua mox dicemus, matrimonium dirimit. Si quis decipiatur in fortuna, in dotibus coniugis, ut fit sæpissime; error ille non dirimit matrimonium contractum.

I. Quid intelligis per impedimentum *conditionis*, quod alterum est ex dirimentibus?

R. Intelligo matrimonium nullum esse, si quis liber servam uxorem accipiat, quam putat esse liberam; vel si qua mulier libera nubat servo quem putat esse liberum. Agimus hic de servitute proprie dicta, qua fit, ut quis sit vere sub dominio al-

---

7. *can.* 26. Neque furiosus, neque furiosa Matrimonium contrahere possunt: sed si contractum fuerit, non separentur.

Cap. 25. Hi, qui Matrimonium sani contraxerint, & uni ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem coniugia talium solvi non possunt. Similiter sentiendum de his qui ab adversariis excæcantur, aut membris truncantur, aut a Barbaris exsecti fuerint.

Digitized by Google

terius, nec potestatem habeat sui corporis & suæ libertatis. Quæ quidem servitus nunc inter Christianos non reperitur, & sublata est iam pridem legibus Imperatoriis.

I. Cur appositum est hoc impedimentum?

R. Quia servitus hominem omnino ponit sub alterius dominio, non potest ergo tradere se in potestatem coniugis, ut fit per matrimonium. Et fieret iniuria coniugi non servienti servitutem. Si tamen persona libera ultro consentiat in matrimonium, non obstante servitute futuri coniugis quem novit esse sub dominio alterius; tunc accedente consensu domini, matrimonium ratum est. Tunc enim nemini fit iniuria.

I. Quid intelligis per impedimentum *voti*, quod tertium est ex dirimentibus?

R. Intelligo irritum esse matrimonium, si contrahatur post editum votum sollemne relligionis a Monacho aut Clerico regulari, vel a Moniali.

I. Cur Ecclesia vult irrita esse huiusmodi matrimonia?

R. Quia votum sollemne habetur ab Ecclesia instar matrimonii spiritualis Christum inter & voventem contracti: quo fit ut quis Christo coniunctus sit arctiori vinculo quam coniux coniugi. Et quidem vinculo insolubili, quod specialem vitæ statum constituit non secus ac coniugium.

I. Quid intelligis per impedimentum *cognationis*, quod quartum est ex dirimentibus?

R. Intelligo irritum esse matrimonium, si inter consanguineos intra quartum consanguinitatis gradum contrahatur. Pars III. Sect. I. Cap. VIII

I. Quibus de caussis appositum est hoc impedimentum? § 3.

R. 1. *Habita est ratio rectissima caritatis, ut homines quibus esset utilis atque honesta concordia, diversarum necessitudinum vinculis necterentur.* Verba sunt S. Augustini. S. Aug. Lib. xv. de civit. Dei cap. xvi num. 1.

2. Publicæ honestati repugnant matrimonia inter consanguineos inita.

3. Coercenda fuit hoc fræno concupiscentia, quæ liberius effervesceret inter cognatos ob facilitatem consuetudinis, si matrimonium contrahi posse speraretur.

I. Quid intelligis per impedimentum *affinitatis*, quod quinto loco ponitur inter dirimentia?

R. Huic quæstioni antequam respondeam, observa duo esse affinitatis genera.

Affinitas vel est carnalis vel spiritualis.

Affinitas carnalis vel oritur ex copula licita, scilicet ex matrimonio consummato: vel ex copula illicita, scilicet ex consummato adulterio, ex consummata fornicatione.

Affinitas spiritualis oritur ex Baptismo vel Confirmatione, ut infra dicemus.

Hæc omnino distinguenda sunt, quia variæ illæ affinitates varia impedimenta constituunt.

Impedimentum affinitatis ortæ ex copula licita in eo positum est, quod inter virum & consanguineos omnes uxoris, inter uxorem & consanguineos mariti affinitas intercedat, vi cuius post obitum alterutrius

Digitized by Google

coniugis non possit coniux superstes inire matrimonium cum consanguineis defuncti intra quartum consanguinitatis gradum. Alioqui nullum, & irritum erit coniugium.

Impedimentum ortum ex copula illicita in eo positum est, quod affines censeantur omnes consanguinei illius personæ cum qua consummata est copula illicita; ita ut nullum & irritum esset matrimonium contractum post eiusmodi copulam, cum illis affinibus usque ad secundum gradum inclusive. Sed non extenditur ultra secundum gradum impedimentum affinitatis ortum ex copula illicita, idque ex sanctione Concilii Tridentini, cuius hæc sunt verba: „ Sancta Synodus .... gravissi„ mis de caussis adducta, impedi„ mentum, quod propter affinita„ tem ex fornicatione contractum „ inducitur, & matrimonium post„ ea factum dirimit, ad eos tan„ tum qui in primo & secundo gra„ du coniunguntur, restringit. In „ ulterioribus vero gradibus statuit „ huiusmodi affinitatem matrimo„ nium postea contractum non di„ rimere. „

Affinitas spiritualis contrahitur, 1. Inter baptizantem & baptizatum eiusque parentes: ita ut irritum esset matrimonium si postea contraheretur inter ipsos.

2. Inter susceptores ex sacro fonte baptismatis & susceptum eiusque parentes: ita ut irritum esset matrimonium quod postea contraheretur inter alterutrum susceptorum & susceptum vel eius parentes. Sed non contrahitur hæc affinitas nisi baptismus reipsa collatus sit. Si suppletæ sunt solum baptismi cæremoniæ nulla affinitas est.

3. Inter Patrinum & Matrinam confirmationis & confirmatum, eiusque parentes: ita ut irritum esset matrimonium si contraheretur inter ipsos non secus ac inter baptizatum, & susceptores de sacro fonte baptismatis.

I. Cur carnalis affinitatis impedimenta posita sunt?

R. Quia affinitas carnalis instar est cognationis, & quæ caussæ prohibent connubia fieri inter cognatos, eædem & ad affines pertinent.

I. Cur affinitas spiritualis irritat matrimonium?

R. Quia instar cognationis cuiusdam habetur ab Ecclesia.

I. Quid intelligis per impedimentum *criminis* quod sextum locum tenet in dirimentibus?

R. Intelligo Homicidium vel Adulterium perpetratum in quatuor his casibus.

1. Si quis adulter uxorem suam per se vel per alium interficiat ea mente, ut possit postea matrimonio copulari cum illa adultera, irritum erit. Idem esto iudicium de muliere adultera interficiente virum suum, ut possit nubere adultero. Idem esto quoque iudicium de viro interficiente maritum illius adulteræ, vel de femina interficiente uxorem illius adulteri. Idque etiamsi nulla præcesserit conventio de futuro matrimonio; & homicidium fuerit perpetratum inscia parte adultera.

2. Si alteruter coniugum coniugem interficiat ea mente, ut postea possit novum inire coniugium cum

ea persona cui prius fidem dedit de contrahendo Matrimonio post mortem coniugis; Matrimonium subsequens irritum erit, etiamsi nullum adulterium præcesserit, & conscia criminis non fuerit ea persona quæ in Matrimonium appetitur, modo fidem datam acceptaverit.

Idem esto iudicium si pacto inito de futuro coniugio inter personam coniugatam, & solutam, solutus virum coniugatæ, vel soluta uxorem coniugati interficiat, etiam inscia ea persona quæ appetitur in futurum coniugium, & nullo præmisso adulterio.

3. Si adulterium committatur post pactum initum de contrahendo inter se Matrimonio cum alter coniux e vivis excesserit; oritur impedimentum dirimens: & nullum esset Matrimonium subsequutum post mortem coniugis. Idque propter adulterium præmissum post illud pactum prævium.

4. Si quis coniugatus alteram ducit uxorem vivente priore, non potest post mortem prioris, posteriorem in legitimum Matrimonium assumere, si hæc conscia criminis fuerit; si autem hæc nescivit prius coniugium, irritum non erit Matrimonium subsequens mortua priore uxore contractum. Idem esto iudicium de muliere coniugata, quæ viro alteri nuberet scienti prius coniugium.

I. Cur appositum est ab Ecclesia hoc impedimentum criminis?

R. 1. Ut ne coniugati in adulteria vel homicidia prorumperent liberius spe futuri coniugii; 2. Ut esset fides coniugalis sanctior.

I. Quid intelligis per *Disparitatem cultus*, quod septimum impedimentum est ex dirimentibus?

R. Intelligo irritum fore Matrimonium, quod fidelis contraheret cum infideli; verbi gratia, Christianus cum Iudæa, Christiana cum Mahumetano.

I. Cur hoc impedimentum appositum est?

R. 1. Quia tale Matrimonium non potest esse Sacramentum. 2. Ne fidelis veniret in periculum fidei. Posset enim facile adduci in infidelitatem a coniuge.

I. Si infidelis convertatur ad Christum coniuge infideli permanente in infidelitate, irritumne est Matrimonium ante conversionem contractum?

R. Si velit alteruter Matrimonium dissolvere, per eos licet. Si vero sponte consentiant in Matrimonio permanere, ratum erit Matrimonium in infidelitate contractum, nec poterit amplius dissolvi. (A)

I. Irritumne est Matrimonium Catholicorum cum hæreticis?

R. Prohibitum est: non irritum, nisi adsint alia impedimenta.

I. Quid intelligis per *vim*, quæ

(A) 1. Corinth. vii. 12. Nam ceteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin fi-

PARS III SACT. I. CAP. VIII. §. 3.

lii vestri immundi essent, nonc autem sancti sunt. Quod si infidelis discedit, diseedat: non enim servituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi: in paee autem voeavit nos Deus. Unde enim scis mulier, si virum salvum faeies? aut unde seis vir, si mulierem salvam facies? Nisi unicuique sieut divisit Dominus, unumquemque sieut vocavit Deus, ita ambulet, & sieut in omnibus Ecclesiis doceo.

S. AUG. *de Coniug. adult. l.* I. *c.* 21. *n.* 25. Tu autem eui placet, ita non licere quod non vetat Dominus, sed Apostolus, quemadmodum non licet quod vetat Dominus, cum exponere voluisses
1. Cor. VII. 12. quid sibi vellet quod ait, *Ego dico, non Dominus*, cum alloqueretur fideles quibus essent eoniuges iofideles, dixisti, *quia Dominus iussit ne coniugia sibimet diversa relligionis copularentur*: & ipsum adhibui-
Deut. VII. 3. sti testimonium Domini dieentis, *non accipies uxorem filio tuo a filiabus alienigenarum, ne traducat eum post Deos suos, & pereat anima eius*. Addidisti etiam
1. Cor. VII. 39. verba Apostoli, ubi dixit, *Mulier alligata est, quamdiu vir eius vivit Quod si mortuus fuerit vir eius, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino*: quod ita exposuisti, ut adiungeres, *id est Christiano*. Deinde seeutus es, & aisti, *Hoc est ergo Domini praeceptum tam in veteri quam in novo Testamento, ut non nisi unius relligionis & fidei coniugia sibi maneant copulata*. Si hoc ergo est Domini præceptum tam in veteri Testamento quam in novo, & hoc iubet Dominus, hoe docet Apostolus, ut non nisi unius relligionis & fidei maneant copulata coniugia, quare contra hoe Domini iussum, contra doctrinam soam, contra præceptum Testamenti veteris & novi, iubet Apostolus ut diversæ fidei eoniugia maneant copulata? *Quia Paullus*, inquis, *gentium prædicator & Apostolus, iam in coniugio positos, non solum monet, sed etiam iubet, ut si unus aut una e coniugibus credidisset; alterum vel alteram non credentem, secum tamen habitare consentientem, non dimitteret*. His verbis tuis aliud hoc, aliud esse illud, satis evidenter ostendis. Illud enim de his eoniugiis agitur, quæ sibi primitus copulantur, ne nubat femina, oou suæ relligionis viro, vel vir talem ducat uxorem. *Id enim*, ut dicis, *iubet Deus, docet Apostolus, utrumque præcipit Testamentum*. Hoc autem diversum esse quis abnuat, ubi agitur non de coniungendis, sed de coniunctis? Ambo quippe unius eiusdemque iofidelitatis fuerunt qoando eoniuncti sunt, sed Evangelium eum venisset, alter sine altera, vel altera sine altero credidit. Si ergo aliud est hoc, quod sine scrupulo ullius dubitationis apparet, cur fidelem eum infideli in eoniugio permanere, non & Dominus sicut Apostolus iubet? Nisi forte isto loco vaeat, quod tam fideoter ipse ait, *an vultis experimentum accipere eius qui in me loquitur Christus?* 2 Cor. XIII. 3.
Et utique Domious est Christus. Intelligisne quid dicam? An in hoe explaoando aliquaoto diligeotius immorabor?

N. 26 Adrende, ut rem ipsam tamquam in eonspectu considerandam planiore sermone ponamus. Eece coniuges duo unius infidelitatis; ita fuerunt quando eoniuncti sunt: nulla de his quæstio est, quæ pertineat ad illam Domini iussionem doctrinamque Apostolicam & præceptum Testamenti veteris & novi, quo prohibetur fidelis eum infideli eopulare coniugium. Iam sunt coniuges, & adhue ambo sunt infideles, adhuc tales sunt quales fuerunt ante quam iungerentur, qualesque eooiuncti sunt. Venit Evangelii prædieator, credidit eorum aut unus, aut una, sed ita ut infidelis eum fideli habitare consentiat. Iubet fideli Dominus ne infidelem dimittat, an non iubet? Si dixeris, iubet: reelamat Apostolus, *Ego dico, non Dominus*. Si dixeris, non iubet: caussam requiro. Neque illam mihi responsurus es, quam tuis litteris iodidisti, *quia Dominus prohibet fideles infidelibus iungi*. Hic enim nullo modo est ista eaussa; de iam iunctis loquimur, non de iungendis. Si ergo tu caussam non invenisti, eur non vetet Dominus, quod vetat Apostolus; eernis enim iam, ut existimo, non esse ipsam quam esse putaveras: vide ne forte illa sit quæ mihi visa est, & tunc proferenda, & nune defendenda; ut scilicet illud intelligamus dieere Dominum, quod habet coram illo nullo modo transgredienda iustitia, id est, quod ita iubet aut vetat, ut aliud faeere omnino non lieeat: quod autem volentis potestati ita permittit, ut nee agatur nec prætermittatur illieite, ibi servorum suorum consilio loeum dare, ut id potius suadeant quod viderint expedire.

Digitized by Google

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 3.

octavo loco ponitur inter impedimenta dirimentia?

R. Intelligo irritum esse Matrimonium, si alteruter coniugum non libere consenserit in Matrimonium, sed ad id adactus fuerit per vim & metum gravem & iniuste incussum.

I. Cur hoc impedimentum introductum est?

R. 1. Quia nihil magis pugnat cum libertate quam violentia & coactio. At Matrimonium est contractus ex natura sua liber.

2. Necesse fuit hoc impedimentum apponere, ut tolleretur occasio Potentibus, ad Matrimonia cogere nolentes.

I. Quid intelligis per impedimentum *Ordinis* quod nonum est ex dirimentibus?

R. Intelligo irritum esse Matrimonium quod contraheretur a Subdiacono, vel Diacono, vel Sacerdote; illud autem impedimentum ideo positum est, quia Clerici maiores iam censentur spirituale Matrimonium cum Christo contraxisse non secus ac regulares. Cur autem posuerit illis Ecclesia legem cœlibatus iam fusius diximus ubi de cœlibatu Clericorum.

Cap. 7. §. 9. huius sect.

I. Quid intelligis per impedimentum *ligaminis*, quod decimum est ex dirimentibus?

R. Intelligo non posse coniugatos ante mortem alterius coniugis Matrimonio copulari: Alioquin irritum erit Matrimonium subsequens. Nec sufficit mors coniugis præsumpta ob diuturnam absentiam. Irritum est Matrimonium subsequens, nisi coniux reipsa e vivis excesserit: nefas ergo ad secundas nuptias convolare, nisi adsint certa viduitatis testimonia. (B)

I. Quid intelligis per impedimentum *Honestatis*, quod undecimo loco positum est inter dirimentia?

R. Intelligo ex sponsalibus oriri impedimentum dirimens; ita ut si forte sponsalia solvantur nondum inito Matrimonio, inter sponsum & sponsæ matrem vel sororem, inter sponsam & patrem vel fratrem sponsi nullum possit iniri validum connubium: modo tamen sponsalia legitima intercesserint: nullum enim est impedimentum, si sponsalia non fuerint legitima. Illud autem impedimentum publicæ honestatis dicitur: quia existimavit Ecclesia ad publicam decentiam & honestatem pertinere, ut hoc poneretur.

(B) 1. Cor. vii. 27. Alligatus es uxori? noli quærere solutionem.

39. Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius vivit.

Decret. Greg. IX. *l.* 4. *Tit.* 1. *De desponsat. impuber. c.* 19. In præsentia nostra quæsivisti, quid agendum sit de mulieribus, quæ viros suos caussa captivitatis vel peregrinationis absentes ultra septennium præstolatæ fuerint: nec certificari possunt de vita vel de morte ipsorum, licet super hoc sollicitudinem adhibuerint diligentem: & pro iuvenili ætate, seu fragilitate carnis, nequeunt continere, petentes aliis Matrimonio copulari. Consultationi ergo tuæ respondeo quod quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonice convolare, nec auctoritate Ecclesiæ permittas contrahere donec certum nuncium recipiant de morte virorum.

I. Quid intelligis per impedimentum duodecimo loco positum his verbis, *Si forte coire nequibis?*

R. Intelligo irritum esse Matrimonium, si quis impotentia perpetua laborans illud contraxerit. Si vero impotentia non sit perpetua, vel si Matrimonio iam contracto supervenerit impotentia perpetua, stat Matrimonium.

I. Si morbus ille oriatur ex maleficio & præstigiis quid facto opus?

R. Recurrendum ad preces Ecclesiæ, ut maleficium tollatur. Nec altero maleficio tollendum maleficium est: quod grande nefas.

I. Cur hoc impedimentum positum est?

R. Quia morbus ille conceptioni prolis opponitur, qui præcipuus est Matrimonii finis.

I. Quid intelligis per impedimentum tertio decimo loco positum his verbis, *Si Parochi & duplicis desit præsentia testis?*

R. Intelligo irrita prorsus esse Matrimonia clandestina. Porro clandestina dicuntur, nisi fiant coram proprio contrahentium Parocho, & duobus vel tribus testibus. (C)

Adverte tamen etiamsi sufficiant testes duo ad Sacramenti validita-

---

(C) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 24. *de reform. Matrimonii, cap.* 1. Tametsi dubitandum non est, clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse Matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; & proinde iure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant; quique falso affirmant, Matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata irrita facere posse: nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis caussis illa semper detestata est, atque prohibuit. Verum cum sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodesse; & gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis coniugiis ortum habent, præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Cui malo cum ab Ecclesia, quæ de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur: idcirco sacri Lateranensis Concilii, sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo præcipit, ut in posterum antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum sollemnia publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur; ubi Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, *Ego vos in Matrimonium coniungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti:* vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque provinciæ ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio Matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat; vel saltem Parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus Matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant; ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire iudicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur: quod illius prudentiæ & iudicio sancta Synodus relinquit. Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & huiusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.

Digitized by Google

tem; tamen in Gallia, ut Matrimonia secundum leges fiant quatuor testes omnino requiri. (D)

I. Quid intelligis per ultimum impedimentum dirimens hoc versu expressum, *Raptave sit mulier nec parti reddita tutæ?*

R. Intelligo irritum esse Matrimonium, si contrahatur cum muliere quæ rapta sit, etiam illa consentiente, sed invitis eius parentibus, vel tutoribus aut curatoribus: nisi post raptum in loco tuto, & in parentum vel curatorum potestate posita sit.

I. Cum adest impedimentum aliquod dirimens, debetne Dispensatio facile vel postulari, vel concedi, ut Matrimonium postea contrahatur?

Insuper Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes qui sine Parocho, vel Sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes, graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit. Præterea eadem sancta Synodus hortatur ut coniuges, ante benedictionem Sacerdotalem, in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent; statuitque benedictionem a proprio Parocho fieri, neque a quoquam nisi ab ipso Parocho, vel Ordinario, licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse, quacumque consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante. Quod si quis Parochus, vel alius Sacerdos, sive Regularis sive secularis sit, etiam si id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia Matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Habeat Parochus librum, in quo coniugum & testium nomina, diemque & locum contracti Matrimonii describat; quem diligenter apud se custodiat. Postremo sancta Synodus coniuges hortatur, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante Matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pie accedant. Si quæ provinciæ aliis ultra prædictas, laudabilibus consuetudinibus & ceremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri sancta Synodus vehementer optat. Ne vero hæc tam salubria præcepta quemquam lateant Ordinariis omnibus præcipit, ut, cum primum potuerint, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum diœcesum Parochialibus Ecclesiis, idque in primo anno quam sæpissime fiat; deinde vero quoties expedire viderint.

(D) Ordonnance de Blois, *art.* 40. *Sur les Temoins, au nombre de* 4. Henry III. *Etats de Blois de* 1579. Guenois *tom.* 1. *Edit. in fol. de Paris de l'an.* 1627. *p.* 546. *Liv.* 5. *tit.* 2. *§.* 6. *num.* 3. Abusibus & incommodis, quæ a clandestinis Matrimoniis originem trahunt obviam ituri præcipimus, subditos nostros, cuiuscumque status, qualitatis, conditionisque sint, valide Matrimonium contrahere non posse, absque eo quod prius præcedant proclamationes, tribus festivis diebus factæ, ac inter se competenti intervallo dissitæ; quarum dispensatio, nisi post primam publicationem factam, dari non possit, & nisi urgens, & legitima caussa id postulet, & præcipui proximique partium contrahentium parentes id petant. Habitis his proclamationibus palam in matrimonium coniungantur, atque ut formæ in his matrimoniis servatæ testimonium remaneat, quatuor testes fide digni, quorum nomina in acta referri debent, intersint: atque hæc omnia sub pœnis a Conciliis propositis servari debent. Curatis, vicariis, aliisque iniungimus, ut diligenter in qualitatem eorum, qui nubere volent, inquirant. Ac si filii familias sint, vel sub aliorum potestate qui contrahere volent, ne hæc matrimonia celebrent expresse prohibemus, nisi de Patrum, Matrum, Tutorum, vel Curatorum consensu constet; qui aliter fecerit, tamquam fautor criminis raptus puniatur.

Digitized by Google

Pars III Sect. I. Cap. VIII §. 3.

R. Audienda est ea de re Tridentina Synodus, cuius hæc verba sunt:

Seſſ. 24. de reform. Matrim. cap. 5. in fine. „ In contrahendis, inquit, Matrimoniis vel nulla omnino detur „ dispensatio vel raro: idque ex „ caussa & gratis concedatur. In se„ cundo gradu numquam dispen„ setur, nisi inter magnos Princi„ pes, & ob publicam caussam. „

I. Si iam Matrimonium invalidum & irritum contractum sit, debetne dispensatio facile concedi, ut validum fiat?

R. Audi etiam ea de re Concilii Tridentini Sanctionem.

Ibid. initio. „ Si quis, inquit, intra gradus „ prohibitos scienter Matrimo„ nium contrahere præsumpserit, „ separetur, & spe dispensationis „ consequendæ careat; idque in eo „ multo magis locum habeat, qui „ non tantum Matrimonium con„ trahere, sed etiam consummare „ ausus fuerit. Quod si ignoranter „ id fecerit, siquidem sollemnita„ tes requisitas in contrahendo Ma„ trimonio neglexerit, eisdem sub„ iiciatur pœnis: non enim di„ gnus est, qui Ecclesiæ benignita„ tem facile experiatur, cuius salu„ bria præcepta temere contemsit. „ Si vero sollemnitatibus adhibitis „ impedimentum aliquod postea „ subesse cognoscatur, cuius ille „ probabilem ignorantiam habuit; „ tunc facilius cum eo & gratis dis„ pensari poterit. (E)

§. 4. *De impedimentis non dirimentibus Matrimonium iam contractum.*

I. Quænam sunt impedimenta prohibentia fieri Matrimonium, non dirimentia contractum?

R. Tria sunt hoc versu comprehensa:

1. *Ecclesiæ vetitum.* 2. *Sponsalia.* 3. *Iungito Votum.*

I. Quid intelligis per *Ecclesiæ vetitum?*

R. Intelligo nefas esse Matrimonia celebrare contra Ecclesiæ leges, quibus prohibentur nuptiæ certis temporibus, certis in locis, cum certis personis; & demum nisi prius sollemnitates quædam adhibeantur.

I. Quibus temporibus nuptiæ celebrari prohibentur?

„ *R.* Ab Adventu Domini no- Seſſ. 24. Decret. de ref. Matrim. c. 10.
„ stri Iesu Christi usque in diem „ Epiphaniæ, & a feria quarta „ Cinerum usque in octavam Pa„ schatis inclusive, antiquas sol„ lemnium nuptiarum prohibitio„ nes diligenter ab omnibus obser„ vari sancta Synodus Tridentina „ præcepit. Sunt præterea Diœceses quædam, in quibus prohibitum est nuptias celebrari diebus Dominicis & festis, & diebus ieiuniorum; idque non sine ratione.

I. Cur prohibentur nuptiæ illis diebus?

R. Ut non abstrahantur fideles

(E) *Lege librum iussu R. D. Cardin.* De Noailles *hoc titulo Gallice impressum,* Conferences du Diocese de Paris sur le Mariage, & Pyrrhi Corradi *Tractat.* de Dispensationibus Apostolicis.

Digitized by Google

ab Oratione diebus sollemnibus vel statis ieiuniorum aut pœnitentiæ temporibus. Sequitur in eo Ecclesia mentem Apostolorum Petri & Paulli, qui coniugalem abstinentiam ex Prophetarum oraculis commendant, ut vacetur liberius orationi; Modo id fiat ex consensu ad tempus. (A)

I. Si nuptiæ celebrentur ex dispensatione Episcopi tempore prohibito ob graves caussas, quid agere debent qui utuntur illa dispensatione?

R. Agere debent nuptiarum celebritatem absque ulla sollemnitate superflua, absque pompa, absque convivali apparatu: ut mens Ecclesiæ servetur quantum fieri potest.

I. Quibus in locis prohibentur celebrari nuptiæ?

R. Matrimonii Sacramentum administrari debet in sola Ecclesia; eaque parochialis esse debet Ecclesia contrahentium, nisi Parochus det licentiam in alia Ecclesia contrahendi.

I. Cum quibus personis iungere connubia vetitum est legibus Ecclesiæ?

R. Præter infideles, quorum Matrimonium si celebraretur cum fideli irritum esset, ut iam diximus §. sup. nefas est præterea Matrimonio iungi cum hæreticis, vel excommunicatis, quamdiu stat Excommunicatio: quicumque enim Ecclesiæ sinu pulsi sunt, non licet iis Sacramenta ministrari.

I. Quas sollemnitates Ecclesia servari præcipit ante Matrimonii celebrationem?

R. 1. Præcipit fieri denuntiationes futuri Matrimonii tribus diebus Dominicis vel Festivis intra Missarum sollemnia. (B)

2. Præcipit inquiri diligenter a Parochis de statu & doctrina, & dispositionibus sponsi & sponsæ, ut certo scire possit num liberi & habiles sint ad contrahendum & ab omni impedimento vacui.

I. Cur præcipit Ecclesia fieri denuntiationes futurorum Matrimoniorum?

R. 1. Ut Matrimonia publicentur nec clam fiant.

2. Ut intelligatur num adsint impedimenta quædam.

3. Ut desponsati commendentur orationibus fidelium.

I. In quo positum est impedimentum sponsalium?

R. In eo quod ubi celebrata sollemniter sponsalia fuere, non licet sponsis alias nuptias appetere vel celebrâre, donec sponsalia soluta

---

(A) IOEL II. 16. Congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, & sugentes ubera: egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.

1. COR. VII. 5. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.

1. PETR. III. 7. Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquam & coheredibus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes vestræ.

(B) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 24. *Decret. de reform. Matrim. cap.* 1. *Vide §. super litt.* (C)

ſint. Cum enim quis fidem ſolemniter dedit, tenetur eam liberare, alioqui graviter peccaturus.

I. Quandonam ſponſalia ſic dirimuntur & ſolvuntur, ut licitum ſit ad alias nuptias convolare?

R. 1. Morte naturali alterutrius ſponſi.

2. Morte civili alterutrius ſponſi; verbi gratia, ſi ſtatum Monaſticum alteruter ampleĉtatur, ſi capite minuatur; ſi in ſervilem adigatur conditionem, &c.

3. Si ſuperveniat impedimentum dirimens.

4. Si uterque conſentiat in diſſolutionem ſponſalium.

5. Si poſt ſponſalia alteruter in fornicationem incidat.

6. Si intercesserit ſententia Iudicis. Hæc autem ſententia neceſſario debet intercedere, ſi cauſſa diſſolutionis dubia ſit occulta, & publica ſponſalia fuerint, nec uterque conſentit in diſſolutionem ſponſalium. Neceſſaria non eſt, cum cauſſa certa eſt de facto vel de iure, ita ut nulla tergiverſatione celari vel excuſari poſſit.

I. Quænam vota impediunt fieri Matrimonium, licet non dirimant iam factum?

R. Vota ſimplicia caſtitatis, vel relligionis, vel de non nubendo.

Quod vota illa Matrimonium impediant per ſe patet: quia nefas eſt non reddere vota ſua Domino.

Quod autem non dirimant contractum Matrimonium conſtat; quia in Eccleſiæ poteſtate eſt impedimenta dirimentia vel apponere vel coarctare. At declaravit Eccleſia ſolis votis ſollemnibus, non privatis, dirimi Matrimonium contractum.

I. Quid facto opus ſi quis poſt emiſſum votum ſimplex caſtitatis, aut relligionis, Matrimonium contraxerit?

R. Si ante Matrimonii celebrationem voti diſpenſationem obtinuit, non peccavit, & perinde agere debet ac ſi nullum emiſiſſet votum.

Si non obtenta diſpenſatione nupſit, vel duxit uxorem, peccavit graviſſime, debet agere pœnitentiam, petere diſpenſationem; & donec diſpenſatio conceſſa ſit, non debet poſtulare coniugale debitum, licet reddere teneatur.

I. Licetne filiis familias Matrimonium contrahere ſine Parentum vel Tutorum aut Curatorum conſenſu?

R. Non licet omnino ſi minores ſint. Id iura omnia prohibent: ius naturæ, ius gentium, ius divinum ius canonicum, ius civile.

I. Licetne filiis-familias ætate maioribus Matrimonium contrahere ſine parentum conſenſu?

R. Filii-familias ubi trigeſimum ætatis annum compleverunt; & filiæ-familias ubi attigerunt vigeſimum ſextum, poſſunt in Gallia Matrimonium contrahere, non obtento parentum conſenſu, modo illum in ſcriptis ter ſupplices poſtulaverint.

I. Irritane ſunt Matrimonia filiorum-familias inita ſine parentum conſenſu?

R. Irrita ſunt quoad effectus civiles, non quoad fœdus & Sacramenti validitatem.

Digitized by Google

I. Cuius est impedimenta Matrimoniis apponere?

R. Id pertinet ad Ecclesiam, ut constat ex perpetua traditione. (C)

(C) CONC. TRID. *Sess.* 24 *can.* 4. *de Matrimon.* Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.

Extat Doctissimi viri D. GERBAIS *Sac. Facult. Paris. Doctor. Tractatus de impedimentis Matrim. quem inscripsit:* Traitè pacifique du pouvoir de l'Eglise, & des Princes, sur les empechemens de Mariage, avec la pratique des empechemens qui subsistent aujourd' hui, Paris 1690. in 4. *in quo fuse hanc materiam pertractavit. Pauca interim ex Gasp. Iuenin in hanc rem argumenta hic proferimus.*

GASP. IUENIN. Cong. Orat. Gall. Presb. *Tract. de Sacram. diss.* 12. *quast.* 6. *c.* 1.

Profertur argumentum præscriptionis pro Ecclesia potestate ad constituenda impedimenta Matrimonii.

Diffiteri nemo potest quin per quatuor secula, quæ immediate præcessere Tridentinam Synodum, Ecclesia pacifice, & nemine contradicente statuerit Matrimonii impedimenta, tum (ut vocant) prohibentia, tum dirimentia. Et quidem 1. iam nullum fere exstat quod aut in Gratiani Decreto, aut in Gregorii Papæ IX. Decretalibus non legatur. 2. Iis quatuor seculis ubique ad Ecclesiam deferebantur caussæ matrimoniales. 3. Ex omnibus urbis Christiani Provinciis ad Ecclesiam confluebant, non modo viri plebeii, sed & Principes, ut obtenta dispensatione, intra quosdam prohibitos gradus nubere possent. Ex illa autem facti quæstione, quæ certo certior est, hanc inferimus conclusionem: Ergo Ecclesia quovis seculo, seu a Christo ad hæc usque tempora, potita est iure statuendi impedimenta, quæ matrimonium aut impediant aut prohibeant. Nec enim potest assignari tempus quo Ecclesia frui cœperit ea facultate.

Argumentum ex Traditione petitum profertur pro potestate Ecclesiæ in impedimenta Matrimonii.

1. Tribus prioribus seculis Ecclesiam quædam statuisse matrimonii impedimenta, probant hæc verba Siricii Papæ ad Himerium Tarraconensem rescribentis de nonnullis Monachis, qui nuptias ambibant: *Quod & publicæ leges, & Ecclesiastica iura condemnant.* Probant iterum hæc alia Basilii, in Epistola ad Diodorum de viduo, qui sororem mortuæ suæ coniugis duxerat: *Principio igitur, quod in eiusmodi rebus maximi momenti est, morem qui apud nos est, obiicere possunt, quod in legis vim abeat; propterea quod sanctiones istæ a sanctis viris nobis sunt traditæ.* Iura, quorum quarto seculo Siricius meminit; consuetudo quam eadem ætate Basilius recenset, non erant Imperatorum leges, tum quod Siricius ea iura legibus Imperatorum opponat, tum quod Basilius eam consuetudinem non ad Imperatores, sed ad Sanctorum traditionem referat: Nec Siricius, nec Basilius iura illa aut consuetudinem tamquam res novas proferunt, sed tamquam quas a sanctis maioribus accepissent: Ergo obtinebant ante quartum seculum, quo tum a Siricio, tum a Basilio laudata sunt.

2. Iure de quo agitur, quarto seculo potitam fuisse Ecclesiam demonstrant latæ tunc temporis constitutiones Synodicæ. De affinitate hæc habet alter Canon Concilii Neocæsariensis, quod anno 314. habitum est: *Mulier si duobus fratribus nupserit, abiiciatur usque ad mortem; veruntamen in exitu, si promiserit quod ubi convaluerit, solvet matrimonium, propter humanitatem pœnitentiam habebit.* Non laudat ea Synodus Levitici verba, quibus eadem lex sancitur: eam tamen nequaquam prætermissura, si (ut heterodoxis placet) vim & robur haberet in Evangelica lege. De eodem impedimento hæc habet Basilius in Epist. ad Amphilochium: *Si quis affectu immundo correptus, ad illicitam duarum sororum communicationem exorbitaverit, id neque coniugium esse censendum, neque talem ad Ecclesiasticum cœtum admittendum, priusquam a se invicem dirimantur.* Siricius Papa in Epist. ad Himerium Tarraconensem, refert impedimentum publicæ honestatis tamquam a primatibus Ecclesiasticis statutum. *Hoc ne fiat* (inquit cap. 4 loquens de muliere alicui iam desponsata) *omnimodo inhibemus.* Cum autem id inhibeat, non quia sic ferunt politicæ leges, sed quia illa

benedictio, quam nupturæ *Sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur*, Ecclesiæ ius supponit.

3. Quinto & sexto seculo penes Ecclesiam fuisse ius de quo in conclusione, evincitur. Ex Synodo quæ habita est in Hybernia anno 450. sub S. Patricio; Canone 17. irritum fit matrimonium initum cum virgine Deo consecrata ... Evincitur 2. ex primo Aurelianensi Concilio celebrato anno 511. agente Clodoveo Francorum Rege; Canone 13. hæc leguntur: *Si cuiquam mulier Presbyteri, vel Diaconi relicta* (tamquam vidua) *duplici se coniugio coniunxerit, aut castigati separentur, aut certe si in criminis intentione perstiterint, pari excommunicatione plectantur*. Vim non habuit statutum illud vi legum civilium, nulla enim ea de re lata fuit umquam a Principibus. Evincitur 3. ex altera Aurelianensi Synodo habita anno 533. Canone 17. hæc habet in caussa de qua nihil umquam sanxere politici Principes, *Fœmina quæ benedictionem Diaconatus hactenus, contra interdicta Canonum acceperunt, si ad coniugium probentur iterum devolutæ, a communione pellantur; quod si huiusmodi contubernium admonitæ ab Episcopo, cognito errore, dissolverint, in communionis gratiam acta pœnitentia revertantur*.

4. Septimo octavo & nono seculo Ecclesiam, nullo contradicente, auctoritate a Christo accepta præscripsisse leges quibus nuptiæ quædam nullæ fierent & irritæ; ostenditur 1. ex Gregorio Magno, qui ineunte seculo septimo, Anglorum Genti Romano Imperatori nequaquam subditæ prohibuit sub pœna nullitatis ne intra primum & secundum consanguinitatis gradum nuberet. *Unde necesse est, ut iam tertia, aut quarta generatio fidelium decenter sibi iungi debeat. Nam secunda, quam diximus a se omnino debet abstinere*. Verba sunt laudati Pontificis ad sextam quæstionem ab Augustino Cantuariensi Episcopo sibi propositam respondentis. 2. Ex Zacharia Papa, quo præside anno 747. Synodus Romæ habita est, qua revocata fuit indulgentia post quartum gradum nubendi a Gregorio secundo Germanis recenter ad fidem conversis concessa. *Deo autem largiente* (inquiunt illius Synodi Patres) *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, prateritis annis litteras miserunt Archiepiscopi, & Reges Provinciæ illius, petentes Apostolica præcepta qualiter liceat illius coniugia copulare, & quomodo debeat observare*. Agnoscebant igitur octavo seculo Germanorum leges potestatem Ecclesiæ in præscribendis matrimonio legibus. 3. Ex Nicolao Papa I. qui nono seculo Bulgaros nuper ad fidem conversos, & Romanis Imperatoribus nequaquam subditos docuit, quo in consanguinitatis gradu valerent inita matrimonia, & in quo irrita essent & invalida. *De consanguinitate generationum exquisistis, ut quibus utique feminis iungi debeatis, liquido cognoscatis* (inquit in suis ad Bulgaros responsis cap. 39.) *inter eas enim personas, quæ parentum liberumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt .... Inter eas quoque personas, quæ ex transverso gradu cognationis iunguntur, est quædam similis observatio, sed non tanta*.

5. Decimo seculo Orientales Episcopi convocati ad Concilium, declararunt nullas fore deinceps quartas nuptias, præsente & consentiente Constantino Imperatore nato ex quartis nuptiis Leonis Imperatoris, & ob id excommunicatione damnati a Nicolao Patriarcha. *Quod si quis* (inquiunt) *ad huiusmodi coniugium progredi decreverit, ab omni cœtu Ecclesiastico exclusus esto ... donec in hoc coniugio permanserit ... Et in hunc quidem modum de quarto matrimonio*. Eodem seculo, anno nimirum 998. Robertus Francorum Rex Bertham Adonis Comitis filiam, consanguineam suam duxit in matrimonium: Erchembaldus Turonensis Archiepiscopus coniugium illud consecravit, probaruntque multi adulatores & aulici Episc. sed Gregor. V. coacto Romæ Concilio ipsum damnavit, duosque edidit canones, ex quibus invictissime colligitur Ecclesiæ potestas in fidelium matrimonia. Priore canone Rex sub excommunicationis pœna iubetur, ut Bertham dimittat. *Ut Rex Robertus* (verba sunt canonis) *consanguineam suam Bertham, quam contra leges in uxorem duxerat, derelinquat, & septem annorum pœnitentiam agat, ut secundum præfixos Ecclesiasticos gradus iudicatum est: Quod si non fecerit, anathema sit: Idemque de eadem Bertha præceptum est*: altero canone eiicitur communione fidelium illius coniugii consecrator: *Erchembaldum Turonensem Archiepiscopum talis coniugii consecratorem cum omnibus Episcopis*,

qui consentientes interfuerunt his incestis nuptiis Regis & Berthæ consanguineæ suæ a sacrosancta communione suspendimus, donec ad hanc Sedem Apostolicam veniant satisfacturi. Non vi legum a Romanis Imperatoribus sancitarum dissolutum fuit Roberti cum Bertha coniugium: Nec enim quidquam poterant illæ leges in principem ab aliquo alio in rebus temporalibus nequaquam pendentem. Solutum igitur fuit vi Ecclesiasticorum canonum, contra quos Robertus suas inierat nuptias.

6. Seculis 12. & 13. eodem iure Ecclesiam potitam fuisse demonstratur 1. ex Alexandri Papæ II. Epistola 38. ad Episcopos, Clericos, & Iudices Italiæ, sub pœna nullitatis confirmat prohibitionem multis iam seculis sancitam nubendi infra septimum consanguinitatis gradum. Illius summi Pontificis verba describemus infra, agentes de modo supputandi consanguinitatis gradus. Demonstratur 2 ex Burchardo Episcopo Wormatiensi, qui sub finem undecimi seculi in suam Canonum collectionem retulit decretales Epistolas adscriptas prioribus Romanis Pontificibus, quibus Epistolis præscribuntur impedimenta matrimonium dirimentia. Demonstratur 3 ex Yvone Carnotensi & Gratiano, qui ineunte seculo 12. illas easdem Epistolas suis inseruere decretis. Demonstratur 4. ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. habito, anno 1215. Eo enim Concilio consanguinitas ad quartum gradum coarctata fuit. Demonstratur 5. ex Gregorio IX., cuius auctoritate ubique fere promulgatæ fuerunt Decretales, quibus ius præscribendi matrimoniis irritantes leges Ecclesiæ vindicatur.

7. Seculis 14 & 15. Ecclesiam ius suum in nuptias fidelium exercuisse ostenditur 1. ex facto quod anno 1366. contigit. Eduardus Anglorum Rex Edmundum nuptui tradiderat Margaretæ filiæ Ludovici Belgarum Comitis; sed rescissum est coniugium illud, eo quod inter consanguineos initum esset. Nec Urbanus Papa V. adduci potuit, ut petitam ab Eduardo dispensationem concederet. Ostenditur 2. ex altero facto quod 15. seculo contigit in Galliis. Ludovicus Rex XII. quasi invitus Ioannam ex Ludovico XI. natam duxerat; sed ratus postea non valere nuptias huiusmodi, rem totam commisit, non sui regni proceribus, sed Alexandro Papæ VI. cuius auctoritate solutum fuit illud matrimonium, & aliud initum cum Anna Britannica prædecessoris sui vidua.

8. Ius quo Ecclesia a Christo usque ad seculum 16. potita fuerat circa impedimenta matrimonium dirimentia, confirmavit Concilium Tridentinum. 1. Lutheranorum hac de re doctrinam proscripsit. 2 Reduxit ad praxim sacra Synodus potestatem quam vindicavit Ecclesiæ. Lutherus duo hæc de quæstione docuerat. Primo in genere contenderat nulla humana lege irrita fieri posse fidelium matrimonia, *coniunctio viri & mulieris* (inquiebat) *tenet quocumque modo contra hominum leges contigerit*. 2. In specie asseruerat Ecclesiam, seu ordinem Sacerdotalem non posse statuere impedimenta dirimentia: quo ex principio hanc inferebat conclusionem. Debent Sacerdotes ea omnia matrimonia confirmare, quæ contra Ecclesiasticas, vel Pontificias leges fuerunt contracta, in quibus Papa dispensat, & quæ non sunt in Sacra Scriptura expressa. Utramque illam propositionem in genere & in specie coniunctim Concilium canone 3. sessionis 14. proscripsit: *Si quis dixerit eos tantum consanguinitatis & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare aut constituere ne plures impediunt & dirimunt, anathema sit*: Posteriorem propositionem in specie damnat sacra Synodus canone 4. ubi hæc habentur, *Si quis dixerit Ecclesiam non posse constituere impedimenta, matrimonium dirimentia, vel in his constituendis errasse, anathema sit*.

Concilium vero iis canonibus proposuisse fidelibus fidei dogma non diffitebitur, qui ad eius methodum attenderit; id observavit sacra Synodus, ut quæ ad disciplinam spectant, capitibus sub hocce titulo, *De reformatione*, complecteretur: quæ vero ad fidem Catholicam redigeret in Canones, anathema dissentientibus intorquendo.

Nomine *Ecclesiæ*, quo sacra Synodus in iisdem canonibus utitur, non societatem fidelium prout Laicos & Clericos complectitur, sed solum ordinem Sacerdotalem designatum voluit. 1. Sacro illi ordini præsertim, Luthesus abstulerat pot-

Digitized by Google

Pars III Sect. I. Cap. VIII §. 4.

estatem statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, ut patet ex secunda eius propositione mox relata. Præterea Ecclesiæ nomen nusquam privatis personis tribuitur, nisi eius nomine, & auctoritate, quæ ab ipsa emanavit, agant. At Launoius, huiusce novæ interpretationis auctor in suo de regia in matrimonium potestate libro, non concedit politicos Principes, si quasdam circa coniugia leges tulerint, egisse Ecclesiæ nomine; & potestate, quam ab ea receperint. 3. Sacra Synodus facultatem statuendi impedimenta matrimonium dirimentia confirmatam voluit illi eidem Ecclesiæ, quæ præcedentibus seculis ea statuerat. At ea Ecclesia haud dubie est ordo Sacerdotalis; ut probatum manet ex superioribus. 4. Concilium Tridentinum, id est, Ecclesia prout solum ordinem Sacerdotalem complectitur, variis capitibus sub hocce titulo, *De reformatione matrimonii*, de impedimentis disserit, Capite 1. irritos facit & nullos clandestinos contractus. Cap. 11. affinitatem spiritualem ad certum personarum numerum restringit. Capite 3. impedimento, quod vocant *honestatis publicæ*, limites præscribit. Capite 4. affinitatem ex crimine ortam reducit ad primum & secundum gradum. Capite 5. prohibet ne quis nubere ausit intra prohibitos gradus; regulasque præscribit in concedendis dispensationibus deinceps observandas. Cap. 6. raptum accenset impedimentis dirimentibus. Absurdum esset asserere iis omnibus locis sacram Synodum non suo, sed Principum laicorum nomine egisse; Cur enim, si id ipsi erat in animo, nusquam laicos Principes nominavit? Cur toties hæc reperiit verba, *Declarat Sancta Synodus*? Cur si Principum nomine locuta fuerit, omnes Principes singula ea decreta quæ ad disciplinam pertinent, suis in regnis postea non promulgarunt?

Proferuntur Argumenta petita ex Principum secularium testimonio & praxi.

1. Altissimum fuit quovis seculo apud omnes Principes silentium, cum Ecclesia, suis in Conciliis impedimenta matrimonium dirimentia constituit. Probat illud silentium Principibus ratum fuisse semper æquo titulo potuisse Sacerdotalem ordinem quod factitabat. Non enim (ut supra fuit observatum) verisimile est traditæ sibi auctoritatis alioquin amantissimos Principes tantum servaturos fuisse silentium, si fuisset ipsis persuasum Ecclesiam latis a se constitutionibus invasi se Principum iura.

2. Seculares Principes tantum detulerunt Ecclesiasticis canonibus, ut eis suas leges postposuerint. Imperatorum constitutionibus, viduis non nisi post expletum a morte sponsi annum nubere licebat, sed vi sacrorum Canonum altera ubique disciplina obtinuit. Servis non obtento dominorum consensu matrimonia sub pœna nullitatis quondam interdicebantur, a Principibus; alius tamen, post decretalium promulgationem a Gregorio IX. factam, usus invaluit. Ius civile nullam affinitatis collateralis habuit rationem; habuerunt tamen postea Principes Christiani, eo quod habendam esse decrevisset ius canonicum. Civili iure non contrahitur affinitas nisi ex legitimo viri & mulieris coitu; ubi tamen oriri etiam ex illegitimo concubitu statutum fuit canonibus, Principes huiusmodi mutationi subscripserunt.

3. Exhibuerunt se sæpius Principes Christiani tamquam canonum executores. *De reliquis vero propinquis iuxta constituta sanctorum Patrum, & iuxta decreta canonum iudicetur*. Verba sunt Caroli Magni lib. 6. Capitularium num. 7.

4. Iidem Principes matrimonia damnarunt præcise eo quod contra canonum prohibitionem inita fuissent. Anno 577. Chilpericus Francorum Rex Prætextatum Archiepiscopum Rothomagensem sic in Concilio Parisiis coacto, narrante Gregorio Turonensi Hist. lib. 5. cap. 18. allocutus est: *Quid tibi visum est, o Episcope, ut inimicum meum Meroveum, qui filius esse debuerat, cum amyta sua, id est cum Patris sui uxore coniungeres? An ignarus eras quæ pro hac caussa, Canonum statuta sanxissent?*

5. Principes ad Ecclesiasticum tribunal confugerunt ad dirimenda contracta illegitima matrimonia. Carolus Magnus priorem suam coniugem filiam Desiderii Longobardorum Regis non nisi post latum ab Episcopis iudicium dimisit. Lotharius post suam a Thiedeberga separationem, a Concilio Aquisgranensi decretam, alterarum nuptiarum veniam hisce verbis petiit, *Vos o sancti Pontifices, & venerandi Patres, qui artis po-*

Digitized by Google

I. Nonne & Reges impedimenta Matrimoniis apponere possunt?

R. Non desunt Theologi qui asserant & ad Reges ceterosque supremos Principes & Dynastas id iuris pertinere; quia ipsi supremam habent potestatem apponendi contractibus civilibus conditiones quasdam, quarum defectu contractus irritentur. Matrimonium autem in contractu civili fundatum esse, ita ut nullum sit, ubi non adest conditio huic civili contractui per supremos Principes posita. Porro Principibus, eorumque legibus vel ipsa lege divina parere iubemur: ac proinde nullum est dubium quin Matrimonium contra leges a Principe latas contrahentes, graviter delinquant. (D)

Horum Theologorum sententiam eatenus veram esse existimo, quatenus Ecclesiæ consensus accesserit. Ad solam enim Ecclesiam pertinet definire quæ necessaria sint ad Sacramenti validitatem; & summæ temeritatis esse puto, ne plura dicam, asserere irritum esse Sacramentum ubi Ecclesia declaraverit illud irritum non esse.

Ad Principes ergo pertinere fateor ius irritandi Matrimonia quoad effectus civiles, nimirum quantum ad facultatem succedendi in bona paterna, transmittendi ea in liberos, faciendi testamentum, prolem illegitimam in civilibus declarandi.

Sed adduci non possum ut credam posse Principes supremos sine Ecclesiæ consensu conditiones apponere, ex quibus Sacramenti validitas pendeat.

---

siti mediatores inter Deum & hominem.... ad vos humiliter proclamo., &c. *Nam ipsi feminam de infando & incestuosæ fornicationis contagio sponte confessam, iuxta Beati Paulli preceptum a nobis vestra iussione sequestravimus.* Henricus huiusce nominis IV. Francorum Rex dimisit Margaretam Reginam, cum qua contraxerat, post repudii sententiam, quam latam per commissos in Francia iudices Ecclesiasticos tulerat Clemens Papa VIII.

6. Principes Christiani nusquam contra canones post 14 seculum nupsere, quin prius prohibiti matrimonii quod ambibant, veniam & dispensationem a Sacerdotali ordine obtinuissent.

7. Tandem seculo proxime elapso Regibus Christianissimis ita ratum fuit, ac fixum, posse Ecclesiam, seu Sacerdotalem ordinem, leges condere, quibus quædam matrimonia irrita fiant, & quoad substantiam invalida, ut eorum & Gallorum omnium nomine similem legem a Patribus Tridentinis circa clandestina matrimonia promulgari sollemniter petierint. *Inter articulos, de duobus magis disputatum est,* (inquit Pallavicinus libro 22. de Tridentini Concilii Historia cap. 1. num. 12. & 13.) *Alter fuit de irritis declarandis Matrimoniis clandestinis. Agnoscebantur immensa detrimenta, quæ inde nascebantur ...... Idcirco Oratores Galli, quorum regna fortassis hoc incommodum frequentius, nocentiusque patiebantur, vigesimo quarto Iulii a Concilio, Regis nomine, sollemniter petierunt, ut huiusmodi matrimonia in posterum irritata decernerentur, renovatis antiquis nuptiarum ritibus: quod si gravi de caussa interdum aliter fieri opportunum censeretur, saltem matrimonia pro non legitimis haberentur, quoties non adesset Sacerdos cum tribus aut pluribus testibus.*

(D) Rom. XIII. 1. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

De impedimentis tum prohibentibus tum dirimentibus plura apud Canonistas, quos consule: hos brevitatis caussa, ne opus cresceret in immensum, omisimus.

Digitized by Google

PARS III. SECT. I. CAP. VIII §. 5.

§. 5. *Quæ sint dispositiones & præparationes præviæ ad Matrimonium. Quomodo agendus sit nuptiarum dies.*

I. Quem ad finem Matrimonii vinculum appetere licet?

R. 1. Ut ad vitam æternam perveniatur, sanctam & quietam vitam hic agendo cum coniuge.

2. Ut liberi procreentur & Christiane educentur.

3. Ut habeatur præsens concupiscentiæ remedium.

I. Quæ cautiones & præparationes adhibendæ, ut Matrimonium sancte suscipiatur, & agatur dehinc cum coniuge sanctum & quietum vitæ genus?

R. 1. Orandus Deus ut ipse totum hoc negotium dirigat, nec patiatur fieri quidquam quod obsit saluti. (A)

2. Assumenda in coniugium persona frugi & timens Deum. (B)

(A) *Servus missus ab Abraham ad quærendam uxorem pro filio suo Isaac, ita Dominum deprecatus est*, GENES. XXIV. 12. Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie, & fac misericordiam cum domino meo Abraham.

PROV. XIX. 14. Domus, & divitiæ dantur a parentibus: a Domino autem proprie uxor prudens.

(B) GENES XXIV. 2. Dixitque (*Abraham*) ad servum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat: Pone manum tuam subter femur meum, ut adiurem te per Dominum Deum cæli & terræ ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito: sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias uxorem filio meo Isaac.

EXOD. XXXIV. 15. Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum: ne, cum fornicati fuerint cum diis suis, & adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam ut comedas de immolatis. Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis: ne, postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in deos suos.

DEUTER. VII. 2. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum. Neque sociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo: quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat diis alienis, irasceturque furor Domini, & delebit te cito.

IOS. XXIII. 12. Quod si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia atque amicitias copulare: iam nunc scitote quod Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram, sed sint vobis in foveam ac laqueum, & offendiculum ex latere vestro, & sudes in oculis vestris, donec vos auferat atque disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis.

IUDIC III. 5. Itaque filii Israel habitaverunt in medio Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi & Pherezæi, & Hevæi, & Iebusæi: & duxerunt uxores filias eorum, ipsique filias suas filiis eorum tradiderunt, & servierunt diis eorum. Feceruntque malum in conspectu Domini, & obliti sunt Dei sui, servientes Baalim & Astaroth. Iratusque contra Israel Dominus, tradidit eos in manus Chusan Rasathaim Regis Mesopotamiæ, servieruntque ei octo annis.

XIV. 1. Descendit ergo Samson in Thamnatha, vidensque ibi mulierem de filiabus Philistiim, ascendit, & nuntiavit patri suo, & matri suæ, dicens: Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philistinorum: quam quæso ut mihi accipiatis uxorem. Cui dixerunt pater & mater sua. Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philistiim, qui incircumcisi sunt? Dixitque Samson ad patrem suum: Hanc mihi accipe: quia placuit oculis meis.

1. ESDR. IX. 1.... Accesserunt ad me principes, dicentes: Non est separatus

populus Israel, Sacerdotes & Levitæ a populis terrarum, & abominationibus eorum, Chananæi videlicet, & Hethæi, & Pherezæi, & Iebusæi, & Ammonitarum, & Moabitarum, & Ægyptiorum, & Amorrhæorum: Tulerunt enim de filiabus eorum sibi & filiis suis, & commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum: manus etiam principum & magistratuum fuit in transgressione hac prima. Cumque audissem sermonem istum, scidi pallium meum & tunicam, & evelli capillos capitis mei & barbæ, & sedi mœrens, &c.

x. 2. . . Nos prævaricati sumus in Deum nostrum, & duximus uxores alienigenas de populis terræ: & nunc, si est pœnitentia in Israel super hoc, percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, ut proiiciamus universas uxores, & eos qui de his nati sunt, iuxta voluntatem Domini, & eorum qui timent præceptum Domini Dei nostri.

2. Esdr. xiii 23. Sed & in diebus illis vidi Iudæos ducentes uxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas. Et filii eorum ex media parte loquebantur Azotice, & nesciebant loqui Iudaice, & loquebantur iuxta linguam populi & populi. Et obiurgavi eos, & maledixi. Et cecidi ex eis viros, & decalvavi eos, & adiuravi in Deo, ut non darent filias suas filiis eorum, & non acciperent de filiabus eorum filiis suis, & sibimetipsis, dicens: Numquid non in huiusmodi re peccavit Salomon Rex Israel? Et certe in gentibus multis non erat rex similis ei, & dilectus Deo suo erat, & posuit eum Deus regem super omnem Israel: & ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ. Numquid & nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc, ut prævaricemur in Deo nostro, & ducamus uxores peregrinas?

Tob. vii. 12. Dixit ei Angelus: Noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum debetur coniux filia tua: propterea alius non potuit habere illam. Tunc dixit Raguel: Non dubito quod Deus preces & lacrymas meas in conspectu suo admiserit. Et credo quoniam ideo fecit vos venire ad me, ut ista coniungeretur cognationi suæ secundum legem Moysi: & nunc noli dubium gerere quod tibi eam tradam.

2. Corinth. vi. 14. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis: & ego recipiam vos: & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus omnipotens. *Levit. xxvi. 12. Isai. 52. 11. Ier. xxxi. 9.*

S. Ambros. *Epist.* 19. *ad Vigilium al.* 24. *aut* 70. *num.* 2. Doce ergo plebem, ut non ex alienigenis, sed ex domibus Christianis coniugii quæratur copula.

Num. 7. Sed prope nihil gravius quam copulari alienigenæ, ubi & libidinis & discordiæ incentiva, & sacrilegii flagitia conflantur. Nam cum ipsum coniugium velamine Sacerdotali, & benedictione sanctificari oporteat; quomodo potest coniugium dici, ubi non est fidei concordia? Cum oratio communis esse debeat, quomodo inter dispares devotione potest esse coniugii communis caritas? Sæpe plerique capti amore feminarum fidem suam prodiderunt, ut patrum populus in Beelphegor. Unde Phinees, arrepto gladio, interfecit Hebræum & Madianitem feminam, & mitigavit indignationem divinam; ne totus populus extingueretur. *Num. xxv. 3. lb. 7. & seq.*

Lib. 1. *de Abraham cap.* 9. *num.* 84. Constrinxit autem eum ne de semine Chananæorum uxorem arcessiret Domino suo, quorum generis auctor patrem non honoraverat. & ideo maledictionis hereditatem transmisit in suos; ut cognoscamus fidem, & quamdam hereditatem de auctoris prosapia in iis requirendam, quos nobis volumus adiungere. *Cum sancto enim sanctus eris, & cum perverso perverteris*. Si hoc in aliis, quanto magis in coniugio. ubi una caro & unus spiritus est. Quomodo autem potest congruere caritas, si discrepet fides? Et ideo cave, Christiane, Gentili aut Iudæo filiam tuam tradere. Cave, inquam, Gentilem aut Iudæam atque alienigenam, hoc est, hæreticam, & omnem alienam a fide tua uxorem arcessias tibi. Prima coniugii fides castitatis gratia est. Si idola colat, quorum prædicantur adulteria, si Christum ne- *Ps. xvii. 27.*

Digitized by Google

Pars III. Sect. I. Cap. VIII §. 5.

get, qui præceptor & remunerator est pudicitiæ, quomodo potest diligere pudicitiam? Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sitis sacramento Baptismatis. Simul ad orationem nocte vobis surgendum est, & coniunctis precibus obsecrandus Deus. Accedit aliud insigne castimoniæ, si credas a Deo tuo tibi quod sortitus es, coniugium datum. Unde & Salomon ait, *A Deo*, inquit, *præparabitur viro uxor*. Non possunt hoc dispares fide credere, ut ab eo quem non colit, putet sibi connubii impartitam gratiam. Ratio docet. sed amplius exempla commonent. Sæpe illecebra muliebris decepit etiam fortiores maritos, & a relligione fecit discedere. Et ideo tu vel amori consule, vel errorem cave. Primum ergo in coniugio Relligio quæritur. Ideo Abraham proximam quæsivit dare filio suo.

Prov. xix. 14.

3. *Reg.* xi. 4.

Num. 85. Disce deinde quid in uxore quæratur: non aurum, non argentum quæsivit Abraham, non possessiones, sed gratiam bonæ indolis.

Serm. 20. *in Ps.* cxviii. *num.* 48 . . : Quanti foris confessi sunt, & intus negaverunt! Namque uxoris ducendæ gratia, quæ Gentili viro a Christianis parentibus negabatur, simulata ad tempus fide, plerique produntur quod foris confessi sunt, intus negasse. An fornicationis caussa tantummodo putamus Dominum Deum nostrum in populum Iudæorum tam severe esse commotum; ut viginti tria millia de populo necarentur, propterea quod Madianitæ gentis feminis concubitu miscerentur: an non eo quod per illos concubitus alienigenarum desciscere a fide, negare Dominum cogerentur?

S. Aug. *De Civitate Dei lib.* 15. *cap.* 22. Hoc itaque libero voluntatis arbitrio genere humano progrediente atque crescente, facta est permixtio, & iniquitate participata quædam utriusque confusio Civitatis. Quod malum a sexu femineo caussam rursus invenit: non quidem illo modo quo ab initio; non enim cuiusquam etiam tunc fallacia seductæ illæ feminæ persuaserunt peccatum viris: sed ab initio quæ pravis moribus fuerant in terrena Civitate, id est, in terrigenarum societate, amatæ sunt a filiis Dei, civibus scilicet peregrinantis in hoc seculo alterius Civitatis, propter pulcritudinem corporis. Quod bonum Dei quidem donum est: sed propterea id largitur etiam malis, ne magnum bonum videatur bonis. Deserto itaque magno bono & bonorum proprio, lapsus est factus ad bonum minimum, non bonis proprium, sed bonis malisque commune: ac sic filii Dei filiarum hominum amore sunt capti, atque ut eis coniugibus fruerentur, in mores societatis terrigenæ defluxerunt, deserta pietate quam in sancta societate servabant. Sic enim corporis pulcritudo, a Deo quidem factum, sed temporale, carnale, infimum bonum, male amatur postposito Deo, æterno, interno, sempiterno bono: quemadmodum iustitia deserta & aurum amatur ab avaris, nullo peccato auri, sed hominis... Definitio brevis & vera virtutis, ordo est amoris: propter quod in sancto Cantico canticorum cantat sponsa Christi, Civitas Dei *ordinate in me caritatem*. Huius igitur caritatis, hoc est, dilectionis & amoris ordine perturbato, Deum filii Dei neglexerunt, & filias hominum dilexerunt.

Gen. vi.

Cant. ii. 4.

S. Ioan. Chrysost. *Homil.* 73. *aut* 74. *in Matth. n.* 4. Quis uxorem ducturus, mores & educationem puellæ exploravit? Nemo; sed de pecuniis tantum quæritur, de prædiis, deque bonorum varietate, ac si quid em tus esset, aut de permutatione quapiam ageretur. Ideoque hoc nomine connubium vocant. Multos enim audivi dicentes, permutavit hic cum illa, id est duxit illam. Ita dona Dei vituperant, atque ac si venderent emerentque sic ducunt & ducuntur, rescripta vero maiori cautione opus habent, quam si de venditis & emtis ageretur. Discite quo pacto veteres uxores ducerent, illosque imitamini. Quomodo ergo uxores ducebant illi? Bonos mores & indolem quærebant, animique virtutem. Ideoque scriptis opus non habebant, non charta, non atramento. Sponsæ mores satis erant, omniumque locum tenebant. Vos ergo obsecro, ne pecunias, ne opes quæratis, sed mores, modestiam, pietatem, philosopham puellam; & hæc magis quam mille thesauri vobis proderunt. Si quæ Dei sunt quæras hæc quoque tibi adduntur; si vero illis relictis ad hæc tantum curras, neque hæc sequentur.

Homil. 48. *in Genes. Vide infra hocce §. litt.* (H)

3. Habenda ratio ætatis, fortunarum, conditionis, ingenii, & indolis, ut in omnibus, quantum fieri potest, inter utrumque coniugem æqualitas fere servetur. (C)

4. Is tenendus rectitudinis & iu-

(C) Concil. Foroiuliensium. 791. *can.* 9. *tom.* 13. *Concil. Lab. p.* 848. Illud præterea per omnia præcaventes prohibere decrevimus, ut nullus præsumat ante annos pubertatis, id est, infra ætatem, puerum vel puellam in Matrimonium sociare, nec in dissimili ætate, sed coætaneos, sibique consentientes. Multas sæpius ex huiuscemodi nuptiali contractu ruinas animarum factas audivimus, & tales fornicationes perpetratas, quales nec inter gentes. Ita plane, ut cum contigit puerum adultum esse, & puellam parvulam, & e contrario, si puella maturæ ætatis, & puer sit teneræ, & per virum cognata & socrus deprehendantur adulteræ, & per puellam frater vel pater pueri tanti peccari flagitio pereant irretiti. Unde qui hæc prohibita de cetero usurpare præsumpserit, ab omni Ecclesiastico consortio sit alienus, sed nec a publicis sit immunis iudiciis.

S. Ioan. Chrysost. *Homil.* 73. *aut* 74. *in Matth. versus finem. Vide superius hocce §. litt.* (E)

Lib. de Virginit. num. 53.... Quidnam id est? Qui pauper, humilis, abiectus sis, ex ampla ac potenti, & locuplete domo uxorem ducere. At hoc, quod expetendum videtur non minoribus, quam illud, quod perosum est, calamitatibus obnoxium deprehendemus.... Mulieres.... ordinem invertunt, summa infimis mutant. Nam virum uxor capitis locum tenere non sinit, sed qua est contumacia atque fastu, de eo gradu deiectum, in suum, id est, ad subiectionem, compellit, ipsaque fit caput ac dux. Et quid ea absurditate gravius esse potest?

Num. 54. Iam si quis dicat.. Tantum dives & nummosa sit, nullo negotio eius fastus deprimetur ac deiicietur. Si quis, inquam, hæc dicat, næ ille primum ignorat valde id difficile esse; deinde ut contingat, non parum adfert detrimenti. Etenim vi, & timentem ac coactam viro subiici, gravius atque iniucundius est, quam vel summa auctoritate ei imperare. Quid ita? Quod ea vis amicitiam omnem ac voluptatem expellat.

Num. 55... Sin contingat, ea nihil habente, virum divitem esse, famula erit pro coniuge, & quæ ingenua est, serva efficietur, ac se digna libertate manibus amissa, emptitiis nihilo præstabit; sed quantumvis is vir lasciviat, quantumvis ferociat, quantumvis meretricum manum in eius torum adsciscat, omnia pati ac benigne accipere necessum erit aut domo cedere. Neque id solum est molestiæ, sed etiam quod viro sic affecto, nec servis, nec ancillis libere mandare poterit, sed velut in alienis degens iisque, quæ ad se non pertineant utens, & hero potius quam viro convivens, ita omnia & agere & pati cogitur.

S. Ambros. *Lib.* 1. *de Abraham cap.* 9. *num.* 84. *Vide superius hocce §. litt.* (B)

Cod. *Lib.* 5. *titulo* 5. *cap.* 6. *de incestis & inutilibus nuptiis*. Si quis incesti, vetitique coniugii sese nuptiis funestaverit, proprias quamdiu vixerit teneat facultates: sed neque uxorem, neque filios ex ea editos habere credatur. Nihil prorsus prædictis neque per interpositam quidem personam, vel donet superstes, vel moriturus derelinquat. Dos si qua forte sollemniter aut data aut promissa fuerit, iuxta ius antiquum, fisci nostri commodis cedat. Testamento suo extraneis nihil derelinquat: sed (sive testato, sive intestato) legibus ei & iure succedant, si qui forte ex iusto & legitimo Matrimonio editi fuerint: hoc est, de descendentibus filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis: de ascendentibus autem pater, mater, avus, avia: de latere frater, soror, patruus, amita. Testandi sane ita demum habeat facultatem, ut his tantummodo personis pro iuris ac legum, quod voluerit arbitrio relinquat, quas succedere Imperialis præcepti tenore mandavimus: ita tamen, ut ab hereditate defuncti penitus arceatur, si quis ex his quos memoravimus, in contrahendis incestis nuptiis consilium iniisse monstrabitur: successuro in locum illius, qui post eum gradu proximus invenitur. Ea sane quæ de viris cavimus, etiam de feminis, quæ prædictorum sese consortiis commaculaverint, custodiantur. Memoratis vero personis non exstantibus, nostro fisco locus pateat.

stitiæ modus, ut nullo mendacio, nulla fraude futurorum coniugum alter alterum decipiat: sed contra manifestent sibi invicem ingenue quod nosse utriusque interest antequam ad Matrimonii legem veniatur. Sic Raguel Saram filiam obiæ traditurus in Matrimonium, monuit cum prius de nece septem virorum, quibus illa iam nupserat. (D)

5. In spiritu humilitatis id secum animo reputare iuvat, Matrimonium esse infimum vitæ Christianæ statum; perfectioremque esse virginitatem, aut viduitatem coniugio. (E)

(D) Tob. vii. 10. Tobias dixit: Hic ego hodie non manducabo neque bibam, nisi prius petitionem meam confirmes, & promittas mihi dare Saram filiam tuam. Quo audito verbo Raguel, expavit, sciens quid evenerit illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam: & timere cœpit ne forte & huic similiter contingeret: & cum nutaret, & non daret petenti ullum responsum, dixit ei Angelus: Noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum debetur coniux filia tua: propterea alius non potuit habere illam. Tunc dixit Raguel: Non dubito quod Deus preces & lacrimas meas in conspectu suo admiserit. Et credo quoniam ideo fecit vos venire ad me, ut ista coniungeretur cognationi suæ secundum legem Moysi: & nunc noli dubium gerere quod tibi eam tradam. Et apprehendens dexteram filiæ suæ, dexteræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob vobiscum sit, & ipse coniungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis. Et accepta charta, fecerunt conscriptionem coniugii. Et post hæc epulati sunt, benedicentes Deum.

S. Ambros. *Lib.* 3 *de offic. ministr. cap.* 4. *num.* 24. Hinc ergo colligitur quod homo, qui secundum naturæ formatus est directionem, ut obediat ei, nocere non possit alteri: quod si cui noceat, naturam violet: neque tantum esse commodi quod adipisci se se putet, quantum incommodi, quod ex eo sibi accidat. Quæ enim pœna gravior, quam interioris vulnus conscientiæ? Quod severius iudicium, quam domesticum, quo unusquisque sibi est reus, seque ipse arguit quod iniuriam fratri indigne fecerit? Quod non mediocriter Scriptura commendat dicens: *Ex ore stultorum* Prov. xiv. 3. *baculum contumeliæ*. Stultitia igitur condemnatur, quia contumeliam facit. Nonne hoc magis fugiendum, quam mors, quam dispendium, quam inopia, quam exilium, quam debilitatis dolor? Quis enim vitium corporis, aut patrimonii damnum non levius ducat vitio animi, existimationis dispendio?

Num. 25. Liquet igitur id spectandum & tenendum omnibus, quod eadem singulorum sit utilitas, quæ sit universorum: nihilque iudicandum utile, nisi quod in commune prosit. Quomodo enim potest uni prodesse? Quod inutile sit omnibus, nocet. Mihi certe non videtur, qui inutilis est omnibus, sibi utilis esse posse. Etenim si una lex naturæ omnibus, una utique utilitas universorum, ad consulendum utique omnibus naturæ lege constringimur. Non est ergo eius qui consultum velit alteri secundum naturam, nocere ei adversus legem naturæ.

(E) S. August. *de bono viduitatis, cap.* 5. *n.* 6.... Bonum est pudicitia coniugalis, sed melius bonum est continentia vidualis. Hoc ergo melius illius boni submissione honoratur: non illud bonum melioris huius laude damnatur.

N. 7. Quod autem Apostolus cum cœlibum & innuptarum commendaret fructum, quia cogitans, quæ sunt Domini, quomodo placeant Deo, subiecit, & ait: *Hoc autem ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis iniiciam*, id est, 1. Cor. vii. 35. non ut vos cogam, *sed ad id quod honestum est*: non quia innuptarum bonum honestum dixit, ideo putare debemus turpe esse vinculum coniugale: alioquin etiam primas nuptias condemnabimus, quas nec Cataphryges, nec Novatiani, nec disertissimus eorum adstipulator Tertullianus turpes ausus est dicere. Sed quemadmodum cum ait, *Dico autem innuptis & viduis, bonum esse illis si sic perman-* Ibid.

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 5.

6. Non accedendum prius ad connubii legem, quam teneantur præcipua religionis mysteria, Christianæque vitæ ratio, & coniugatorum officia probe noscantur. (F)

7. Instandum orationi, vacandum bonis operibus; suscipienda rite Sacramenta, antequam Matrimonium ineatur. (G)

8. Cavendum maxime ab eorum insania, qui Matrimonium ita suscipiunt, ut Deum a se & a sua mente excludant, qui hoc unum agunt, ut
Tob. vi. 17. *libidini ita vacent sicut equus & mu-*
1. Thess. iv. 5. *lus*, qui ita coniunguntur *sicut gentes quæ ignorant Deum*, qui tempore nuptiarum, nil, nisi terrena sapiunt, qui in vanitatibus, & ludis, & comessationibus tunc licere putant omnia profundi; qui si forte confitentur illis diebus coram Sacerdote peccata sua, id agunt perfunctorie, quia alioqui per Pastores non liceret ad Matrimonii sacramentum accedere, sed revera sic extra se vagantur, ut de Deo ne cogitent quidem. Illi quam longe sunt a Christiana ineundi Matrimonii ratione! Quam arcent longe a se Dei benedictionem! Quantas sibi molestias & tribulationes parant! (H)

I. Quid facto opus illis, qui iam

---

serint: utique bonum posuit pro meliore, quoniam omne quod bono comparatum melius dicitur, etiam hoc procul dubio bonum est; nam quid est aliud quod ita dicitur melius, nisi quod magis bonum est? Nec ideo consequenter eum sensisse arbitramur, malum esse si nupserint,
Ibid. quoniam dixit, *bonum esse illis si sic permanserint*: ita etiam cum ait, *sed ad id quod honestum est*; non Matrimonium turpe esse monstravit, sed quod honesto erat honestius generalis honesti nomine commendavit. Quia honestius quid est, nisi quod magis honestum est? Magis autem honestum utique honestum est. Aperte quippe declaravit, hoc esse bono
Ibid. 38. illo melius, ubi ait, *Qui dat nuptum benefacit; & qui non dat nuptum, melius facit*: & hoc illo beato beatius, ubi ait:
Ibid. 40. *Beatior autem erit, si sic permanserit*... Sicut ergo bono melius, & beato beatius, sic honesto honestius est, quod honestum voluit appellare. Absit enim ut turpe sit.
1. Pet. iii. 7. Unde loquens Apostolus Petrus ait, *Viri uxoribus vestris tamquam vasi infirmiori & subiecto tribuite honorem, quasi cohæredibus gratiæ*. Et illas alloquens, subditas esse viris suis exemplo Saræ adhorta-
Ibid. 5. 7. tur: *Nam sic quædam*, inquit, *sanctæ mulieres, quæ in Deum sperabant, ornabant se, obsequentes viris suis: quomodo Sara obediebat Abrahæ, Dominum illum vocans, cuius factæ estis filiæ benefacientes, & non timentes ullam perturbationem*.

(F) Concil. Mediolan. V. *sub* S. Carolo *par.* 1. *Tit. Quæ ad Matrimon. pertinent.* Parochus, quos sponsos experiundo viderit doctrinæ Christianæ rudimenta plane ignorare, ne Matrimonio illos ante iungat, quam ea item ratione cognorit didicisse, quæ eo de genere illos plane scire oportet.

(G) Concil. Triđent. *Sess.* 24. *De reformat. Matrimon. cap.* 1. *Vide superius* §. 3. *huiusce capitis, litt.* (C)

(H) S. Ioan. Chrysost. *Homil.* 48. *in Genesim n.* 2.. *Non accipias uxorem filio meo Isaac de filiabus Chananæorum, inter quos ego habito: sed in terram meam, in qua natus sum ibis, & ad cognationem meam & inde accipies uxorem filio meo Isaac*... At ne perfunctorie prætereas dicta, sed cogita mentem, & propositum iusti, & attende quomodo veteres non quærebant substantiam multam, non divitias, non servos, non tot, & tot iugera agri, non externæ venustatis formam, sed animæ pulcritudinem, & morum nobilitatem. Nam... sciens quantum bonum sit coniugem habere iisdem moribus præditam, præcipit servo, & iuramentum adhibet, ut ex sua cognatione uxorem Isaaco adducat: neque intervallum locorum, neque aliæ difficultates segnem eum in his reddunt: sed sciens rei necessitatem omnem curam, & studium adhibet, ac mittit domesticum. Ceterum Patriarcha virtutem tantum animi quærens, & abhor-
Gen. xxiv. 3. & 4.

rens a vicinorum malitia, ita quidem se gerit: at nunc omnes huiusmodi conditionem ne cogitarent quidem. Nam etsi vitiis innumeris plena sit, hoc solum inquirunt quantum abundet pecuniis; cetera omnia posteriore loco habent, nescientes se, si mens perversa sit, licet immensæ affluant divitiæ, cito in extremam venturos inopiam: & nihil profuturas opes, cum non sit ibi mens, quæ bene illas dispensare queat.

N. 3 ... Vide servi prudentiam. Nam quia noverat Patriarchæ hospitalitatem, & quia virginem inde ducendam, par erat iisdem esse præditam moribus, quibus iustus ille: nullam aliam coniecturam inquirit, sed caracterem virginalis animi ex hospitalitate colligere vult.

N. 4.. Cogita, obsecro, quanta etiam ea ætate fuerit continentiæ diligentia, & modestiæ eminentia hospitalitatisque frequentia. Quibus igitur opibus, hæc non sunt preciosiora? Quibus thesauris hæc non sunt præferenda? Hæc summa dos, hæc innumera bona, hic thesaurus qui non consumitur.

N. 6. Vidistis quomodo studebant olim filiis suis uxores ducere? Quomodo magis animæ generositatem, quam opum abundantiam inquirebant? Nusquam instrumenta, nusquam pacta, & alia ridicula quæ nunc apud nos fiunt, & conditiones illæ quæ tabulis inseruntur: *Si absque liberis*, inquit, *moriatur, si hoc, & hoc contingat*. Verum apud illos nihil tale, sed maximæ & securissimæ tabulæ erant virginis mores:
Ibid. 64. & 65. nusquam cymbala & choreæ.. *Rebecca autem ut vidit Isaac, desiliit a camelo, & dixit servo: quis est homo ille qui vadit in campo nobis obviam?* Vide puellæ generositatem, postquam vidit Isaac, quærebat quis esset. Et ubi didicit, quod ipse esset sponsus, velavit se theristro; Et veniens servus omnia clare nunciavit Isaac. Hic considera, oro, quomodo nusquam superflua illa, & inutilia, nusquam diabolica pompa nusquam cymbala, & tibiæ, & choreæ, & Satanica illa convivia, & scommata omni obscœnitate plena, sed omnis honestas, omnis sapientia, omnis modestia. *Intra-*
Ibid. 67. *vit autem Isaac*, inquit, *in domum matris suæ, & accepit Rebeccam, & fuit ei uxor, & dilexit eam & consolationem accepit Isaac super Sara matre sua*. Hanc imitentur mulieres, hunc æmulentur viri. Sic sponsas ducere curent. Quare enim, dic, oro, statim ab initio sordibus impleri sinis puellæ aures, tam turpibus cantilenis, tam intempestiva illa pompa? Nescis quomodo adolescentia per se sit in malum propensa? Cur honesta nuptiarum mysteria publice dehonestas? Cum oporteret hæc omnia depellere, & verecundiam principio docere puellam, & Sacerdotes vocare, & precibus, & benedictionibus concordiam coniugii constringere: ut amor sponsi augeatur, & puellæ continentia crescat, & omnia quæ fiunt eo spectent, ut virtutis opera ingrediantur in domum illam, tollanturque eo medio omnes diaboli insidiæ, & ipsi Dei auxilio uniri iucunde vitam perficiant.

Homil. 56. in Genes. n. 1... *Congregavit autem Laban omnes viros loci, & fecit nuptias: & factum est vespere, & accepit Laban Liam filiam suam, introduxitque eam ad Iacob*. Vidisti cum quanta olim honestate nuptias egerint? Audite qui satanicas pompas admiramini, & statim ab initio nuptiarum honestatem dedecore afficitis. Num tunc tibiæ? Num tunc cymbala? Num tunc choreæ diabolicæ? Quare enim, dic mihi, tantum statim ab initio damnum inducis in domum tuam, & gens qui in scenis & orchestris operam locant, vocas, ut cum intempestivo sumtu virginis lædas continentiam, & iuvenem impudentiorem facias? Optabile enim & arduum erat, ab que illis fomitibus illam ætatem potuisse moderate ferre tempestatem affectionum: cum autem & hæc accedant, tam quæ videntur, quam quæ audiuntur, dum maius accenditur incendium, & fornax concupiscentiarum magis inflammatur, quomodo non pessum it adolescentis anima? Hinc enim omnia pereunt, & corrumpuntur quia ab initio castitas eorum qui inter se conventuri sunt oppugnatur, & sæpe primo die iuvenis oculis videns incontinentibus, telo diabolico in anima vulneratur: & puella per ea quæ audit, & videt captiva fit, & ab eo die postea crescunt vulnera, maiusque fit malum. Etenim illinc statim, & mutuam concordiam dilacerant, & amorem debilitant. Quando enim ille mentem ad aliam vertit, hinc & inde dividens animum, a diabolo ipso ductus, multa amaritudine domum implet. Quod si & illa comperitur ita affecta esse, ex ipsis fundamentis omnia (ut ita dicam) subvertuntur: Postea alter ab altero occultatur, & ille quidem suspiciose observat uxorem, & similiter illa virum. Atque ubi oportebat concordiam esse, & copu- Gen. xxix. 22. & 23.

lam, quique debebant esse caro una; *Gen. II. 24.* *Erunt*, enim inquit, *duo in carnem unam*; hi in tanta vivunt dissensione, quasi seiuncti essent. Diabolus enim subingressus tantam in eis perniciem operatur, ut quotidianæ pugnæ inter eos nascantur, & a malis numquam habeant quietem. Quid enim quis dixerit, quomodo postea a famulis contemnantur, quomodo a vicinis rideantur, quam fœda operentur? Nam sicut quando gubernatores inter se dissident, etiam qui navi vehuntur, una periclitantur ac timent ne cum navi submergantur: ita & hic, si discordes sint vir & mulier, consequens est omnes qui apud illos sunt, participes esse malorum. Propterea oro ut hæc omnia prævidentes consuetudinem ne sectemini. Scio enim multos receptum morem obtendere, neque patienter ferre ut hæc a nobis dicantur: attamen necesse est ut nos utilia dicamus, & quæ illos a futuro supplicio liberent. Ubi enim tantum animæ damnum, qua de caussa mihi consuetudinem prætexere audes? Ecce enim & ego tibi consuetudinem meliorem obiicio, quæ apud veteres erat, quando nondum tanta piæ relligionis erat agnitio. Et ne iustum hic Iacob tantum cogites, sed & Laban adhuc idolorum cultui deditum, nec vel minimam veræ relligionis notitiam habentem, & tamen tantam præ se ferentem philosophiam. Neque enim hæc honestas eius erat, qui ducturus puellam, sed patris eam tradentis. Ideo & illum feci sermonem, non ad sponsos tantum spectans, quantum ad parentes, & ad patrem qui virginem locat. Quomodo enim non absurdum, si nos qui tantam accepimus misericordiam, & tam terribilium ineffabiliumque sacramentorum participes sumus, hac in re inferiores simus Labano qui cultui idolorum adhuc erat deditus? An non audis Paullum dicentem, sacramentum esse nuptias & imaginem dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam exhibuit? Ne igitur confundamus nos ipsos, & honestatem nuptiarum corrumpamus. Nam si quidem bonum & utile fuerit consilium, etiamsi non fuerit consuetudo, fiat: sin damnosum & perniciosum est id quod a vobis efficitur, etiamsi consuetudo sit, reiiciatur. Nam si hoc admiserimus, & fur & adulter & quantumvis malus alius consuetudinem obtendet: at nullum hinc illis lucrum est vel venia, sed maior potius accusatio, quod malam consuetudinem superare non valuerint. *N.* 2. Si enim voluerimus vigilare, & curam habere nostræ salutis, possumus & a mala consuetudine desistere, & in bonam consuetudinem nos reducere: sicque posteris nostris non parvam dabimus occasionem eadem imitandi, & accipiemus etiam nos mercedem eorum quæ ab iis aguntur. Nam qui initium bonæ viæ præbuerit, hic auctor est eorum quæ, & ab aliis recte fiunt, & duplicem recipiet mercedem, tam pro iis, quæ ipse recte facit, quam quibus alios in optimam illam inducit philosophiam. Ne prætexatis, obsecro, frigida & ridicula verba hæc, dicentes legitima quædam esse hæc, & propterea impleri oportere. Non enim hæc legitimum faciunt coniugium, sed si secundum Leges Dei cum castitate, & honestate fiat conventus & si concordia magna cohæreant ii qui conveniunt. Noverunt hoc etiam externæ leges: & audies eos qui his studuerunt, dicere coniugium nihil aliud constituere quam consuetudinem. Ne igitur divinas leges cum humanis transgrediamur, nec præferamus diabolicas leges & perniciosam hanc consuetudinem. Illius enim lex sunt hæc, qui gaudet de interitu nostro. Quid igitur hac consuetudine magis ridiculum, quando vir, & uxor innumeris convitiis & scommatis a servis nulliusque precii hominibus incessuntur, ac nemo est qui increpet: sed licet cuivis volenti ad vesperam omnia loqui, & convitia iacere in sponsum & sponsam? Et in alio die si quis conaretur ita salibus mordere, periclitaretur, ad tribunal abduceretur & puniretur. Tunc autem quando plurimam oportebat esse reverentiam, maioremque honestatem, & castitatem, tanta obscœnitate implentur omnia illa, ut probabile sit diabolo duce hæc omnia inventa esse.

Homil. 12. in 1. ad Corinth. num. 5. Connubium enim res honorabilis esse videtur & nobis, & externis: & est vere honorabile. Sed postquam nuptiæ celebratæ sunt, tot ridiculæ res accidunt, quot post hæc audituri estis. Nam ex consuetudine multi occupati ac decepti, earum absurditatem non norunt, sed egent aliis qui illos doceant. Etenim choreæ, cymbala, tibiæ, verba canticaque turpia, temulentiæ, comessationes, multaque diaboli colluvies tunc inducitur. Et scio quidem me ridiculum videri, quod hæc reprehendam, & vulgo stolidum

Digitized by Google

PARS III. SECT. I. CAP. VIII. §. 5.

existimari, qui veteres leges transmoveam: nam, ut supra dixi, ex consuetudine magna deceptio paritur: tamen hæc dicendi finem non faciam. Fortasse enim, fortasse etsi non omnes, pauci tamen nos excipient, & malent nobiscum derideri, quam cum illis nos deridere; risu certe lacrimis digno, magnisque pœnis atque suppliciis. Quomodo enim non fuerit extrema damnatione dignum, virginem quæ perpetuo vixerat in thalamo, quæque a prima ætate verecundiam didicerat, derepente cogi ad deponendum pudorem, & nuptiarum initio impudentiam doceri, & a lascivis petulantibusque viris, fornicatoribus & mollibus in medium produci? Quod enim malum in nova sponsa non inseretur ab illo die? impudentia, petulantia, inverecundia, vanæ gloriæ amor. Volet enim dies omnes habere his similes. Hinc mulieres profusæ & sumtuosæ fiunt, hinc impudentes, hinc ipsis mala innumera. Neque mihi dicas consuetudinem. Nam si malum est, ne semel quidem fiat; si bonum, semper fiat. Dic enim mihi, fornicatio nonne mala est? An ergo concedemus illam semel exerceri? Nequaquam. Quare? Quia etiamsi semel tantum fiat, mala tamen est. Itaque si novam sponsam sic oblectari malum est, ne semel quidem fiat; si bonum est, semper fiat.

N. 6. Quid igitur, quæso te, inquies, nuptiasne incusas? Absit, non ita insanio; sed ea quæ in nuptias advecta sunt, pigmenta, fucum & superflua alia eiusdem generis. Nam sic multos ab illo die attrahet amatores, antequam cum sponso coeat. Sed multi mulieris speciem mirabuntur. Et quid tum? Etiamsi casta fuerit, vix effugiet malam suspicionem; sin negligens fuerit cito capietur, accepta, ab illo die, libidinis occasione..... Vide quæ hinc deinceps sequantur, non solum interdiu, sed etiam vespere viros ebrios & deliciis incensos, qui ad formam virginei vultus conspiciendam sese apparant, qui non domi tantum, sed etiam per forum ad ostentationem incedunt, cum lucernis illam summo vespere traducentes, ut a cunctis conspiciatur, nihil aliud hinc suadentes, quam ut omnem illa pudorem deinceps ponat. Neque hic gradum sistunt; sed cum turpibus verbis illam ducunt: & hoc quoque in legem transiit apud multos, & fugitivi, verberones innumeri, perniciosi homines cum licentia demum omnia pro libidine proferunt, sive in illam, sive in sponsum cum illa habitaturum; & nihil honestum, sed turpia omnia, & obscœnitate plena. Neque probam castitatis doctrinam percipiet sponsa, talia videns, talia audiens. Et certamen quoddam est diabolicum inter eos qui ad talia cohortantur, ut alii alios superent opprobriis & impuris dictis quis præsentes deturpant: illique victores discedunt, qui probra & magis turpia dicta proiecere... Quomodo, quæso, non ingratum fuerit contumeliis & probris affici, & ab omnibus cum sponsa dedecore & ignominia notari? Et si quispiam ex foro coniugi tuæ maledixerit, innumera moves negotia, & non vitalem esse vitam existimas; & civitate tota præsente dum turpiter agis cum futura coniuge, gaudes & te ostentas? Et quantæ hæc sunt insaniæ? At, inquies, hæc ex consuetudine fiunt. Et ideo maxime lugendum, quod rem in consuetudinem concluserit diabolus. Quia enim nuptiæ res sunt honorabiles, quæ genus nostrum conservet, & augeat, & multorum sit caussa bonorum, dolore affectus malignus ille, & sciens illud propugnaculum esse contra fornicationem, alio ille modo omnem fornicationem inducit. In talibus enim cœtibus multæ virgines dedecore sunt affectæ. Quod si non semper: at interim satis est dæmoni, quod illa verba & improba cantica & sponsam traduxerint, & sponsum cum pompa per forum transmiserint. Deinde quia hæc in vespera fiunt, ne tenebræ malorum horumce velum sint, lucernæ inducuntur multæ, quæ turpitudinem latere non sinunt. Quid enim sibi vult multa illa turba. Quid ebrietas? Quid fistulæ? nonne palam est hæc adhiberi, ut ne ii quidem qui in domibus sunt, gravi somno obruti, hæc ignorent, sed a fistulis excitati & superne ex cancellis sese inclinantes, testes sint illius comœdiæ? Quid dixeris de ipsis canticis, quæ omni plena sunt impudicitia, quæque absurdos amores, illegitimos concubitus, domorum eversiones, & innumeras inducunt tragœdias, & sæpe nomen dilecti, & amantis habent, nomenque dilectæ & amasiæ? Quodque gravius est, his adsunt, virgines, quæ omnem exuerunt pudorem, in honorem sponsæ, immo in contumeliam; & salutem suam periculo exponunt interque iuvenes indecore se gerunt ineptis cantilenis, & verbis turpibus cum satanica symphonia utentes. Adhuc, Quæso, interrogas, undenam

sponsalia celebrarunt, quousque Matrimonium celebretur?

1. Non licet ipsis manere simul in eadem domo, sub eodem tecto. (I)

2. Cavendum ne conversentur inter se familiarius, ne sine teste colloquantur.

3. Tunc maxime instent orationi & bonis operibus.

I. Quid agendum in ipsa nuptiarum celebratione, & sacramenti susceptione?

R. Qui Matrimonium suscipiunt, debent tunc maxime supplices petere *benedictionem a Domino & misericordiam a Deo salutari suo*, ut sancte coniugium ineatur & exerceatur. Ps. xxiii. 5.

Qui adsunt nuptiis id ipsum pro sponsis enixe rogare Dominum debent.

I. Quomodo agendus est nuptiarum dies?

R. 1. Dies ille sanctus est & sancte agendus, ut Christianos decet; non gentium more in ludis & dissolutionibus & choreis & saltationibus & nimiis compotationibus & comessationibus consumendus. (K) Pars III. Sect. I. Cap VIII §. 5.

2. Licet tamen in eo lætari, & convivium agere, & vocare cognatos & amicos, ut ipsi veniant in partem gaudii, & convivii nuptialis. Id & rectæ rationi consentaneum; & in Scripturis probatum, & firmatum exemplo Christi ipsius, qui vocatus ad nuptias in Cana Galilææ, nuptiali convivio interfuit, & deficiente vino, aquam in vinum mirabiliter convertit. Id modo caveatur ne ebrietates, ne vana & obscœna colloquia misceantur, uno verbo ne quid fiat quod ad gentium procacitatem & lasciviam accedere videatur. (L)

3. Non sic a sponsis agendus est

---

adulteria? unde fornicationes? unde nuptiarum corruptiones? At non ingenuæ, & honestæ, inquies, hoc faciunt. Cur ergo me irrides, cum ipse hanc legem ante me scias? Nam si bona sunt illa, sine illas quoque id agere. Num quia illæ in paupertate vivunt? nonne & ipsæ virgines sunt, illasque castitatis curam habere oportet? nunc autem saltat virgo in communi theatro impudicorum iuvenum, annon, quæso, videtur tibi vel meretrice inhonestior?

In Epist. Paulli ad Ephes. Homil. 20. *n.* 7.... Verum his dimissis histrionum scenicis, orna domum cum multa honestate ac decore, spirantem temperantiam potius, quam alium suavem odorem... Quid ergo dico oportere? omnia turpia cantica, quæ sunt satanica, inhonestas cantilenas, immundorum iuvenum circuitiones aufer a nuptiis, & hæc poterunt castigare sponsam & modestam reddere. Statim enim apud se considerabit: Papæ, qualis est hic vir! Est philosophus: hanc vitam nihil ducit, ad procreandos liberos & educandos me in ædes duxit, & ad domum custodiendam. Sed hæc sponsæ erunt iniucunda? ad primum usque & secundum diem, non autem deinceps: sed & maximam capiet voluptatem, se ab omni suspicione liberans. Nam qui neque tibias, neque saltantes, neque fractos cantus sustinuerit, idque tempore nuptiarum, vix ipse in animum induxerit ut turpe aliquid umquam aut faciat aut dicat.

(I) Concil. Trident. *Sess.* 24 *de reformat. Matr. cap.* 1 *Vide huiusce cap.* §. 3. *lit.* C)

(K) *Vide* S. Ioan. Chrysost. *locis supra allatis hocce* §. *lit.* (B. C. H.)

(L) Genes. xxiv. 53 Prolatis que vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere; fratribus quoque eius, & matri dona obtulit Inito convivio, vescentes pariter & bibentes manserunt ibi

xxix. 22. Qui (*Laban*) vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias,

Digitized by Google

solidus ille dies in lætitia & conviviis, ut ne sumant sibi saltem aliquantum temporis ad orationem, & gratiarum actionem exibendam supremo numini. Unde valde expedit eos idcirco ad Ecclesiam, si commode fieri potest, vel saltem in interius aliquod cubiculum orandi caussa seorsum convenire.

4. Quod a Raphaele Angelo præceptum est Tobiæ iuniori, ut post acceptam coniugem triduum ab ea contineret, & vacaret interim orationibus, id omnino consulendum recens coniugatis. (M) Concilium Carthaginense quartum præscripsit olim coniugibus continentiam prima nuptiarum nocte. (N) Idem olim in Ecclesia Gallicana decretum vigebat. (O) Iam non decretum, sed

---

TOB. IX. 9. Et dixit: (*Gabelus Tobiæ*) Benedicat te Deus Israel, quia filius es optimi viri, & iusti, & timentis Deum, & eleemosynas facientis: & dicatur benedictio super uxorem tuam, & super parentes vestros: & videatis filios vestros, & filios filiorum vestrorum, usque in tertiam & quartam generationem: & sit semen vestrum benedictum a Deo Israel, qui regnat in secula seculorum. Cumque omnes dixissent, Amen, accesserunt ad convivium: sed & cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant.

JOAN. II. 1. *Vide supra part.* 1. *Sect.* 2. *cap.* 1. §. 6. *lit.* (P)

(M) TOB. VI. 11. Respondensque Angelus, (Tobiæ) ait: Est hic Raguel nomine vir propinquus de tribu tua, & hic habet filiam nomine Saram, sed neque masculum, neque feminam ullam habet aliam præter eam. Tibi debetur omnis substantia eius, & oportet eam te accipere coniugem. Pete ergo eam a patre eius, & dabit tibi eam in uxorem. Tunc respondit Tobias, & dixit: Audio quia tradita est septem viris, & mortui sunt: sed & hoc audivi, quia dæmonium occidit illos. Timeo ergo, ne forte & mihi hæc veniant: & cum sim unicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos. Tunc Angelus Raphael dixit ei: Audi me, & ostendam tibi qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium. Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum a se, & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos. Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud nisi orationibus vacabis cum ea. Ipsa autem nocte, incenso iecore piscis, fugabitur dæmonium. Secunda vero nocte in copulationem sanctorum Patriarcarum admitteris. Tertia autem nocte, benedictionem consequeris, ut filii ex vobis procreentur incolumes. Transancta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.

VIII. 4. Tunc hortatus est virginem Tobias, dixitque ei: Sara, exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras: quia his tribus noctibus Deo iungimur: tertia autem transacta nocte, in nostro erimus coniugio. Filii quippe Sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi sicut gentes, quæ ignorant Deum. Surgentes autem pariter, instanter orabant ambo simul, ut sanitas daretur eis.

(N) CONCIL. CARTHAG. IV. *Can.* 13. *an.* 398. *T. III. Concil. Lab. p.* 952. Sponsus & sponsa cum benedicendi sunt a Sacerdote, a parentibus suis, vel paranymphis offerantur. Qui cum benedictionem acceperint. eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis, in virginitate permaneant.

(O) CAROLUS MAGNUS *Lib.* 7. *Capitular. capit.* 463. Decretum ut uxor legitime viro coniungatur, aliter enim, legitimum a patribus accepimus, & a sanctis Apostolis eorumque successoribus traditum invenimus, non fit coniugium, nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, & a quibus custoditur, uxor petatur, & a parentibus propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore Sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus a Sacerdote benedicatur, & a

consilium est, non nisi ex mutuo consensu servandum. (P)

§. 6. *Quæ sint Coniugatorum inter se Officia.*

I. Quam vitam agere debent coniugati?

R. Vitam sanctam, rectam, honestam: *Ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut gentes quæ ignorant Deum. Nec tradant semetipsos impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam: nos autem non ita didicimus Christum.* (A)

1. Thess. iv. 4. 5.

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 6.

Eph. 4. 19. & 22.

I. Quæ sunt mutua inter se coniugatorum officia?

R. Ea videri possunt in Epistolis

---

paranymphis, ut consuetudo docet, custodita & sociata a proximis, quæ tempore congruo petita legibus, detur & sollemniter accipiatur: & biduo vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant; & bonæ soboles generentur, & Domino suis in actibus placeant: taliter enim & Domino placebunt, & filios non spurios sed legitimos, atque hereditabiles generabunt.

(P) Concil. Mediol. V. *sub* S. Carolo *part. 1. Tit. quæ ad Matrimonium pertinent.* Parochus, quorum Matrimonium ex Concilii Tridentini præscripto publice ter denunciaturus est, eos primum gravi exortatione diligenter moneat, ut eum ad illud ineundum ieiuniis orationibusque se parent, tum etiam ut eo rite celebrato, Sacerdotalique benedictione a proprio Parocho accepta, orationi frequentiori interim vacantes, triduo abstineant pro reverentia: sicque contra spirituales nequitias & carnis procacitatem sancte muniti, salutem & gratiam Dei ex eo Sacramento uberiorem sibi comparare studeant.

(A) Tobiae viii. 5. Filii quippe Sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum.

ix. 12. Cumque omnes dixissent Amen, accesserunt ad convivium: sed & cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant.

1. Thessalon. iv. 3. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: ut abstineatis vos a fornicatione: ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore; non in passione desiderii, sicut & gentes, quæ ignorant Deum... Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum: qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis.

Hebr. xiii. 4. Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus. Fornicatores enim, & adulteros iudicabit Deus.

1. Petr. iii. 1. Similiter & mulieres subditæ sint viris suis: ut & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant. Considerantes in timore castam conversationem vestram. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quietis & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres, sperantes in Deo ornabant se, subiectæ propriis viris. Sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans: cuius estis filiæ benefacientes, & non pertimentes ullam perturbationem. Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquam & coheredibus gratiæ vitæ, ut non impediantur orationes vestræ.

Tertull. *lib. 1. ad uxor. cap.* 2. Non quidem abnuimus coniunctionem viri, & feminæ benedictam a Domino, ut seminarium generis humani, & replendo orbi, & instruendo seculo, excogitatam, atque exinde permissam; unam tamen. Nam & Adam unus Evæ maritus, & Eva una uxor illius, una mulier, una costa. Sane apud veteres nostros ipsosque Patriarchas, non modo nubere, sed etiam plurifariam matrimoniis uti fas fuit. Erant & concubinæ. Sed licet figuraliter in Synagoga Ecclesia intercesserit, ut tamen simpli-

citer interpretemur, necessarium fuit
instituere, quæ postea aut impurari me-
rerentur. Superventura enim lex erat.
Oporrebat legis adimplendæ caussas præ-
cucurrisse. Item mox legi succedere ha-
bebat Dei sermn, circumcisionem indu-
cens spiritalem. Igitur per licentiam tunc
passivam, materiæ subsequentium emen-
dationum præministrabantur, quas Do-
minus Evangelio suo, dehinc Apostolus
in extremitatibus seculi aut excidit re-
dundantes, aut composuit inconditas.

Cap. 3. Sed non ideo præmiserim de li-
bertate vetustatis & posteritatis castiga-
tione, ut præstruam Christum separandis
matrimoniis, abolendis coniunctionibus
advenisse, quasi iam hinc finem nubendi
præscribam. Viderint qui inter cetera
perversitatum suarum disiungere docent
carnem in duobus unam, negantes eum
qui feminam de masculo mutuatus, duo
corpora ex eiusdem materiæ consortio
sumpta, rursus in se matrimonii com-
putatione compegit. Denique prohiberi
nuptias nusquam omnino legimus, ut
1. Cor. VII. 6. bonum scilicet. Quid tamen bono isto
melius sit accipimus ab Apostolo, per-
mittente quidem nubere, sed abstinen-
tiam præferente: illud propter insidias
tentationum, hoc propter angustias tem-
porum. Qua ratione utriusque pronun-
tiationis inspecta, facile dignoscitur ne-
cessitate nobis concessam esse nubendi
potestatem. Quod autem necessitas præ-
stat, depreciat ipsa.

S. Clemens Alexandr. *lib.* 2. *Pædagogi*
cap. 10. Tempus autem opportunum con-
iunctionis solis iis relinquitur conside-
randum, qui iuncti sunt matrimonio,
qui autem matrimonio iuncti sunt iis
scopus est & institutum, liberorum sus-
ceptio: finis autem, ut boni sint libe-
Gen. 1. 28. ri... Dixit enim (*Deus*) *Crescite & mul-*
tiplicamini..... Neque seminandum est
supra petram, neque semen est iniuria
afficiendum, quod quidem dux est &
princeps generationis, estque substantia,
quæ simul habet insitas naturæ rationes.
Quæ sunt autem secundum naturam ra-
tiones, absque ratione præternaturalibus
mandando meatibus, valde est nefarium,
& impium... Non est ad adulteria pro-
rumpendum... Qui se voluptatibus de-
dunt libidinosi, quadrupedum coeunt
Rom. 1. 26. 27. more & filios seminare conantur. *Impios*
autem tradidit Deus, ut ait Apostolus,
in perturbationes ignominiæ: nam & fe-
minæ eorum mutaverunt naturalem usum,
in eum qui est præter naturam: similiter
autem, & masculi eorum relicto usu na-
turali exarserunt in desiderio sui, inter se
invicem masculi in masculos turpitudinem
operantes, & mercedem quam oportuit er-
roris sui in se recipientes.. Hinc nobis
manifestum atque adeo in confesso est,
vitandos esse cum masculis concubitus,
& infrugiferas sationes, & venerem præ-
posteram; & quæ natura cohærere non
possunt... A vehementibus ergo appeti-
tionibus, mutuisque congressionibus, &
cum prægnantibus feminis coniunctioni-
bus, alternisque initibus, puerorumque
stupris, adulteriis & libidine abstinere...
est prohibitio. . Idcirco aperte & non
per ænigmata Moses adhuc nudo capite
prohibuit, *non fornicaberis, non mœcha-* *Exod. xx. 14. Levit. xviii. 22.*
beris, pueris stuprum non afferes... Li-
bidinis autem supplicium notum nobis
facient, illi qui Sodomam accesserunt
Angeli. Ii eos qui probro illos afficere
voluerunt, una cum ipsa civitate com-
busserunt, evidenti hoc indicio, ignem,
qui est fructus libidinis, describentes.
Quæ enim veteribus acciderunt.... ad
nos admonendos scripta sunt; ne iisdem
teneamur vitiis, & caveamus ne in pœ-
nas similes incidamus. Oportet autem
filios existimare, pueros: uxores autem
alienas intueri tamquam proprias filias....
Natura sicut alimentis, ita etiam legi-
timis nuptiis quantum convenit, con-
fert, & decet, nobis uti permisit. Permi-
sit autem appetere liberorum procrea-
tionem. Quicumque autem quod modum
excedit persequuntur, labuntur in eo
quod est secundum naturam, per con-
gressus qui sunt præter leges, seipsos
lædentes. Omnino enim recte habet su-
pra omnia, numquam cum adolescenti-
bus, perinde ac cum feminis, veneris
uti consuetudine ..... *Et cum masculo* *Levit. xviii. 22.*
non dormies feminino concubitu. est enim
abominatio .. Neque ullam omnino tan-
ge mulierem, præterquam tuam ipsius
uxorem, ex qua sola tibi licet carnis
voluptates percipere, ad suscipiendam
legitimam successionem. Hæc enim ra-
tioni sola sunt legitima.... Moses cum *Levit. xv. 24. xx. 18.*
ipsis quoque prohibet uxoribus congre-
di, si forte eas detineant purgationes
menstruæ... Sola enim voluptas, si quis
ea etiam utatur in coniugio, est præter
leges & iniusta & a ratione aliena. Rur-
sus autem Moyses abducit viros a præ-

gnantibus, quousque pepererint ... Nefas est ergo operantem iam naturam adhuc molestia afficere superflue ad petulantem prorumpendo libidinem .... Parantur intemperantibus flagella, & supplicia humeris insipientium ... In summa ergo, vel iungi matrimonio, vel omnino a matrimonio purum & mundum esse oportet .... Circumcidamini fornicationem vestram ... Non toire autem ad liberorum procreationem, est facere iniuriam naturæ. Qua quidem oportet magistra, quas prudenter introducit temporis commoditates, diligenter observare, senectutem, inquam, & puerilem ætatem. His enim nondum concessit: illos autem non vult amplius uxores ducere. Sed non vult homines semper dare operam matrimonio. Matrimonium autem est filiorum procreationis appetitio non nullo, ac incerto ordine seminis excretio, quæ est & præter leges, & a ratione aliena. Secundum naturam autem nobis vita universa processerit, si & ab initio cupiditates contineamus ... Ceterum quibus uxores durete concessum est, iis pædagogo opus fuerit, ut non interdiu mystica naturæ celebrentur orgia, nec ex Ecclesia, verbi gratia, aut ex foro mane rediens, galli more coeat, quando orationis & lectionis & efficacium quæ interdiu fiunt operum tempus est. Vespere autem oportet post convivium quiescere, & post gratiarum actionem quæ fit Deo pro bonis quæ percepimus. Non semper autem concedit tempus natura, ut peragatur congressus matrimonii: ... neque vero noctu, tamquam in tenebris, immodeste sese ac intemperanter gerere oportet, sed verecundia tamquam lux rationis, io animo est includenda. Nihil enim a Penelope telam texente differemus, si interdiu quidem texamus dogmata temperantiæ, noctu autem ea resolvamus, cum in cubile venerimus. Si enim honestatem exercere oportet, multo magis tuæ uxori honestas est ostendenda, iohonestas vitando coniunctiones: & quod caste cum proximis verseris, fide dignum e domo adsit testimonium.... Impudicorum vero verborum, & turpium figurarum, meretriciorumque osculorum, & huiusmodi lasciviarum nomina, ne sunt quidem memoria tenenda, beatom sequentribus Apostolum, qoi aperte dicit: *Fornicatio autem, & omnis immunditia, vel plura habendi cupiditas ne nominetur quidem in vobis, sicut decet sanctos.*

Prov. II. 22.

Ephes. v. 3.

Recte ergo videtur dixisse quispiam: Nulli quidem profuit coitus, recte autem cum eo agitur quem nnn læserit. Nam & qui legitimus, est periculosus, nisi quatenus in liberorum procreatione versatur ... Ne simul ac exuitur tunica, pudorem quoque exuamus: nam iusto temperantiam numquam fas est exuere... Neque ut dicit Paullus, *membra Christi, facienda sunt membra meretricis*, nec Dei templum faciendum est templum turpium affectionum. Recordemini quatuor & viginti millia fuisse propter fornicationem extrusa. Ea autem quæ evenerunt iis qui fornicati sunt .... sunt figuræ quæ nostras libidines corrigunt ... Non est ergo iustum vinci a rebus venereis, nec libidinibus stolide inhiare, nec a ratione alienis appetitionibus moveri, nec desiderare pollui. Ei autem soli qui uxorem duxit, ut qui tunc sit agricola, serere permissum est, quando tempus sementem admittit. Adversus aliam autem intemperantiam, optimum quidem est medicamentum, ratio. Fert etiam auxilium penuria satietatis, per quam accensæ libidines, prosiliunt ad voluptates.

PARS. III. SECT. I. CAP. VIII. §. 6.

2. Cor. v. 15.

Num. xxv.

S. AUG. *de bono coniug. cap.* 20. *num.* 23. Nec quod purificari lex hominem & post coniugalem contubitum iubet, peccatum esse declarat; si non est ille qui secundum veniam conceditur, qui etiam nimius impedit orationes.

Lev. xv. 16.

Ib. de peccato orig. contra Pelag. & Celest. cap. 33. *num.* 38. Sic autem argumentantur, dicentes: *Ergo malum sunt nuptiæ, & non est opus Dei homo quem generant nuptiæ?* Quasi nuptiarum bonum sit morbus concupiscentiæ, in quo uxores diligunt, qui ignorant Deum, quod Apostolus prohibet; ac non potius pudicitia coniugalis, qua in bonos usus ordinate filios procreandi redigitur libido carnalis.

1. Thess. IV. 5.

Num. 39. Bonum ergo sunt nuptiæ in omnibus quæ sunt propria nuptiarum. Hæc autem sunt tria, generandi ordinatio, fides pudicitiæ, connubii sacramentum. Propter ordinationem generandi scriptum est: *Volo iuniores nubere, filios procreare, matres-familias esse.* Propter fidem pudicitiæ: *Uxor non habet potestatem sui corporis, sed vir: similiter & vir non habet potestatem sui corporis,*

1. Tim v. 14

1. Cor. VII. 4.

sed mulier. Propter connubii sacramentum: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*. De quibus in aliis opusculis nostris, quæ vobis non sunt incognita, quantum Domino adiuvante potuimus, satis nos disseruisse meminimus. Propter hæc omnia, *honorabiles nuptiæ in omnibus, & torus immaculatus*. In quantum enim nuptiæ bonæ sunt, in tantum faciunt plurimum boni etiam de libidinis malo: quoniam libidine non bene utitur libido, sed ratio. Libido est autem in illa, quam notat Apostolus, repugnante legi mentis inobedientium lege membrorum: ratio vero bene utens libidine, ipsa est in lege nuptiarum.

Matth. XIX. 6
Heb. XIII. 4.
Rom. VII. 23

De Nupt. & concupisc. lib. 1. *cap.* 4. *num.* 5. Copulatio itaque maris & feminæ generandi caussa, bonum est naturale nuptiarum: sed isto bono male utitur, qui bestialiter utitur, ut sit eius intentio in voluptate libidinis, non in voluntate propaginis.

Cap. 15. *num.* 17. Sed tamen aliud est, non concumbere nisi sola voluntate generandi, quod non habet culpam; aliud, carnis concumbendo appetere voluptatem, sed non præter coniugem, quod venialem habet culpam. Quia etsi non caussa propagandæ prolis concumbitur, non tamen huius libidinis caussa propagationi prolis obsistitur, sive voto malo, sive opere malo. Nam qui hoc faciunt quamvis vocentur coniuges, non sunt, nec ullam nuptiarum retinent veritatem, sed honestum nomen velandæ turpitudini obtendunt.

Lib. 2. *cap.* 31. *num.* 53... Deus enim fecit sexus, quia *masculum & feminam fecit eos*, sicut scriptum est. Unde autem fieri posset, ut qui fuerant coniungendi, & ipsa coniunctione generaturi, sua corpora non moverent: quando quidem nullus fit hominis ad hominem corporalis accessus, si desit corporis motus? Non ergo hic quæstio est de motu corporum, sine quo non possent omnino misceri; sed de pudendo motu genitalium, qui profecto non esset, & tamen seminatrix commixtio non deesset, si genitalia non libidini, sed voluntati sicut cetera membra servirent. An non etiam nunc in corpore mortis huius imperatur pedi, brachio, digito, labro, linguæ & ad nutum nostrum continuo porriguntur?.... Quanto ergo facilius atque tranquillius obedientibus genitalibus corporis partibus & ipsum membrum porrigeretur, & homo seminaretur, nisi hominibus illis inobedientibus membrorum istorum inobedientia iusto supplicio redderetur? Quod supplicium casti sentiunt, qui procul dubio mallent, si possent, iubente voluntate quam pruriente voluptate filios seminare. Immundi autem qui propter istum morbum, non solum meretrices, verum etiam coniuges amant; de hoc supplicio carnis graviore supplicio mentis exsultant.

Genes. I. 27.

Lib. 2. *contra Iulian. cap.* 7. *num.* 20. An tu dicturus es, quod nuptiis ingerat crimen, quia & inde quod nascitur concupiscentiæ voluptate concretum, dicit subire contagium delictorum? Audi ergo de nuptiis Ambrosii sententiam in Apologia sancti David. *Bonum*, inquit, *coniugium, sancta copula. Sed tamen* qui habent uxores, ita sint ac si non habentes: *ipse est torus incoinquinatus; & nemo alterum fraudare debet eo*, nisi forte ad tempus, ut vacent orationi. *Tamen secundum Apostolum, non vacat orationi quis eo tempore, quo usum corporea illius conversionis exercet*. Audi & alteram in libro de Philosophia: *Bona*, inquit, *continentia, quædam velut crepido pietatis. Namque in præcipitiis vitæ huius labentium statuit vestigia; speculatrix sedula, ne quid obrepat illicitum. Mater autem vitiorum omnium incontinentia, quæ etiam licita vertit in vitium. Ideoque Apostolus non solum a fornicatione nos retrahit; verum etiam in ipsis coniugiis modum quemdam docet, & tempora præscribit orandi. Intemperans enim in coniugio, quid aliud nisi quidam adulter uxoris est?* Cernis quemadmodum vel etiam inter se ipsa vere honesta esse coniugia? Vides quemadmodum dicat incontinentiam etiam licita vertere in vitium, ubi & licitum demonstrat esse connubium, & in ipso non vult incontinentiam fœdare quod licitum est? Advertis quomodo intelligere nobiscum debeas, *in quo morbo desiderii* noluerit Apostolus unumquemque *vas suum possidere, sicut gentes, quæ ignorant Deum*? Tibi autem libido non nisi præter uxorem videtur esse culpabilis. Quid ergo de Ambrosio iudicabis, qui intemperantem in coniugio adulterum quemdam appellat uxoris?.... Tu ergo melius honoras nuptias, quarum dignitatem tamquam omnino irreprehen-

Cap. 11.
1. *Cor.* VII. 29.
Heb. XIII. 4.
1. *Cor.* VII. 5.
1. *Cor.* VII.
1. *Thess.* IV. 14.

sibili volutabro carnalis concupiscentiæ decoloras; an ille qui cum dicat, non solum licitum, sed etiam bonum coniugium, sanctamque copulam, tamen cessante libidinis voluptate, tempora orandi ab Apostolo præscripta commemorat; atque ita non vult illi morbo deditos esse coniuges, unde trahitur originale peccatum, ut eos qui habent uxores,
1. Cor. VII. 29 secundum eumdem Apostolum, ita esse velit, ac si non habentes; nec vocare dubitat etiam uxoris adulterum intemperantem maritum, omne connubii bonum pensans non cupiditate carnis, sed fide potius castitatis; non morbo passionis, sed fœdere coniunctionis; non voluptate libidinis, sed voluntate propaginis? Nam mulierem viro non nisi generandi caussa perhibet institutam.

Lib. 2. de Morib. Manichæor. cap. 18. *n.* 65.... Nuptiæ autem, ut ipsæ nuptiales tabulæ clamant, liberorum procreandorum caussa marem feminamque coniungunt: quisquis ergo procreare liberos, quam concumbere gravius dicit esse peccatum, prohibet utique nuptias; & non iam uxorem, sed meretricem feminam facit, quæ donatis sibi certis rebus, viro ad explendam eius libidinem iungitur. Si enim uxor est, matrimonium est. Non autem matrimonium est ubi datur opera ne sit mater: non igitur uxor.

Enchirid. de fide, spe & caritate, cap. 78. *num.* 21..... Videmus quædam ab ipsis Apostolis ignoscendo fuisse concessa: quale illud est quod venerabilis Paullus coniugibus ait, *Nolite frauda-*
1. Cor. VII 20. *re invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; & iterum ad idipsum estote, ne vos tentet Satanas propter incontinentiam vestram:* Quod putari posset non esse peccatum, misceri scilicet coniugi non filiorum procreandorum caussa, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis, ut fornicationis, sive adulterii, sive cuiusquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quo potest tentante satana libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo ut dixi, hoc putari non
Ibid. 6. esse peccatum, nisi addidisset, *Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium.* Quis autem iam esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus apostolica auctoritate fateatur?

Lib. 22. contra Faustum cap. 30..... Lex æterna, id est, voluntas Dei creaturarum omnium conditoris conservando naturali ordini consulens, non ut satiandæ libidini serviatur, sed ut saluti generis prospiciatur, ad prolem tantummodo propagandam, mortalis carnis delectationem dominatu rationis in concubitum relaxari sinit.

S. CAESARIUS ARELAT. *Serm.* 88. *in append. tom.* 5. S. AUGUST. *Edit. BB. Serm.* 292. *alias de tempore* 244. *n.* 1..... Pueri vel puellæ qui in coniugio coniungendi sunt, virginitatem usque ad nuptias servent. Nam si ante legitimam coniunctionem per adulterium corrupti fuerint, ad nuptias corpore quidem vivi veniunt, sed in anima mortui comprobantur, quia scriptum est, *Anima quæ peccaverit, ipsa* Ezech. XVIII 20.
morietur.

Num. 2. Nulla mulier potationes ad abortum accipiat, nec filios aut conceptos aut iam natos occidat; quia quæcumque fecerit hoc, ante Christi tribunal sciat se illic eorum caussam quos occiderit esse daturam. Sed nec alias diabolicas potationes mulieres debent accipere. Mulier autem quæcumque fecerit hoc per quod iam non possit concipere, quantoscumque parere poterat, tantorum homicidiorum se ream esse cognoscat.

Num. 3. Quotiens ad Ecclesiam in qualibet sollemnitate venitis, & Sacramenta Christi percipere volueritis, ante dies plures castitatem servate; ut cum secura conscientia ad altare Dei possitis accedere. Quam rem etiam per totam Quadragesimam, & usque ad clausulam Paschæ fideliter custodite; ut vos sollemnitas Paschalis castos & puros inveniat. Qui enim bonus Christianus est, non solum ante dies plures quam communicet, castitatem servat: sed & uxorem suam, excepto desiderio filiorum, non agnoscit: quia uxor non propter libidinem, sed propter filiorum procreationem accipitur. Denique & ipsæ tabulæ matrimoniales hoc continent, *Liberorum*, inquit, *procreandorum caussa*. Videte quia non dixit, libidinis caussa; sed liberorum procreandorum. Velim tamen scire, Fratres carissimi, ille qui uxore sua incontinenter utitur, si quotiens se luxuria victum agnovit, totiens suum agrum in uno anno araverit vel seminaverit, qualem messem colligere possit. Qui ergo se continere nolunt, si totiens terram quam-

dam suam, quam iam seminaverant, iterum arent & seminent, videamus qualiter de eius fructu gaudebunt; quia .... nulla terra poterit dare legitimum fructum, in qua frequenter in uno anno fuerit seminatum. Quod ergo non vult aliquis in agro suo, quare facit in corpore suo?

Num. 4. Sed dicet aliquis, Homo iuvenis sum, continere non possum. Ne forte ideo te non contines, quia plus manducas quam expedit, & plus vinum accipis quam oportet. Forte etiam turpibus cogitationibus occupas mentem tuam, & luxuriosa verba non solum libenter, sed etiam frequenter aut ipse dicere, aut, aliis dicentibus, audire nec metuis nec erubescis. Incipe cum Dei adiutorio gulæ concupiscentias refrenare, castis cogitationibus & honestis sermonibus mentem vel linguam tuam iugiter occupare; & videbis quia Deo auxiliante castitatem poteris custodire. Nec te pigeat, si te corporis infirmitas non prohibet frequentius ieiunare, ad Ecclesiam maturius surgere; ut possis tuam animam a libidinosis maculis nitidam custodire. Et si hoc non infideliter faciens vides te adhuc carnis impugnationibus fatigari, & forte aliquotiens, excepto filiorum desiderio, ad cognoscendam uxorem propriam vinci; secundum vires tuas quotidianas eleemosynas

Eccli. III. 33. adde: quoniam scriptum est, *sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum*. Et illud quod contra omnia peccata magnum est & salubre medicamentum, omnibus qui in te peccaverint, plenam indulgentiam tribue; ut quod per incontinentiam inquinatur, ieiuniis, eleemosynis, ac præcipue per inimicorum indulgentiam diluatur.

Num. 5. Sed dicis, Uxorem excepto desiderio filiorum agnoscere, peccatum non est. In tantum peccatum est, ut

Psal. l. 7. Propheta pœnitens clamet, *In iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea*. Et sic in veteri testamento legimus, quando populus Iudæorum accessurus erat ad Montem Sinai, ex præcepto Domini dicebatur eis:

Exod. XIX. 15. *Sanctificamini & estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus*

Deut. XXIII. 10. &c. *vestris*: & illud, *Si quis nocturno pollutus fuerit somnio, non manducet carnes sacrificii salutaris; ne pereat anima sua de populo*. Si post pollutionem quæ nobis nolentibus fieri solet, nobis communicare non licet, nisi prius præcedat compunctio & eleemosyna, & si infirmitas non prohibet, etiam ieiunium; Quis est qui potest dicere illud, quod vigilantes & volentes facimus, non esse peccatum?

Num. 6. Sed dicis, Peccatum quidem est; sed tamen parvum est. Nec nos dicimus quia capitale peccatum est: sed tamen si frequentius exerceatur, & ieiuniis vel eleemosynis non redimatur, nimis immundam animam facit... Cum enim ad imaginem Dei facti simus, quotiens aliquid turpe aut loquimur aut facimus, totiens Dei imaginem sordidamus. Etiam videte, si hoc vos deceat aut oporteat. Vere dico vobis. .. . quia non hoc de nobis Deus meretur, ut in nobis imago ipsius per malas concupiscentias iniuriam patiatur. Et cum nullus homo velit cum tunica sordibus plena ad Ecclesiam convenire, nescio qua conscientia cum anima, quæ per luxuriam sit inquinata, præsumit ad altare accedere: non timens illud quod Apostolus dixit,

Qui enim manducat corpus, & sumit sanguinem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini. 1. Cor. XI. 27. Si erubescimus ac timemus Eucharistiam manibus sordidis tangere, plus debemus timere ipsam Eucharistiam in anima polluta suscipere. Et quia; ut dixi, in anima nostra facti sumus ad imaginem Dei; si in tabula aut lignea aut lapidea faceres imaginem tuam, & aliquis impudens homo vellet illam imaginem aut lapidibus frangere, aut aliquibus sordibus inquinare, velim scire si contra eum non moveretur animus tuus. Rogo te, si imaginem pictam in tabula mortua sic zelaveris, putas qualem iniuriam patitur Deus quando in nobis imago sua per luxuriam sordidatur? Et ideo si nobis non parcimus propter nosmetipsos, parcamus nobis vel propter imaginem Dei, ad quam facti sumus.

Num. 7. Ante omnia, ut quotiens dies Dominicus, aut aliæ festivitates veniunt, uxorem suam nullus agnoscat. Et quotiens fluxum sanguinis mulieres patiuntur, similiter observandum est, propter quod ait Propheta: *Ad mulierem menstruatam non accesseris*. Ezech. XVIII. 6. Nam qui uxorem suam in profluviis positam agnoverit, aut in die Dominico, aut in alia qualibet sollemnitate se continere no-

beati Paulli Apostoli (B), in prima Petri Apostoli Epistola (C), in toto Tobiæ libro, & alibi in veteri Testamento (D). Eo isthæc omnia

PARS III. SECT. I. CAP. VIII. §. 6.

---

luerit: qui tunc concepti fuerint, aut leprosi, aut epileptici, aut etiam forte dæmoniaci nascentur... Et revera, fratres, si animalia sine intellectu non se contingunt, nisi certo & legitimo tempore; quanto magis homines, qui ad imaginem Dei facti sunt, hoc observare deberent; sed quod peius est, sunt aliqui ita luxuriosi vel ebriosi, qui aliquotiens nec prægnantibus uxoribus pareunt. Et ideo si se non emendaverint, ipsi videant si non peiores animalibus iudicandi sint. Istis talibus clamat Apo-

1. *Thess.* IV. stolus, dicens, *Ut sciat unusquisque suum vas possidere in honore & sanctificatione, non in passione desiderii, sicut & gentes quæ spem non habent*: & quia sunt multi qui legitimam non custodiunt castitatem cum suis uxoribus,... largas eleemosynas faciant, & omnibus inimicis suis indulgeant .... ut quod luxuria sordidum effecit, assiduis eleemosynis abluatur.

(B) 1. *Corinth.* VII. 1. *& seq. Vide supra huiusce operis par.* 2. *sect.* 3. *cap.* 7. *litt.* (D)

EPHES. V. 22. Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ: Ipse Salvator corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam... Ita & viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim umquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam: Quia membra sumus corporis eius, de carne eius & de ossibus eius. Propter

Gen. II. 24. *Matt.* XIX. 5. *Marc.* X. 7. 1. *Cor.* VI. 16. hoc relinquet homo patrem & matrem suam; & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Verumtamen & vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum.

Eph. V. 22. 1. *Pet.* III. 1. COLOSS. III. 18. Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas.

1. THESSALON. IV 3. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore: non in passione desiderii, sicut & gentes, quæ ignorant Deum. *Rom.* XII. 2. *Eph.* V. 17.

HEB. XIII. 4. Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus: fornicatores enim, & adulteros iudicabit Deus.

(C) 1. PETR. III. 1. Similiter & mulieres subditæ sint viris suis: ut & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subiectæ propriis viris. Sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans: cuius estis filiæ benefacientes, & non pertimentes ullam perturbationem. Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquam & coheredibus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes vestræ.

(D) TOB. III. 16. Tu scis Domine, quia numquam concupivi virum, & mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. Numquam cum ludentibus miscui me: neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere.

IV. 13. Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam numquam patiaris crimen scire

VI. 16. *& seq. Vide supra huiusce cap.* §. 5. *litt* (M)

VIII. 8. Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique ei adiutorium Hevam. Et nunc, Domine, tu scis, quia non

Pars III. Sect. I. Cap. VIII §. 6.

luxuriæ caussa accipio sororem meam coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in secula seculorum.

x. 12 Et apprehendentes parentes filiam suam, osculati sunt eam, & dimiserunt ire: monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere.

Prov. xxxi. 10. *Vide infra §. seq. litt.* (N)

Eccles. ix. 9. Perfruere vita cum uxore, quam diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tuæ: hæc est enim pars in vita, & in labore tuo, quo laboras sub sole.

Eccli. ix. 1. *Vide infra litt.* (E) *hocce §.*

xxv. 1. In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes... Beatus qui habitat cum muliere sensata, & qui lingua sua non est lapsus, & qui non servivit indignis se.... Omnis plaga, tristitia cordis est: & omnis malitia, nequitia mulieris. Et omnem plagam, & non plagam videbit cordis: Et omnem nequitiam, & non nequitiam mulieris.... Et non est ira super iram mulieris. Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam. Nequitia mulieris immutat faciem eius; & obcæcat vultum suum tamquam ursus: & quasi saccum ostendit. In medio proximorum eius ingemuit vir eius, & audiens suspiravit modicum. Brevis omnis malitia, super malitiam mulieris, sors peccatorum cadat super illam. Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto. Ne respicias in mulieris speciem, & non concupiscas mulierem in specie. Mulieris ira, & irreverentia, & confusio magna. Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo. Cor humile, & facies tristis, & plaga cordis, mulier nequam. Manus debiles, & genua dissoluta, mulier quæ non beatificat virum suum. A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur. Non des aquæ tuæ exitum, nec modicum, nec mulieri nequam veniam prodeundi. Si non ambulaverit ad manum tuam, confundet te in conspectu inimicorum. A carnibus tuis abscinde illam, ne semper te abutatur.

xxvi. 1. Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex. Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona, mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis.... dolor cordis & luctus, mulier zelotypa. In muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans. Sicut boum iugum quod movetur, ita & mulier nequam: qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem. Mulier ebriosa, ira magna: & contumelia, & turpitudo illius non tegetur. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoscetur. In filia non avertente se, firma custodiam: ne inventa occasione utatur se. Ab omni irreverentia oculorum eius cave, & ne miteris si te neglexerit. Sicut viator sitiens, ad fontem os aperiet, & ab omni aqua proxima bibet, & contra omnem palum sedebit, & contra omnem sagittam aperiet pharetram donec deficiat. Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, & ossa illius impinguabit. Disciplina illius, datum Dei est. Mulier sensata & tacita, non est immutatio eruditæ animæ. Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus eius. Lucerna splendens super candelabrum sanctum, & species faciei super ætatem stabilem. Columnæ aureæ super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris. Fundamenta æterna supra petram solidam, & mandata Dei in corde mulieris sanctæ.

xxxvi. 23. Omnem masculum excipiet mulier: & est filia melior filia. Species mulieris exhilarat faciem viri sui, & super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium. Si est lingua curationis, est & mitigationis & misericordiæ: non est vir illius secundum filios hominum. Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem: adiutorium secundum illum est, & columna ut requies. Ubi non est sepes, diripietur possessio: & ubi non est mulier, ingemiscit egens....

xl. 23. Amicus & sodalis in tempore convenientes, & super utrosque mulier cum viro.

Digitized by Google

spectant, ut mutuo se se coniuges amore prosequantur, mutuam sibi operam præstent, *portent alter alterius onera; in pace in idipsum dormiant & requiescant*, & concordi voluntate familiam regant. Caveant denique a vitiis coniugatorum, quibus solet & Deus offendi, & turbari familia, & sæpe coniugalis amor in odium converti.

Galat. vi. 2. Psal. iv. 9.

I. Quænam isthæc vitia sunt?

R. Nimius amor, quo fit ut mutua vitia, mutuæ cupiditates foveantur; zelotypia, æmulatio, adulteria, contentiones, iræ, rixæ, dissensiones, impatientia, &c.

I. Quæ specialia virorum erga uxores officia?

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 6.

R. Vir caput est uxoris: debet ergo eam diligere, tueri, fovere; debet illi exemplum vitæ Christianæ; debet indulgentiam & obsequium, quantum ratio & relligio ferre potest; debet infirmitates sexus debilioris substinere; debet quantum prudentia suggesserit res & negotia familiæ illi pandere. Debet tamen retinere semper auctoritatem in familiam, nec subesse uxori, cum præesse & regere debeat. (E)

I. Quæ sunt uxorum officia in maritos?

(E) Coloss. iii. 18. Mulieres subditæ estote viris: sicut oportet in Domino. Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas.

Ephes. v. 25. Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam... Ita & viri debent diligere uxores suas ut corpora sua.

S. Ambrosius *Lib.* 5. *Hexameron, cap.* 7. *num.* 19. Vir depone tumorem cordis, asperitatem morum, cum tibi sedula uxor occurrit: propelle indignationem, cum blanda coniux ad caritatem provocat. Non es dominus, sed maritus: non ancillam sortitus es, sed uxorem. Gubernatorem te Deus voluit esse sexus inferioris, non præpotentem. Redde studio vicem, redde amori gratiam .... Non potes duritiam oientis deponere? Sed habes naturalem rigorem: debes temperare cum contemplatione coniugii, & reverentia coniunctioois deponere animi feritatem .... Nolite quærere viri alienum torum, nolite insidiari alienæ copulæ. Grave est adulterium, & naturæ iniuria .... Deus iussit ambos esse in uno corpore, & in uno spiritu vivere. Quid unum separas corpus, unum dividis spiritum?

S. Ioann. Chrysost. *Homil.* 10. *in Epist. ad Coloss. num.* 1. ... Diligere quidem est virorum, illarum vero cedere. Si ergo unusquisque quod suum est afferat, stant omnia firma, & stabilia. Ex eo enim quod diligatur, fit mulier amica & benevola; ex eo autem quod sit subdita, vir fit mitis & clemens. Vide autem quod hoc quoque natura sic sit comparatum, ut vir quidem diligat, mulier autem obediat. Nam quando is qui imperat, diligit eum qui paret imperio, tunc consistunt omnia .... Ne ergo quoniam subiecta est mulier, sis insolens: neque tu, quoniam vir diligit, intumesce. Neque viri amicitia extollat mulierem; neque mulieris subiectio inflet virum .... Habe etiam vinculum, quod est ex caritate: eam enim quæ est imbecillior, sinit esse tolerabilem.

In Epist. ad Ephes. Cap. v. *Homil.* 20. *n.* 2.... *Viri*, inquit, *diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Vidisti mensuram obedientiæ? audi etiam mensuram dilectionis. Vis tibi obedire uxorem, sicut Christo Ecclesiam? Ipse quoque eius curam gere sicut Christus Ecclesiæ. Etiamsi animam pro ipsa dare oporteat, etiamsi millies conscindi, etiamsi quodvis substinere, & pati, non recusabis: & si hæc passus fueris, nihil adhuc tale fecisti quale Christus. Nam tu quidem iam coniunctus hæc facis: ille autem pro ea, quæ ipsum aversatur & odio habet. Quemadmodum ergo ipse eam quæ ipsum aversabatur, oderatque & despicatui habebat, ac con-

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 6.

spuebat, & per lasciviam ei insultabat, magna sua cura suis subiecit pedibus, non minis, nec contumeliis, neque metu, neque ullo alio eiusmodi; ita tu quoque te gere erga tuam uxorem: etiamsi eam videris despicientem, etiamsi per lasciviam insultantem, etiamsi contemnentem, poteris multa eius cura & providentia, dilectione & amicitia eam tuis pedibus subiicere. Nihil est his vinculis magis tyrannicum, & maxime marito, & uxori. Nam famulum quidem poterit quispiam metu alligare, immo vero ne illum quidem, fortasse enim resiliet & abibit: vitæ autem sociam, liberorum matrem, & quæ est caussa & occasio omnis lætitiæ, non oportet metu & minis ligare, sed dilectione & affectione. Quænam enim est coniunctio, quando uxor exhorrescit maritum? Quanam autem voluptate fruetur ipse maritus, cum uxore habitans tamquam cum ancilla, & non tamquam cum libera? Et si quid pro ea passus fueris, ne exprobres. Neque enim Christus hoc fecit...

Num. 4. Quantam enim unusquisque habet in se dilectionem, tantam vult nos (Apostolus) habere in uxorem ... Sed non propter ipsum solum hoc dictum est, sed etiam propter uxorem; ut ipsam tamquam propriam carnem foveat, sicut & Christus Ecclesiam, uxor autem timeat virum Non amplius ponit quæ sunt solum caritatis; sed quid? ut timeat virum. Mulier est secundus principatus. Neque ipsa exigat æqualitatem honoris, est enim sub capite: neque ille eam despiciat tamquam subiectam; est enim corpus. Si caput corpus despiciat, ipsum quoque peribit. Sed afferat dilectionem quæ tamquam in æquilibrio respondeat obedientiæ. Sicut caput, ita & corpus. Vir ipsi ad ministerium præbeat manus, pedes & reliqua omnia membra: Illa vero ipsi provideat, omnem in se servans affectum. Nihil est hoc coniugio melius & præstantius. Et quomodo, inquit, fuerit dilectio si est metus? Maxime tunc fuerit. Nam quæ timet etiam diligit: quæ diligit, timet tamquam caput, diligit tamquam membrum. Nam caput quoque est membrum totius corporis. Propterea illam quidem subiecit, hunc vero præfecit, & supra posuit, ut esset pax.

Hom. 26. *in* 1. *ad Corinth.* *n.* 7. Nihil tale sit peccatum, quo cogamini uxorem verberare. Et quid dico uxorem? neque ancillam verberare aut ei manus inferre viro ingenuo fuerit tolerandum. Quod si ancillam verberare magnum infert viro probrum; multo magis contra liberam manum intendere. Et hoc in externis etiam legislatoribus videre est, qui eam quæ ita percussa fuit non cogunt habitare cum percussore; utpote qui illius consortio indignus sit. Etenim extremæ est iniquitatis, vitæ consortem, quæ tibi in rebus necessariis iamdiu operam præstabat, ut mancipium ignominia afficere... Sed mulier inquiet, audax & aspera est. Sed cogita illam esse mulierem, vas infirmum, te autem virum. Propterea enim princeps constitutus es, & instar capitis datus es, ut feras eius quæ tibi parere debet imbecillitatem. Fac itaque ut imperium tuum sit splendidum.... Cogita te ab illa post Deum filios suscepisse, & patrem effectum esse, & inde erga illam mitis esto ..

Num. 8. Nam portus est uxor, & pharmacum lætitiæ maximum... Cum quid molestum domi acciderit, illa peccante, consolare illam, & ne dolorem augeas... itaque propter hæc omnia eius dilectio omnium tibi pretiosissima sit. Nam si oportet alterum alterius onera portare, multo magis uxoris; etiamsi pauper sit, ne id exprobres; etiamsi stulta, ne insultes, sed potius illam moderare Nam membrum tuum est & caro una facti estis. Sed garrula est, ebriosa, & iracunda; at magis ea propter dolere potius, quam irasci oportet: Deumque rogare, illamque monitis & consilio adiuvare, nihilque non agere ut vitium amputes. Si autem verberes & atteras, morbus non curatur; feritas enim mansuetudine solvitur, non alia feritate. Cum his & mercedem a Deo exspectatam cogita.

Eccl. ix. 1. Non zeles mulierem sinus tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam. Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris. Ne respicias mulierem multivolam: ne forte incidas in laqueos illius.

1. Petr. iii. 7. Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquam & coheredibus gratiæ vitæ.

Digitized by Google

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 6.

R. Uxores debent esse subiectæ viris suis, etiam discolis; debent eos colere & timere; iis obsequi, eos ad virtutis studium accendere, & exemplo, patientia, constanti Christianæ vitæ ratione & patientia eos Deo lucrari; nihil agere quod sit alicuius momenti inconsulto marito, non res familiæ distribuere, non largas eleemosynas erogare, non alienare quidquam. Quod tamen intellige de bonis communibus, non de paraphernis, si quæ sint. (F)

Ephes. v. 23. *Gen.* I. 26. (F) 1. Cor. xi. 3. Volo autem vos scire quod omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris, vir; caput vero Christi, Deus... Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam imago & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. *Gen.* II. 23. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum... Veruntamen neque vir sine muliere: neque mulier sine viro in Domino. Nam sicut mulier de viro, ita & vir per mulierem: omnia autem ex Deo.

Ephes. v. 22. Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ; ipse salvator corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.

Coloss. iii. 18. Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino.

Tit. ii. 4. (Anus) prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei.

1. Petr. iii. 1.... Mulieres subditæ sint viris suis.

1. Tim. II. 9. S. Ioan. Chrysost. *Homil.* 26. *in* 1. *ad Corinth. cap.* 11 *num.* 6. (*Mulieres*) *in habitu ornato cum pudore & modestia ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro*. Nam si non oportet nudum caput habere, sed subiectionis signum ubique circumferre; multo magis per opera hoc ostendere oportet. Sic certe priscæ mulieres, & dominos viros vocabant & primas ipsis concedebant.... Sed grato cum animo quæ marito debes præstare cures. Nam & quando maritum tuum alloquor, adhortans ut te diligat & tui curam gerat, non sino illum in medium afferre legem de muliere latam, sed legem de illo scriptam requiro. Et tu igitur ea quæ ad te spectant sola curiose inquire, & te coniugi morigeram præbe. Nam si propter Deum marito obsequaris, ne mihi proferas ea quæ ipse præstare debet; sed ea quibus te obnoxiam legislator fecit, hæc diligenter exsequere. Hoc enim est maxime Deo obtemperare, etiamsi contraria patiaris, legem non transgredi. Ideo enim qui se amantem amat, nihil magni facere videtur. Qui vero se odientem colit, hic maxime est qui coronatur. Eodem quoque modo tu tecum reputa, quod si molestum tibi virum feras, splendidam accipies coronam. Sin mansuetum & mitem, quam tibi Deus dabit mercedem? Et hæc dico non iubens maritos esse sævos & asperos, sed persuadens mulieribus ut viros etiam feroces ferant. Cum enim unusquisque sua implere curaverit, statim sequentur etiam ea quæ sunt proximi: exempli caussa cum uxor parata fuerit ad virum asperum ferendum, & vir importunam illam non contumelia affecerit, tunc omnia serenitas erunt, & portus a fluctibus vacuus.

Num. 7. Ne itaque viri virtutem exspectet uxor, ut tunc illa suam exhibeat .. . Sed unusquisque, ut dixi, quæ sua sunt prius præbeat. Si enim externis dexteram maxillam percutientibus, oportet præbere alteram; multo magis virum ferocem ferre oportet. Sed non hæc dico ut verberetur mulier, absit; nam hæc extrema contumelia est, non verberatæ, sed verberanti. Sed si casu aliquo talem coniugem sortita fueris, o mulier, ne indigne feras, cogitans repositam tibi mercedem, & in hac vita laudem.

Homil. 61. *alias* 60. *in Ioan. num.* 3. Mulieres philosophiæ magis deditas esse oporteret, quam viros, quæ rei familiari ut plurimum incumbunt.... Vir certe in medio foro & pro tribunali, externis rebus quasi fluctibus agitatur: mulier vero ceu in quodam philosophiæ gymna-

H 2

Pars III. Sect. I. Cap. VIII §. 6.

I. Quis debet esse ornatus mulierum?

1. Tim. II. 9. & 10.

R. Mulieres sint, inquit Apostolus, *in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa: sed quod decet mulieres promittentes pietatem per bona opera.*

His similia habet Petrus Apostolus: *Mulierum*, inquit, *non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.* 1. Petr. III. 3. & 4.

---

sio domi sedens, mentem colligens, poterit, & precibus & lectioni ceterisque philosophiæ exercitiis incumbere. Ac quemadmodum ii qui desertum incolunt, a nemine turbantur; sic mulier semper intus manens, perpetua poterit frui tranquillitate. Si quando autem domo sit exeundum, nulla inde perturbationis caussa: sive enim in Ecclesiam veniant, sive ad balneum sit pergendum, sæpe coguntur quidem mulieres exire; ut plurimum autem domi sedet mulier, potestque philosophari, adventantemque virum perturbatum sedare, compescere, superfluos ac molestos eius cogitatus eliminare, & sic rursus emittere curis in foro susceptis vacuum, & bona quæ domi didicit secum ferentem. Nihil enim nihil utique fortius muliere pia & prudente, ut virum informet, eiusque animam, ut voluerit, instituat. Non amicos, non doctores, non principes perinde feret, ut uxorem monentem, & consilium dantem. Monitio quippe talis cum quadam voluptate coniuncta est, quod illa multum ametur. Multos possem afferre viros asperos, immorigeros, ab uxoribus mitigatos. Uxor est viri & mensæ & lecti & liberorum procreationis consors: ipsa conscia dictorum & arcanorum, ingressus & exitus, plurimorumque aliorum, in omnibus marito dedita, & sic illi iuncta, ut par est corpus capiti copulari. Si prudens sit & diligens, plusquam omnes alii coniugem fovebit & curabit.

Num. 4. Ut enim ad virtutem uxor, sic & ad nequitiam inducendam multam vim habet. Mulier Absalonem, mulier Amnonem perdidit, mulier Iobum perdere conata est: uxor Nabalem a caede eripuit, mulier totam gentem servavit. Nam Debora & Iudith, & aliæ multæ imperatorum probe functæ sunt officio. Ideo Paullus ait: *Quid enim scis, mulier, an virum salvum facies?* Illisque temporibus Persida, & Mariam & Priscillam, Apostolicis certaminibus se dedidisse scimus. Quas & vos imitari debetis, nec verbis solum, sed etiam operibus coniuges informare. Et quomodo maritum operibus erudiemus? Cum te videbit nec improbam, nec curiosam, nec ornatus amantem, non superfluos sumtus expetentem, sed præsentibus contentam; tunc te consulentem feret. Si autem verbis philosopheris, rebus vero contraria feceris, tunc loquacitatem tuam damnabit. Sin verbis simul & operibus doctrinam inferas, tunc te excipiet atque magis obtemperabit: ut cum aurum non quæres, neque margaritas, neque vestimentorum magnificentiam; sed horum loco, modestiam, temperantiam, benevolentiam: utque ex teipsa hæc afferes sic ab illo eadem exiges. Nam si quid ad placendum viro sit agendum, animam oportet, non corpus ornare, immo corrumpere. Neque enim ita te illi amabilem aurum reddet, ut temperantia & benevolentia, atque animus ad vitam pro marito ponendam paratus. Hæc viros capiunt. Nam cultus ille superfluus displicet illi, rem familiarem coarctat, & sumtum & curas parit. At quæ prius dicta sunt, virum uxori copulant. Benevolentia quippe, amicitia, desiderium, nec curas, nec impensam exigunt. Immo contrarium omnino. Ornatus quidem ille a consuetudine fastidium ingenerat. Animæ vero ornatus quotidie floret, & maiorem accendit flammam. Itaque si viro placere velis, orna animam castitate, pietate, rei domesticæ cura. Hæc maxime alliciunt, & numquam desinunt. Hunc ornatum non senectus solvit, non morbus aufert; sed corporis cultum, diu-

1. Cor. VII. 16.
Rom. XVI.

Digitized by Google

futurum tempus atterit, morbus consumit, aliaque multa perdunt. At animæ bona his omnibus sunt superiora.

Ephes. v. 22. *In Epist. Paulli ad Ephes. cap.* v. *Homil.* 20. *n.* 1. Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino. Quare? Quoniam si hi sint in concordia, & recte aluntur filii, recte ordinati sunt famuli, & bono eorum odore fruuntur vicini, amicique & cognati. Sin autem contra, evertuntur & confunduntur omnia. Et sicut cum duces exercitus inter se pacem agunt, omnia suam servant consequentiam; & si rursus illi turbentur, sursum & deorsum aguntur omnia: Ita nunc quoque. Ideo ait, *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino*. Papæ! Quomodo ergo di-
Luc. xiv. 26. cit alibi: Nisi quis renunciaverit uxori & viro, non potest me sequi? Si enim subiici oportet tamquam Domino, quomodo dicit quod propter Dominum oporteat discedere? Et vere omnino oportet. Sed illud (*sicut*), non est semper omnino æqualitatis. Aut hoc dicit: sicut quæ sciatis quod Domino servitis: quod etiam dicit alibi, quod si non propter maritum, sed in primis propter Dominum,
Coloss. iii. 18. aut quando cedis marito, ut Domino serviens, te obsequi puta. Nam si is qui his externis civilibus resistit magistratibus, Dei resistit ordinationi, multo magis quæ marito non subiicitur. Sic Deus voluit ab initio. Ponamus ergo virum quidem ordinem & locum tenere capitis, mulierem autem corporis. Deinde etiam a rationibus ostendit, quod vir sit caput mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, & ipse est salvator corporis. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Deinde postquam dixit, vir caput est mulieris, sicut & Christus Ecclesiæ; addit, & ipse est Salvator corporis. Caput enim est salus corporis. Iam marito & uxori iecit tamquam fundamentum caritatem & providentiam, unicuique locum tribuens convenientem, marito quidem principatus & providentiæ, uxori vero subiectionis. Sicut ergo Ecclesia subiecta est Christo; idest, viri & mulieres; ita etiam mulieres maritis sicut Deo.

Homil. 4. *n.* 1. *in Epist. ad Titum, cap.* ii. Mulieribus autem monendi dat facultatem, sed domi tantum; nusquam autem illam præsidere sinit, neque longam orationem habere; ideo subiungit, *neque præesse viro*... *Ut viros suos ament*. In domo hoc caput bonorum est, si uxor cum viro consentiat. Cum hoc fuerit, nihil ingratum accidet. Quomodo enim si caput cum corpore consentiat, & nulla sit ibi dissensio, non reliqua omnia in pace erunt?... Ac vice versa, his dissidentibus, domi nihil sanum erit. Nihil igitur hoc maius est, estque longe utilius, quam pecuniæ, nobilitas, potentia, ceteraque omnia. Non simpliciter dixit, in pace sint, sed viros ament... *Prudentes, castas, domus curam habentes, benignas*. Omnia ab amore pariuntur: nam & benignæ & domus curam habentes ex amore fiunt. *Subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei*. Contra vero, quæ virum suum contemnit, domus curam non habet. Ex amore prudentia oritur, ex amore omnis tollitur contentio. Nam quæ domus curam habet uxor, pudica quoque erit, & omnia dispensabit: neque deliciis, intempestivis sumptibus, similibusque rebus operam dabit... Audiant mulieres quæ vel scelestis vel infidelibus viris iunctæ sunt: audiant & discant ex rectis suis moribus illos ad pietatem inducere.

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 6.

S. Augvst. *Epist.* 262. *alias* 199. *ad Ecdiciam, num.* 1.... Vehementer dolui, sic te voluisse agere cum marito, ut ædificium continentiæ, quod in eo iam construi cœperat, amissa perseverantia in adulterii ruinam miserabiliter laberetur. Cum enim lugendus esset, si post continentiam votam Deo, iamque actu ipso moribusque susceptam, reverteretur ad coniugis carnem: quanto magis nunc demersus in interitum profundiorem lugendus est, qui tam abrupta dissolutione mœchatur, iratus tibi, perniciosus sibi, tamquam in te acerbius sæviat, si ipse pereat? Hoc autem tantum mali accidit, dum tu eius animum non qua debuisti moderatione tractasti: quia & si carnali consortio iam ex consensu vobis non miscebamini, in ceteris tamen rebus coniugali obsequio, viro tuo mulier servire debuisti; præsertim cum ambo essetis membra corporis Christi. Et utique si maritum infidelem fidelis habuisses, agere te conversatione subdita oportuit, ut eum Domino lucrareris, sicut Apostoli mo- 1. Cor. vii. 17. 1. Petr. iii. 1.
nuerunt.

N. 2. Omitto enim quod ipsam continentiam, illo nondum volente, non secundum sanam doctrinam te suscepisse

PARS III. SECT. I. CAP. VIII. §. 6.

cognovi. Neque enim corporis tui debito fraudandus fuit, priusquam ad illud bonum, quod superat pudicitiam conjugalem, tuæ voluntati voluntas quoque eius accederet: nisi forte non legeras nec audieras, vel non attenderas Apostolum dicentem, *Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationes autem unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro. Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter autem & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier; nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; & iterum ad idipsum estote, ne vos tentet satanas propter intemperantiam vestram.* Secundum hæc verba Apostolica, etiamsi se ipse continere voluisset, & tu noluisses, debitum tibi reddere cogeretur, & illi Deus imputaret continentiam, si non suæ, sed tuæ cedens infirmitati, ne in adulterii damnabile flagitium caderes, maritalem tibi concubitum non negaret; quanto magis te, quam magis subiectam esse decuerat, ne ipse quoque in adulterium diabolica tentatione traheretur, in reddendo huiusmodi debito voluntati eius obtemperare convenerat, cum tibi voluntatem continendi acceptaret Deus, quia propterea non faceres, ne periret maritus?

1. Cor. VII. 1. & seq.

N. 3. Sed hoc... omitto, quoniam postea tibi nolenti sibi ad reddenda coniugalia debita consentire, ad eadem continentiæ pacta ipse consensit, & tecum continentissime diu vixit, suoque consensu a peccato illo, quo ei debitum carnis negabas, ipse te absolvit. Non ergo iam in tua caussa ista vertitur quæstio, utrum redire debeas ad concubitum viri. Quod enim Deo pari consensu ambo voveratis, perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis: a quo proposito si lapsus est ille, tu saltem constantissime persevera. Quod te non exhortarer, nisi quia tibi ad hoc ipse consenserat. Nam si numquam tenuisses eius assensum, numerus te nullus defendisset annorum, sed post quantumlibet tempus me consuluisses, nihil tibi aliud responderem, nisi quod ait Apostolus: *Uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir:* de qua potestate sic tibi iam permiserat continentiam, ut eam tecum & ipse susciperet.

1. Cor. VII. 4.

N. 4. Sed illud est quod minus te observasse contristor, quia tanto humilius & obedientius ei obsequi in domestica conversatione debuisti, quanto ille religiosius tibi rem tam magnam etiam imitando concesserat. Non enim quia pariter temperabaris a commixtione carnali, ideo tuus maritus esse destiterat; immo vero tanto sanctius inter vos coniuges manebatis, quanto sanctiora concorditer placita servabatis. Nihil ergo de tua veste, nihil de tuo auro vel argento vel quacumque pecunia, aut rebus ullis terrenis tuis sine arbitrio eius facere debuisti, ne scandalizares hominem, qui Deo tecum maiora voverat, & ab eo quod de tua carne licita potestate posset exigere, continenter abstinuerat.

Num. 5. Denique factum est ut vinculum continentiæ, quo se dilectus ille innexuerat, contemtus abrumperet, & iratus tibi non parceret sibi. Sicut enim mihi retulit perlator Epistolæ tuæ, cum cognovisset quod omnia vel pene omnia, quæ habebas, nescio quibus duobus transeuntibus Monachis tamquam pauperibus eroganda donaveris; tunc ille detestans eos tecum, & non Dei servos, sed domus alienæ penetratores & tuos captivatores & deprædatores putans, tam sanctam sarcinam, quam tecum subierat, indignatus abiecit. Infirmus enim erat, & ideo tibi, quæ in communi proposito fortior videbaris, non erat præsumtione turbandus, sed dilectione portandus: quia etiamsi ad ipsas eleemosynas largius faciendas forte pigrius movebatur, posset & ista condiscere, si tuis inopinatis non feriretur expensis, sed exspectatis invitaretur obsequiis; ut etiam hoc quod temere sola fecisti, multo consultius dilectione concordi, multoque ordinatius & honestius ambo faceretis; nec blasphemarentur servi Dei, si tamen hoc fuerunt, qui marito absente atque nesciente, ab ignota muliere & ab aliena uxore tanta sumserunt; & laudaretur Deus in operibus vestris, quorum esset tam fida societas, ut a vobis communiter teneretur, non solum summa castitas, verum etiam gloriosa paupertas.

Num. 7. Neque hoc ita dicimus, ut si quisquam scandalizatus fuerit de bonis operibus nostris, ab eis desistendum putemus; sed alia caussa est alienarum, alia necessariarum in societate aliqua personarum; alia fidelis, alia infidelis;

Digitized by Google

alia parentum erga filios, alia filiorum erga parentes: alia postremo ea, quæ in his rebus vel maxime intuenda est viri & uxoris, ubi mulierem coniugatam non licet dicere, Facio quod volo de meo; cum & ipsa non sit sua, sed capitis sui, hoc est viri sui. Nam sic quædam, ut commemorat Apostolus Petrus; *Mulieres sanctæ quæ in Deum sperabant, ornabant se, subiectæ suis viris, sicut Sara obsequebatur Abrahæ, dominum eum vocans, cuius*, inquit, *factæ estis filiæ*, eum ad Christianas non ad Iudæas feminas loqueretur. (1. Petr. III. 5. & 6.)

Num. 8... Quamvis enim ad meliora excitandi & erudiendi sint filii Sanctorum, *unusquisque tamen proprium donum habet a Deo: alius sic, alius autem sic* .... Pariter ergo consilium de omnibus haberetis, pariter moderaremini quid thesaurizandum esset in cælo, quid ad vitæ huius sufficientiam vobis & vestris vestroque filio relinquendum, ne aliis esset refectio, vobis autem angustia: et in his disponendis atque faciendis, si quid tibi forte melius videretur, suggereres viro reverenter, eiusdemque auctoritatem tamquam tui capitis sequereris obedienter; ut omnes qui sanum sapiunt, ad quos posset hoc bonum vestrum fama perferre, de domus vestræ fructu in pace gauderent, & adversarius revereretur nihil habens de vobis dicere pravi. (1. Cor. VII. 7.)

Num. 9 Porro si de faciendis eleemosynis & in pauperes impendendis rebus tuis, de quo bono opere & magno tam evidentia præcepta sunt Domini, cum viro tuo fideli & tecum sancta continentiæ pacta servante consilium communicare deberes, eiusdemque non spernere voluntatem; quanto magis de habitu atque vestitu nihil tibi præter eius arbitrium mutandum vel usurpandum fuit, unde nihil divinitus legimus imperatum? Scriptum est quidem, mulieres esse debere in habitu ornato, aurique circumpositio, & intortio crinium, & cetera huiusmodi, quæ ad inanem pompam vel ad illecebram formæ adhiberi solent, merito reprehensa sunt. Sed est quidem pro modulo personæ habitus matronalis a viduali veste distinctus, qui potest fidelibus coniugatis salva religionis observantia convenire. Hunc te maritus si deponere noluit, ne te velut viduam illo vivente iactares, puto quia non fuerat in hac re usque ad dissensionis scandalum perducendus, magis inobedientiæ malo, quam ullius abstinentiæ bono. Quid enim est absurdius, quam mulierem de humili veste viro superbire, cui te potius expediret obtemperare candidis moribus, quam nigellis vestibus repugnare? Quia etsi te indumentum monachæ delectabat, etiam hoc gratius posset marito observato exoratoque sumi, quam illo inconsulto contemtoque præsumi. Quod si omnino non sineret, quid tuo proposito deperiret? Absit ut hinc displiceres Deo, quod coniuge tuo nondum defuncto, non indueteris sicut Anna, sed sicut Susanna. (1. Tim. II. 9.)

Num. 10. Neque enim & ille, qui tecum iam cœperat tam magnum continentiæ bonum, etiamsi coniugale non viduale voluisset ut acciperes indumentum, ad indecentem quoque te compulisset ornatum: quo & si aliqua dura conditione cogereris, posses habere in superbo cultu cor humile. Nempe apud Patres, Esther illa Regina Deum timens, Deum colens, Deo subdita, marito Regi alienigenæ non eumdem secum colenti Deum, tamen subiecta serviebat; quæ eum in extremo periculo, non suo tantum, sed etiam gentis suæ, qui tunc erat populus Dei, Domino prosterneretur orando, in ipsa oratione sua dixit, ita sibi esse ornatum regium, sicut pannum menstrualem; & ita orantem confestim exaudivit, qui cordis inspector eam verum dicere scivit. Et utique maritum habebat multarum mulierum virum, & Deorum alienorum falsorumque cultorem. Tu autem si & ille in proposito, quod tecum susceperat, perduraret, nec a te offensus in flagitium corruisset, maritum habebas non solum fidelem, & verum Deum tecum colentem, sed etiam continentem; qui proculdubio propositi vestri non immemor, & si ad coniugalia te cogeret indumenta, ad superba tamen ornamenta non cogeret. (Esther XIV. 16.)

Num. 11... Indue itaque humilitatem mentis, & ut te Deus conservet perseverantem, noli maritum contemnere pereuntem. Funde pro illo pias & assiduas orationes, sacrifica lacrymas tamquam vulnerati sanguinem cordis. Et scribe ad eum satisfactionem, petens veniam, quia in eum peccasti, quod præter eius consilium & voluntatem de rebus tuis fecisti, quod faciendum puta-

Digitized by Google

PARS III. SECT. I. CAP. VIII. §. 6.

sti, non ut te pœniteat tribuisse pauperibus, sed eum tui boni operis participem & moderatorem habere noluisse. Promitte de cetero in adiutorio Domini, si & illum suæ turpitudinis pœnituerit, & continentiam quam deseruit repetiverit, te illi, sicut decet, in omnibus serviturum, *ut forte*, ut ait Apostolus, *det illi Deus pœnitentiam, & resipiscat de diaboli laqueis, a quo captivus tenetur secundum ipsius voluntatem*.

2. Tim. II. 26.

Confess. lib. 9. cap. 9. num. 19. Educata itaque pudice ac sobrie (Monica,) potiusque a te subdita parentibus, quam a parentibus tibi, ubi plenis annis nubilis facta est, tradita viro servivit veluti Domino, & sategit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus eam pulcram faciebas, & reverenter amabilem atque mirabilem viro. Ita autem toleravit cubilis iniurias, ut nullam de hac re cum marito haberet umquam simultatem. Exspectabat enim misericordiam tuam super eum, ut in te credens castificaretur. Erat vero ille præterea sicut benevolentia præcipuus, ita ira fervidus. Sed noverat hæc non resistere irato viro, non tantum facto, sed ne verbo quidem. Iam vero refracto & quieto, cum opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si forte ille inconsideratius commotus fuerat. Denique cum matronæ multæ quarum viri mansuetiores erant, plagarum vestigia, etiam dehonestata facie gererent, inter amica colloquia illæ arguebant maritorum vitam, hæc earum linguam, veluti per iocum graviter admonens, ex quo illas tabulas quæ Matrimoniales vocantur, recitari audissent, tamquam instrumenta, quibus ancillæ factæ essent, deputare debuisse; proinde memores conditionis, superbire adversus dominos non oportere. Cumque mirarentur illæ, scientes quam ferocem coniugem substineret, numquam fuisse auditum, aut aliquo indicio claruisse, quod Patricius ceciderit uxorem, aut quod a se invicem vel unum diem domestica lite dissenserint, & caussam familiariter quærerent, docebat illa institutum suum, quod supra memoravi. Quæ observabant, expertæ gratulabantur; quæ non observabant, subiectæ vexabantur.

S. Basil. *Homil.* 7. *in Hexamtron, Edit. Paris. in fol. ann.* 1638. *pag.* 81... Vos o viri coniuges vestras diligite, & si locis longinquis semoti in coniugii societatem convenistis, naturæ vinculum legibus, ac benedictione obstrictum unio ac iugum distantium esto... Sive asper est cuiuspiam coniux, sive ferus moribus, perferat illum uxor necesse est: nec ullam prorsus ob caussam societatem vinculumque dissolvere patiatur. Feritne, verberat, estque percussor? At vir tamen est tuus. Tumulentusne? At tibi est natura coniunctus. Durusne, morosus, & implacidus? At membrum iam tuum est, & membrorum præstabilissimum.

S. Thom. 1. *part. quæst.* 92. *artic.* 1. *ad secundum*. Dicendum quod duplex est subiectio: una servilis, secundum quam præsidens utitur subiecto ad sui ipsius utilitatem: Et talis subiectio introducta est post peccatum. Est autem alia subiectio œconomica, vel civilis; secundum quam præsidens utitur subiectis ad eorum utilitatem & bonum: Et ista subiectio fuisset etiam ante peccatum: Defuisset enim bonum ordinis in humana multitudine, si quidam per alios sapientiores gubernati non fuissent: Et sic, ex tali subiectione naturaliter femina subiecta est viro; quia naturaliter in homine magis abundat discretio rationis: nec inæqualitas hominum excluditur per innocentiæ statum.

2. 2. *Quæst.* 32. *art.* 8. *in Conclus.* Respondeo dicendum quod ille qui est sub potestate alterius constitutus, in quantum huiusmodi, secundum superioris potestatem regulari debet: Hic est enim ordo naturalis, ut inferiora secundum superiora regulentur: Et ideo oportet quod ea in quibus inferior superiori subiicitur, dispenset non aliter quam ei sit a superiore permissum. Sic ergo, ille qui est sub potestate constitutus, de re secundum quam superiori subiicitur, eleemosynam facere non debet, nisi quatenus ei a superiori fuerit commissum. Si quis vero habeat aliquid secundum quod potestati superioris non subsit, iam secundum hoc non est potestati subiectus, quantum ad hoc proprii iuris exsistens: & de hoc potest eleemosynam facere.

Ad secundum, dicendum quod uxor si habet alias res præter dotem, quæ ordinantur ad sustentanda onera Matrimonii, vel ex proprio lucro, vel quocumque alio licito modo, potest dare

Digitized by Google

Ex his Apostolorum verbis constat fugiendam esse mulieribus in exteriori cultu vanitatem, magnificentiam sumptuosam, abstinendum a fuco & variis pigmentis quæ solent ad lasciviam adhiberi. (G)

eleemosynas etiam irrequisito assensu viri, moderatas tamen, ne ex earum superfluitate vir depauperetur: alias autem non debet dare eleemosynas sine consensu viri, vel expresso vel præsumpto; nisi in articulo necessitatis, sicut de Monacho dictum est: Quamvis enim mulier sit æqualis viro in actu Matrimonii, tamen in his quæ ad dispositionem domus pertinent, *vir caput est mulieris*, secundum Apostolum 1. ad Cor. 11. 3.

(G) 1. Timoth. II. 9. Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa: sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.

1. Petr. III. 2. *Vide supra hocce §. litt.* (C)

S. Clemens Alexandr. *Lib.* 2. *Pædagog. cap.* 10. Ergo nec sumptuosa vestis est assumenda, sicut nec cibus varius.... *Quærite*, enim inquit, *regnum Dei*, *& quæ ad alimentum pertinent adiicientur vobis*. (Matth. VI. 33.) Si ergo de veste & deliciis rebusque supervacaneis tamquam non necessariam omnino curam tollit, quid censendum est eum dicere de nimio ornatus studio, de tinctura lanarum, varietate colorum, superflua cura gemmarum, auri elaboratione, capillis artificiosis & intortis crinibus? Quid de fucata oculorum pictura, quid de vulsionibus, purpurissi ac cerussæ fucationibus, tinctisque pilorum coloribus, improbisque huiusmodi artificiorum fraudibus?... Laudo ergo & admiror veterem Lacedæmoniorum civitatem, quæ solis meretricibus floridas vestes & aurum mundum gestare permisit: a probis mulieribus mundi studium auferens, quod solis meretricibus se ornare concederet .... Ii ergo qui pulcri simulacrum, nimium scilicet ornatus studium, non autem ipsum pulcrum & honestum attendunt; specioso nomine simulacrorum cultum rursus inducentes, a veritate longe sunt relegandi, cum opinione non scientia, pulcri naturam somnient: & est vita, quæ ab eis hic agitur, profundus somnus ignorantiæ. An non oportet nos excitatos, ad id quod vere pulcrum est & ornatum contendere? & id solum adsequi desiderare, relinquentes quæ hic sunt mundana, ipso mundo, hoc est vero ornatu gaudentes, priusquam perfecte obdormiamus? Dico ergo hominem non alia de caussa opus habere vestimentis, quam ut tegatur corpus, ad maxima frigora & vehementes æstus propulsandos, ne nos lædat ambientis aeris immoderatio. Quod si hic est vestis scopus, vide ne non alia quidem viris, alia vero feminis vestis tribuenda sit: tegi enim utrisque commune est, quemadmodum comedere & bibere. Cum usus itaque sit communis, constructionem similem comprobamus. Quemadmodum enim utrisque commune est ut egeant iis quæ tegunt, ita a quibus tegendi sunt esse oportet similia, etsi oporteat huiusmodi tegumentum assumere, quo sunt feminarum celandi oculi. Etsi enim femina propter imbecillitatem longe plura concupiscat, id malæ educationis consuetudini tribuendum est, per quam sæpenumero viri in malis vitæ institutis educati, evaserunt mulieribus magis effeminati: non est igitur eis hac in re cedendum. Quod si se eis aliquantulum accommodare oporteat, vestibus quidem paullo mollioribus eis uti concedendum est, dummodo nimis subtiliter per summam stultitiam laborata opera, curiosæque in texturis plicaturæ, longissime amandentur: auri fila, & indicas seres & operosos bombyces valere iubentibus..... Superflua enim hæc & perspicua, mentem minime constantem arguunt, quæ exigui ex passione veli, tamquam quodam lenocinio, probrum corporis illiciunt. Non est enim amplius tegumentum mollis ac delicata vestis, quæ nudam figuram non potest occulere: eiusmodi enim vestis in corpus incidens, mollius ipsi corpori imprimitur, & applicatur, figuræ carnis instar adhærens: & mulieris typum ita exprimit, ut vel non videnti manifesta

PARS III. SECT. I CAP. VIII §. 6.

sit tota constitutio corporis. Reiiciendæ quoque sunt vestimenti tincturæ: ipsæ enim & ab usu & a varietate longe remotæ sunt, præterquam quod ex eis morum oritur reprehensio: neque enim est earum usus utilis: nam nec ad frigus propulsandum est paratus, neque ad tegumentum habet aliquid amplius quam alia vestis, nisi solum vituperium. Coloris autem delectans suavitas male habet avidos, eos ad stultam impellens lippitudinem: atque eos quidem qui sunt candidi, & non intus adulterini, candidis & minime curiosis ac operosis vestibus uti convenientissimum..... Aperte itaque suadet pædagogus, *In amictu vestis ne glorieris, neque in omni gloria quæ est præter leges efferaris.* Eos certe irridens qui mollibus vestibus induti sunt, dicit in Evangelio, *Ecce qui in vestitu glorioso & deliciis degunt, sunt in terrenis regiis.* Regias dicit terrenas, mortales ac corruptibiles, ubi est vana honesti opinio, inanis gloriæ ambitio, error & adulatio. Qui aulam autem cælestem observant quæ est circa omnium regem, incorruptibilem animæ vestem, nempe carnem sanctificant, per eam induunt incorruptionem. Quemadmodum ergo quæ non nubit, soli Deo dat operam, & eius cura non dividitur: pudica autem quæ nupsit, vitam cum Deo & cum marito dividit: quæ autem aliter fertur, tota coniugii, hoc est, vitii efficitur: eodem modo pudica mulier, ut ego quidem sentio, quæ marito dat operam, pia est, & relligiosa citra ullam fictionem: quæ autem immoderato ornatus studio tenetur, & a Deo & a pudico coniugio excidit, ut quæ maritum ornamento permutet.... Est autem maxime ineptum & indecorum pepla, xystides, ephaptides, leuasque ac tunicas stupere & admirari, & quæ, ut ait Homerus, velant circumquaque pudorem. Pudet me, ut vere dicam, cum videam tantum opum effundi ad tegenda pudenda. Vetus enim homo qui erat in paradiso, ramis & foliis tegumentum dimetiebatur pudoris: nunc autem cum nobis oves factæ sint, ac similiter ac oves simus insipientes. A ratione autem seu Verbo instituti, sumptuosas vestes redarguamus, dicentes. Estis pilt ovium.

Eccli. xi. 4. — Matth. xi 8. — 1. Cor. vii. 34 — Gen. iii. 7.

S. IOAN. CHRYSOST. *Homil.* 10. *in Epist. ad Colossens. num.* 5. Si Christo induaris, ipsi te formidabunt Dæmones. Sin autem auro, etiam homines irridebunt. Si Christo induaris, etiam te reverebuntur homines. Vis videri pulcra, & decora? Tibi sufficiat formatio Creatoris. Quid aurea inducis ornamenta, tamquam id quod Deus effinxit correctura? Vis videri decora? Induere eleemosyna, induere benignitate, induere modestia, & temperantia, & a te absit fastus. Hæc omnia sunt auro pretiosiora. Hæc etiam speciosam reddunt magis decoram. Hæc etiam non formosam efficiunt formosam.... Quando te impense ornaris, o mulier, tunc nuda facta es turpior: exuisti enim modestiam.

Lib. de Virg. cap. 7. Vilis est amictus: at non in vestibus aut colore, sed in animo atque corpore virginitas est. Nam cum nec Philosophum coma, aut baculo, aut abolla; sed moribus & animo metiamur; nec militem paludamento, aut balteo; sed robore & magnanimitate: an non absurdum sit, virgini, rei tam præclaræ, & quæ humana omnia superet, capilli squallorem, vultus demissionem, ac pullam vestem. temere sane ac supine, virtuti ducere, nec eius animo denudato, inde studia eius accurate explorare? At non id permittit, qui luctæ huius leges sanxit: neq[illegible] enim eos qui in hoc certamen se c[illegible]iunt, vestitu, sed dogmatibus & a[illegible] spectari iubet. *Qui enim certat*, in[illegible], *ab omnibus se continet*, scilicet [illegible] animi sanitatem infestent. Et, *N*[illegible]*natur, nisi legitime certaver*[illegible] sunt igitur luctæ huius leg[illegible]amdem dicentem, vel potiu[illegible]rum certaminis auctorem, *Ho*[illegible]*le est matrimonium, & torus immaculatus.*

1. Cor. ix. 25. — 2. Tim. ii. 5. — Hebr xiii. 4.

Epist. 2. *ad Olymp. n.* 6. . . . Pauca nimirum de vestitu tuo atque indumentis, quibus corpus tuum neglectim amictum est, verba faciens. Quamquam enim hæc virtus aliis cedere videtur, tamen si quis eam accurate perpenderit, admodum ingentem eam esse reperiet, atque eiusmodi, quæ sapiente animo, ac humana superante & ad ipsum usque cælum volitante opus habeat. Ac propterea non in novo dumtaxat, sed etiam in veteri Testamento, cum per umbram ac figuram Deus hominum genus, atque ea, quæ ad vivendi rationem pertinebant, crassius quodammodo moderabatur, nec dum de cælestibus rebus verbum, nec de futuris ulla mentio

Digitized by Google

Pars. III. Sect. I. Cap. VIII. §. 6.

erat, nec philosophiæ huius quæ nunc viget, ulla vel obscura significatio, verum pinguiore quodam & crassiore modo leges Hebræis scribebantur, elegantioris vestitus studium vehementissime interdicens, per Prophetam sic ait: *Hæc dicit Dominus advertus dominatrices filias Sion: Pro eo quod elevatæ sunt filiæ eorum, & ambulaverunt extento collo; & nutibus oculorum, & progressu pedum tunicas trahebant, & pedibus suis simul ludebant, & humiliabit Dominus dominatrices filias Sion, & denudabit habitum earum, & auferet gloriam vestimenti earum. Et erit tibi pro suavi odore pulvis, & pro zona funiculo cingeris, & pro ornamento capitis tui calvitium habebit propter opera tua; & pro tunica clavata purpura sacco cingeris.* Hæc tibi ornamenti loco erunt. Vides iracundiam, omnem sermonis vim superantem? Vides acerbissimum supplicium & cruciatum? Vides acerrimam captivitatem? Hinc peccati magnitudinem coniicias licet. Neque enim benignus Deus tam gravem & acerbam pœnam umquam inflixisset, nisi peccatum, quod eam accerseret, longe gravius esset. Quod si magnum hoc scelus est, virtus ea, quæ ipsi opponitur haud dubie maxima. Ac proinde Paullus quoque, cum ad mulieres eas quæ mundanam vitam complexæ sunt, orationem haberet, non modo ab auro gestando eas abducit, sed ne sumtuosis quidem vestibus utendi potestatem ipsis facit. Norat enim, perspicue, inquam, norat, gravem hunc, ac profligatu perdifficilem animi morbum esse, corruptæque mentis apertissimum indicem, quique sapienti animo opus haberet.

Isai. III. 15. & seq.

1. Tim. II. 9.

In Epist. 1. Paul. ad Timoth. Homil. 8. *num.* 1. *Cum verecundia*, inquit, *& pudicitia, in habitu ornato; non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis; sed quod mulieres decet pollicentes pietatem per bona opera*. Habitum quem dicit? idest tunicam, undique honeste tegentem. Ornatum, sed non exquisitum: illud enim ornatus vere est; istud ornamento caret. Quid dicis? Deum precatura accedis, & ornamenta aurea circumfers? Num ad choreas agendas venisti? Num ad nuptias celebrandas, num ad pompam? Illic aurea, illic torti crines, illic magnifica vestimenta adhiberi solent. Nunc autem iis nihil opus est... *Cum verecundia*, inquit, *& pudicitia*.

1. Tim. II. 9.

N. 2. Ne itaque meretrices imiteris. Hoc namque ornamento illæ multos amatores inescant: atque hinc sæpe multæ in malam suspicionem venerunt, nihil ex ornatu lucratæ sunt, ac plurimis ex ea opinione nocuerunt.... Ideo Paullus plurima dixit de vestitu, de pudore Si vero quæ opum tantum indicia sunt substulit, aurum, margaritas, magnifica vestimenta, quanto magis ea quæ arte curiose parantur, ut fucos, picturas oculorum, delicatum incessum, confictam vocem, aspectum lubricum, omni impudicitia plenum, curiosam amiculi formam & tunicæ, zonam arte cingentem, calceos studio compositos? Hæc quippe omnia subindicavit cum dixit, *in habitu ornato, & cum verecundia*. Illa enim inverecundiæ & dedecoris plena sunt. Me, quæso, feratis, si nudis verbis reprehensionem inferam, non ut feriam, neque ut mœrore afficiam, sed ut aliena a grege abscindam. Si connubio iunctis, si deliciantibus, si divitibus hæc prohibet, multo magis iis, quæ virginitatem amplexæ sunt Et quæ virgo, inquies, auro circumornatur, quænam tortis crinibus est? Tanta potest esse simplicis habitus curiositas, ut cultum illum longe superet. Potest enim fieri ut simplici vestitu maior sit cultus, quam sit ille auro circumfulgens, quando admodum cærulea vestis fuerit, & cum accuratione multa ad pectus zona constricta fuerit, ut est illa saltantium in scena; ita ut neque multum inflata ad latus excedat, neque in tenuitatem contrahatur, sed medium teneat, multasque habeat in sinu rigas; quot sericis vestibus hæc non aptior fuerit ad inescandum? Quid vero si calceus in nigro colore multum fulgeat, in acumen desinens, & picturarum decorem imitetur, ita ut neque extremum multum ascendat? Quid vero si faciem quidem non fuco oblinas, sed accuratissime abluas, & a fronte velamen obtendas facie longe candidius, deindeque superne palliolum imponas, ut candor cum nigro colore gratior videatur? Quid autem dixeris de oculorum innumeris circum aspectibus? de cingulo, quod nunc quidem occultatur, nunc denudatur quo loco pectorale cingitur? Nam hoc sæpe denudant, ut cinguli concinnitas appareat, palliolo toto circa caput reiecto. Manus autem tragœdorum more manicis concinne tegunt, ut videantur innatæ. Quid

Digitized by Google

de gressu dixerimus, & de aliis concinnis gestibus, qui plus quam totum aurum possunt spectatores allicere? Timeamus, dilecti, ne audiamus & nos ea quæ Propheta Hebræorum uxoribus dicebat, quæ huiusmodi exteriori cultui studebant: *Pro zona funiculo cingeris; & pro ornamento capitis tui calvitiem habebis.* (Isai. III. 24.) Hæc itaque magis adtrahunt, quam aurea ornamenta, & alia multa ad hoc excogitata, ut per aspectum spectatores capiant. Non parvum est illud peccatum, immo maximum, quod possit Deum ad iracundiam provocare, & totum virginitatis laborem pessumdare.

N. 3. Christum habes sponsum cur amatores homines adtrahis? Te ille tunc adulterii damnabit. Cur non ornaris ornatu qui ipsi placeat, pudore, castitate, honestate, modesto vestitu? Hic quippe meretricius & turpis est. Iam meretrices a virginibus non discernimus. Vide in quantam turpitudinem se illæ coniecerint. Ornatu vacuam oportet esse virginem, simpliciter & utcumque vestitam. Illa vero innumera excogitat ad exteriorem cultum. Finem facito insaniendi, o mulier, transfer curam illam ad animam & ad interiorem ornatum. Ille namque ornatus exterior non sinit interiorem esse pulcrum. Qui hunc ornatum curat, interiorem negligit; sicut qui exteriorem despicit, totam curam ad interiorem transfert. Ne dixeris: Væ mihi, detritam vestem fero, viles calceos, velamen nullius pretii. Qualis hic ornatus est? ne teipsam decipias. Licet, ut dixi, per hæc melius ornari, quam per illa, magis per detritas vestes, quam per illas accurate concinnatas, & ad corpus ornandum paratas, impudentiam præ se ferentes & splendidas. Mihi hæc loqueris; quid tunc dices Deo, qui animum tuum novit & cur hoc facias? at non id facis ut fornniceris? Sed quare? an ut admirationi habearis? Nec te pudet, nec erubescis quod his velis admirationem movere?

In Epist. Paull. ad Timoth. 1. *cap.* 1. *Hom.* 4. *num.* 3. . . . . Quomodo ergo quis glorificat in corpore? quomodo in anima? In corpore glorificat, qui non fornicatur, qui non ebriatur, qui ventri non indulget, qui non studet ornatui, qui id tantum curat, quantum ad valetudinem dumtaxat satis sit, qui non mœchatur; quæ non unguentis perfunditur, quæ non coloribus vultum depingit, quæ Dei formatione contenta est & nihil adiicit. Cur ergo, quæso te, adiicis rei a Deo perfecte creatæ? Non tibi sufficit illa formatio? ut melior igitur opifex opus decorare tentas? Non est hoc certe; sed ideo ornaris, & conditorem contumelia afficis, ut innumeros amatores adtrahas. Et quid faciam? inquies, neque enim ego volo, sed propter virum id facere compellor. Adamari non solet quæ non vult. Te formosam Deus fecit, ut etiam in hoc admirationi haberetur, non ut contumelia afficeretur. Ne ipsi huiusmodi dona retribuas; sed continentiam & honestatem. Formosam te Deus fecit, ut te honestatis præmiis augeret. Non par res est amabilem castitatem servare, & eam quæ a nullo appeti possit idipsum facere. Audis quid dicit Scriptura de Iosepho? *Erat*, inquit, *speciosus & decorus aspectu* (Gen. XXXIX. 6.) Quid nos iuvat audire Iosephum fuisse pulcrum? ut eius pulcritudinem magis admiremur, & honestatem. Te formosam Deus fecit, cur te deformem facis? Sicut enim si quis aureæ statuæ lutum illiniat; ita sunt illæ quæ fucum adhibent; terram tibi infers partim rubicundam, partim candidam. Verum quæ deformes sunt, inquies, id iure faciunt. Qua de caussa dic mihi? ut deformitatem obtegant? sed id frustra faciunt. Quandonam, quæso, id quod naturale est ab eo quod studio & arte conficitur, superatur? Cur ergo deformitas mœrori est si probro careat? Audi enim sapientem quemdam dicentem: *Ne vituperes virum in aspectu suo, neque laudaveris virum in specie sua.* (Eccli. 11. 2.) Deum igitur magis admirare artificem optimum, non autem illum; non enim illius est opus. Quod enim, quæso, lucrum ex forma? nullum; sed plures contentiones, maiores molestiæ, pericola, suspiciones. Eam enim quæ non tali decore fulget, nemo suspectam habebit. Illa vero formosa nisi magna honestate & temperantia utatur, statim in malam famam incidet. Vir autem eius in suspicione deget cum illa, qua re quid molestius dici possit? Nec tantam ex forma & specie eius percipiet voluptatem, quantum ex Zelotypia mœrorem. Forma enim eius ex consuetudine marcescit, dum eius animus lasciviæ, dissolutionis, libidinis notam accipit, atque illiberalis & admodum arrogans evadit.

Theodor. *lib. de Relig. Hist. cap.* 9. *de vita S. Petri circa medium. Cum ad B. Petrum inaures & monilia gerens, ac vestem auro & filis sericis intertextam induta ipsa B. Theodoreti mater advenisset*: Divinum, *inquit*, caput hæc intuens, nimiæ elegantiæ primum ægritudinem sanavit, in hunc illam modum alloquens: Dic mihi, inquit, filia, (ipsa enim eius verba proferam, & sanctæ illius linguæ adlocutionem non immutabo,) si quis pictor artis suæ peritissimus, imaginem aliquam ex artis legibus accurate depingat, & hanc videre volentibus spectandam proponat, veniatque alius quispiam in arte rudis, ad libidinem ea fingens quæ pingere voluerit: deinde artificiosam illam picturam reprehendens, superciliis & ciliis lineas addat longiores, & candidiorem vultum reddat, & rubrum genis colorem inducat, an priorem pictorem putas non succensurum, tamquam arti suæ gravi facta iniuria, & additamentis quibus opus non erat ab indocta manu impositis? Ergo, inquit, conditorem quoque omnium, naturæque nostræ figulum & pictorem, merito indignari credite, quod immensam illam sapientiam imperitiæ arguitis. Neque enim rubeum, & album, & nigrum colorem infunderetis, nisi hoc additamento egere vos putaretis. Egere autem his corpus dum creditis imbecillitatis damnatis auctorem. Atqui sciendum est voluntati parem illum habere potestatem: *omnia*,
Ps. cxiii. 3. enim inquit David, *quæcumque voluit fecit*. Sed omnium utilitati consulens, ea non dat quæ damnum adferunt. Quare imaginem Dei ne corrumpatis, neque adiicere conemini quæ sapienter non dedit, neque adulterinam excogitetis pulcritudinem, quæ & pudicas labefacit, videntibus tendens insidias.

S. August. *Epist.* 245. *alias* 73. *ad Possidium num.* 1. Magis quid agas cum eis qui obtemperare nolunt, cogitandum est, quam quemadmodum eis ostendas non licere quod faciunt. Sed nunc Epistola sanctitatis tuæ, & occupatissimum me reperit, & celerrimus baiuli reditus neque non rescribere tibi, neque ad ea quæ consuluisti, ita ut oportet, respondere permisit. Nolo tamen de ornamentis auri vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos, qui neque coniugati, neque coniugari
1. Cor. vii. 32. cupientes, cogitare debent, quomodo placeant Deo. Illi autem cogitant quæ sunt mundi, quomodo placeant vel viri uxoribus, vel mulieres maritis. Nisi quod capillos nudare feminas, quas etiam caput velare Apostolus iubet, nec maritatas decet. Fucari autem pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est, qua non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittendæ sunt feminæ ornari, secundum veniam, non secundum imperium. Nam verus ornatus maxime Christianorum & Christianarum, non tantum nullus fucus mendax, verum ne auri quidem vestisque pompa, sed mores boni sunt.

Num 2. Execranda autem superstitio ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum in summis ex una parte auriculis suspensæ deputantur, non ad placendum hominibus, sed ad serviendum dæmonibus adhibetur. Quis autem possit speciales nefariarum superstitionum prohibitiones in Scripturis invenire, cum generaliter Apostolus dicat *Nolo vos socios* 1. Cor. x. 20.
fieri dæmoniorum? & iterum, *Quæ enim* 1. Cor. vi. 15.
consonantia Christi ad Belial? nisi forte quia Belial nominavit, & generalem societatem dæmoniorum prohibuit, licet Christianis sacrificare Neptuno, quia nihil proprie de Neptuno vetitum legimus. Moneantur interim miseri, ut si obtemperare nolunt præceptis salubrioribus, saltem sacrilegia sua non defendant, ne maiori se scelere implicent. Quid autem cum eis agendum sit, si solvere inaures timent, & corpus Christi cum signo diaboli accipere non timent?

Et Epist. 262 *alias* 199. *ad Ecdiciam*, *n.* 4. 9. & 10. *vide supra hocce* §. *litt.* (F)

De bono viduitat. c. 19. *n.* 24.... Certe si mariti essent quibus placendum esset, iam te fortasse cum filia puderet ornari: nunc non pudeat agere quibus simul ornemini; quia non est criminosum, sed potius gloriosum, ut ab illo uno simul amemini. Simulatum autem candorem ac ruborem & pigmentis illitum non adhiberetis, etiamsi viros haberetis; non putantes dignos quos falleretis, nec vos quæ fallere deberetis: nunc ergo illi Regi, qui unicæ sponsæ, cuius membra estis, speciem concupivit, veraciter simul placere, simul inhærete; illa integritate virginali, tu continentia viduali, ambæ pulcritudine spiritali.

S. Thom. 2. 2. *Quæst.* 169. *art.* 2. *in*

Digitized by Google

I. Si Maritus velit uxorem omnino uti vestibus auro textis, & exteriorem in habitu magnificentiam præ se ferre, debetne uxor in eo obsequi viro?

R. Debet: ea tamen lege,

1. Ut ne quid sit in illo ornatu quod Christianæ verecundiæ & modestiæ adversetur.

2. Ut ne sint vestes pretiosiores quam fert conditio.

3. Ut exemplo Esther Reginæ, in assumendis eiusmodi vestibus soli necessitati serviant, abominenturque signum illud superbiæ & gloriæ, qua invitæ circumdantur, nec nisi vestibus simplicioribus delectentur (H).

4. Ut si vir absit, vel uxorem permittat proprio arbitrio vestiri, tunc abiiciatur ille ornatus sumptuosior, & assumantur vestes quæ Christianam modestiam & sobrietatem magis sapiant (I).

---

conclut. Quamquam ornatus mulierum ad placendum viris suis peccatum non sit, ad concupiscentiam tamen, & vanitatem relatus, culpa non vacat.

Respondeo dicendum quod ... muliebris cultus viros ad lasciviam provocat; secundum illud Proverbiorum 7. 10. *Ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio, preparata ad decipiendas animas.* Potest tamen licite operam dare ad hoc quod viro suo placeat, ne per eius contemptum in adulterium labatur. Unde dicitur 1. Cor. 7. 34. quod mulier *quæ nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Et ideo si mulier coniugata ad hoc se ornet ut viro suo placeat, potest hoc facere absque peccato. Illæ autem mulieres quæ viros non habent nec volunt habere, vel sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus ad concupiscendum; quia hoc est dare eis incentivum peccandi. Et, si quidem hac intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant. Si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter iactantiam quamdam; non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale. Et eadem ratio, quantum ad hoc, est de viris. Unde Augustinus dicit in Epist. ad Possidium; *Nolo ut de ornamentis auri vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos qui neque coniugati, neque coniugari cupientes, cogitare debeant quomodo placeant Deo. Illi autem cogitant quæ sunt mundi, quomodo placeant, vel viri uxoribus, vel mulieres maritis, nisi quod capillos nudare feminas, quas etiam caput velare Apostolus iubet, nec maritatas decet.* In quo tamen casu possent aliquæ a peccato excusari, quando hoc fieret non ex aliqua vanitate, sed propter contrariam consuetudinem: quamvis talis consuetudo non sit laudabilis.

Ad primum .... sobrius & moderatus ornatus non prohibetur mulieribus, sed superfluus & inverecundus & impudicus.

Ad secundum dicendum, quod mulierum fucatio .... est quædam species fictionis, quæ non potest esse sine peccato. Unde Aug. in Epist. ad Possidium: *Fucari pigmentis, quo vel rubicandior, vel candidior appareat; adulterina fallacia est: qua non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi: quibus solis, scilicet maritis, permittenda sunt feminæ ornari, secundum veniam, non secundum imperium.* Non semper tamen talis fucatio est cum peccato mortali, sed solum quando fit propter lasciviam, vel in Dei contemptum.

(H) ESTHER XIV 16. Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentii mei.

(I) S. AUGUST. *Epist.* 262. *alias* 199. *ad Ecdiciam num.* 9. *&* 10. *Vide supra hocce §. litt.* (F) *Et Epist.* 245. *alias* 73. *ad Possid. num.* 1. *Vide ibid. litt.* (G) *uti &* S. IOAN CHRYSOST. *Homil.* 10. *in Epist. ad Coloss.*

Et Homil. 1. *num.* 5. *in illud, ne timueris, cum dives &c. Psalm.* 48. *ver.* 17....

I. Qua ratione coniugati ferre debent occurrentes subinde molestias & tribulationes?

R. 1. Hoc sibi debent in animum inducere nullum esse coniugium quod eiusmodi molestiis & tribulationibus careat. *Tribulationem carnis habebunt eiusmodi*, inquit Apostolus de coniugatis loquens.

2. Illæ cum occurrunt patienter sustinendæ in peccatorum expiationem, offerendumque ex iis supremo Numini sacrificium.

3. Debent coniuges iuvare se mutuo ad illas molestias patienter ferendas ut Christianos decet (K).

Quid facis? te comis & ornas, mulier? coi vis placere? viro ne tuo? Malum studium, si viro sic placitura es, si sic studes ipsi placere. Quomodo igitur placebo? continentia. Sed qua ratione placebo? modestia, philosophia, mansuetudine, caritate, concordia, consensu. Hæc ornamenta tua, mulier. Hæ virtutes tuæ concordiam pariunt: illi vero ornatus ut placeas non efficiunt, verum id præstant ut viro oneri sis. Cum enim illi dixeris: Rape & affer mihi: exiguo tempore places; sed postea inimicum illum habes. Ut autem discas te viro non placere: domi illa deponis, & in Ecclesia illis circumornaris. Si viro placeres, domi illa gestares. Verum, ut dixi, in Ecclesiam ingrederis auratis manibus & collo. Si venerit Paullus, terribilis simul ille & amabilis: terribilis peccatoribus, amabilis pie viventibus, clamabit & sic dicet: *Mulieres oportet ornare*
1. Tim. II. 9. *se, non auro & margaritis. & veste preciosa*. Deinde si ingrediatur Gentilis, videatque in superiore parte illas ista ferentes, in inferiore vero Paullum hæc loquentem, annon dicet: Hæc sunt scena & fabola? Certe non sunt scena res nostræ etiamsi hæc ita fiant. Verum Gentilis ille læditur & dicit: Ingressus sum in Ecclesiam Christianorum, & audivi Paullum dicentem: *Non in auro & margaritis*; illam vero mulierem opere contraria exhibentem.

Num. 6. Quid tibi utilitatis affert aurum, o mulier? Ut pulcra & speciosa appareas? Verum illud nihil tibi confert ad pulcritudinem animæ. Sis animo speciosa, & eris corpore amabilis. *Sapientia hominis vultum eius illu-*
Eccle. VIII. 1. *minabit*: atqui sapientia est animæ eius. Nihil ita amorem parit ut caritas. Si enim vir tuus te amat, etiamsi deformis sis, tamen amabilis ipsi videris. Si autem te oderit, etiamsi speciosa sis, ne quidem videre te volet. Odium quippe animi, formam vultus apparere non sinit. Cum enim ab eo ornatus & aurum petitura es, tum ipse te aversaturus est, perinde atque eum qui in foro aliquid ab eo exigat. Verum ab illo fugere potest, a te minime, quæ intus es semper, & petis officia rationi contraria. Hæc ne solum auribus excipias, o mulier, sed etiam animo commuteris. Verba mea remedia sunt, quæ ad tempus mordent, sed perpetuo iuvant, & voluptatem afferunt. Medicus sum, vulneraque fodico, ne præ vetustate deterius ulcus efficiant. Ego medicinam exerceo, sanitatem verbo tribuens. Alii vero præsentis vitæ fluxam, fallacem, & vilem conditionem ostendunt.

(K) 1. Cor. VII. 28.... Et si nupserit virgo, non peccavit, tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.

Auctor. *lib. de vera virginit. in Appen. Oper.* S. Basil. *vol.* 3. *n.* 22.... Earum perpetuas ærumnas miserabitur, quæ temporalibus his molestisque voluptatibus addictæ sunt.

Num. 23. Nempe enim eius quæ nupsit, multiplices (ut sic dixerim) mortes, quas illa in dies patitur, e regione considerans, sibi ipsi profecto propositoque suo gratulabitur. Nam quæ mortali connubio coniuncta est, ad suam ipsius curam viri quoque altera adiecta, geminam in una anima ex coniuncto sibi corpore sollicitudinem necessario sustinet. Nec iam unius tantum corporis laborat gratia: sed in una (ut dixi) anima, & ad suum, & ad viri corpus curandum iugiter intenta dividitur: ubi vero filios post cubiculi sollemnia, & secreta commercia, parturire atque in lucem edere cœperit;

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 6.

per unumquemque nascentem animo scinditur: & præsentibus tristibus nascituri cura semper adiicitur. Ac siquidem virum bonum blandumque nacta fuerit: perpetuo ne moriatur, metu viduitatis, incommoda cruciatusque iam sustinet: diram quamdam, & immitem curam, & præsente illo & absente, propter insperatos casus, animo indesinenter excipiens. Sin vero contra duro, & immiti fuerit coniuncta: tota quidem vita illi cruciatus est: & cum pudicitiæ ratione neutrum queat eligere: id est, nec viri mortem, propter viduitatis angustias: nec vitam ob molestiam incommodumque convictus: ancipiti atque inevitabili malo acerrimisque doloribus semper atteritur. Inde ubi filios edidit: aut ad bonam illi frugem evaserunt: & maiores ex illorum absentia dolores iugiter tolerat, quam parturiens tulerat; aut malos evasisse considerat, & maius ex ea procreatione liberorum, quam si permansisset sterilis, opprobrium sustinet. Sæpe ante quam prædicta experiatur incommoda, una & sponsa, & vidua efficitur, ac sine liberis in viduitatem delapsa, nec uxor iam, nec virgo, nec mater est. Sic profecto omnibus, quæ putantur læta coniugii, simul amissis, brevissimo voluptatis sensu, irrecuperabilem virginitatis perdidit florem, coniugiique tantum solummodo experta est, quantum illi satis esset ad dignoscenda viduitatis incommoda. Quod si relicta vidua pupillos enutriat filios: eius, quem ex viri morte perceperat, mœroris iuge illos monumentum cernit, & semper in lacrimis, semper in gemitu, semper in sollicitudine educandorum lugens, nullum præterito malo solatium invenit. Præterea & propinquis, & famulis, & filiorum curatoribus, ipsisque postremo etiam filiis, ubi virilitatis annos attigerint; cunctisque omnino se vexari volentibus ad prædam miserabiliter exposita, doloris, luctusque tragœdiam, vitam suam omnium ingeret oculis. Et quid plura persequi necesse est? Dominum sibi cum dote infelix mulier coemens virum, ancilla pro libera efficitur: brevissimæque voluptatis gratia naturali libertate se privans, ianuam sibi ineffabilem dolorum, perpetuique mœroris per huiusmodi connubium aperit. Manet enim immota maledictionis adversus illam prolata sententia, quæ per omnes nuptias veluti epithalamium ita canit: *In doloribus* Gen. III. 16.
paries filios: & ad virum conversio tua; & ipse dominabitur tui.

S. Aug. *de sanct. virginit. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 16. Addidit tamen, *tribulatio-* 1. Cor. VII. 28
nem autem carnis habebunt huiusmodi, ego autem vobis parco: hoc modo exhortans ad virginitatem continentiamque perpetuam, ut aliquantulum a nuptiis etiam deterreret, modeste sane, non tamquam a re mala & illicita, sed tamquam ab onerosa ac molesta. Aliud est enim admittere carnis turpitudinem, aliud habere carnis tribulationem: illud est criminis facere, hoc laboris est pati, quem plerumque homines etiam pro officiis honestissimis non recusant. Sed pro habendo coniugio iam hoc tempore, quo non per carnis propaginem venturo Christo ipsius prolis propagatione servitur, istam tribulationem carnis, quam nupturis prædicit Apostolus, suscipere tolerandam perstultum esset, nisi metueretur incontinentibus, ne tentante satana in peccata damnabilia laberentur. Quod autem se dicit eis parcere, quos ait tribulationem carnis habituros, nihil mihi interim sanius occurrit, quam eum noluisse aperire & explicare verbis eamdem ipsam carnis tribulationem, quam prænuntiavit eis qui eligunt nuptias, in suspicionibus zeli coniugalis, in procreandis filiis atque nutriendis, in timoribus & mœroribus orbitatis. Quotus enim quisque, cum se connubii vinculis alligaverit, non istis trahatur atque agitetur affectibus? Quos neque nos exaggerare debemus, ne ipsis non parcamus, quibus parcendum existimavit Apostolus.

Cap. 21. *num.* 21... Si autem loquenti Scripturæ de nuptiarum bono indubitanter crediderint, eadem cælestis eloquii veracissima auctoritate firmata ad melius suum ferventi ac fidenti alacritate transcurrent. Unde iam satis pro suscepto negotio diximus, & quantum potuimus demonstravimus, nec illud quod ait Apostolus, *Existimo autem hoc* 1. Cor. VII. 26
bonum esse propter præsentem necessitatem, sic esse accipiendum, tamquam in hoc seculo meliores sint sacræ virgines fidelibus coniugatis, in regno autem cælorum atque in futuro seculo pares sint: nec illud ubi ait de nubentibus, *Tribu-* Ibid. 28.
lationem autem carnis habebunt huiusmodi, ego autem vobis parco, ita intelligendum, tamquam nuptiarum peccatum

§. 7. *Quæ sint officia Coniugatorum circa Liberos.*

I. Quæ sunt officia Parentum erga liberos recens natos?

R. Debent 1. curare ut baptizentur quam citius.

2. Eligere ipsis ad Baptismum susceptores, morum probitate conspicuos.

3. Cavere ne intra anni unius spatium simul cum nutrice dormiant in eodem lecto, idque ob periculum suffocationis.

4. Magnam eorum curam gerere tenentur.

I. Quæ specialia sunt officia mulierum ante partum?

R. 1. Caveant ne quid sua culpa accidat, unde abortio, vel partus præposterus sequi possit.

2. Ferant patienter graviditatis

& damnationem maluerit tacere quam dicere. Harum quippe duarum sententiarum singulas, duo errores sibimet contrarii non eas intelligendo tenuerunt. Illam enim de præsenti necessitate illi pro se interpretantur, qui nubentes non nubentibus æquare contendunt: hanc vero ubi dictum est, *Ego autem vobis parco*, illi qui nubentes damnare præsumunt. Nos autem secundum Scripturarum sanctarum fidem sanamque doctrinam, nec peccatum esse dicimus nuptias, & earum tamen bonum oon solum infra virginalem, verum etiam infra vidualem contioentiam constituimus; præsentemque necessitatem coniugatorum, non quidem ad vitam æternam, verumtamen ad excellentem gloriam & honorem qui perpetuæ continentiæ reservatur, impedire eorum meritum dicimus; neque hoc tempore nisi eis qui se non continent, nuptias expedire, tribulationemque carnis ex affectu carnali venientem, sine quo nuptiæ incontinentium esse non possunt, nec tacere voluisse Apostolum vera præmonentem, nec plenius explicare hominum infirmitati parcentem.

De bono viduitat. ad Iulian. viduam, c. 3. num. 4. Quantum autem bonum habeat nuptarum fides, id est, Christianarum & relligiosarum coniugatarum, hinc intelligi potest, quod cum de fugienda fornicatione præciperet, ubi utique & coniugatos alloquebatur, *Nescitis*, inquit, *quia corpora vestra membra sunt Christi?* Tantum ergo bonum est fidelis coniugii, ut etiam ipsa membra sint Christi. Hoc autem bono quoniam melius est bonum continentiæ vidualis, non hac professione id agitur, ut aliquid plus sit Catholica vidua quam membrum Christi; sed ut meliorem quam coniugata locum habeat inter membra Christi. Dicit quippe idem Apostolus: *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eosdem actus habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra; habentes dona diversa secundum gratiam quæ data est nobis.*

1.Cor.VI.15.

Rom. XII. 4.

Num. 5. Ideo etiam cum moneret coniugatos, ne debito carnalis commixtionis fraudarent invicem; & per hoc alter eorum negato sibi debito coniugali, per intemperantiam suam tentatus a satana, in fornicationem prolaberetur. *Hoc autem dico*, inquit, *secundum veniam, non secundum imperium: volo autem omnes homines esse sicut me ipsum. Sed unusquisque proprium donum habet a Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* 1. Cor. VII. 6. & 7.

Cap. 4. Vides etiam coniugalem pudicitiam & tori Christiani matrimonialem fidem donum esse, & hoc a Deo; ut illud quod ultra liberorum procreandorum necessitatem modum concumbendi aliquatenus concupiscentia carnalis excedit, non nuptiarum sit hoc malum, sed veniale id propter nuptiarum bonum. Non enim de coniugio, quod copulatur liberorum procreandorum caussa, & fide pudicitiæ coniugalis, & indissolubili, quamdiu ambo vivunt, matrimonii sacramento, quæ omnia bona sunt; sed de illo immodico carnis usu, qui in infirmitate coniugum agnoscitur, & interventu boni nuptialis ignoscitur, ait Apostolus, *Secundum veniam dico, non secundum imperium*. Item cum dicit, *Mulier alligata est, quamdiu vir eius vivit; quod si mortuus fuerit* 1. Cor. VII. 39.

incommoda, & partus dolores, ut peccati pœnam (A).

I. Quæ sunt matrum officia post partum?

R. Debent si fieri potest prolem suam proprio lacte nutrire, exemplo sanctarum mulierum de quibus honorifica mentio fit in Scripturis. Id sancti Patres mulieribus Christianis summo studio commendant (B).

2. Si præ infirmitate non liceat

---

vir eius, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino: beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium: satis ostendit beatam esse in Domino etiam post mortem viri iterum nubentem fidelem, sed in eodem Domino viduam beatiorem: hoc est, ut Scripturarum non tantum verbis, verum etiam exemplis loquar, beatam esse Ruth, sed Annam beatiorem.

(A) GENES. III. 16. Mulieri quoque dixit (*Deus post peccatum:*) Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios.

(B) GENES. XXI. 7. Rursumqe ait: Quis auditurum crederet Abraham, quod Sara lactaret filium, quem peperit ei iam seni?

1. REG. I. 20. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna, & peperit filium, vocavitque nomen eius Samuel, eo quod a Domino postulasset eum. Ascendit autem vir eius Elcana, & omnis domus eius, ut immolaret Domino hostiam sollemnem, & votum suum. Et Anna non ascendit; dixit enim viro suo: Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, ut appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter. Et ait ei Elcana vir suus: Fac quod bonum tibi videtur, & mane donec ablactes eum: precorque ut impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, & lactavit filium suum, donec amoveret eum a lacte.

2. MACHAB. VII. 27. Itaque inclinata ad illum (*mater SS. Machabæorum ad adolescentiorem filium*) irridens crudelem tyrannum, ait patria voce: Fili mi, miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi, & lac triennio dedi & alui, & in ætatem istam perduxi. Peto, nate, ut aspicias ad cælum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt: & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus: Ita fiet, ut non timeas carnificem istum; sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam.

LUC. XI. 27.... Extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi (Iesu): Beatus venter, qui te portavit; & ubera quæ suxisti.

S. BASIL. *Homil.* 21. Postquam creata est mulier tenerum quidem animal, cui conditor teneriorem naturam dedit, ut parvulos humanius ac benignius educaret. (Si enim mulier austerior fuisset, numquam plorantem infantem ulnis ac pectore foveret, ac complecteretur: numquam proprii sæpe sibi oblita, ubera sitienti tanta patientia præberet Nunc autem matrum viscera somnum sæpe palpebris discutiunt, si quando infanti leve quod malum acciderit.) Ut, inquam, puer probe nutriatur, mulieris natura dulcior est, & humanior creata.

S. AMBROS. *Lib.* 5. *in Hexameron, cap.* 18. *num.* 58. Discant homines amare filios ex usu & pietate cornicum, quæ etiam volantes filios comitatu sedulo prosequuntur; & sollicitæ ne teneri forte deficiant, cibum suggesunt, ac plurimo temporis nutriendi officia non relinquunt. At vero feminæ nostri gentis, cito ablactant etiam filios illos quos diligunt: aut si ditiores sunt, lactare fastidiunt. Pauperiores vero abiiciunt parvulos, & exponunt, & deprehensos abnegant.

De Abraham Lib. 1. *cap* 7. *num.* 63. *Et dixit Sara: Quis annuntiabit Abrahæ quoniam lactet infantem Sara?* Moralis locus. Provocantur feminæ meminisse dignitatis suæ, & lactare filios suos. Hæc enim matrum gratia, hic honos, quos filios propriis commendent viris. Denique eos plus amare filios solent, quos ipsæ matres lactaverint uberibus suis. Gen. XXI. 7.

Vide eumdem infra lib. 5. *in Hexameron cap.* 18. *num.* 58. *hocce §. litt.* (R)

AUCT. *Homil. in Ps.* I. *inter Oper.* S. IOAN. CHRYSOST. *n.* 6.... Videsne quomodo paupertas amoris caussa sit? Nam apud divites ingens fastus est: apud tenuiores autem,

Digitized by Google

ipsis lactare prolem, eligant saltem nutrices, quantum fieri potest, pias & laudabilis indolis, & mentis sanæ in corpore sano.

3. Ubi convaluerint post partum, eant quam primum parochialem Ecclesiam, ibi Sacerdotalem benedictionem suscepturæ.

I. Qua mente mulieres accedere debent ab Benedictionem Sacerdotalem post partum?

R. 1. Ut gratias agant Deo, de edita feliciter prole.

2. Ut offerant illam Deo, impetrentque ipsi cæleste præsidium.

3. Ut si quid in usu Matrimonii peccatum fuit, id divina misericordia condonetur. PARS III. SECT. I. CAP. VIII. §. 7.

4. Ut postulentur a Deo auxilia necessaria ad prolem sancte educandam & instituendam.

I. Quis modus tenendus est a parentibus, ut liberi Christiane educentur & instituantur a pueritia ad adolescentiam?

R. 1. Assuefaciendi sensim pueri & puellæ Christianæ pietatis exercitiis, & id agendum, ut illis exercitiis delectentur. (C)

2. Si quam præ se ferant ad vi-

---

uxor ministræ & ancillæ munere fungitur: filium parit, eademque, & mater, & nutrix est. Apud locupletes autem secus res habet, nam posteaqoam uxor filium peperit, foras eum amandat alendum, atque amorem erga liberos fastus interrumpit. Parit mater, nec nutrix efficitur. Pudet enim nutricem effici eam, quæ mater est. At non ita Christus. Nos enim genuit, ac nutricius noster fuit: propterea ciborum loco carne sua nos pavit, ac poculi vice cruore suo nos potavit.

S AUGUST. *Serm. de tempore barbarico Tom. 6. Edit. BB cap. 5. num. 6....* Ante paucos dies natalitia celebravimus Martyrum Perpetuæ & Felicitatis... Una earum erat prægnans, alia lactans. Felicitas partoriebat, Perpetua lactabat. Sed tamdiu hæc Perpetua lactavit, quamdiu acciperet ab illo Pastore simul & Patre buccellam lactis: qua accepta dulcedo felicitatis perpetoæ eam fecit contemnere filium, spernere patrem, non hærere mundo, perdere animam pro Christo.

S. GREG. MAGN. *Lib.* 11. *Epist.* 64. *alias* 31. *ad Augustinum Angl. Episc. interrog.* 10. Ad eius(*uxoris*) concubitum vir eius accedere nou debet, quousque qui gignitur ablactetur. Prava autem consuetudo in coniugatorum moribus surrexit, ut molieres filios quos gignunt, nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus ad nutriendum tradant; quod videlicet ex sola caussa incontinentiæ videtur inventum; quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignont. Hæ itaque quæ filios suos ex prava consuetudine aliis ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus transierit, viris suis non debent admisceri.

NICOLAUS PAPA I. *cap.* 64. *in Bulgarorum Responsis*. Quot diebus viro postquam molier filium genuerit, ab ea sit abstinendum, non adinventionibus nostris sed verbis beatæ memoriæ Gregorii Romani Pontificis & Anglorum gentis Apostoli declaratur, qui Augustino Episcopo, quem in Saxoniam ipse direxerat scribens inter cetera dixit: „ Ad eius vero, (idest mulieris) concubitum vir (*ubi supra*)
„ suus non accedere debet, quoadusque
„ proles quæ gignitur ablactetur. Prava
„ autem in coniugatorum moribus con-
„ suctudn surrexit, ut mulieres filios quos
„ gignunt, nutrire contemnant, eosque
„ aliis molieribos nutriendos tradant,
„ quod videlicet caussa sola incontinen-
„ tiæ videtur inventum, qui dum se
„ continere nolunt despiciunt lactare
„ quos gignunt.

(C) S. IOAN. CHRYSOST. *Homil.* 12. *in* 1. *ad Corinth. num.* 7.... Ab ineunte ætate pueros spiritualibus armis munite, & docete eos manu frontem signare; etiam priusquam possint hoc manu facere, vos ipsi eis crucem imprimite.

Homil. 21. *in Epist. ad Ephes. num.* 1...

tium quodcumque propensionem, omni studio atque opera enitendum, ut statim corrigantur: Principiis obstandum. (D)

Non dicit, eos diligite. Hoc enim vis vel invitis natura adtrahit; & superfluum esset de eis legem ferre. Sed quid dicit? *Nolite provocare ad iram filios vestros*; ut multi faciunt eos exheredantes & abdicantes, & eos gravantes & prementes, non ut liberos, sed tamquam mancipia. Propterea dicit, *Nolite provocare ad iram filios vestros... sed educate illos in disciplina & correptione Domini*. Vides quod si adsint spiritualia, sequentur etiam carnalia? Vis filium esse obedientem? Ab initio eum edoca in disciplina & admonitione Domini. Ne existimes esse supervacaneum, quod ipse divinas litteras audiat; nam illic hoc primum audiet, *Honora patrem & matrem*. Itaque propter te hoc fit. Ne dicas, hoc est Monachorum; num ego eum facio Monachum? Non est necesse ut fiat Monachus. Quid id times quod est multo lucro plenum? Fac eum Christianum. Maxime enim mundanis, nempe secularibus, necesse est discere quæ illic sunt documenta, magis autem pueris. Multa est enim in illa ætate ignorantia; ignorantiæ autem fit accessio etiam ex scriptis exterorum; quando didicerint eos qui illic sunt heroes haberi in admiratione, cum sint servi animi perturbationum & vitiorum, & mortem timeant; ut Achilles quando eum pœnitet, quando moritur pro concubina; quando alius est ebrius, & multa alia eiusmodi. Illi ergo opus est his medicamentis.

Ephes. VI. 4.

Ibid.

Ibid. 2.

N. 2. Quomodo enim non est absurdum ad artes quidem mittere, & ad ludum litterarium, & pro eo omnia facere; in disciplina autem & Dei admonitione pueros non educare? Propterea nos primi fructus percipimus, audaces, intemperantes, immorigeros, sordidos & illiberales alentes filios. Ne ergo hoc faciamus; sed huic beato pareamus suadenti. Educemus eos in disciplina & admonitione Domini. Demus eis exemplum, ab ineunte ætate curantes eos incumbere lectioni scripturarum... Maxime vos mulieres illas mulieres admirandas æmulamini. Peperisti filium? imitare Annam: disce quid illa fecerit; eum statim deduxit in templum. Quænam vestrum non maluerit suum filium esse Samuelem, quam millies Regem totius orbis terræ? Et quomodo, inquis, fieri potest ut sit talis? Quare non potest fieri? quoniam non vis, nec eum tradis iis qui possunt eum talem facere. Et quis is est, inquis? Deus: nam ipsa illum ei tradidit. Neque enim Heli erat ex iis qui admodum possent eum fingere, & efformare. Quomodo enim, qui nec suos potuit filios? Sed fides mulieris & alacritas animi totum effecit. Primum peperit & solum, & nec sciebat an alios esset paritura. Neque dixit, Exspectabo dum crescat infans, ut utatur rebus quæ ad hanc vitam pertinent; concedam ut ipse parum versetur in ætate puerili. Sed his omnibus propulsatis, in hoc solo fuit, quomodo ab initio imago spiritualis Deo dedicaretur. Pudore afficiamur viri de mulieris philosophia... Ne quæras quomodo eum reddas florentem & magnæ existimationis in doctrinis externis, & reddas gloria insignem: sed cura ut eum doceas despicere huius vitæ gloriam. Inde fiet splendidior & gloria illustrior. Hæc & pauperi & diviti licet facere. Hæc non a doctore discit aliquis, neque per artem, sed per divina eloquia. Non quæras ut longam hic vivat vitam, sed ut illic infinitam & quæ numquam desinat. Magna illi largire, non parva. Audi Paullum dicentem: *Educate eos in disciplina & admonitione Domini*. Ne studium ponas ut eum facias oratorem, sed erudi ut sit philosophus. Nam si illud quidem non sit, nihil est damni: si hoc autem absit, nullum erit lucrum rhetoricæ quantumvis multæ. Opus est moribus, non dicendi facultate, vitæ modestia, non orationis vehementia: factis, non verbis. Hæc regnum conciliant, hæc donant etiam quæ sunt vere bona. Ne linguam acuas, sed expurges animam. Non hæc dico prohibens erudire, sed prohibens illis solis adhibere animum.

1. Reg. 1.

1. Reg. 2.

Eph. VI. 4.

(D) S. August. *Confess. lib. 2. cap. 3. num. 5*.... Quis enim non extollebat laudibus tunc hominem patrem meum, quod ultra vires rei familiaris suæ impenderet filio quidquid etiam longe peregrinanti studiorum caussa opus esset? Multorum enim civium longe opulentiorum

Digitized by Google

3. Cavendum ut ne quid fiat vel dicatur coram illis, quod eos vel a studio virtutis evocare, vel ad amorem mundi incitare possit. (E)

PARS III. SECT. I. CAP. VIII. §. 7.

---

nullum tale negotium pro liberis erat: cum interea non satageret idem pater qualis crescerem tibi, aut quam castus essem; dummodo essem disertus vel desertor potius a cultura tua, Deus, qui es unus, verus & bonus Dominus agri tui cordis mei.

Num. 6. Sed ubi sexto illo & decimo anno, interposito otio ex necessitate domestica feriatus ab omni schola, cum parentibus esse cœpi, excesserunt caput meum vepres libidinum; & nulla erat eradicans manus. Quinimmo ubi me ille pater in balneis vidit pubescentem, & inquieta indutum adolescentia, quasi iam ex hoc in nepotes gestiret, gaudens matri indicavit; gaudens vinolentia in qua te iste mundus oblitus est creatorem suum, & creaturam tuam pro te amavit, de vino invisibili perversæ atque inclinatæ in ima voluntatis suæ. Sed matris in pectore iam inchoaveras templum tuum, & exordium sanctæ habitationis tuæ: Nam ille adhuc Catechumenus, & hoc recens erat. Itaque illa exsilivit pia trepidatione ac tremore; & quamvis mihi nondum fideli, timuit tamen vias distortas, in quibus ambulant qui ponunt ad te tergum & non faciem.

Num. 7. Hei mihi, & audeo dicere tacuisse te, Deus meus, cum irem abs te longius. Itane tu tacebas tunc mihi? Et cuius erant nisi tua verba illa per matrem meam, fidelem tuam, quæ cantasti in aures meas? Nec id quidquam descendit in cor ut facerem illud. Volebat enim illa, & secreto, memini, ut monuerit cum sollicitudine ingenti ne fornicarer, maximeque ne adulterarem cuiusquam uxorem. Qui mihi monitus muliebres videbantur, quibus obtemperare erubescerem. Illi autem tui erant, & nesciebam, & te tacere putabam, atque illam loqui, per quam mihi tu non tacebas. & in illa contemnebaris a me filio eius, filio ancillæ tuæ servo tuo. Sed nesciebam, & præceps ibam tanta cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, quoniam audiebam eos iactantes flagitia sua, & tanto gloriantes magis, quanto magis turpes essent: & libebat malum facere non solum libidine facti, verum etiam laudis. Quid dignum est vituperatione nisi vitium? Ego ne vituperarer vitiosior fiebam; & ubi non suberat quo admisso æquarer perditis, fingebam me fecisse quod non feceram, ne viderer abiectior quo eram innocentior, & ne vilior haberer quo eram castior.

Num. 8.... Relaxabantur etiam mihi ad ludendum habenæ ultra temperamentum severitatis in dissolutionem affectionum variarum, & in omnibus erat caligo intercludens mihi, Deus meus, serenitatem veritatis tuæ; & prodiebat tamquam ex adipe iniquitas mea.

(E) S. IOAN. CHRYSOST. *lib.* 3. *advers. oppugnatores vitæ Monast. num.* 5.... Utinam hoc solum damni adesset, quod nihil utile patres consilii darent, non tantum utique malum esset: nunc autem eos ad contraria prorsus impellitis. Neque enim aliud patres audias cum filiis tractare, cum eos ad studia litterarum hortantur, nisi verba huiusmodi: ille, inquit, humilis, humilique loco natus, eloquentiam adeptus, summos magistratus obtinuit, divitias acquisivit ingentes, uxorem duxit opulentam, splendidas construxit ædes, omnibus terroris est, & gloria fulget. Alius rursum: ille, inquit, latina lingua eruditus, in regia clarissimus est, cunctaque intus administrat. Et alius alium rursus ostendit, cunctique eos qui in terra insignes sunt memorant, cælestium autem nulla usquam mentio; immo si quis illa commemorare aggrediatur, ut qui cuncta pervertat eiicitur.

N. 6. Cum igitur a principio hæc illis occinaris, nihil aliud eos, quam omnium malorum materiam, doceris: duos violentissimos amores insinuantes, pecuniarum dico, & qui longe iniquior est, vanæ inanisque gloriæ. Horum vero alteruter per se solus cuncta pervertere potest: cum autem ambo in teneram iuvenis animam confluunt, quasi quidam torrentes coniuncti bona omnia corrumpunt, tantam vim spinarum & arenæ, tantam colluviem contrahentes, ut animam illam sterilem, infructuosam, bonisque omnibus vacuam efficiant.

Num. 7.... Siquidem ac si dedita opera

4. Cavendum ne utantur frequentiori consortio cuiusquam, cuius non sit bene perspecta virtus. Item ne sæpius puellæ cum pueris, pueri cum puellis conloquantur. (F)

5. Sic corrigendi indociles ut in

---

filios perdere studeatis, sic illa omnia præcipitis eis, quæ qui exsequuntur salutem consequi non possunt. Rem altius
Luc. vi. 24. & seq. considera. *Ve*, inquit, *ridentibus*, vos autem ipsis multas præbetis ridendi occasiones: *Ve divitibus*; vos vero ut pecuniosi sint, cuncta molimini: *Ve cum benedixerint vobis omnes homines*; vos autem pro populari aura facultates sæpe omnes effunditis. Rursum is; qui fratri contumeliam infert, reus est gehennæ; vosque tamen & imbecillos & timidos esse putatis eos, qui tacite illatas sibi ab aliis contumelias ferunt. Iubet Christus pugnas & lites contemnere; vos autem illos in his semper malis versari curatis: oculum ille, si noceat, eruere sæpe iubet: at vos eos maxime vobis conciliatis amicos, qui possint pecunias præbere, etiamsi extremam nequitiam doceant. Uxorem repudiare non permittit, præterquam in sola adulterii caussa; at vos dum pecunias acquirere liceat, hoc præceptum despicere docetis: iusiurandum vetat omne; vos si quem id servare vi-
Ioan. xvi. 25. deritis, etiam ridetis. *Qui amat*, inquit, *animam suam, perdet eam*: vos ad hunc
Matth. vi. 14. amorem illos semper inducitis. *Si non remiseritis*, inquit, *hominibus peccata, neque vobis remittet Pater vester cælestis*; vos illis exprobratis, cum eos, qui se læserint, ulcisci nolunt; utque id mature præstare possint illos instituitis. Gloriæ cupidos omnia frustra agere docuit Christus, sive illi ieiunaverint, sive oraverint, sive miserti fuerint. At vos ut illam adsequantur nihil non agitis. Ecquid opus omnia persequi, cum supra memorata innumeras gehennas inferre possint; nec modo omnia simul, sed seorsum singula? At vos omnia simul congesta, & intolerabile peccatorum onus imponantes, sic in fluvium igneum immittitis. Quando salutem nancisci poterunt tantam ferentes ignis escam? Neque id solummodo grave est, quod Christi præceptis contraria doceatis; sed quod præclaris appellationibus vitia obtegatis: Hippodromis ac theatris iugiter interesse, urbanitatem vocantes; divitias, libertatem; gloriæ amorem, magnanimitatem; arrogantiam, fiduciam; prodigalitatem, humanitatem; iniustitiam, fortitudinem. Deinde, quasi hæc fallacia non sufficiat, virtutem quoque contrariis nominibus vocatis, temperantiam appellantes rusticitatem; modestiam, timiditatem; iustitiam, imbecillitatem; contemtum fastus, servilem animum; iniuriarum tolerantiam, infirmitatem; ac si metuatis ne si ab aliis veram horum appellationem audierint filii vestri, perniciem huiusmodi fugiant. Neque enim parum confert ad vitiorum aversionem, si nudæ & propriæ eorum appellationes proferantur; sed tantum id habet roboris ad peccantium animos feriendos, ut plerique sæpe turpissimis insignes vitiis, se ita vocari non libenter ferant; sed adeo sæviant & indignentur ac si acerbissima paterentur.... Multos porro novi hoc emendatos modo, qui opprobriis moderatiores evaserunt.

(F) S. Hieron. *Epist. 57. alias 7. ad Letam, paullo post initium*. Propositum enim mihi erat... docere quomodo instituere Paullam nostram debeas, quæ prius Christo consecrata est, quam genita; quam ante vovisti, quam utero concepisti..... Ista sunt primogenita, quæ offeruntur in lege. Sic natus est
Samuel, sic ortus Samson est, sic Ioan- Luc. i. 44.
nes Baptista ad introitum Mariæ exultavit & lusit. Audiebat enim verba Domini per os virginis, pertonantis; & de utero matris in occursum ei gestiebat erumpere. Igitur quæ de repromissione nata est, dignam habeat ortu suo
institutionem parentum. Samuel nutri- 1. Reg. ii. 24.
tur in Templo, Ioannes in solitudine Luc. i. 80.
præparatur. Ille sacro crine venerabilis est, vinum & siceram non bibit; adhuc parvulus cum Domino sermocinatur. Hic fugit urbes, zona pellicea cingitur, locustis alitur ac melle silvestri; & in typum pœnitentiæ prædicandæ, tortuosissimi animalis vestitur exuviis. Sic erudienda est anima, quæ futura est templum Dei. Nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei

corrigente nulla sentiatur animi commotio, ira nulla (G).

6. Sic omnibus eorum actibus invigilandum, ut semper custodian- Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 7.

pertinet. Turpia verba non intelligat; cantica mundi ignoret. Adhuc tenera lingua, Psalmis dulcibus imbuatur. Procul sit ætas lasciva puerorum: ipsæ puellæ & pedissequæ a secularibus consortiis arceantur, ne quod male didicerint, pejus doceant.

S. August. *lib.* 2. *Confess. cap.* 3. *n.* 5. *& seq. Vide supra hocce §. litt.* (D)

Cap. 4. *num.* 9. ... Arbor erat pirus in vicinia vineæ nostræ pomis onusta, nec forma nec sapore illecebrosis. Ad hanc excutiendam atque asportandam, nequissimi adolescentuli perreximus nocte intempesta, quousque ludum de pestilentiæ more in areis produxeramus; & abstulimus inde onera ingentia, non ad nostras epulas, sed vel proiicenda porcis, etiamsi aliquid inde comedimus; dum tamen fieret a nobis quod eo liberet quo non liceret.

Vie de Sainte Therese *chap.* 2. .... Sine admiratione animo cogitare non possum, quam male faciant parentes, qui ante filiorum oculos virtutis obiecta proponere negligunt.... Romanensium Fabularum lectionem pater meus adeo improbabat, ut in ea ne deprehenderer, summo mihi studio cavendum esset.... ex consobrinis meis domum patris mei ventitabant; nulli enim præter eos in eam aditus patebat, adeo de hac re sollicitus erat; utinam vero etiam his aditum interdixisset: impræsentiarum siquidem periculum video quod imminet iis, qui, cum tempus est iaciendi virtutis semina in anima, cum hominibus conversari, qui mundi vanitatem non intelligunt, & e contra alios ad se infelicibus laqueis irretiendos exstimulant. Ah si ego patrum & matrum a consiliis essem, hoc illis consilium darem, ut attente, eos, cum quibus filii sui conversantur, inspiciant; commercium siquidem hoc secretum magni damni fermentum est; quia natura nostra ad malum quam ad bonum proclivior ... Magna me capit admiratio, cum damnum quod a mala societate infertur, considero, quod certe, nisi in me passa essem, non crederem; verum præcipue iuventutis tempore exitiale illud magis est: maxime optarem, Patres & Matres meorum errorum experientia edoctos arcendo huic damno operam dare .... Hinc magnum ex bona societate bonum sentio; & pro certo habeo, quod si tum temporis cum hominibus virtutis cultoribus mihi res fuisset, virtuti utique exercendæ incuboissem; nam si tunc ab aliquo timorem Domini edocta fuissem, vires acquisivissem, quibus me sustentassem, neque umquam prolapsa fuissem ... Cum in Monasterium secessi, magnum donum quod Deus facit ei, quem bonorum societati inserit, cognovi.

S. Ioan. Chrysost. *lib.* 3. *adver. oppugnatores vitæ Monast. num.* 4..... Itaque nulla alia de caussa perversi evadunt liberi, nisi quod patres circa præsentis vitæ commoda insaniant. Cum enim ad illa solum respiciant, nihilque illis præferendum censeant, & suam pariter, & liberorum animam negligere coguntur. Hos ego patres, quod nemo tamen me ita commotum dicere existimet, filiorum occisoribus sceleratiores esse dixerim. Illi enim corpus ab anima separant, isti & animam & corpus gehennæ ignis tradunt. Illam porro mortem naturali lege subire necesse est; hanc vero effugere licebat, nisi ipsam patrum negligentia intulisset. Ad hæc, mortem corporis adveniens resurrectio cito delere poterit; animæ vero interitum nihil solabitur: neque enim salus illam excepiura est, verum immortales ille pœnas necessario luet. Itaque non iniuria patres huiusmodi, filiorum occisoribus deteriores esse diximus. Non ita crudele facinus est, gladium acuere, & armare dexteram, inque ipsum filii guttur immergere, ut animam perimere atque corrumpere.

(G) 1. Reg. II. 12 Porro filii Heli, filii Belial nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum; sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, sive in cacabum: & omne quod trahe-

Digitized by Google

bat fuscinula, tollebat Sacerdos sibi. Sic faciebant universo Israeli venieotium in Silo. Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer Sacerdotis, & dicebat immolanri: Da mihi carnem, ut coquam Sacerdoti; non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam. Dicebatque illi immolans: Incendatur primum iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens aiebat illi: Nequaquam: nunc enim dabis, alioquin tollam vi. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines a sacrificio Domini .... Heli autem erat senex valde, & audivit omnia quæ faciebant filii sui universo Israeli: & quomodo dormiebant cum mulieribus quæ observabant ad ostium tabernaculi: Et dixit eis: Quare facitis res huiusmodi, quas ego audio, res pessimas, ab omni populo? Nolite filii mei non enim est bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini. Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui: quia voluit Dominus occidere eos.... Venit autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Numquid non aperte revelatus sum domui patris tui, cum essent in Ægypto in domo Pharaonis? Et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in Sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret Ephod coram me: & dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israel. Quare calce abiecistis victimam meam, & munera mea quæ præcepi ut offerrentur in templo: & magis honorasti filios tuos quam me, ut comederetis primitias omnis sacrificii Israel populi mei? Propterea ait Dominus Deus Israel: Loquens locutos sum, ut domus tua, & dnmus patris tui ministraret in conspectu meo, usque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc a me: sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Ecce dies veniunt & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua. Et videbis æmulum tuum in templo, in universis prosperis Israel, & non erit senex in domo tua omnibus diebus. Vetumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: sed ut deficiant oculi tui, & tabescat anima tua: & pars magna domus tuæ morietur cum ad virilem ætatem venerit. Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis, Ophni & Phinees: in die uno morientur ambo. (1. *Reg.* II. 27.)

S. Ioan. Chrysost. *lib.* 3. *adver. oppugnatores vitæ Monast. num.* 3... (ut sciatis) si filiorum salutem negligamus nos extremas daturos esse pœnas....Sacerdos quidam apud Iudæos erat, vir moderatus, ac probus, Heli nomine. Huic duo erant liberi: quos cum videret ad vitia declinare non cohibuit, non coercuit; immo potius cohibuit & coercuit, sed non quanta diligentia & cura par erat. Horum autem hæc erant crimina, fornicatio & gula. *Edebant* enim, inquit, *antequam sanctificarentur sacræ carnes, & priusquam offerretur Deo sacrificium.* (1. *Reg.* II. 16.) His compertis pater, non illos pœna mulctavit, sed verbis & moniris ab hac neqoitia ipsos revocare conatus est, atque his frequenter verbis eos alloquebatur. *Nolite filii, nolite sic facere: non bona fama est, quam ego audio de vobis, ut faciatis populum non servire Domino. Si delinquens peccaverit vir in virum, orabunt pro illo Dominum, sin autem Domino peccaverit homo, quis pro illo orabit?* (*Ibid.* 24. & 25.) Multa certe est gravitas ac reverentia verborum, quæ virum mente præditum ad meliorem frugem revocare possent. Nam crimen affert; ac tremendum esse demonstrat, ingruentes vero pœnas intolerabiles & horrendas denunciat. Attamen quia quidquid agendum erat non exhibuit, ipse cum illis una periit. Namque minas addere debuerat, a conspectu suo amovere, verberibus castigare, multoque illis gravius & durius instare. Quia igitur nihil horum egit, Deum & sibi, & illis inimicum fecit; utque filiis intempestive parceret, & ipsorum & suam salutem amisit.... Noverat quod maledicerent filii eius Deo, & non monebat eos; non sic tamen, nam certe monuerat; sed hanc Deus pro admonitione non accepit; adeo illam improbabat, quod vehementia caruisset.... *Iuravi* enim, inquit, *domui Heli, si peccatum istud domus Heli expiabitur, sive thymiamate sive sacrificiis usque in æternum.* (*Ibid.* III. 14.) Vidistine ingentem indignationem, pœnamque omni spe ve-

tur ad oculum; nec quidquam sine teste ab iis fieri sinatur (H).

7. Præficiantur illis Magistri & præceptores summo studio delecti, Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 7.

---

niæ carentem? Prorsus, inquit, illum perire oportet, nec ipsum modo & eius filios, sed cum ipso domum universam: nullumque medicamentum erit, quod vulnus istud curare possit: licet seni illi præter filiorum neglectum, nihil quod crimini daret habuerit Deus.

In 1. ad Timoth. Homil. 9. num. 2. Audite hæc patres & matres, quod filiorum educatio non mercede careat ...... Neque enim parva res est filios a Deo datos, ipsi Deo consecrare. Nam si crepidinem & fundamenta bona iecerint, magnam habebunt mercedem; ut si negligentes fuerint, supplicium. Nam Heli propter filios periit: oportebat enim illos commonefacere. Monuit tamen ille, sed non ut oportebat. Sed cum nollet illis molestus esse, & illos & se perdidit. Hæc audite patres: instituire filios vestros in disciplina, & admonitione Domini, cum diligentia magna. Res aspera & difficilis est iuventus, multis egens institutoribus, doctoribus, pædagogis, assrclis, nutritoribus. Vix enim post tantam curam iuventutem continere possis. Iuventus enim equn indomito & feræ intractabili similis est. Si ergo a principio, & a prima iuventute terminos optimos ipsis ponamus, non multis postra laboribus egrbimus. Sed consuetudo lex ipsis postea erit, Ne sinamus eos aliquid eorum aggredi quæ iucunda simul & noxia sunt, neque hac in re illis ut filiis gratificemur. In castitate maxime conservemus illos; vitium enim oppositum maxime omnium iuventutem perdit. Ad eam rem multis opus est nobis laboribus, maxima attentione. Cito illis uxores sumamus, ut pura & intacta corpora sponsæ excipiant. Hi amores ardentiores sunt. Qui ante nuptias castus fuit, multo magis post nuptias erit. Qui vero ante nuptias fornicari didicit, post nuptias etiam fornicabitur .... Hæc illis monita & præcepta demus, terreamus, minas intentemus; modo id, modo aliud facientes.

Proverb. xiii. 24. Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.

xxii. 15. Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam. Eccli. xxx. 1

xxiii. 13. Noli subtrahere a puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum: & animam eius de inferno liberabis.

xxix. 15. Virga atque correptio tribuit sapientiam: puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam. In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera: & iusti ruinas eorum videbunt. Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ.

Eccli. xxx. 1. Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo, & non palpet proximorum ostia. Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur. Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo. Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se. In vita sua vidit, & lætatus est in illo: in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis. Reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam. Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua, & super omnem vocem turbabuntur viscera eius. Equus indomitus evadit durus; & filius remissus evadet præceps. Lacta filium, & paventem te faciet: lude cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas, & in novissimo obstupescent dentes tui. Non des illi potestatem in iuventute, & ne despicias cogitatus illius. Curva cervicem eius in iuventute, & tunde latera eius dum infans est, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Doce filium & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.

Prov. xiii. 24. & xxiii. 13. — Deut. vi. 7. — Eccli. vii. 25

Ephes. vi. 4. Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros: sed educate illos in disciplina & correptione Domini.

Colos. iii. 21. Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.

(H) S. Hieron. *Epist.* 57. *alias* 7. *ad*

Lætam, paullo ante medium. Nutrix ipsa
Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 7. non sit temulenta, non lasciva, non garrula; habeat modestam gerulam, nutricium gravem .... Heli Sacerdos offendit Deum ob vitia liberorum. Episcopus
1. Reg. I. & IV. fieri non potest qui filios habuerit luxuriosos, non subditos. At e contrario
1. Tim. III. 4. 1. Tim. II. 15. de muliere scribitur, quod *salva fiet per filiorum generationem*, si permanserint in fide & caritate & sanctificatione cum pudicitia. Si perfecta ætas & sui iuris imputatur parentibus, quanto magis lactens & fragilis, quæ iuxta sententiam Domini, ignorat dexteram & sinistram, id est, boni & mali differentiam? Si sollicita provides, ne filia percutiatur a vipera; cur non eadem cura provideas, ne feriatur a malleo universæ terræ? ne bibat de aureo calice Babylonis; ne egrediatur cum Dina, & velit videre
Gen. XXXIV. 1. filias regionis alienæ? Ne ludat pedibus, ne trahat tunicas? Venena non dantur, nisi melle circumlita: & vitia non decipiunt, nisi sub specie umbraque virtutum. Et quomodo, inquies, peccata
Deut. XXIV. 16. patrum filiis non redduntur, nec filiorum parentibus; sed anima quæ peccaverit, ipsa morietur? Hoc de his dicitur, qui possunt sapere, de quibus in
Ioan. IX. 21. Evangelio scriptum est: *Ætatem habet, loquatur pro se*. Qui autem parvulus est, & sapit ut parvulus, donec ad annos sapientiæ veniat, & Pythagoræ littera eum perducat ad bivium, tam bona eius quam mala parentibus imputantur .... Postquam grandiuscula esse cœperit, & in exemplum sponsi sui crescere sapientia, ætate, & gratia apud Deum & homines, pergat ad templum veri Patris cum parentibus suis; sed cum illis non egrediatur e templo. Quærant eam in itinere seculi inter turbas & frequentiam propinquorum, & nusquam alibi reperiant, nisi in adyto scripturarum, Prophetas & Apostolos de spiritualibus nu-
Luc. I. 26. 28. ptiis sciscitantem. Imitetur Mariam, quam Gabriel solam in cubiculo suo reperit: & ideo forsitan timore perterrita est, quia virum, quem non solebat, aspexit. Æmuletur eam de qua dicitur:
Ps. XLIV. 14. *omnis gloria eius filiæ regis ab intus*. Lo-
Cant. I. 3. Cant. III. 3. quatur & ipsa electo, caritatis iaculo vulnerata: *Introduxit me rex in cubiculum suum*. Numquam exeat foras ne inveniant eam qui circumeunt civitatem; ne percutiant & vulnerent, & auferant theristrum pudicitiæ, & nudam in sanguine derelinquant: quin potius quum aliquis ostium eius pulsaverit, dicat: *Ego*
Cant. VIII. 10 Cant. V. 3. *murus, & ubera mea turris: lavi pedes meos, non possum inquinare eos* .... Te habeat magistram, te rudis imitetur infantia. Nihil in te & patre suo videat, quod si fecerit, peccet. Mementote vos parentes virginis, & magis eam exemplis doceri posse, quam voce. Cito flores pereunt, cito violas & lilium & crocum pestilens aura corrumpit. Numquam absque te procedat in publicum. Basilicas Martyrum & Ecclesias sine matre non adeat. Nullus ei iuvenis, nullus cincinnatus arrideat. Vigiliarum dies & sollemnes pernoctationes sic virguncula nostra celebret; ut ne transverso quidem ungue a matre discedat. Nolo de ancillulis suis aliquam plus diligat, cuius crebro auribus insusurret. Quidquid uni loquitur, hoc omnes sciant. Placeat ei comes, non compta atque formosa, quæ liquido gutture carmen dulce moduletur; sed gravis, pallens, sordidata, subtristis. Præponatur ei probæ fidei, & morum ac pudicitiæ virgo veterana, quæ illam doceat & assuescat exemplo ad orationes & Psalmos nocte consurgere: mane Hymnos canere, tertia, sexta, nona hora stare in acie quasi bellatricem Christi; accensaque lucernacula reddere sacrificium vespertinum. Sic dies transeat, sic nox inveniat laborantem... Si quando ad suburbana pergis, domi filiam non relinquas; nesciat sine te, nec possit vivere: & quum sola fuerit pertimescat. Non habeat colloquia secularium, non malarum virginum contubernia. Non intersit nuptiis servulorum, nec familiæ perstrepentis lusibus misceatur... Respondebis: Quomodo hæc omnia mulier secularis, in tanta frequentia hominum, Romæ custodire potero? noli ergo subire onus, quod ferre non potes: sed postquam ablactaveris eam cum Isaac; & vestieris cum Samuele; mitte aviæ & amitæ. Redde preciosissimam gemmam cubiculo Mariæ, & cunis Iesu vagientis impone. Nutriatur in Monasterio; sit inter virginum choros; iurare non discat; mentiri sacrilegium putet; nesciat seculum, vivat Angelice; sit in carne sine carne, omne hominum genus sui simile putet. Et ut cetera taceam, certe te liberet servandi difficultate, & custodiæ periculo. Melius est tibi desiderare absentem, quam pavere ad singula: quid

Digitized by Google

quos & laudabilis vita & relligionis notitia, studium, amor, observantia plurimum commendent. (I)

8. Cavendum ne discant quidquam eorum quibus fovetur vanitas

1.Cor.II.12. & *spiritus huius mundi, quem nos non accepimus*, inquit Apostolus.

9. Cavendum denique ut pueri, ubi discretionis annos attigerint, soli dormiant, suusque sit singulis lectus. Quod & in puellis observandum.

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 7.

I. Quomodo parentes gerere se debent erga liberos, ubi iam adoleverint?

R. 1. Id sibi in animum inducant, pudore & liberalitate liberos, saltem adolescentiores, retinere satius esse quam metu. Itaque mitius agendum cum ipsis, ne forte ad iracundiam provocentur. (K)

2. Neque tamen sic indulgendum ipsis, ut omnia sibi licere putent.

---

loquatur, cum quo loquatur, cui annuat, quem libenter aspiciat. Trade Eustochio parvulam, cuius nunc & ipse vagitus pro te oratio est. Trade comitem sanctitatis, futuram heredem. Illam videat, illam amet, illam primis miretue ab annis, cuius & sermo, & incessus, & habitus, doctrina virtutum est. Sit in gremio aviæ, quæ repetat in nepte, quidquid præmisit in filia; quæ longo usu didict nutrire, servare, docere virgines: in cuius corona centenarii quotidie numeri castitas texitur.

(I) S. Ioan. Chrysost. *In 1. ad Timoth. Homil. 9. num. 2.* .... Magnum depositum habemus, filios nempe. Curam ergo eorum habeamus, nihil non agamus, ne illud nobis malignus ille auferat. Nunc autem a nobis contraria omnia præstantur. Ut ager sit optimus omnia facimus; ut fideli viro tradamus: asinarium, mulionem, procuratorem & dispensatorem, qui sit optime affectus, quærimus. Quod autem omnium nobis pretiosissimum est, ut filium alicui committamus, qui possit eius castitatem tueri, id negligimus, quamquam id omnibus prædiis nobis carissimum esse debet: cetera enim omnia ad hoc possidentur. Prædia illis danda curamus, illos autem minime. Viden rei absurditatem? Primo filii animam exerce & hæc postea aderunt. Nam si illius anima bona non sit, nihil eis pecuniæ proderunt. Sin autem proba, nihil ex paupertate lædentur. Vis illum relinquere divitem? Doce illum esse probum: ita enim rem familiarem augere poterit... Filiis enim non recte institutis, melior est paupertas, quam divitiæ. Paupertas enim illos vel invitos in virtute retinet, divitiæ vero ne volentes quidem temperantes esse sinunt, sed extrahunt, evertunt, & in mille mala coniiciunt.

S. Hieron. *Epist. 57. alias 7. ad Letam.* Magister probæ ætatis & vitæ, eruditionisque est eligendus: nec puto erubescet vir doctus, id facere in propinqua, vel in nobili virgine quod Aristoteles fecit in Philippi filio, ut ipse librariorum utilitate initia traderet litterarum. Nec sunt contemnenda quasi parva, sine quibus magna constare non possunt. Ipse elementorum sonus, & prima institutio præceptorum, aliter de erudito, aliter de rustico ore profertur. Unde & tibi est providendum, ne ineptis blanditiis feminarum dimidiata dicere verba filia consuescat, & in auro atque purpura ludere: quorum alterum linguæ, alterum moribus officit: ne discat in tenero, quod ei postea dediscendum est. Gracchorum eloquentiæ, multum ab infantia sermo matris contulisse scribitur. Hortensii oratio in paterno sinu coaluit. Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in pristinum colorem revocet? Rudis testa diu & saporem retinet & odorem, quo primum imbuta est. Græca narrat historia, Alexandrum potentissimum regem, orbisque dominatorem, & in moribus & in incessu, Leonidis pædagogi sui non potuisse carere vitiis quibus adhuc parvulus fuit infectus. Proclivis est enim malorum æmulatio: & quorum virtutes adsequi nequeas, cito imitaris vitia.

(K) Ephes. vi. 4. Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros...

Instituendi sunt *in disciplina & correptione Domini*, inquit Apostolus. Si quando frigide excipiendi vel corrigendi; videndum ut id ex caritate fiat, urgente ratione, nec ex ullo iracundiæ impetu. Ephes. VI. 4.

3. Ubi id ætas tulerit providendum, ut pro ratione conditionis, & indolis, & ingenii probe, honeste & Christiane collocentur. Cavendum autem ne id fiat ex cupiditate, neve ipsis illa vitæ ratio quæratur, in qua difficilior esset ad salutem via. (L)

4. Cavendum ne inviti adigantur ad aliquod vitæ institutum.

5. Ut servetur inter fratres concordia, videant parentes ne alterum præ alio diligant: servent quantum fieri potest & quantum iura sinunt inter ipsos æqualitatem. (M)

I. Quæ sunt specialia matrum officia in filias adolescentiores?

R. 1. Videant ne sectentur *vani-* Ps. xxxix. 5.

Coloss. III. 21. Patres, nolite ad indignationem provoeare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.

(L) S. Ioan. Chrysost. *in* 1. *ad Thess. Homil.* 5. *num.* 3.....Cum ergo puer creverit, antequam sectetur militiam, & ullum aliud vitæ genus, de eius matrimonio euram gere. Et si ille viderit quod sponsam cito ad eum adducis, & quod breve tempus intercedat, fortiter poterit ferre flammam. Sin autem in mentem ei venerit quod sis socors & negligens, eunčterisque & exspectes, donec magnos possideas proventus, ut tunc ei pares nuptias; ob temporis longitudinem, animum despondens, cito labetur ad scortationem. Sed hei mihi, radix malorum est hic quoque avaritia. Nam quoniam nulli est euræ quomodo temperans, & modestus fiat filius, sed tenentur omnes insano auri amore, hac de caussa huic rei nemo studet. Quamobrem rogo primum ut eorum animos componatis. Si enim ad castam sponsam accesserit, si illius solum corpus viderit, & vehemens erit desiderium, & maior Dei metus; & vere honorabile matrimonium, munda & impolluta corpora suscipiens: & quæ nascentur erunt plena multa benedictione: & alter alteri cedent sponsus & sponsa. Nam eum morum alienorum utrique sint imperiti, subiicientur alter alteri. Iunior autem incipiens lascivire & se dedere libidini, & morum meretriciorum accipere experientiam, usque ad primam quidem & secundam vesperam laudabit suam uxorem: postea autem cito dilabetur ad illam lasciviam, ad risum effusum & immodestum, quærens verba multa illiberalitate plena, molles & fractos gestus, & omnem aliam turpitudinem: quam ut dicamus, minime est tolerandum... Ad vitæ enim societatem, & liberorum procreationem viro fuit desponsata, non ad turpitudinem & risum: ut domum custodiat, ut illum quoque erudiat esse honestum, non ut ipsi exhibeat fomenta scortationis.

Homil. 9. *in Epist.* 1. *ad Timoth. Vide supra hocce §. litt.* (G)

(M) Genes. XXXVII. 3. Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum: fecitque ei tunicam polymitam. Videntes autem fratres eius quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui... Invidebant ei igitur fratres sui... Cumque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Israel: Fratres tui pascunt oves in Sichimis: veni, mittam te ad eos... Perrexit ergo Ioseph post fratres suos, & invenit eos in Dothain. Qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere: Et mutuo loquebantur: Ecce somniator venit: Venite occidamus eum & mittamus in cisternam veterem; dicemusque, Fera pessima devoravit eum: & tunc apparebit quid illi prosint somnia sua... Confestim igitur ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunica talari, & polymita. Miseruntque eum in cisternam veterem quæ non habebat aquam... Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna, ven-

Digitized by Google

tates & insanias falsas: ne patiantur eas superfluo cultu corporis delectari.

2. Ne sinant eas interesse choræis, ludis, spectaculis, aliisve profanis conventibus.

3. Arceant eas a iocis, a publicis deambulationibus, a consortio virorum adolescentium; immo & puellarum ceterarumve mulierum quarum videtur conversatio parum Christiana.

4. Assuefaciant eas maturius labori & curæ rei familiaris & domesticæ. Ne sinant eas torpere otio, vel rebus futilibus occupari. Proponant ipsis sæpius exemplum mulieris fortis, de qua agitur cap. 31. Proverbiorum. (N)

5. Accendant in cordibus earum

---

diderunt eum Ismaelitis, viginti argenteis: qui duxerunt eum in Ægyptum ... Madianitæ vendiderunt Ioseph in Ægypto Putiphari eunucho Pharaonis magistro militum.

S. Ambros. *de Ioseph Patriarcha, cap.* 2. *num.* 5. Instruimur igitur qualis esse debeat affectus parentum, filiorumque gratia. Amare liberos dulce; & impensius amare prædulce: sed frequenter amor ipse patrius, nisi moderationem teneat, nocet liberis; si aut nimia indulgentia dilectum resolvat, aut prælatione unius ceteros ab affectu germanitatis avertat. Plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur. Hæc præclarior munificentia patrum, hæc ditior hereditas filiorum. Iungat liberos æqualis gratia, quos iunxit æqualis natura. Lucrum pietas nescit pecuniæ, in quo pietatis dispendium est. Quid miraris si propter fundum, aut domum oriuntur inter fratres iurgia, quando propter tunicam inter Iacob sancti filios exarsit invidia.

De Iacob & vita beata lib. 2. *cap.* 2. *num.* 5. Sed nec parentes nobis inexcusati relinquendi sunt, quod iuniorem filium seniori prætulerint. Simul cavendum, ne quis dum eorum intendit exemplo, iniquum inter filios habeat iudicium; ut alterum diligendum putet, alterum posthabendum. Hinc enim excitantur odia fraterna, & de vilis incremento pecuniæ facinus parricidale componitur. Eadem foveat prolem mensura pietatis. Esto tamen, ut aliquid sibi amplius circa blandiorem aut similiorem capiat affectus, par debet circa omnes esse forma iustitiæ. Plus confertur dilectio, cui fratrum amor quæritur: plus autem adimitur ei, qui prælationis iniustæ oneratur invidia .... Minitabatur Esau quod fratrem suum occideret, nec fraterna eum germanitas, nec parentum reverentia a parricidali furore revocabat; & dolebat sibi benedictionem esse præreptam, cuius utique dignum se mansuetudine debebat probare, non scelere. Gen. xxvii. 41.

Num. 6. Sed & Rebecca non quasi filium filio, sed quasi iustum præferebat iniusto. Etenim apud matrem piam mysterium pignori præponderabat: illum non tam fratri præferebat, quam offerebat Domino, quem sciebat collatum sibi munus posse servare: in quo & alteri consulebat quem divinæ subducebat offensæ; ne graviore implicaretur reatu, si acceptæ gratiam benedictionis amitteret.

Num. 7. Accipe tamen bonum certamen inter parentes. Mater deferat affectum, pater iudicium. Mater circa iuniorem tenera pietate propendeat: pater circa seniorem naturæ honorificentiam servet. Hic magis honoret, illa plus diligat: dum singuli singulos foveant, non in unum uterque conspirent, defraudent alterum. Fiat æqualitas inter diversa certamina, & disparibus studiis par utrique ac æqualis parentum amor & gratia conferatur: compenset alter, quod alter imminuit. Sic pio affectu Isaac Patriarcha & sancta Rebecca certabant, ut neutrum inferiorem facerent, sed utrumque æqualem.

(N) Proverb. xxxi. 10 Mulierem fortem quis inveniet? procul. & de ultimis finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit. Reddet ei bonum, & non malum, omnibus diebus vitæ suæ. Quæsivit lanam & linum, & operata est consilio manuum

studium orationis, lectionis sacræ, & eorum omnium quæ pertinent ad Dei cultum, vel pauperum curam.

6. Caveant omnino ne illæ agant cum quoquam familiarius, ne indulgeant sibi nimium, ne sensim in vitia propendeant.

7. Habeant eas pro sororibus; agant cum eis benigne; reddant eis vitium odiosum, virtutis studium delectabile. Numquam exhibeant se eis iracundas, impotentes animi, morosas, difficiles; servent coram ipsis in moribus æqualitatem, suavitatem; ne corrigant eas umquam cæco impetu, ne præpostere reprehendant: Teneant in omnibus cum ipsis rectæ rationis modum.

8. Ne cogant eas invitas sive ad Matrimonium sive ad vitæ relligiosæ institutum.

9. Si Matrimonium eligant, quærantur ipsis viri cordati, relligione & pietate commendabiles.

10. Ne tradantur instituendæ monasteriis Monialium vel aliis piis in domibus, nisi constet prius de pietate & recta instituendæ iuventutis ratione, quæ in illis domibus servetur.

11. Si velint virginitatem Deo consecrare & amplecti vitæ regularis institutum; probetur primum earum intentio & vocatio diligenter. Ad probationem hanc adhibeantur viri pii & illis in rebus plurimum experti. Et si quidem ad illud institutum vitæ vocentur, immolentur Deo sacræ victimæ forti & constanti animo a parentibus (O).

I. Qua ratione gerere se debent parentes, in facienda partitione bonorum inter liberos?

R. 1. Caveant sibi parentes ab

---

suarum. Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Consideravit agrum, & emit eum: de fructu manuum suarum plantavit vineam. Accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum. Gustavit, & vidit quia bona est negotiatio eius: non extinguetur in nocte lucerna eius. Manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suæ a frigoribus nivis: omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus. Stragulatam vestem fecit sibi: byssus, & purpura indumentum eius. Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ. Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo, Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die novissimo. Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius. Consideravit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit. Surrexerunt filii eius, & beatissimam prædicaverunt; vir eius, & laudavit eam. Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas. Fallax gratia, & vana est pulcritudo: mulier timens Dominum ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum; & laudent eam in portis opera eius.

S. Hieron. *Epist.* 57. *alias* 7. *ad Laetam, circa medium.* Orationi lectio, lectioni succedat oratio. Breve videbitur tempus, quod tantis dierum varietatibus occupatur. Discat & lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fusum, stamina pollice ducere. Spernat bombycum telas; serum vellera, & aurum in fila lentescens. Talia vestimenta paret, quibus pellatur frigus, non quibus vestita corpora nudentur.

(O) *Hæc omnia pie tractantur & fuse probantur in libro DD. Abbatis* de Fenelon, *post Archiepiscopi Cameracensis Gallice scripto sub hoc titulo:* De institutione virginum: de l'education des filles: *quem adire potes.*

S. Ioan. Chrys. *in Epist.* 1. *ad Timoth.*

avaritia, quæ subinde subrepit sub specie collocandi liberos (P) in eo statu, qui conditionem deceat. Ideoque sumant omnino sibi hoc SS. Augustini & Hieronymi consilium, ut qualem bonorum suorum portionem

Hom. 9. num. 2. Matres, filias vestras recte componite; facilis vobis est huiusmodi cura. Vigilate, ut domi maneanr. Ante omnia autem ad pietatem illas instituite, & ut honestæ sint ac pecunias spernant, ne cultum & ornatum nimis curent. Sic illas nuptiis tradite. Si illas sic efformetis, non ipsas tantum, sed etiam virum, qui illam ducturus est, servabitis; nec virum tantum, sed filios; nec filios solum, sed nepotes. Nam si radix sir bona, surculi quoque in melius proficient & extendentur, horumque omnium mercedem accipietis. Ut igitur non unius animæ utilitati prospicientes, sed multarum per unam; sic omnia faciamus. Ita enim oportet ex paterna domo ad nuptias pergere, ut athletam ex palæstra; illam omni scientia accuratissime instructam, quæ fermenti instar debet totam massam ad suam pulcritudinem reducere. Filii rursum ita verecundi sint, ut ex honestate & castitate magis cognoscantur, ut & apud homines & apud Deum laudem magnam consequantur.

(P) HABAC. II. 9. Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de manu mali. Cogitasti confusionem domui tuæ, concidisti populos multos, & peccavit anima tua. Quia lapis de pariete clamabit: & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, & præparat urbem in iniquitate.

AUCTOR *Homil in aliquot script. loc. in App. Oper.* S. BASILII *num.* 6. Ne causeris liberos, o avare. Liberi sunt? collige ipsis thesaurum æternum. Est enim thesaurus usus pius pecuniarum. Relinque liberis recordationem bonam magis quam divitias multas. Fac benefaciendo ut omnes sint loco patrum filio tuo... Quod si honestus fueris, & bonus unusquisque filium tuum, ut suum enutriet.

Num. 7.... Fac eus doceas & sermonibus bonis, & exemplis utilibus, quales esse oporteat in iis quæ ad Deum attinent.... Hæc est bona hereditas a patre ad filios transmissa.

S. IOAN. CHRYSOST. *in Epist. ad Rom. Hom.* 7. *num.* 7.... Licet ergo caritatem exhibeamus, licet pecunias egentibus erogemus, debitum implemus. Non modo quod ille prior beneficia conferre cœperit, sed quod nos quæ ipsius sunt distribuamus, si erogemus. Cur igitur te illis privas, quorum ille te dominum esse vult? Ideo enim te iussit illa dare alteri, ut tu illa possideas. Donec enim illa retines, nec tu ipse habes: cum vero das alteri, tunc ipsa recepisti. Num quidquam est, quod hunc amorem exæquare possit? Ipse sanguinem pro inimicis effudit; nos vero ne pecunias quidem pro benefactore; ipse sanguinem suum, nos neque pecunias, quæ nostræ non sunt; ipse ante nos, nos autem nec post ipsum; ipse pro salute nostra; nos nec pro nostra utilitate. Neque enim illi quidquam accedit ex nostra benignitate; at lucrum totum ad nos revertitur. Ideo iubemur illa dare, ne ab illis excidamus.... Quid immanius est nobis, qui post tot promissiones, ne quidem ipsi mutuo dare volumus? Ideo deserti, nudi & pauperes ad ipsum migramus, ea quæ nobis concredita sunt non habentes, quia non illa apud eum qui accuratius omnibus servat, deposuimus. Ideoque extremas dabimus pœnas. Quid enim accusati dicere poterimus pro pernicie vitanda? Quam defensionem afferre, quam purgationem? Cur enim non dedisti? Diffidis te rursus eas accepturum? Qui id ratione constare possit? Qui enim dat ei qui non dedit, quanto magis dabit cum acceperit?

Num. 8.... At me, inquies, liberorum chorus circumsistit, cupioque illos divites relinquere. Cur ergo illos pauperes reddis? Si enim illis omnia reliqueris, non tutæ custodiæ tua omnia committis; si vero Deum constituas ipsorum coheredem & curatorem, infinitos illis thesauros relinquis. Sicut enim cum nos ipsos ulciscimur, Deus nos non defendit; cum vero nos ipsi committimus, plus quam exspectabamus accipimus; sic & in pecuniis accidit. Si nos illas curemus, desinet ipse illarum curam habere; si in illum totas coniiciamus, &

Digitized by Google

singulis suis liberis & impendunt quotannis, & sunt post mortem relicturi, talem vel pauperibus vel in alios pios usus & impendant quotannis, & testamento relinquant (Q).

2. Id curent ut æqualis fere sin-

---

ipsas & filios in omni securitate constituet. Ecquid miraris si id in Deo usuveniat com apud homines idipsum videas? Nam si moriens propinquorum neminem liberorum curatorem advoces; pudore & verecundia plerumque detinetur is, qui admodum cupit in tutelam illam involare; sin autem in illum curam hujusmodi reieceris, utpote maximo cultus honore, maximam & ipse reddet vicem.

Num. 9. Si vis ergo liberis divitias multas relinquere, Dei providentiam illis relinquito. Qui enim, nihil te agente, animam tibi dedit & corpus efformavit, vitamque largitus est; cum videbit te tantam liberalitatem exhibere, & bona cum filiis ipsi tradere, annon illis divitias omnes aperiet? Si enim Elias modica farina nutritus, quia vidit mulierem illam ipsum filiis suis prætulisse, ureas & torcularia in domuncula viduæ exhibuit; cogita quantam tibi Eliæ Dominus benevolentiam exhibiturus est. Ne igitur illud spectemus, quo pacto filios divites relinquemus; sed qopmodo virtute præditos. Nam si illi in divitiis confidant, nihil aliud curabunt, utpote qui morum improbitatem sub pecuniarum copia quasi sub umbra tegere possint. Si autem viderint se opum solatio destitutos, nihil non agent, ut ex virtute multam sibi in paupertate consolationem pariant. Ne igitur opes illis relinquas, ut relinquas virtutem. Nam extremæ dementiæ fuerit dum vivimus nullum ipsis tradere facultatum omnium dominium, & post mortem nostram, iuventuti multam parare licentiam. Atqui dum vivimus possumus ab illis rationes repetere, & male facultatibus usos, emendare frenareque; post mortem vero, si illi, nobis vita functis, iuventuti divitias reliquerimus, in sexcenta præcipitia miseros impellimus, ignem in ignem coniicientes, & in caminum ardentem oleum infundentes. Itaque si vis illos sine periculo divites relinquere, relinque ipsis debitorem Deum, ipsique trade chirographum. Illi namque si pecunias accipiant, cui tradant nesciunt, & in multos incident sycophantas atque ingratos. Si vero tu prævertens illa, Deo mutuo dederis, tutus manebit thesaurus, ac multa cum facilitate reddetur. Etenim gratiam nobis habet Deus cum debitum reddit, ac feneratores suos libentius quam eos qui non fenerati sunt videt, eosque maxime diligit, quibus maxime debet.

Homil. 9. in 1. *ad Timoth. Vide supra hocce §. litt.* (I)

(Q) S. Hieron. *Epist.* 92. *ad Iulian. alias* 34. Quondam dives adolescens omnia quæ in lege præcepta sunt, se implesse iactabat. Ad quem Dominus in Evangelio *Unum*, inquit, *tibi deest: si vis perfectus esse vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni sequere me.* [Matth. xix. 21.] Qui omnia se fecisse dicebat, in primo certamine divitias vincere non potest. Unde & difficile intrant divites in regna cælorum: quæ expeditos, & alarum levitate subnixos, habitatores desiderant. *Vade*, inquit, *& vende* non partem substantiæ, *sed universa quæ possides, & da pauperibus:* non amicis, non consanguineis, non propinquis, non uxori, non liberis; plus aliquid addam: Nihil tibi ex omnibus metu inopiæ reservans, nec cum Anania damneris, & Saphira; sed da cuncta pauperibus, & *fac tibi amicos de iniquo mammona, qui te recipiant in æterna tabernacula*, [Luc. xvi. 9] ut me sequaris, ut Dominum mundi, possessionem habeas; ut possis canere cum Propheta: *Pars mea Dominus*, [Psal. xv. 5. & lxxii. 26.] & ut verus Levita nihil de terrena hereditate possideas. Et hoc hortor: si vis esse perfectus; si Apostolicæ dignitatis colmen cupis; si sublata Cruce Christum sequi; si apprehenso aratro non respicere post tergum; si in sublimi tecto positus, pristina vestimenta contemnis; & ut evadas Ægyptiam dominam, secoli pallium derelinquas. Unde & Elias ad cælorum regna festinans, non potest ire cum pallio; sed mundi in mundo vestimenta dimittit. Sed hoc ais, Apostolicæ dignitatis est, & eius qui velit esse perfectus. Cur autem & tu nolis esse perfectus? Cur qui in seculo pıimus es, non in Christi familia

primus sis? An quia uxorem habueris? Haboit & Petrus, & tamen cum reti eam & navicula dereliqoit. Providentissimus Duminus & omniom salutem desiderans, malenıqoe pœnitentiam peecatoris quam murtem, absrulit tibi hanc exeusatiunem, ut nun illa te retrahat ad terras, sed ut eam sequaris ad paradisi eegna trahentem. Bona liberis pares, qui te ad Dominom præcesserunt; ut partes eorum nun in divitias soruris proficiaut, sed in redemptionem animæ tuæ, atque alimenta miserorum. Hæc monilia filiæ tuæ a te expetunt; his gemmis ornari capira sua vulunt. Quod periturum erat in sericu, vilibus pauperum tunieis servetur. Repetunt a te partes suas; iunctæ sponso nulunt videri pauperes, & ignubiles propria ornamenta desiderant.

Epist. 7. *ad Hedib. tom.* 4. *part.* 1. *pag.* 170. *alias* 150. Dieunt Apostoli se omnia quæ sua fuerant dimisisse, & mereedem pro hae virture audactee expuscunt. Quibus respondit Dominus:
Matth. xix. 29. *Omnis qui relinquit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* O quanta beatitudo, pru parvis magna reeipere, æterna pro brevibus pro morituris semper viventia; & habere Dominum debitorem! Si qua autem vidua habet liberos, & maxime si nubilis familiæ est, egentes filius non dimittat, sed ex æqualirate ut meminerit primum animæ suæ & ipsam potet esse de filiis: & partiatur potius cum liberis, quam umnia filiis derelinquat; immo Christum liberotum suorum faeiat coheeedem.

S. August. *Serm.* 9. *de decem Chord. alias* 96. *cap.* 12. *num.* 20. Nuli pareere thesauris cadueis, thesauris vanis. Nuli sub imagine pietatis augere peconiam. Filiis meis servo: magna excosatiu, Filiis meis servo. Videamus: servat tibi pater tuus, servas tu filiis tuis, filii tui filiis suis, & sic pee omues, & nullus facturus est praeepta Dei. Quare non illi putius impendis umnia, qui te feeit ex uihilu? Qui te feeit, ipse te pascit ex his quæ feeit, ipse paseit & filius toos. Neque enim melius eommittis filius tuos patrimunio tuo, quam Creaturi tuo. Et mentiuntur qoidem homines. Mala est avaritia: palliare se vulunt nomiue pietatis, & dealbare, ut quasi propter filios videantur servare huminrs, quod propter avaritiam servant. Nam ut noveritis quia sic plerumque contingit, dicitur de quoquam, Quare non facit eleemusynam? Quia servat filiis suis. Contingit ut amittat unum: si prupter filios servabat, mittat post illum partem suam. Qoare illam tenet in saeeulo, & illum relinquit ab animu? Redde illi quod suum est, redde quod illi servabas. Mortuus est, inquit, sed præcessit ad Denm, pars ipsius pauperibus debetur; illi debetur, ad quem perrexit; Christo deberur, ad ipsum enim perrexit: & ipse dixit, Qui uni ex minimis istis fecit, mihi feeit, & qui uni ex minimis istis non fecit, mihi nun fecit. Sed quid dicis? Servu fratribus ipsius. Si viveret ille, non erat cum suis fratribus divisurus? O fides murtua! Murtuus est enim filius tuus? Quidquid dieas, mortuo debes quud vivo servabas. Mortuus est filius meus, sed tamen partem filii mei servo fratribus ipsius. Sie credis quia mortuus est? Si pro illo Christus mortuos non est, murtuus est ipse: si autem est in te fides, vivit filius tuus. Vivit prorsus; non decessit, sed præeessit. Qoa frunte venturus es ad filium tuum qui præcessit, eui præcedenti nun mitris partem suam in cælum? An non potest mitti in cælum? Putest prorsus. Audi ipsum Duminom dieentem, *Thesaurizate vobis thesauros in cælo.* Si ergo ille thesaurus melius custoditur in cælo, numquid tunc non mittendus est filiu, quando si missus fuerit, nou peribit? Tenebitur hie obi potest perire, nun mittitur illuc ubi Christus est custos? Certe ea quæ hic tenes, & nun vis mittere post filiom tuum, quibus commendas? Actoribus tuis commendas illius parrem qui præeessit, & Christo nun cummendas ad quem præcessit? an idoneus est tibi procuratur tuus, minus iduneus Christus?

Pars.III. Sect. I. Cap.VIII. §. 7.

Matth. xxv. 40. &c.

Ibid. vi. 20.

Cap. 13. *num.* 21. Videtis, Fratres, quia mendacium est quod dicunt humines, Filiis meis servu. Mendacium est, Fratres mei, mendaeium est: avari sunt homines.

Serm. 86. *alias de diversis* 43. *de verb. Evang. Matth.* 19. *cap.* 8. *num.* 9.. Adhuc senex incurvus, bacolo innixus, lucrum quærit, & audit avaritiam dieentem, Consule in posterum. In quud posterum? Iam exspirans loquitur; Propter filios tuus, inquit. Utinam vel illos senes

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 7.

non avaros haberemus, qui filios non habent. Etiam ipsis, etiam talibus, etiam iniquitatem suam nulla pietatis imagine excusantibus non cessat dicere, Consule in posterum. Sed forte ipsi cito erubescunt: illos videamus qui filios habent, utrum certi sint filios suos possessuros esse quæ reliquerint. Intendant com vivunt, filios aliorum, alios alienis improbitatibus quod habuerant amittentes, alios propria nequitia quod possederant consumentes: & remanent inopes filii divitum. Parcite nasci servi avaritiæ. Sed possidebunt hoc, inquit, filii mei. Incertum est: non dico, falsum est: sed quod feceris, incertum est. Postremo, fac certum: quid eis vis relinquere? Quod acquisisti tibi.

Cap. 9. num 10 Refutata sunt consilia avaritiæ: sed Dominus eadem dicat, iustitia iam loquatur: ipsa erunt verba, non ipsa sententia. Serva tibi, ait Dominus tuus, consule in posterum. Et hunc interroga, ubi servabo, *Habebis thesaurum in cælo*: ubi fur non accedet, neque tinea corrumpet.

Matth. XIX. 21.

N 11. Restat ut dicas, Et quid ago de filiis meis? Audi & inde consilium Domini tui. Si tibi dicat Dominus tuus, Melius ego cogito qui creavi, quam tu qui generasti: forte quod dicas non habebis. Sed divitem illum ad spectaturus es qui tristis abscessit; & in Evangelio reprehensus est; & dices tibi forte, Ille dives ideo male fecit non vendere omnia, & date pauperibus, quia filios non habebat: ego autem habeo filios; habeo quibus servem. Et in hac infirmitate consistit tibi Dominus tuus.

Cap. 10. Audeam dicere per eius misericordiam; audeam dicere aliquid, non de mea præsumptione, sed de ipsius miseratione. Serva & filiis tuis: sed audi me. Si ut sunt humana, de filiis quisque suis aliquem amiserit: intendite Fratres, intendite, quia avaritia excusationem non habet, neque hic, neque in futuro seculo. Ecce & humana sunt: non enim optamus, sed exempla conspicimus. Amissus est aliquis Christianus, Christianum filium amisisti: non ergo amisisti, sed præmisisti. Neque enim ille decessit, sed præcessit. Interroga fidem tuam: certe & tu illo iturus es quo ille antecessit. Rem brevem dico, cui puto quod nemo respondeat. Vivit filius tuus? Interroga fidem tuam. Si ergo vivit, quare invaditur pars eius a fratribus eius? Sed dices, Numquid rediturus est, & possessurus? Mittatur ergo illi quo præcessit ille: ad rem suam venire non potest, res eius ad eum ire potest. Vide cum quo sit. Si in palatio militaret filius tuus, & amicus Imperatoris fieret, & diceret tibi, Vende ibi partem meam, mitte mihi: numquid invenires quid responderes? Modo cum Imperatore omnium Imperatorum, & cum Rege omnium Regum, & cum Domino omnium Dominorum, est filius tuus: mitte illi. Non dico, necessarium habet ipse: Dominus ipsius, apud quem est filius tuus, eget in terra. Hic vult accipere quod dat in cælo. Quod facere nonnulli avari solent fac traiectitium: da in peregrinos, quod recipias in patria tua.

Cap. 11 *n.* 12 Postremo iam de te nihil, de filio tuo loquor. Dubitas dare tuum, dubitas & reddere alienum: certe convinceris, quia non filiis tuis servabas. Ecce non das filiis tuis, quia tolles filiis tuis. Huic certe tolles. Quare indignus est accipere, quia cum digniore vivit? Merito si ille cum quo vivit nollet accipere, iam domui tuæ, sed domui divinæ dives. Absit ergo ut tibi dicam, Da quod habes: sed dico tibi, Redde quod debes. Sed habebunt illud, ais, fratres illius. O mala doctrina, docens filios tuos mortem optare fratribus suis. Si de re fratris sui mortui ditiores erunt, vide quemadmodum se adtendant in domo tua. Quid ergo facies? Patrimonium dividis, & parricidia doces.

N. 13. Sed nolo dicere de uno amisso, ne casus humanos videar minari. Melius quodam modo prosperiusque loquamur. Non dico, Unum minus habebis, computa quia unum plus habes. Fac locum Christo cum filiis tuis, accedat familiæ tuæ Dominus tuus, accedat ad prolem Creator tuus, accedat ad numerum filiorum tuorum frater tuus. Cum enim tantom intersit; & frater esse dignatus est. Et cum sit Patri unicus, voluit ha ere coheredes. Ecce ille quam largiter! Tu quare tam steriliter? Duos filios habes, tertium illum computa: tres habes, quartus numeretur: quintum habes, sextus dicatur: decem habes, undecimus sit. Nolo amplius dicere: unius filii tui serva locum Domino tuo. Quod enim dabis Domino tuo, & tibi proderit & filiis tuis: quod autem male servas filiis tuis, & tibi

gulis portio bonorum patrimonialium cedat; nisi caussa legitima subsit alium augendi præ alio, vel iure plus uni quam alteri debeatur (R).

§. 8. *Quæ sint officia Coniugatorum erga famulos.*

I. Quæ sunt officia coniugatorum erga famulos domesticos?

R. Gerere se debent pro illorum parentibus & pastoribus, adeoque eos ex corde diligere, eorumque rebus omnibus tam spiritualibus quam temporalibus providere & consulere. Hoc unum est ex præcipuis coniugatorum officiis, quorum erit ratio in die iudicii reddenda (A).

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 8.

I. Qua ratione debent providere

---

oberit & filiis. Dabis autem portionem unam, quam unius filii deputasti. Deputa te unum amplius genuisse.

Enarrat. in Ps. XXXVIII. *n.* 11. *in fine.* Dic mihi, thesaurizas, cui congregabis ea?... Dicturus es, Filiis meis servo. Hæc est vox pietatis, excusatio iniquitatis: Filiis meis, inquis, servo.

Num 12... Transis tu, & servas transeunti filio tuo. Primo hoc a te quæro, scis eum possessurum cui servas? aut si nondum natus est, scis nasciturum? Servas filiis, incertum est an futuris, an possessuris: nec reponis thesaurum ubi reponendus est... Certe servire vis avaritiæ: vide ne forte, & ipsi avaritiæ congruat consilium meum. Habere enim vis quod habes, & non perdere: ostendo tibi locum ubi ponas. Ne thesaurizes in terra, nesciens cui congreges ea, & postea quemadmodum consumpturus sit qui possidebit, qui tenebit. Forte enim possessus possidebit, & quod a te habebit non tenebit. Forte cum ei servas, antequam ille veniat tu perdes. Sollicitudini tuæ consilium do: Thesaurizate vobis thesaurum in cælo... Filios habes: unum plos numeta, & da aliquid & Christo.

Matth. VI. 20.

Enarrat. in Ps. XLVIII. *Serm.* 1. *num.* 14.... Ergo felices illi qui relinquunt filios in possessione sua, quibus sui succedunt. Habuit filios, non est mortuus. Quid filii ipsius? Et ipsi servant quod eis reliquerunt parentes sui: parum est quia servant; & augent. Quibus & ipsi servant? Filiis suis, & illi filiis, & tertii filiis. Quid Christo? quid animæ suæ? Omnia filiis? Inter filios suos quos habent in terra, computent unum fratrem quem habent in cælo: cui totum dare debebant, vel dividant cum illo.

(R) S. Ambros. *lib.* 5. *in Hexameron. cap.* 18. *num.* 58.... Feminæ nostri generis cito ablactant etiam illos quos diligunt (*filios*:) aut si ditiores sunt lactare fastidiunt. Pauperiores vero abiiciunt parvulos & exponunt, & deprehensos abnegant. Ipsæ quoque divites, ne per plures suum patrimonium dividatur, in utero proprios necant fœtus, & parricidalibus succis in ipso genitali alvo pignora sui ventris extinguunt, priusque aufertur vita, quam tradatur. Quis docuit nisi homo filios abdicari? Quis reperit tam immitia Patrum iura? Quis inter naturæ fraterna consortia fratres impares fecit? Unius divitis filii diversa sorte cæduntur. Alius totius paternæ sortis adscriptionibus inundatur: alius opulentæ hereditatis patriæ deplorat exhaustam atque inopem portionem. Numquid natura divisit merita filiorum? Ex pari omnibus tribuit, quod ad nascendi atque vivendi possint habere substantiam. Ipsa vos doceat non discernere patrimonio, qoos titulo germanitatis æquastis. Etenim quibus dedistis communiter esse quod nati sunt, non debetis his, ut id communiter habeant in quod a natura substituti sunt, invidere.

(A) Eccli. VII. 22. Non lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua: non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.

Ephes. VI. 9. Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas; scientes quia & illorum, & vester Dominus est in cælis: & personarum acceptio non est apud eum.

Coloss. IV. 1. Domini, quod iustum est

PARS III. SECT. I. CAP. VIII. §. 8.

& æquum servis præstate: scientes quod & vos Dominum habetis in cælo.

I. TIMOTH. v. 8. Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.

S. CLEMENS ALEXANDR. *Lib.* 3. *Pædag. cap.* 11. Neque vero tamquam jumentis famulis utendum est, ei qui fuerit sanæ mentis. Quemadmodum enim illis

1. Pet. ii. 18. præcipitur, ut *cum omni metu dominis, non solum bonis & clementibus, sed morosis etiam & pravis*, ait Petrus, *subiiciontur*: ita æquitas, & patientia, & benignitas, dominis pulere convenit. In

1. Petr. iii. 8. & 9. summa, estote, inquit, omnes unanimes, misericordes, fratrum amantes, bonis visceribus præditi, humiles... ut bonæ cuiusdam & amabilis benedictionis heredes sitis.

S. HIERON. *Epist.* 18. *alias* 22. *ad Eustochium circa medium*. Si quæ ancillulæ sunt comites propositi tui, (*id est virginitatis*) ne erigaris adversus eas, ne infleris ut domina. Unum sponsum habere cœpistis, simul psallitis. Christi simul corpus accipitis, cur mensa diversa sit? Provocentur & aliæ. Honor virginum, sit invitatio cæterarum. Quod si aliquam senseris infirmiorem in fide, suscipe, consolare, blandire, & pudicitiam illius fac lucrum tuum.

Epist. 97. *alias* 8. *ad Demetriad. circa medium*. Eunuchorum quoque tibi & puellarum ac servulorum mores magis eligantur quam vultuum elegantia, quia in omni sexu & ætate,... animi considerandi sunt.

S. AUGUST. *Serm.* 94. *de Verb. Evang. Marc. alias* 51. *de Sanctis*.... Ubi reprehenditur Christus, defendite: murmuratoribus respondete, blasphematores corripite, ab eorum vos societate alienate.... Agite vicem nostram in domibus vestris... Unusquisque ergo in domo sua, si caput est domui suæ, debet ad eum pertinere Episcopatus officium, quomodo sui credant, ne aliqui ipsorum in hæresim incurrant, ne uxor, ne filius, ne

Ephes. vi. 5. & Tit. ii. 9. filia, ne ipse servus, quia tanti est emtus. Disciplina Apostolica præposuit dominum servo, & servum subdidit domino: Christus tamen pro ambobus unum pretium dedit. Minimos vestros nolite contemnere, domesticorum vestrorum salutem omni vigilantia procurate. Hæc si facitis, erogatis: pigri servi non critis, damnationem tam detestandam non timebitis.

In Psal. L. *ad populum Carthaginensem, num.* 1..... Ne saucios & languidos negligatis, sed ut facilius sanetis, sani permanere debetis. Corrigite arguendo, consolamini alloquendo, exemplum præbete bene vivendo, aderit eis qui adfuit & vobis.

Num. 24.... Cum tolerantia vivendum est nobis inter malos: quia cum mali essemus, cum tolerantia vixerunt boni inter nos. Non obliviscentes quid fuerimus, non desperabimus de his qui nunc sunt quod fuimus. Verumtamen, carissimi, in tanta morum diversitate, & tam detestabili corruptela, regite domos vestras, regite filios vestros, regite familias vestras. Quomodo ad nos pertinet in Ecclesia loqui vobis, sic ad vos pertinet in domibus vestris agere, ut bonam rationem reddatis de his qui vobis sunt subditi. Amat Deus disciplinam. Perversa autem & falsa innocentia est, habenas laxare peccatis. Valde inutiliter valde perniciose sentit filius patris lenitatem (*vel servus domini*) ut postea Dei sentiat severitatem: & hoc non solus, sed cum dissoluto patre suo. Quid enim? Si ipse non peccat, & non facit quod filius eius, ideo non debet ab ipsa nequitia filium prohibere? An forte ut videatur filio eius quia & pater talia faceret, nisi senuisset? Peccatum quod tibi non displicet in filio tuo, delectat te; sed ætas deseruit, non cupiditas. Maxime, Fratres mei, filios vestros fideles adtendite, quos fide dixistis ut baptizarentur. Sed forte negligit malus filius vel monita patris, vel obiurgationem, vel severitatem: tu imple personam tuam, Deus de illo exigit suam.

Enar. in Psal. lxix. *num.* 7..... Dixi Psal. xv. 2. *Domino, Deus meus es tu*. Quare? *Quoniam bonorum meorum non eges*. Ille non eget nostri, nos egemus ipsius: ideo verus Dominus. Nam tu non valde verus dominus servi tui: ambo homines, ambo egentes Deo. Si autem putas egere tui servum tuum, ut des panem; eges & tu servi tui, ut adiuvet labores tuos. Uterque vestrum altero vestrum indiget. Itaque nullus vestrum vere dominus, & nullus vestrum vere servus.

De Serm. Dom. in monte sec. Matth. lib. 1. *cap.* 19. *num.* 59..... Non enim Christianum oportet sic possidere ser-

vum, quomodo equom aut argentum: quamquam fieri possit, ut maiore pretio valear eqous quam servus, & multo magis aliquid aureum vel argenteom. Sed ille servos, si rectius & honestius & ad Deum colendum accommodatius abs te domino educatut, aut regitur, quam ab illo potest qui eum cupit auferre; nescio urrum quisquam dicere audeat, ut vestimentum eum debere contemni. Hominem namque homo tamquam seipsum diligere debet; cui ab omnium Domino ... etiam ut ioimicos diligat imperatur.

In Ioan. Evang. cap. XII. *Tractat.* 51. *num.* 13..... Etiam vos pro modo vestro ministrate Christo, bene vivendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinamque eius quibus potoeritis prædicando; ut unosquisque etiam pater-familias hoc oomine agnoscat paternum affectum soæ familiæ se debere. Pro Christo & pro vita æterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam: ita io domo sua Ecclesiasticom & quodammodo Episcopale implebit officium, ministrans Christo ur in ærernum sit cum ipso.

In Epist. Ioan. cap. IV. *Tractat.* 8. *n.* 14. Deus non indiget servis, sed servi Deo: ideo dicit Psalmus, *Dixi Domino, Deus meus es tu*. Ipse est verus Dominus. Et quid air? *Quoniam bonorum meorum non eges*. Tu eges bono servi tui. Eget servus bono tuo, ut pascas illom: eges & tu bono servi tui ut adiuvet te. Non tibi potes aquam implere, non tibi potes coquere, non tibi potes ante eqoum currere, iumentum tuum non potes corare. Vides, quia indiges bono servi tui, obseqoio illius indiges. Non ea ergo verus domioos, quando indiges inferiore. Ille est verus Dominus, qui nihil a nobis quærit: & væ nobis, si eum non quæramus. Nihil a nobis quærit: & quæsivit nos, cum eum non quæreremus.

Psal. XV. 2.

Concil. Mediol. III. *sub.* S. Carolo, *titulo de iis, quæ ad Matrimonii Sacramentum pertinent*. Sicut uberrimum ab optima institutione præmiom pater-familias capiet, qoicumque liberos, familiamque suam ad Dei cultum, & ad pietatis, christianarumqoe virtutum disciplinam erudierit: ita quicumqoe debitom hoc paternæ curæ officium neglexerit, vel prætermiserit, is exspectet, ut *in die Domini sibi durissimum iudicium fiat*.

De familiæ igitor suæ salute in primis sollicitus, tom bonorum operum exemplo, tum crebris cohortarionibus se ei magistrum præbeat ac docem, ad pie, sanctcque agendum.

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 8.

Curet autem, ut nemo qoisquam de familia sua sit, qui Chrisrianæ fidei rudimentis instructus non sir, sive filii filiæque sint, sive servi & aocillæ, sive alii in famulatu suo.

Quam ob caossam ad illius scholas, quos de familia sua rudes norit, convenire iobeat; sique cam ampliorem habet, domi etiam instrui studeat; idque ad præscriptas interrogationes patvuli libri, eo nomine editi ad provinciæ usom.

Ut stata ora, datis institutæ orationis communis signis campanarum sono, illa omnis certo loco congregata ad præscriptum temporis spatium sancte oret, & precetur.

Ut freqoenter illa universa confiteatur, & sacram Eucharistiam somat.

Ut singolis diebus Missæ sacrificio intersit, aut saltem in vigiliis, & statis ieiuniorum temporibus, Quadragesimæ diebos id præstet: festis autem diebos, ut ne quis de soa familia interesse ullo mndo omittat.

Ut festis præterea diebos ad sacras conciones, lectiones, supplicationes, divina officia, aliasque pietatis Christianæ exercitationes conveniat.

Ut ne quis iis sacris diebus opus servile faciat.

Ut vigilias & quatuor temporum & Quadragesimæ & alia stata ieionia illi in familia servent, qoibus Ecclesiæ præcepto iossum esr.

Quo autem tempore, vel iubilæa celebrantur, vel supplicationes publicæ processionibus fiunt, familiam sæpe moneat, illis sanctis actionibus pie interesse.

Certis item piorum hominum institutis sodalitatibus unumquemque de familia soa adscribi admoneat; qoo se qoisqoe ardentiori studio exerceat in operibus pietatis.

Ne patiatur in familia esse qoempiam qui blasphemus sir, qoi periurus; qui item cotruptis moribus utatur, qui obscœne quidqoam, vel loquatur, vel agat, vel aleis ludat; qoi denique ceteris torpis vitæ exemplum præbeat.

De vitæ præterea spiritualis ratione, & piis exercitationibus, aut de vitis Sanctorum probatos Sacerdotis Confessarii

Digitized by Google

ut habeant necessaria quoad animam?

R. Debent hoc agere omnino, 1. ut servent præcepta Dei & Ecclesiæ.

2. Ut informentur Christianæ fidei rudimentis, & illis potissimum officiis quæ spectant ad statum famulorum.

3. Ut frequentes adsint sacris officiis & concionibus seu catechismis in Ecclesia Parochiali.

4. Ut ne iuramentis, compotationibus, ludis, otio assuescant; ne forte otiosi, ad nequitiam & libidines adducantur: adeoque detur illis assidua occupatio.

5. Ne ullam viri seu adolescentes cum puellis in eadem domo famulantibus habeant consuetudinem, ne familiariora inter se colloquia misceant.

6. Exemplis heroum adducantur ad studium virtutis.

---

iudicio libros, in quorum lectione familia aliquando versetur, domum suam introducat, exclusis obscœne, turpiter, iocose conscriptis, aliisque id generis libris, unde morum institutionisque corruptela exsistere possit.

Ut autem in domesticæ disciplinæ institutionisque officiis illa omnis accuratius se contineat; eam aliquando paterfamilias recognoscat, inspiciatque in primis quæ universæ suæ domus Christiana institutio, qui singulorum mores, quæve pietatis, vitæque spiritualis progressio.

Quicumque vero mercaturam artemque aliquam exercent non domi solum, sed in suis officinis & tabernis Christianæ vitæ rationes has operatiis, institoribusve suis constituant.

Has domesticæ institutionis regulas Parochus per annum aliquando, prout e re esse viderit, frequenti populo explicet: tum sæpissime & publicis sermonibus, & privatis colloquiis patres-familias Parochiæ suæ incolas id moneat atque hortetur, ut quæ eorum propria officia sunt, & munera in familiæ institutione, ea præstare velint paternæ curæ studio.

Quod cohortationis studium etiam Concionatores, & Confessarii Sacerdotes, quam frequentissime prout opportunum esse censuerint, caritatis zelo præstent.

Parochus præterea, ubi aliquando in artificum, mercatorumve officinis, quæ intra fines Parochiæ suæ sunt, ab operatiis, aliisve, qui illic artem exercent, aliquid committi intellexerit, quod depravatæ, dissolutæque disciplinæ sit, quod offensionem in parochia præbeat, quodque a Christianæ institutionis moribus alienum, id officinarum dominos admoneat, ut quidquid illis locis corruptelarum est, inde eripiatur.

Concil. Mediol. V. *sub* S. Carolo *Part.* I. *Tit. de iis, quæ ad Matrimonium pertinent.* Nulla est amplior hereditas, nec præclarius patrimonium, quod parentes suis liberis relinquere, neque maius pretium, honestioremque mercedem, quam domini iis qui sibi in servitute operam dant, pro fideli eorum famulatu tribuere ac persolvere possunt, quam si effecerint, ut boni Christiani evadant; quæ virtus omni terreno thesauro multo pretiosior est censenda.

Quamobrem qui in aliqua domo, atque familia duces sunt, curabunt diligenter, ut omnes quicumque suo sub imperio & ditione vivunt, ieiunia colant, divini verbi prædicationem crebro audiant; Sacramentis frequenter utantur, & omnia demum veri Christiani officia exerceant. Famulorum autem domini non solum diebus festis tantum eis liberi temporis concedere curent, ut eiusmodi officiis vacare possint; sed crebris item eos ac paternis hortationibus excitare non desistant, ne in studio eiusmodi tam salutari segniores, neque negligentiores exsistant: in quo si parentes ipsi aut domini suo officio in his defuerint; procul dubio exspectent fore, sibi ut ante severissimum Christi Domini tribunal culpæ tribuantur peccata omnia, quæ liberi vel famuli non commisissent, si suas illi partes, in hoc aliisque eiusmodi decretis præscriptas, sibique maxime debitas præstitissent.

7. Qui corrigi nequeunt expellantur, ne pravum eorum exemplum ceteros inficiat & corrumpat.

8. Omnes heros experiantur erga se benignos & benevolos: sed illi præ ceteris amentur & foveantur & remunerentur qui servierint magis liberaliter ut Christianos famulos decet. Caveatur tamen a nimia cum illis familiaritate; hinc enim oritur ut plurimum in famulorum mente superbia.

I. Quid agere debent heri, ut temporalibus famulorum necessitatibus consulatur?

R. 1. Quam ex pacto meruerunt mercedem servitutis, ea quam primum & quam fidelissime persolvatur. (B)

2. Præstetur ipsis eorumque consanguineis & affinibus omne genus officiorum, servata tamen in omnibus æqui verique regula. (C)

3. Augenda pro meritis merces: & hoc agendum ut post exactam liberaliter servitutem, tandem bene & honeste pro sua conditione collocentur. (D)

§. 9. *De Divortio.*

I. Numquamne potest Matrimonium dissolvi?

R. Matrimonium, si de dissolutione quoad vinculum sermo sit, sola morte alterutrius coniugis dissolvi potest, ubi & sine ullo dirimenti impedimento celebratum, & consummatum est. (A)

Quod si sollemniter quidem celebratum sit, sed nondum consummatum, per sollemnem relligionis

---

(B) Levit. xix. 13.... Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.

Deuteron xxiv. 15 Sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.

Tobi. iv. 15. Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat.

Iacob. v. 4. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.

(C) Genes. xv. 2. Dixitque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absque liberis, & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer.

3 Addiditque Abram: Mihi autem non dedisti semen, & ecce vernaculus meus, heres meus erit.

(D) Eccli. vii. 22. *Vide supra hocce §. litt.* (A)

xxxiii. 28. Servo malevolo tortura & compedes, mitte illum in operationem, ne vacet. Multam enim malitiam docuit otiositas. In opera constitue eum: sic enim condecet illum. Quod si non obaudierit, curva illum compedibus, & non amplifices super omnem carnem; verum sine iudicio nihil facias grave. Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta: quoniam in sanguine animæ comparasti illum. Si læseris eum iniuste, in fugam convertetur: Et si extollens discesserit, quem quæras, & in qua via quæras illum, nescis.

(A) Matth. v. 31. Dictum est: quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis caussa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat.

xix. 7. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem

Digitized by Google

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 9.

professionem alterius coniugum dissolvitur quoad vinculum; potestque idcirco coniugum alter altero inconsulto, ante matrimonii consummationem adire Monasterium, suscepturus ibi relligionis habitum, & post probationem canonicam emissurus vota sollemnia. Quibus emissis licet alteri novas inire nuptias. (B)

I. Videtur hæc tua distinctio non satis cohærere cum his verbis Christi, *Quod Deus coniunxit, homo non separet*. (Matth. xix. 6.) Post celebratum enim cum sollemni Ecclesiæ benedictione matrimonium, coniuges ab ipso Deo coniuncti sunt, ut patet ex his verbis a Sacerdote prolatis in ipsa matrimonii celebratione: *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob ipse vos coniungat; & Ego coniungo vos in matrimonium. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Certe his verbis coniuges ante matrimonii consummationem a Deo ipso per ministerium Sacerdotis coniuncti sunt; non licet ergo tunc illos ante alterutrius obitum quacumque ex caussa separari?

R. Conditio hæc omnibus matrimoniis ex Ecclesiæ lege apposita est, ut possit per sollemnem relligionis professionem matrimonium nondum consummatum dissolvi. Nullum ergo matrimonium celebratur nisi sub illa conditione. Itaque ante matrimonii consummationem dici non possunt coniuges absolute & sine conditione inter se a Deo ipso coniuncti; nec habetur absoluta illa coniunctio, nisi per matrimonii consummationem. (C)

---

non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.

Marc. x. 11. Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum & alii nupserit, mœchatur.

Luc. xvi. 18. Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam a viro ducit, mœchatur.

Rom. vii. 2. Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.

1. Cor. vii. 10. Iis autem, qui Matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.

(B) Concil. Trident. *Sess.* 24. *can.* 6. *de Matrim.* Si quis dixerit, Matrimonium ratum non consummatum per sollemnem relligionis professionem alterius coniugum, non dirimi; anathema sit.

(C) S. Thom. 3. *pars. supp. Quæst.* 53. *art.* 2. *in Conclus.* Respondeo dicendum quod omnes dicunt quod sicut votum sollemne impedit (*Matrimonium*) contrahendum, ita dirimit iam contractum... Votum sollemne ex sui natura habet quod dirimat Matrimonium contractum, in quantum scilicet per ipsum homo sui corporis amisit potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens. Et ideo non potest ipsum tradere in potestatem uxoris Matrimonium contrahendo: Et quia Matrimonium quod sequitur tale votum. nullum est; ideo tale votum dirimere dicitur Matrimonium contractum.

Quæst. 61. *art.* 2. *in Conclus.* Respondeo dicendum quod ante carnalem copulam est inter coniuges tantum spiri-

Digitized by Google

rituale vinculum, sed postea etiam est inter eos vinculum carnale: Et ideo sicut post carnalem copulam Matrimonium solvitur per mortem carnalem, ita per ingressum relligionis vinculum quod est ante carnalem copulam, solvitur: quia relligio est quædam mors spiritualis qua aliquis seculo moriens, vivit Deo.

Ad secundum, dicendum quod ante carnalem copulam non est omnino translatum corpus unius sub potestate alterius, sed sub conditione; si interea alter coniugum ad frugem melioris vitæ non convolet: sed per carnalem copulam completur dicta translatio; quia tunc intrat uterque in corporalem possessionem sibi traditæ potestatis, *Iuxta rescriptum* Alexandri IV. *ad Episcopum Brixiensem*, Extr. *de conversione coniugatorum*, cap. *Ex publico*, *ubi de muliere quandam renuente ad eum cui fuerat desponsata reverti, censet eam nuntui suo relinquendam*, si prædictus vir ipsam carnaliter non cognoverit, & eadem ad relligionem transire voluerit: *Tum paullo infra*: Sane quod in Evangelio Dominus dicit non licere viro, nisi ob caussam fornicationis, uxorem suam dimittere, intelligendum est secundum interpretationem sacri eloquii de his quorum Matrimonium carnali copula consummatum est, sine qua consummari non potest: *Et* cap. *Ex parte tua*, *similia scribit* Innocentius III *ad Archiepiscopum Lugdunensem*. *ubi & notat prædecessores suos ita consultos respondisse*; *nimirum* id licere antequam per carnalem copulam sit Matrimonium consommatum.

Quod autem uno ex coniugibus ante Matrimonium consummatum Relligionem ingrediente possit alter libere novum, & legitimum contrahere Matrimonium patet, Extra *de conversione coniugatorum* cap. *Verum*, ubi Alexander III. *Archiepiscopo Salernitano scribens ait*: Post consensum legitimum de præsenti, licitum est alteri (altero etiam repugnante) eligere monasterium, sicut sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt; dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos; & alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum est ad secunda vota transire; quia cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire & alter in seculo remanere.

Art. 3. *in Conclus.* Respondeo dicendum, quod sicut corporalis mors viri hoc modo vinculum Matrimoniale solvit, ut mulier nubat cui vult, secundum Apostoli sententiam; ita etiam post mortem spiritualem viri per relligionis ingressum, poterit cui voluerit nubere. Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 9.

Ad primum ergo, dicendum quod quando uterque pari voto continentiam vovet, tunc neuter coniugali vinculo abrenuntiat; & ideo adhuc manet: sed quando unus tantum vovet, tunc quantum in se est, abrenuntiat vinculo coniugali: Et ideo alter absolvitur a vinculo illo.

Ad secundum, dicendum quod non intelligitur mortuus seculo per relligionis ingressum, quousque professionem emiserit: Et ideo usque ad tempus illud tenetur eum uxor sua exspectare.

Guill. Estii *in lib. quart. Sentent. Distinct.* 27. §. 4. ... Cum ratum & validum fiat Matrimonium per consensum contrahentium, etiam antequam carnaliter conveniant: merito quæritur an huiusmodi Matrimonium quod supra diximus inconsummatum vocari, per relligionis ingressum possit dissolvi; quandoquidem per Matrimonium obligati sunt coniuges ad individuam atque indissolubilem vitæ consuetudinem. Hæc enim ratio ex Matrimonii definitione sumpta movit Magistrum, ut putaret nihilo magis inconsummatum Matrimonium, quam consommatum dissolvi posse: ac proinde in neutro licitum esse alteri coniugi altero invito ad relligionem transire. Sed verior est aliorum sententia, docentium per monasticam professionem inconsummata Matrimonia dissolvi; ita ut coniugi relicto liberum sit aliud inire coniugium. Hoc enim & canones tradunt, & Ecclesia iam definivit, ac præterea multis Sanctorum exemplis confirmatur, ac demum ratione probatur.

Sed iam ad rationes veniamus, cuiusmodi tres valde probabiles ad huius doctrinæ confirmationem adferuntur.

Prima: semper licitum est de statu minus perfecto transire ad perfectiorem, quando id fieri potest absque ullius detrimento; ergo a statu coniugii ad statum relligionis transitus fieri poterit, si coniugium sit inconsummatum. Tunc enim fiet id absque alterius detrimento. Nam consummato Matrimonio duplex oritur detrimentum, si dirimatur,

alterum proli iam natæ vel conceptæ, quæ minus bene poterit educari altero parente destituta; alterum coniugi, quæ cum sit ligata non potest alteri nubere: & ut possit, non tamen ita commode post amissam virginitatem, cuiusmodi nihil accidit in Matrimonio inconsummato.

Secunda ratio: Duplex in Matrimonio vinculum invenitur, alterum spirituale quod nascitur ex solo consensu, alterum carnale quod nascitur ex copula. Atqui carnale vinculum dissolvitur demum per mortem corporalem iuxta Apostolum Rom. 7. & 1. Corinth. 7. ergo spirituale solvi debet per mortem spiritualem & civilem, qualis est professio monastica.

Tertia ratio sumitur ex eo quod dicitur Genes. II. 23. & repetitur ab Apostolo Ephes. v. 31. *Erunt duo in carne una*. Quam sententiam Pontifices Benedictus, Gregorius, Alexander III. & Innocentius III. partim apud Gratianum 27. quæstione 2. cap. *Lex*, & capite *sunt* partim extra de conversione coniugatorum capite *verum*, & capite *ad Apostolicam*, interpretantur de commixtione carnali: Id quod etiam ex Apostolo probabile fit, qui I. Corinth. VI. 16. eamdem allegans sententiam, eum qui adhæret meretrici unum cum ea corpus effici dicit. Atqui ex ea sententia Dominus Matthæi XIX. 6 concludit omnimodam firmitatem Matrimonii, dicens; *Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*. Igitur ante eiusmodi carnalem coniunctionem secundum Christum & Apostolum eius Paullum, aliquo modo dissolvi potest Matrimonium, quo post illam dissolvi non potest. Hunc autem modum tradit Ecclesia Catholica, dum alter coniugum transit ad vitæ monasticæ professionem.

§. 5. ... Ad has obiectiones, & eas potissimum quæ insolubilitatem vinculi Matrimonialis urgent, responsuri: primum fatemur cum Augustino libro I. Retract. cap. 19. & lib. 2. cap. 57. difficillimam esse de Matrimonii insolubilitate quæstionem: neque omnes eius quæstionis nodos satis adhuc explicatos esse. Interim vero quod ad propositæ difficultatis enodationem attinet; dicimus recte a Doctoribus distingui duplicem unitatem, qua sibi invicem per Matrimonium vir & mulier uniuntur: alteram civilem seu domesticam, quæ in mutua vitæ conversatione consistit: alteram naturæ seu carnis unitatem, quæ nascitur ex commixtione carnali. Per priorem alter alteri familiariter adhæret: per posteriorem ambo una caro efficiuntur. Igitur posterior hæc unitas sola morte naturæ dissolvi potest, ut unitati naturæ dissolutio quæ per naturam fit, respondeat. Prior autem illa non eo tantum modo dissolvitur, sed & per mortem civilem, id est, per talem mutationem qua quis alienus fiat ab omni civili conversatione, & quasi mundo moriatur. Hoc autem mortis genus non aliter contingit quam professione sollemni relligionis approbatæ. Cum igitur inter coniuges ante copulam carnalem sola civilis unitas intercedat, consentaneum est eam quoque civili morte dissolvi, qua nimirum ita a civili conversatione quis removetur, ut ad eam redeundi spem ac potestatem ultra non habeat; sicut per mortem naturæ fit, ut ad unitatem naturæ seu carnis quis redire non possit. Quod autem professionem monasticam mors civilis sequatur necessario, hinc manifestum est, quia relligionem professus iam nec corpus, nec voluntatem propriam habet, neque deinceps ullius est proprietatis capax, sed totus ac perpetuo est iuris alterius. Unde & leges civiles declarant per ingressum relligionis tamquam per mortem confirmari testamentum antea conditum: adeo ut nec revocare nec superaddere, nec interpretari suum testamentum ei concedatur, ut habetur in authenticis Cod. *De sacrosanctis*, lege, *Si qua mulier*.

Porro mortem istam civilem nullo alio casu contingere quam per relligionis ingressum; inde patet, quia nisi quis se & sua omnia tradiderit in potestatem alterius ad obsequium Dei, idque in relligione approbata, adhuc regressum habere poterit ad ius & voluntatem propriam. Quocirca nec simplici continentiæ voto, nec susceptione ordinis sacri, nec professione relligionis non approbatæ, nec per vitam eremiticam, seu anachoreticam solvitur Matrimonium non consummatum: quia per hæc mors civilis nondum intercedit.

Potest etiam breviter responderi traditionem illam corporum debere intelligi pro ratione contractus Matrimonialis. Cuius ex Dei institutione ea condi-

I. Nulline alii casus exstant in quibus liceat ipsis sic a se invicem separari ?

R. Nulli exstant in quibus liceat ipsis sic a se invicem separari, ut possint alias inire nuptias: sed mul-

tio est, ut si per copulam consommetur, solvi nequeat, nisi per mortem alterius; non consummatus autem solvatur per relligionis ingressum

R. P. Iuenin. Congregat. Orat. D. I. Sacerdos *Comment. Histor. & Dogmat. de Sacrament. Dissert.* 10. *de Matrimon. Quæst.* 4. *cap.* 2. *art.* 3. §. 1. Lutherani & Calvinistæ proxime elapso seculo Ecclesiæ Catholicæ verterunt crimini, quod doceret Matrimonium ratum tantum, dirimi per sollemnem alterius coniugum in approbata relligione professionem. Idem eum huiusmodi sectariis sentientes mulctavit anathemate Synodus Tridentina, S ss. 24. canone 6. Quam merito sic definierit Concilium, ostendamus oportet.

Conclusio. Matrimonium quod est ratom tantum, seo non consummatum, dirimitur per sollemnem alterius coniugom in approbata relligione professionem.

Probatur 1. Auctoritate Scripturæ: Christus Matth. xix. 5. ex his verbis Genesis II. 24. *Erunt duo in carne una:* probat perfectam Matrimonii firmitatem. *Itaque* (inquit) *iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit homo non separet:* Ergo antequam coniuges sint una caro, imperfecta tantum est Matrimonii firmitas, ac proinde aliqua ratinne potest dissolvi, qua tamen non possit, postquam una est per copulam carnalem cooiugum caro: aliam autem rationem non licet excogitare quam sollemnem in approbata relligione professionem. Ergo, &c.

Probatur 2. Ex Patribus. Gratianus caussa 27. laudat hæc Eosebii verba, *Desponsatam puellam non licet parentibus alii viro tradere; licet tamen illi monasterium sibi eligere.* Sed conveniont peritiores Epistolam decretalem quæ inscribitur Eusebii nomine non esse germanum illios fœtum. Idem Gratianus laudat ex Gregorio Magno hanc eius sententiam: *Decreta legalia desponsatam, si converti voluerit, nullo omnino censuerunt damno mulctari.* Nomine autem sponsæ aut desponsatæ Scriptura & Patres intelligunt eam quæ rato, sed non consummato, Matrimonio viro iuncta fuerit: *cum* (inquit Matth. cap. 1. 18.) *esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.* Alexander Papa III. in Decretalibus, Titulo *De conversione coniugatorum*, cap. *verum*, sic loqoitur, *Verum post consensum legitimum de præsenti licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere Monasterium, dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos .... & alteri remanenti licitum est ad secunda vota transire.* Laudatos Pontifices novam in mores Christianorum disciplinam suis decretis non invexisse ex eo colligitur, quod alioquin hæretici decreta illa crimini vertissent Ecclesiæ, nonnullique ex sanctissimis doctissimisque Præsulibus impugnaturi fuissent. Illis quoque obstitissent quæ postea celebratæ sunt aut Provinciales, aut Generales Synodi: Quod tamen com non contigerit, inferre licet usum illum semper obtinuisse in Ecclesia Catholica, ac proinde eum esse ex Apostolica traditione; iuxta celebrem sententiam qua Augustinus contendit id esse ex Apostolica traditione quod ubique servatur, cuiusque initium aut in Conciliis aut Patribus minime reperitur.

Probatur 3. ratione. Matrimonii vinculum carnale per mortem corpoream solvitur: Ergo vinculum spirituale, quod solum reperitur in iis, io quibus matrimonium ratum quidem est, sed non consummatom, dirimitur per mortem spiritualem, cuiusmodi est professio sollemnis in approbata relligione.

Obiicies: Vir per matrimonium ratum iam tradidit corpus suum coniugi, cum qua per verba de præsenti contraxit: Ergo non potest postea illud pee sollemnem professionem tradere relligioni. Peccat enim contra iustitiam, qui rem, in quam non habet domioium, alteri tradit.

Resp. Virum illum non absolute, sed com implicita conditione, nempe quod deinceps non obeat civilem mortem pee sollemnem professionem in relligione approbata, corpus suum coniugi tradidisse.

PARS III. SECT. I. CAP. VIII. §. 9.

ti exstant in quibus stante matrimonii vinculo possint coniuges vel ad tempus vel in perpetuum separari quoad torum & habitationem (D).

Licet quocumque tempore separari quoad torum ex mutuo consensu. Immo coniuges qui ut liberius vacent orationi, prospiciantque suæ saluti facilius, ultro continentiam coniugalem vel ad tempus vel perpetuo servare inter se mutuo constituunt, rem agunt summis extollendam laudibus, & exemplo B. Virginis Mariæ & Ioseph sponsi, sanctorumque patrum encomiis valde commendatam, & dignam veneratione (E). Sed non omnes hoc donum acceperunt, & occurrendum

---

(D) CONCIL. TRID. *Sess.* 24. *cap.* 8. *de Matrim.* Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas caussas separationem inter coniuges quoad torum, seu quoad habitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.

(E) S. AUG. *de consens. Evang. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 2. ... Exsequitur ergo humanam generationem Christi Matthæus, ab Abraham generatores commemorans,
Matth. I. 16. quos perducit *ad Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus*. Neque enim fas erat ut ob hoc eum a coniugio Mariæ separandum putaret, quod non ex eius concubitu, sed virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnifice insinuatur fidelibus coniugatis, etiam servata pari consensu continentia, posse permanere vocarique coniugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu, præsertim quia nasci eis etiam filius potuit sine ullo complexu carnali, qui propter solos gignendos filios adhibendus est. Neque enim propterea non erat appellandus Ioseph pater Christi, quia non eum concumbendo genuerat, quando quidem recte pater esset etiam eius, quem non ex sua coniuge procreatum, aliunde adoptasset.

Num. 3. Putabatur quidem Christus etiam aliter filius Ioseph, tamquam ex eius omnino carne progenitus, sed ab eis hoc putabatur, quos Mariæ latebat
Luc. III. 23. virginitas. Nam Lucas ait: *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioseph*. Qui tamen Lucas non eius parentem solam Mariam, sed ambos parentes eius appellare minime dubitavit, ubi ait: *Puer*
Ibid. II. 40. *autem crescebat & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo.* *Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die sollemni Paschæ*. Sed ne quisquam hic parentes consanguineos potius Mariæ cum ipsa matre eius intelligendos putet, quid ad illud respondebit, quod ipse item Lucas superius dixit: *Et erat pater eius & mater mi-* *Ibid.* 33.
rantes super iis quæ dicebantur de illo? Cum igitur ipse narret, non ex concubitu Ioseph, sed ex Maria Virgine natum Christum, unde eum patrem eius appellat, nisi quia & virum Mariæ recte intelligimus sine commixtione carnis, ipsa copulatione coniugii; & ob hoc etiam Christi patrem multo coniunctius, qui ex eius coniuge natus sit, quam si esset aliunde adoptatus.

De Serm. Dom. in monte lib. 1. *cap.* 14. *num.* 39. ... Beatiora sane coniugia iudicanda sunt, quæ sive filiis procreatis, sive etiam ista terrena prole contemta, continentiam inter se pari consensu servare potuerint: quia neque contra illud præceptum fit, quo Dominus dimitti coniugem vetat; non enim dimittit, qui cum ea non carnaliter, sed spiritaliter vivit; & illud servatur, quod per Apostolum dicitur: *Reliquum* 1. *Cor.* VII.
est, ut qui habent uxores, quasi non ha- 29.
bentes sint.

Cap. 15. *num.* 42. Potest igitur Christianus cum coniuge concorditer vivere; sive indigentiam carnalem cum ea supplens, quod secundum veniam, non secundum imperium dicit Apostolus; si- 1. *Cor.* VII. 6.
ve filiorum propagationem, quod iam nonnullo gradu potest esse laudabile; sive fraternam societatem, sine ulla corporum commixtione, habens uxorem tamquam non habens, quod est in coniugio Christianorum excellentissimum atque sublime: ut tamen oderit in ea no-

insidiis & tentationibus satanæ. 1.Cor.vii. 5. *Nolite fraudare invicem*, inquit Apostolus coniugatis, *nisi forte ex consensu ad tempus; ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Volo enim omnes vos esse sicut meipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic.*

Præter hanc voluntariam separationem quoad torum exstant mul-

---

men temporalis necessitatis, & diligat spem sempiternæ beatitudinis.

S Greg. Magn. *lib.* xi. *Epist.* 45. *al.* 39. *ad Theoctistam Patritiam* .... Si dicunt Relligionis caussa coniugia debere dissolvi, sciendum est, quia & si hoc lex humana concessit, divina lex tamen prohibuit. Per se enim Veritas dicit: Matt. xix. 6. *Qua Deus coniunxit homo non separet*. Quæ etiam ait: Ibid. 9. *Non licet dimittere uxorem, excepta caussa fornicationis*. Quis ergo huic cælesti legislatori contradicat? Ibid. 5. 1.Cor. vi. 16. Gen. ii. 24. Scimus quia scriptum est: *Erunt duo in carne una*. Si ergo vir & uxor una caro sunt, & relligionis caussa vir dimittit uxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel etiam fortasse ad illicita migrantem; quæ est ista conversio, in qua una eademque caro, & ex parte transit ad continentiam, & ex parte remanet in pollutione? Si vero utrisque conveniat continentem vitam ducere, hos quis audeat accusare quando certum est quod omnipotens Deus qui minora concessit, maiora non prohibuit? Et quidem multos Sanctorum novimus, cum suis coniugibus, & prius continentem vitam duxisse, & postmodum ad sanctæ Ecclesiæ regimina migrasse Duobus enim modis sancti viri etiam a licitis abstinere solent. Aliquando ut merita sibi apud omnipotentem Deum augeant, aliquando vero ut anteactæ vitæ culpas detergant.... Proinde cum boni coniuges aut meritum augere desiderant, aut anteactæ vitæ culpas delere, ut se ad continentiam adstringant, & meliorem vitam appetant, licet. Si vero continentiam, quam vir appetit, uxor non sequitur, aut quam uxor appetit, vir recusat, dividi coniugium non licet; quia scriptum est: 1.Cor. vii. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*.

Lib. 9. *Epist.* 60. *al.* 39.... Præterea curæ sit eosdem fratres nostros Episcopos adhortari, ut subiectos sibi, in sacris videlicet ordinibus constitutos, quod ipsi servant, ad similitudinem sui modis omnibus servare commoneant; (*scilicet ut in una domo cum mulieribus non conversentur*) hoc tantummodo adiecto, ut hi, sicut canonica decrevit auctoritas, uxores quas caste debent regere, non relinquant.

S. Hieron. *Epist.* 52. *alias* 28. *ad Lucinium, circa medium*. Habes tecum prius in carne, nunc in spiritu sociam; de coniuge germanam; de femina virum; de subiecta parem: quæ sub eodem iugo ad cælestia simul regna festinat.

Epist. 53 *alias* 29. *ad Theodoram de morte Licinii*. Ille iam securus & victor te aspicit de excelso, & favet laboranti: & iuxta se locum præparat, eodem amore & eadem caritate, quia (*lege* qua) oblitus officii coniugalis, in terra quoque sororem te habere cœperat: immo tu illum fratrem; quia casta coniunctio, sexum non habet nuptialem.

Lib. 3. *Comment. in Matth. cap.* xix. *vers.* 5. *Et dixit, Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una, Itaque iam non sunt duo, sed una caro*. Similiter ait, Adhærebit uxori suæ, non uxoribus. *Et erunt duo in carne una*. Præmium nuptiarum, e duabus unam carnem fieri. Castitas iuncta spiritui, unus efficitur spiritus.

Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. vers. 6. *Dicunt illi*. Deus coniunxit, unam faciendo carnem viri & feminæ; hanc homo non potest separare, nisi forsitan solus Deus. Homo separat, quando propter desiderium secundæ uxoris, primam dimittit. Deus separat qui & coniunxerat, quando ex consensu propter servitutem Dei (eo quod tempus in arcto sit) sic habemus uxores, quasi non habentes. 1.Cor. vii. 5.

tæ caussæ propter quas liceat a coniuge vel repugnante separari, non modo quoad torum, sed & quoad habitationem.

Primo Christus ipse declaravit posse uxorem adulteram a viro di-
Matth. v. 32. mitti. *Quicumque*, inquit, *uxorem dimiserit, excepta fornicationis caussa, facit eam mœchari*. Ergo licet fornicationis caussa eam dimittere. Sed non propterea licet viro alteram ducere; vel uxori dimissæ fas est alteri viro nubere. Immo Christus & in domo interrogatus a Discipulis Marc. x. vers. 11. ait absolute & sine ulla restrictione, *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam*; & alibi, *Qui dimissam a viro* Ibid. 32.
duxerit, mœchatur.

Ex his Christi verbis docet & docuit semper Ecclesia ex adulterio nasci caussam divortii legitimam, ita tamen ut maneat semper Matrimonii vinculum, nec propterea liceat ad alias nuptias convolare (F). Audiatur ea de re Concilium Tridentinum.

(F) Robertus Bellarminus e Societ. Iesu S. R. Eccles Card. *lib. 1. de Matrimonio cap.* 16 Probandum igitur nobis est matrimonii inter fideles contracti & consummati vinculum adeo esse insolubile, ut neque caussa fornicationis dirimi possit; & ideo vivente priore coniuge numquam esse licitum ad alias nuptias aspirare.

Primus locus sit ille, qui est apud Matthæum *cap.* v. 32. *Omnis qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis caussa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat*. Verba illa: *& qui dimissam duxerit, adulterat*, vel universe accipienda sunt, vel cum exceptione, nisi ob fornicationem. Si universe, ergo qui dimissam duxerit, etiam ob fornicationem, mœchatur; ergo non fuerat dimissa quoad vinculum, sed solum quoad torum: non enim mœcharetur qui illam ducit, nisi adhuc esset priori viro colligata. Si cum exceptione, ergo qui fornicariam a viro dimissam duxerit, non mœchatur. Ergo melior est conditio fornicariæ, quam innocentis, & castæ: nam fornicaria libera est, & nubere potest; innocens autem iniuste dimissa, nec priorem virum habere potest, nec alteri nubere. Atqui hoc absurdissimum est, ut lex Christi iustissima dimissam iuste meliori loco esse velit, quam dimissam iniuste.

2. Locus est apud Marcum, cap. x. 11. *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur*. Et similia habentur, Luc. xvi. 18. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam a viro ducit, mœchatur*. Hæc verba universaliter docent numquam ita dissolvi matrimonium inter fideles contractum, & consummatum, ut liceat ad alias nuptias transire.

Alii dicunt, nec minus probabiliter, illud, *nisi ob fornicationem*, non pertinere nisi ad dimissionem, cum qua immediate coniungitur & esse per parenthesim pronunciandum, & aliquid subintelligendum, hoc modo: Quicumque dimiserit uxorem (quod non licet nisi ob fornicationem) & aliam duxerit, mœchatur. Et certe non sine caussa Dominus non adiecit illam exceptionem post illa verba, *Et aliam duxerit*; sed immediate post illa: *Quicumque dimiserit*, & similiter non temere Dominus tum Matth. v. tum Matth. xix. cum adiunxit: *& qui dimissam dixerit, mœchatur*, non addidit: *nisi ob fornicationem*, ut nimirum indicaret, caussam fornicationis solam dimissionem licitam facere, non autem novi coniugii celebrationem. Hæc mihi videtur S. Thomæ sententia in 4. Dist. 35. q. unica art. 5. ad ultimum, & eamdem obscure subindicat Hieronym. in commentario huius loci.

Tertius locus habetur in Epist. ad Rom. cap. vii. 1. *An ignoratis fratres, (scienti-*

bus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit? Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, absoluta est a lege viri: igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. Et similis locus habetur in Epistola priore ad Cor. cap. VII. 39.

Ex his autem locis colligimus numquam solvi vinculum coniugale, nisi per mortem: & quia non solvitur, manere etiam post divortium quacumque de caussa factum. Quod argumentum tanti fecit S. Aug. ut lib. 2. de adulterin. coniugiis cap. 4 clamaverit: *Hæc verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier esse incipit, nisi prioris esse desierit: esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir eius, non si fornicetur; licite itaque dimittitur coniux ob caussam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob caussam fornicationis.* Hæc ille.

(*Genuinum esse hunc Apostoli sensum*) testantur interpretes, Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Oecumenius, Primasius, Anselmus, & alii, in utrumque locum Paulli, & præterea Origenes in cap. XIX. Matth. Augustinus loco citato, & Hieronym. Epist. ad Amandum, ubi interrogatus, an liceret mulieri dimisso viro adultero, alii nubere, respondit, non licere ob hæc Paulli loca, quæ ut ipse dicit, omnem excusationem excludunt.

Eadem veritas secundo ex traditione probari potest: exstant enim omnibus ætatibus testimonia Patrum. Ac primo quidem seculo habemus testimonium Clementis in canonibus Apostolorum can. 48. ubi, sine ulla exceptione excommunicari iubetur, qui uxore dimissa aliam ducit.

Deinde secundo seculo, idest, post annum Christi Domini C. habemus testimonia Iustini, & Athenagoræ. Uterque in Apologia pro Christianis ad Imperat. Antoninum, inter dogmata Christiana ponit adulterium esse, si quis dimissam ab alio ducat: & Athenagoras addit etiam, si quis priore dimissa aliam ducat, non esse coniugium, sed adulterium. Eodem seculo, Clemens Alexand. lib. 2. Stromatum extremo: *Adulterium*, inquit, *existimat Scriptura, coniugi matrimonio, vivo altero ex separatis*. Et paullo ante dixerat, non posse fieri separationem, nisi ob fornicationem.

Seculo III. post annum Domini CC. Tertull. lib. 4. in Marcionem ultra medium, obiicienti Marcioni Christum contrarium esse Moysi, quia prohibuit divortium, quod ille concesserat, respondet his verbis: *Dico illum conditionaliter nunc fecisse divortii prohibitionem, si ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat*, &c. Ubi docet Christum non prohibuisse divortium, si caussa iusta adsit, sed prohibuisse alterum coniugium post divortium. Eodem seculo Origenes, tract. 7. in Matth. explicans cap. XIX. dicit quosdam Episcopos permisisse mulieri nubere viro priore vivente, & addit, contra Scripturam fecerunt.

Seculo IV. post annum Domini CCC. in Concil. Eliberitano can. 9. mulier quæ ob viri adulterium alteri nupsit, non recipitur ad communionem nisi post mortem prioris mariti: ex quo intelligimus, illicitum fuisse matrimonium illud iudicatum, etiam ex parte innocentis, & in caussa adulterii. Eodem seculo S. Ambrosius in cap. XVI. Lucæ, multa scribit contra eos, qui uxore dimissa aliam ducunt, & passim adulterium vocat id coniugium: neque in tota illa disputatione umquam excipit caussam fornicationis. S. item Hieronymus Ambrosii æqualis in Epistola ad Oceanum de obitu Fabiolæ, scribit Fabiolam dimisso viro non solum adultero, sed etiam omnibus flagitiis cooperto alteri nupsisse; sed addit id eam fecisse, quia ignorabat rigorem Evangelii; & ibidem scribit, eam post mortem secundi mariti publicam pœnitentiam sibi ab Episcopo impositam, summa humilitate egisse. Ex quo intelligimus; eo tempore publicum crimen habitum in Ecclesia Catholica fuisse, si quis vivente coniuge ad alias nuptias transiret, etiam caussa fornicationis. Idem Hieronym. in Epist. ad Amandum, de hac ipsa quæstione interrogatus, simpliciter respondit esse illicitum etiam caussa fornicationis, vivente coniuge ad alias nuptias transire. Eodem seculo S. Ioan. Chrysostomus hom. 17. in Matthæum enarrans cap. V. idem docet.

Seculo V. post annum Domini CCCC. Con-

Digitized by Google

cil. Milevitanum can. 17. definivit secundum Evangelicam & Apostolicam doctrinam, numquam licere vivente coniuge ad alias nuptias transire: & idem habetur in Conc. Africano can 69 Eodem seculo Innocentius I. in Epist. 3 ad Exuperium can. 6. interrogatus, an intercedente divortio liceret aliud inire coniugium; Respondit nullo modo licere, sed esse utrumque adulterom, tam virum, quam uxorem, si post divortium ad alias nuptias transeant. Eodem tempore S. August. ex professo hoc docuit, tum in duobus libris de adulterinis coniugiis, tum in libro de bono coniugali.

Secolo VI. post annum Domini D. Primasius in commentario cap. 7. prioris ad Corinthios in illud *si discesserit, maneat innupta*, idem habet.

Seculo VII. post annum Domini DC. Isidorus idem docet lib. 2. de officiis divinis cap. 19.

Seculo VIII. post annum Domini DCC. Beda in cap. 10 Marci idem affirmat.

Seculo IX. post annom Domini DCCC. Concil. Foroiuliense can. 10 idem apertissime definivit; & eodem seculo Theophylactus in cap. XIX. Matthæi, & in cap. VII. prioris ad Corinth.

Seculo X. post annum Domini DCCCC. Concil. Nannetense, quod sub Arnulpho Imperatore celebratum creditur, can. 12 idem declaravit.

Seculo XI. post annum M. Anselmus in cap. V. & cap XIX. Matth. idem habet.

Seculo XII. post annum MC. idem definivit Alexander papa III. cap. *ex parte*, de sponsalibus, & matrimoniis.

Seculo XIII. post annum MCC. idem definivit Innocentius III. cap. *Gaudemus*, de divortiis; & eodem seculo, idem docuerunt Theologi omnes, qui super dist 35. IV. sententiarum scripserunt, ut S. Thomas, S. Bonaventura, & alii

Seculo XIV. post annum MCCC. plurimi Doctores scholastici Scotus, Durandus &c.

Seculo XV. post annum MCCCC idem statuit Concil. Florentinum, in Instructione Armenorum, quod sane mirum est non advertisse Caietanum & Catharinum.

Seculo denique XVI. post annom MD. idem definivit Conc. Trid. Sess. 24. can. 7.

Accedat ultimo argumentum ex ratione petitum. Primo, matrimonium fidelium, signum est coniunctionis Christi cum Ecclesia, ut Apostolus docet, cap. V. ad Ephes 32. at illa unio indissolubilis est: igitur & vinculum coniugale indissolubile est. Et quamvis tota simul Ecclesia a Deo fornicari non possit, tamen aliquæ partes Ecclesiæ, nonnulli videlicet fideles, fornicantur interdum spiritualiter, & divortium faciunt, sed non propterea licet illis mutare Deum, aut Deus ita illos abiicit, ut nolit reconciliari, immo semper hortator ad reconciliationem. Tale igitur debet esse coniugium Christianorum, ut numquam tale divortium fiat, quin spes maneat reconciliationis. Et hanc rationem a sacramento dictam, valde urget S. August. lib. de bono coniugali cap. 7. 15. 18 & 24.

2. Si licitum esset aliud matrimonium, iniuria afficeretur proles; nam filiis iam natis male consuleretur, qui pro patre vitricum pro matre novercam habere inciperent. Et hæc est ratio S. Ambrosii in cap. XVI. Lucæ, ubi etiam dicit, propter filios debere patrem, matris culpæ ignoscere.

3. Si esset licitum eiusmodi coniugium vivente altero coniuge, aperiretur aditus infinitis repudiis etiam iniustis. Nunc enim quia sciunt fideles, debere se, aut cœlibes vivere, aut priori coniugi reconciliari, non facile ad divortium adducuntur: at si scirent, mox repudiata uxore posse aliam duci, facillime divortia fierent, & quærerent occasiones aliquando dissidiorum & criminum, &c. Et hanc rationem attingit Hieronymus in cap. XIX. Matth ubi scribit, quia periculum erat, ne mariti ob desiderium alterius coniugii, calumniam struerent priori uxori, sic Dominum voluisse dimitti uxorem ob fornicationem, ut tamen ea vivente non liceret aliam ducere.

4. Si post divortium in caussa fornicationis, liceret parti innocenti aliud matrimonium inire, vel id liceret etiam nocenti, vel non liceret. Si liceret, ergo commodum ex peccato suo adulter reportaret, & sæpe etiam viri dedita opera adulterium committerent, ut possent ab uxore liberari, & aliam uxorem ducere. Si non liceret, quæro in primis, quare? Nam cum ea persona sit a vinculo prioris coniugii soluta (neque enim potuit pars innocens, aliud matrimonium inire, nisi vinculo prioris dirupto) neque ulli faciat iniuriam, quare non pot-

„ Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit & docet, iuxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi; utrumque, vel etiam innocentem qui caussam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere: mœcharique eum qui dimisso adultero alteri nupserit; Anathema sit. (G)

---

est matrimonium contrahere? Dices quia lex prohibet. Sed ubi est lex prohibens? neque enim ulla lex exstat, quod sciam, quæ soli innocenti nuptias concedat. Deinde, cur prohiberet lex coniugari hominem solutum, & proclivem ad vitia, quando nulla restat amplius spes reconciliationis cum coniuge priore? Divino igitur, prudentissimo, iustissimoque iudicio Christus sanxit, coniugium quoad vinculum omnino indissolubile esse debere.

Adde ultimo, quod etiam Romæ apud Ethnicos, ubi morum disciplina vigebat; nulla fiebant repudia. Scribit enim Tertullianus in Apologetico cap. 6 Romæ per annos fere DC. ab urbe condita nullum scriptum fuisse repudium: deinde autem eversa disciplina, cum aliis vitiis etiam repudia introducta.

(G) Sfortia Pallav. e Soc. Iesu, S. R. Eccles. Card. *Hist. Concil. Trid. lib.* 22. *cap.* 4. Canon quoque paratus fuerat cum anathemate, in eum qui diceret matrimonia consummata ob adulterium dissolvi. Sed Oratores Veneti, die undecimo Augusti, cum ipsis posterior modulus ostensus est, sollemniter exposuerunt Conventui veterem Rempublicam semper coniunctissimam fuisse Apostolicæ Sedi, & Conciliis œcumenicis, eius auctoritate celebratis, pioque semper studio complexam ac veneratam Decreta sanctionesque inde profecta, utpote divinam gloriam, animarum salutem, pacemque Christianorum promoventia. Verum ab eo, quod septimo canone parabatur, nisi moderatione aliqua reformaretur, inferri posse non modicam offensionem Orientis Ecclesiæ, præsertim vero Venetorum insulis, Cretæ, Cypro, Corcyræ, Zacyntho, Cæphaleniæ & aliis multis, non solum cum publicæ quietis, sed cum Ecclesiæ Catholicæ detrimento. Compertum esse Patribus, tametsi Græca Ecclesia a Romana ex parte dissentiret, non tamen eo desperationis deventum, ut meliora sperari non possent; præsertim enim Græci in subiectis Reipublicæ locis degentes, quamvis ritu suo viverent, tamen Præsulibus a Romano Pontifice assumptis obtemperarent. Ea propter tam rerum convenientia, tum Oratorum munere se compelli, ne ipsi eos populos percuti sinerent eiusmodi anathemate, quo ad tumultum, integramque a Sede Apostolica secessionem provocarentur. Satis constare, in more positum apud Græcos, ut uxorem adulteram deserant, & aliam ducant, veterrimam maiorum consuetudinem, ut ipsi dicunt, secuti; nec idcirco illos damnatos, aut anathemate perculsos fuisse ab ulla Synodo œcumenica, etiamsi Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ huiusmodi mos liquido innotuisset. Existimare igitur Oratores sui esse muneris, quam efficacissime possent, postulare, ut voces illæ canonis adeo moderate lenirentur, ne Græcis detrimentum inferrent, præsertim intentato anathemate; quod dubium non erat confici posse non solum nulla parta Ecclesiæ Catholicæ indignitate, sed fortasse retenta plurimorum Doctorum reverentia. Posse, quantum ipsi rebantur, & obtineri quod Synodus intendebat, & Reipublicæ satisfieri, canone huiusmodi verbis conflato; *Anathema sit, si quis dixerit, sacro-sanctam Romanam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, quæ mater & magistra aliarum est, errasse, aut errare, cum docuit, & docet, propter adulterium alterius coniugum, matrimonium non posse dissolvi; nec utrumque, vel etiam innocentem coniugem, qui caussam adulterio non dedit, debere novum matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera alteram duxerit, & eam quæ dimisso adul-*

PARS III. SECT. I. CAP. VIII. §. 9.

tero alii nupserit. Propterea rogari Patres ab Oratoribus, ut vel ea, vel alia meliori ratione, pro ipsorum prudentissimo arbitratu, vellent in eo gratificari Serenissimæ Reipublicæ, quæ semper sacro-sanctæ Sedi Apostolicæ obsecuta plene fuerat, & erat obsecutura.

28. Hoc exemplar ab Oratoribus propositum, videbatur alicui ex ipsis, aut ex ipsorum Consiliariis, notam hæresis haud inusturum opinioni contrariæ; sed vim dumtaxat habiturum ad infligendum anathema temerariis in eo vituperatoribus Ecclesiæ, quæ primis nixa fundamentis eam doctrinam, tametsi non tamquam Fidei dogma, tradebat. Aliud fortasse ab aliis considerabatur; nimirum, per eam sanctionem non damnari tamquam hæreticam sententiam oppositam, nisi posita Ecclesiæ auctoritate; & non quasi divinis litteris evidenter id repugnaret: ideoque parci dignitati sancti Ambrosii, qui, ut ipsi arbitrabantur, id scripserat; & etiam Græcorum nomini, donec illis in comperto non esset, ab Ecclesia oppositum doceri; & donec eius auctoritati contumaciter iidem haud refragarentur: quamquam illi, quod spectat ad sanctum Ambrosium, allucinarentur; cum ignorarent quod postea recentium Scriptorum sollertia animadvertit, videlicet expositionem Epistolæ primæ ad Corinthios, quæ sancti Ambrosii nomen præferens, huiusmodi sententiam continet, revera opus magistri tanta pollentis auctoritate non esse, sed aut Remigii, uti Ioannes Maldonatus suspicatus est, aut Hilarii Diaconi Schismatici, uti multi censuerunt apud Philippum Labbeum, aut incerti cuiuspiam scriptoris.

29. Legati primo loco deleri iusserunt in Venetorum postulato verba quædam proposita, quibus pro ratione afferebatur, Græcos arcitos ad Concilium non fuisse, sicuti Germanos & Gallos: quæ verba quasi in dubitationem revocabant habitam cunctorum Fidelium convocationem, perinde ac si ad id non suffecisset diploma convocationis universalis, sollemni, ut par erat, ritu promulgatum, cunctisque Christianorum nationibus manifestum. Postea cum super ea re sententiæ dicerentur, Andreas Cuesta, Episcopus Legionensis, postulatum reiecit, affirmans, ab Ecclesia non usurpari eam damnandi formulam: *si quis dixerit, Ecclesiam errasse*. Hanc veritatem esse certam ac firmatam in Synodo Milevitana c. 13. in sexta œcumenica, & in Florentina; adduxitque ex Patribus Græcis Clementem Alexandrinum, & Basilium: quod si quis ex aliis fortasse deerraverat, contrarium opinatus, complures tamen eorum, qui adducebantur, alio sensu locutos fuisse; quod ille palam fecit, eorum dictis expensis. Et sane creditum est, si Cuestæ locus loquendi inter primos obtigisset, sicut inter postremos debebatur in conventu, tantum ab eo numerum asseclarum pertractum iri, quantus ad refellendam petitionem satis fuisset. Verum reipsa plura suffragia consenserant, ut Oratoribus satisfieret.

Petr. Arcudius Presb. *In Libr. de Concord. Eccles. Occident. & Orient. in septem Sacrament. administr. lib. 7. de Matrimon. cap. 2.* Hæc quæ disseruimus de insolubili vinculo Matrimonii facile Græci admitterent; quia tamen Dominus Matthæi xix. permisit in caussa fornicationis separationem fieri, dicerent Græci nihil obstare loca citata divinæ Scripturæ, quin fiat in aliquo casu exceptio. Non enim hoc modo tollitur ius divinum, sed per aliud ius divinum explicatur.

Insolubilitas item ratione sacramenti, dicerent, satis est, si perpetuo fere servetur excepto illo casu. Quemadmodum, & consummatum Matrimonium ex verbis Christi, *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, indissolubile esse videtur, & tamen in infidelitate contractum, si alter coniux ad fidem convertatur, solubile fit per dispensationem Christi, quam explicat Paullus in 1. ad Corinthios cap. vii. quamvis revera illud non homo, sed Deus separet. Et si obiicias illud non esse sacramentum, neque significare coniunctionem Christi cum Ecclesia, saltem exceptionem possumus invenire in Matrimonio contracto non consummato, quod est sacramentum, & per dispensationem separationem patitur. *Matth. xix. 6. &c.*

Itaque controversia gravissima inter Græcos & Latinos, agitari solet de hac insolubilitate Matrimonii. Si quidem Græci putant in caussa adulterii dirimi posse Matrimonia, & nova contrahere licere. Latini vero contra, recte docent, coniugia quidem quoad torum, & cohabitationem ex tali caussa dirimi, nullo vero pacto quoad vinculum dissolvi posse, ita ut divortium, non autem repudium fiat.... Quoniam vero in re præsenti

Digitized by Google

tam Græci, quam Latini existimant se idem omnino sentire, atque tenere, quod olim sanctissimi, iidemque doctissimi Patres sacra Scriptura freti, atque innixi docuerunt, cum quibus idem velle, idemque nolle fas sit, ac omnino necessarium, idcirco, ut tota res via, & ratione tractetur, æque rationes, atque testimonia Patrum in medium adducemus.

Porro autem Patres Græcos, & Latinos eodem scilicet Spiritu sancto plenos, & ab eodem agitatos in hac re ad concordiam me redacturum, Deo bene iuvante, confido. Rationum vero alias diluere, alias confirmare pro mea parte virili conabor.

Græci igitur duo asserunt. Alterum in dissidiis quibusdam levioribus, ut sunt rixæ, iurgia, & id genus, & quas ipsi vocant μικροψυχίας pusillanimitates, posse quidem dirimi Matrimonium quoad torum, & cohabitationem, nullo pacto quoad vinculum. Agnoscunt enim Patres Græci hanc distinctionem. Sic exponit Chrysostomus homilia 19 locum Paulli prioris ad Corinthios cap. VII. Iis qui Matrimonio
1. Cor. VII. 10. & 11. iuncti sunt, *præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.*

Quandoquidem enim (inquit Chrysostomus) *cum propter continentiam, tum alios prætextus, & pusillanimitates separationes fieri contingebat. Satius est, inquit Paullus, ut nequidem fiant a principio, si vero tandem fiant, maneat* uxor cum viro, quamvis non simul misceatur, at quod nullum *alium virum introducat. Oecumenius ait... Et si non coniunctione corporis, at coniunctione animi*, ac voluntate, & quod alium virum ad se non admittat.

Canonistæ quoque Græcorum, ut Zonaras, Matthæus Blastarius, & alii canonem quadragesimum sextum Basilii magni in Epistolis Canonicis ad S. Amphilochium in eum sensum accipiunt, & interpretantur, ut clare indicent aliquando fieri divortia ob parvas res,

Canon sic habet.. *Quæ autem per ignorantiam nupserit viro a propria uxore ad tempus relicto* (fortassis, inquiunt Zonaras, & Blastarius ob aliquam mœstitiam seu pusillanimitatem) *postea dimissa fuerit, quod ad eum prior reversa sit, fornicata est quidem, sed per imprudentiam, a nuptiis autem non cohibebitur*,

Alterum quod asserunt posteriores Græcorum est, in caussa fornicationis dirimi Matrimonia etiam quoad vinculum, & omni ex parte solutionem. Sic intelligunt dictum Evangelicum Matthæi cap. XIX. Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 9.

Proponuntur rationes Græcorum pro solubilitate Matrimonii.

Cap. 7. Unde sit prima ratio illorum. Dominus in Evangelio ait: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Matth. XIX. 9. Inferunt Græci a contrario sensu, ergo qui dimittit ob fornicationem, & aliam ducit, non mœchatur. Hæc enim sententia Domini, duarum orationum vim habere videtur, quarum altera est affirmativa continens huiusmodi regulam, Si quis uxorem suam, absque caussa fornicationis, dimiserit, & aliam duxerit, mœchatur. Altera est negativa, quæ continet exceptionem a regula propter particulam illam, *nisi*, & est, Si quis uxorem suam ob fornicationem dimiserit, & aliam duxerit, non mœchatur. Et per Matthæum sic intellectum explicant alibi ipsummet Matthæum, ceterosque Evangelistas, & B. Paullum, qui omnes universe prohibent nova coniugia, vivente altero coniugum.

Quod autem ita sit intelligendus Matthæus, præter quam (aiunt nonnulli) quod ipsa verba Domini plana sunt, & hunc sensum clarissime exprimunt, nisi quis illis vim inferat, probatur etiam consequentibus rationibus.

Secunda ratio. Dominus interrogatus a Pharisæis de libello repudii, quod perfectam dimissionem continebat, ut patet Deut. XXIV. 1. utrum liceret, fatetur quidem antiquis dictum fuisse: *Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum* Matth. V. 31. & XIX. 7. *repudii, idque propter duritiam cordis illorum*, se tamen corrigere istud, & prohibere; ideo infert: *Ego autem dico vobis, quod omnis qui dimiserit uxorem* Ibid. 32. *suam, excepta caussa fornicationis, facit eam mœchari & qui dimissam duxerit, adulterat.* Quibus verbis Dominus tollit, & abrogat libellum repudii, excipit tamen casum fornicationis, in quo eum concedit. Alioquin non ad interrogata respondisset. Si enim nulla ratione in aliquo casu concessisset libellum repudii, non adiecisset illa verba, *nisi ob fornicatio-*

Digitized by Google

nem, sed absolute, & simpliciter dixisset: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & aliam ducit, mœchatur*. Quippe in utroque casu, id est sive ex caussa fornicationis, sive non, mœchatur, qui dimittit uxorem suam, & aliam ducit.

Tertia ratio. De illa quæ dimissa est absque caussa fornicationis duo pronuntiat Dominus, alterum quod qui eam dimiserit, facit eam mœchari, alterum quod qui eam duxerit mœchatur. Ex quo sequitur, quod si ex caussa fornicationis dimiserit, non faciet eam mœchari. Alioquin vir semper culpandus esset, etiam si in caussa fornicationis dimitteret. Igitur si dimittens in caussa adulterii, non facit eam mœchari. si cum alio copuletur; nec ille erit mœchus, qui cum ea coniungitur. Nam citra caussam fornicationis hæc duo dicuntur, qua posita, & exsistente utrumque tollitur.

Quarta ratio. Christus Dominus ostendit insolubilitatem Matrimonii, cum ex modo creationis, quippe ait: *Qui fecit ab initio masculum & feminam fecit eos*; tum ex mandato, & lege divina: *Propter hoc*, inquit, *relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori, & erunt duo in carne una; ita ut non sint duo, sed una caro*, Et tandem infert, *Quos Deus coniunxit homo non separet*. Ex his apparet inseparabilitatem esse, ac provenire ex eo quod coniuges sibi invicem adhæreant, non sint duo, sed una caro. Sed Christus Dominus, qui non est merus homo, sed verus Deus, & verus homo, & per consequens legislator, concedit separationem propter adulterium, id est, concedit ne adhæreant amplius, neque sint duo una caro. Idque merito, cum per adulterium illa una caro discissa fuerit. Ergo concedit veram solutionem Matrimonii. Quippe a contrario adhærere, & esse unam carnem, est signum insolubilitatis Matrimonii.

Matth. xix. 4. 5. & 6.

Quinta ratio. Caussa propter quam vir, & stante Matrimonio, non potest ducere aliam, est quia non habet potestatem sui corporis, sed corpus suum, iam non est suum, sed uxoris ad Matrimonii usum. Similiter corpus uxoris mariti est. At per adulterium liberatur pars innocens hac obligatione, idque permittente Domino, ita ut corpus viri, vel feminæ non sit amplius alterius, sed in propria sit potestate. Cur igitur dicitur non esse solutio vinculi?

Sexta ratio. Si Matrimonium sit inter infideles, & alter eorum efficiatur fidelis, potest solvi etiam quoad vinculum. Cur igitur non in caussa fornicationis?

Præterea, spiritualis fornicatio separat sponsum a sponsa, ita ut sponsus valeat aliam sibi deligere, cur hoc non admittetur in carnali coniugio, cum in carnali sit spiritualis significatio, ut dicit Paullus? Præterea, cur Christus Dominus fornicationem exceperit, ægre admodum ratio reddi potest, nisi quia adulterium directe, & e diametro Matrimonio se opponit, ac prorsus frangit vinculum Matrimonii. Tria enim bona, quæ in Matrimonio reperiuntur fides, proles, & sacramentum, ab adulterio penitus destruuntur, quippe adulterium adversatur fidei præstitæ, ut propterea nulla fiat iniuria, si frangenti frangitur et ann fides. Est adversus prolem, quam incertam efficit. Est etiam contrarium sacramento, quia unam carnem in duas dividit, & per consequens vinculum solvit; quod vinculum efficiebat, ut neuter coniugum haberet potestatem sui corporis, posito autem adulterio iam habet.

Postremo, illa quoque versatur in ore multorum ratio, cur liceat nova inire coniugia. Aiunt enim ne id fiat, virum innocentem iure suo privari, & valde perplexum remanere. Si enim retineat uxorem adulteram, infamis ab aliis reputatur. Si dimittat, & non possit aliam ducere, periculum est, ne peccatis succumbat, & in adulteria præceps ruat; præsertim si eum dono continentiæ carere contingat.

Cap. 18. Verum deinceps argumenta pro confirmatione oppositæ partis supra posita diluenda sunt.

Ad primum respondeo. Ex illis verbis Matthæi cap. xix. 9. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*. Non debet inferri, Ergo quicumque dimiserit ob fornicationem, & aliam duxerit, non mœchatur. Nam hic quoque mœchatur, non ex eo quod dimiserit, sed ex eo quod duxerit. Illud enim, Nisi ob fornicationem, non respicit nisi permissionem, & primam partem sententiæ. Et tunc duo asserit Dominus, alterum, non licere dimittere uxorem quoad torum nisi ob fornicationem, alterum, non esse licitum quacumque ex caussa dimittere quoad vinculum, quod quidem esset, si alte-

ram duceret, tunc enim mœcharetur. Tom vero a contrario sensu illud potest inferri, Ergo qui ob fornicationem dimittit uxorem, & aliam ducit oon peccat dimittendo, sed solum mœchatur aliam ducendo.

Secunda expositio est, ut illud verbum, Mœchatur, bis accipiatur hoc sensu, qui dimittit uxorem sine caussa mœchatur, hoc est facit eam mœchari. Sic enim interpretatur Clemens Alexandrinus illud verbum mœchatur, in fine secundi libri Stromatum: *Qui autem*, inquit, *dimissam ducit, mœchatur eam, hoc est, cogit eam mœchari*. Neque refert quod Clemens de eo, qui ducit, ita dicat, nam continenter infert: *Non tantum vero qui dimisit, verum & qui eam accepit huius est caussa*.

Quare uterque mœchatur, hoc est facit eam mœchari. Quamvis qui ducit, dupliciter peccet, & quia facit eam mœchari, & quia ipse mœchatur. Quo eodem modo interpretatur etiam Theophylactus, κραίτιος αὐτῇ γίνεται μοιχείας, auctor est ipsi adulterii. Et optime quidem exponit. Nam idem Matthæus cap. v. 31. habet: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, facit eam mœchari*, idque patitur natura rei. Alioquin quomodo vir mœchatur dimittendo, si nullum ipse adulterium re ipsa committit? At vero ut uxor dimissa evadat adultera, si alii nupserit profecto vir dimittens sine caussa, in caussa est. Qui ergo dimittit mœchatur hoc sensu, & qui aliam ducit mœchatur. Quare bis mœchatur. Et tunc a contrario sensu illud inferendum est. Ergo qui propter fornicationem dimittit uxorem, & aliam ducit non mœchatur bis, sed tantum semel. Id est non mœchatur dimittendo, sed solum aliam ducendo. Quod est verissimum.

Quæ duæ expositiones in idem concurrere videntur. Atque hæc posterior est etiam sancti Augustini in libro contra Adimantum cap. 3.

Tertia expositio est similiter eiusdem Augustini libro primo de adulterinis coniugiis cap. 9. ubi docet verba illa *nisi ob fornicationem*, accipienda esse negative, non exceptive, ut sensus sit, Qui dimiserit uxorem suam extra caossam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur. Ex quo affirmatur quidem adulterium illius, qui extra caussam fornicationis uxore dimissa, alteram ducit, nihil autem dicitur de eo, qui ducit aliam priore dimissa ob fornicationem. Nam & illum esse adulterum constat ex cap. xvi Lucæ: *Omnis qui dimittit uxorem suam, & aliam ducit, mœchatur*. Quare sive iuste, sive iniuste dimiserit, si tamen aliam duxerit, mœchatur. Illustrat hanc sententiam exemplo S. Augustinus loco citato ex Epistola Iacobi cap. iv 17. *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi*. Neque tamen inferre possumus, Ergo ignoranti bonum, & non facienti, peccatum non est illi. Nam sunt etiam peccata ignorantiæ. *Quemadmodum*, inquit Augustinus, *non recte dici potest, Si ergo nescit homo non peccat. (Sunt enim etiam peccata ignorantium, quamvis minora quam scientium) ita non recte dici potest, Ergo si caussa fornicationis dimiserit vir uxorem, & aliam duxerit, non mœchatur. Est enim mœchatio etiam eorum, qui alias ducunt relictis propter fornicationem prioribus, sed utique minor, quam eorum, qui non propter fornicationem dimittunt, & alias ducunt*.

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 9.

Luc. xvi. 18

Huic sententiæ possemus accommodare dictum Basilii Magni ex Epistola ad Diodorum Episcopum Tarsensem de eo, qui duas sorores in Matrimonium ducit.... *Interrogati sumus*, inquit Basilius Magnus, *utrum scriptum sit, licitum esse accipere uxorem super sorore* (scilicet demortua:) *respondimus id quod tutum, & verum est, non esse scriptum. Ceterum velle ex illatione consequentis quod silentio præteritum est, syllogizare, legem ferentis est, non legem recitantis*. Quando itaque Philadelphiæ Antistes infert nobis illationem ex verbis Evangelici textus, & facile videtur sibi concludere, non solum solutionem Matrimonii quoad torum, sed etiam quoad vinculum; opponamus illi regulam Basilii Magni, atque dicamus, non semper apparentem illationem valere in sacris litteris ob aliquem defectum, quem in superioribus solutionibus indicavimus.

Verum non est negandum, quin præsens locus Evangelii, ut sunt non pauca Scripturæ loca difficillima, obscurissimus sit, sive potius fuerit, ut etiam recte advertit S. Augustinus in libro de fide, & operibus cap. 19. his verbis: *Quisquis uxorem in adulterio deprehensam dimiserit, & aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui excepta caussa adulte-*

Digitized by Google

Pars. III. Sect. I. Cap VIII. §. 9.

rii dimittunt, & ducunt. Et in ipsis divinis sententiis, ita est obscurum, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur si alteram duxerit, ut quantum existimo venialiter quisque fallatur. Sic Augustinus.

Itaque ait, venialiter falli eos, qui ob Scripturæ obscuritatem existimant, non esse adulterum eum, qui dimissa uxore caussa fornicationis aliam ducit. Non enim tempore Augustini erat hoc dogma ab aliquo generali Concilio explicatum. Et multi viri docti ea tempestate ob difficultatem consulebant Patres, & Doctores, ut Pollentius Augustinum, Amandus Hieronymum, Amphilochius Basilium. Unde pro captu ingenii citra pertinaciam liberum erat cuilibet hoc vel illo modo disserere, ac explanare, idque ante definitionem Ecclesiæ, quæ ubi accesserit, solis instar fugantis tenebras omnem controversiam cessare necesse est, & placitis Patrum acquiescendum. Inter Græcos vero quantum valeo adsequi coniectura, existimo contrariam sententiam, & malam consuetudinem tandem invaluisse per leges civiles Imperatorum, quæ repudium permittebant. Nam in primis apud Romanos exstat lex 23. in duodecim tabulis. Ut, *si e coniugibus alter alteri nuncium mitteret, eumque suas res sibi habere iuberet, divortium esset.* Meminit huius legis Cicero in secunda Philippica; *Noli*, inquit, *credere, frugi factus est Antonius, Mimam illam suam suas res sibi habere iussit ex 12. tabulis, claves ademit, exegit.*

Item antiqui Romani inter caussas repudiorum enumerabant, si uxor pernoctium a viro abfuisset, si circensibus, vel theatralibus ludis, vel arenarum spectaculis in illis locis, in quibus hæc assolent celebrari, marito prohibente uxor interfuisset. Ita Sempronius Sophus uxorem repudiavit, nil aliud caussatus, quam se ignorante eam ausam ludos spectare; teste Valerio Maximo lib 6 cap. 5. Nec deerant aliæ caussæ repudiorum inter Gentiles.

Deinde Theodosius, & Valentinianus Imperatores anno Domini 449 multis de caussis repudium concesserunt in leg. *consensu* cap. *de repudiis. Si qua igitur*, inquiunt, *maritum suum adulterum, aut homicidam, aut veneficum, vel certe contra nostrum imperium aliquid molientem, vel falsitatis crimine condemnatum invenerit, si sepulcrorum dissolutorem, si sacris ædibus aliquid subtrahentem, si latronem, vel latronum susceptorem, vel abactorem, vel plagiarium, vel ad contemptum sui, domi suæ ipsa inspiciente eum impudicis mulieribus, quod maxime etiam castas exasperat, cœuntem, si suæ vitæ veneno, aut gladio, aut alio simili modo insidiantem, si verberibus, quæ ingenuis aliena sunt, afficientem probaverit, tunc repudii ei permittimus libertatem.*

Post commemoratos Imperatores Anastasius anno Domini 497. quamvis nulla talis intercessisset caussa, bona gratia, hoc est nudo consensu, sine querela, & sine libello repudii, & quod Plutarchus, ait, μετ᾽ ἐπηρείας posse dirimi Matrimonium statuit Lege *si constante* cap. *de repudiis. Si constante Matrimonio, communi consensu tam viri, quam mulieris repudium sit missum, quo nulla caussa continetur, quæ consultissimæ constitutioni divæ memoriæ Theodosii, & Valentiniani inserta est, licebit mulieri non quinquennium exspectare, sed post annum ad secundas nuptias convolare.*

Itaque secundum hanc Anastasii Imperatoris legem, nuptiæ quemadmodum solo consensu contrahebantur, ita nudo consensu distrahebantur.

Observandum autem est hanc, quam vocant bonam gratiam, Iustinianum reduxisse ad quatuor caussas.

Debilitatem. Novell. 117 anno Domini 536 & tunc quarta ascitatio requirebatur.

Monachismum, quem comparat morti. Atque ideo quod pacti sunt coniuges in caussa mortis, trahit etiam ad casum monachismi.

Captivitatem, & patientiam quinquennii. Hac tamen lege quamdiu certum est superesse captivum, coniux in civitate connubium non habet id est ius secundi Matrimonii, sed si incertum hoc sit, satis est exspectari eum quinquennio. Post quinquennium secundæ nuptiæ impunitæ sunt, quasi bona gratia solutis prioribus.

Huic Novellæ derogavit Leo Imperator: *Sancimus ut nequaquam amplius quæ pars intacta a servitute mansit, ad ulterius coniugium procedat, sed quotcumque annis altera in servitutis miseria detinebitur, tametsi nullam neque de teri-*

Digitized by Google

pto, neque citra scriptum significationem accipiat, illam exspectet.

Addidit praeterea Leo solvi nuptias reverso captivo, vel lege Iulia posse eam accusari, quae interim nupsit alteri. Cuius tamen saluberrima institutio, ut Graeci interpretes observarunt, nullius fuit auctoritatis apud Graecos, usu non approbante. Quemadmodum ceterae quoque eiusdem Imperatoris constitutiones Novellarum correctoriae nullam vim obtinuerant, exceptis iis, de quibus antea nihil constitutum fuerat.

Quartam caussam assignat Iustinianus bonae gratiae servitutem, qua Matrimonium solvebatur, ut si libertus, vel filius liberti ingratus in servitutem redigatur, mariti nomen amittit. Haec omnia ex Novella 22.

Ex his quatuor caussis solvebatur Matrimonium bona gratia sine repudio. Ex aliis autem caussis Matrimonium non solvebatur sine repudio.

Ius Canonicum frigiditatem naturalem, & Monachismum ante consummationem Matrimonii approbat. Sed quia Iustinianus non ita intelligebat, idcirco eum, sicut & ceteras eius caussas merito improbat.

Idem Iustinianus postea prudentior factus tam Anastasii constitutionem de bona gratia, quam suas annullavit, & revocavit ferme caussas Theodosii, & Valentiniani abscissis aliquot, Novella 117. cap. 8. *de iustis divortiorum caussis merito permissis*. Ubi sex caussas marito, totidem uxori adtribuit.

Sed eum in ordine sequutus Iustinus, iterum confirmavit contra leges sanctas parentis legem Anastasii, qua bona gratia solvuntur Matrimonia. Quae Iustini constitutio inter Novellas Iustiniani centesima quadragesima adnumeratur.

Ex his omnibus recensitis illud satis constat, hos omnes Christianos Imperatores in materia Matrimonii errasse quidem, sed alium alio turpius.

Matthaeus quoque Blastarius in suo Nomocanone post commemoratas repudii caussas a Iustiniano assignatas infert: *Propterea qui non sic dimissam duxerit, moechatur*. Quasi vero nullum sit adulterium, si sic dimissam duxerit.

Non igitur mirum si Graeci auctoritate Caesarum decepti magno sane Reipublicae Christianae detrimento huiusmodi repudia admiserunt, permiserunt, & continuarunt, praesertim cum & textus Evangelicus sua sponte, nulloque negotio in eam sententiam currere videretur.

At neque Imperatores adeo accusandi sunt, tum quia in primitiva Ecclesia non defuerunt Episcopi, teste Origene, qui dictum Evangelicum perperam exponentes libellum repudii concederent, quorum auctoritate poterant Imperatores decipi, & errare. Tum etiam quia Imperatores minime approbarunt tamquam licita repudia, sed tamquam minus mala permiserunt, quo graviora damna praecaverentur. Quod quidem Iustinus in commemorata sua Novella his verbis clare testatur: *Contigit ut ex his nonnulli ad mutuas insidias procederent, venenisque, & aliis quibusdam, quae letalia essent, uterentur. In tantum ut saepe neque liberi, qui ipsis communiter nati essent, illos in unam eamdemque voluntatem coniungere potuerint.* PARS III. SECT. I. CAP. VIII. §. 9.

Ita non pauci Doctores aiunt Moysem ea Hebraeis permisisse, quamvis enim princeps teneatur pravas consuetudines abolere, & reus sit culpae id omittens dum commode efficere potest; secus tamen est ubi absque maiori damno communis boni id fieri nequit. Unde recte Chrysostomus, sive quicumque fuerit auctor Homiliae 32 in cap. XIX. Matthaei in opere imperfecto: *quod praecipimus*, inquit, *semper placet, quod autem permittimus, nolentes praecipimus, quia malam voluntatem hominum ad plenum prohibere non possumus.*

Solvuntur reliquae rationes Graecorum contra Latinos.

Cap. 19. Ad secundum quod Pharisaei interrogaverint Dominum de dimissione quoad vinculum, siquidem talis erat natura repudii, respondeo Dominum [illegible] maiorem tradidisse doctrinam, quam ipsi postulassent. Si enim respondisset praecise nullo modo licere uxorem dimittere, & aliam ducere; potuissent iterum quaerere, Saltem licet in aliquo casu dimittere, & non aliam ducere? Quare Christus Dominus ad utrumque statim a principio summa brevitate respondet, quod nimirum liceat ob fornicationem, & tamen non liceat sine adulterio aliam ducere. Uno itaque concesso alterum sustulit.

Neque debemus haec duo confundere,

PARS III. SECT. I. CAP. VIII. §. 9.

Si enim grave est quibusdam dimissa uxore adultera, non posse aliam ducere, longe gravius iisdem fuisset, si cogerentur retinere adulteram. Quare si Christus Dominus non adhibuisset exceptionem, multo magis homines anxio, sollicito, & implicato fuissent animo.

Vel secundum quosdam dicendum est, quæ illorum expositio mihi valde probatur Duplicem fuisse Iudæorum in dimittendo uxores consuetudinem, & utramque malam; alteram quidem ob quascumque caussas dimittendi uxores; alteram vero dimissis prioribus, alias docendi uxores. Utramque vero damnavit Dominus, & corrigere voluit: & contra priorem quidem ait: *Dico vobis quod* Matth. XIX. 9. &c. *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, mœchatur*. Quia fidem videlicet coniugalem violat, sibique & uxori periculum affert mœchandi. Contra posteriorem vero Iudæorum consuetudinem adiunxit illud, *& qui dimissam duxerit mœchatur*. Non aliam certe ob caussam, nisi quia, quæ dimissa fuerat ob fornicationem, non erat prioris Matrimonii vinculo soluta.

Unde verbum mœchatur Matthæus cap v. distincte coniunxit cum eo, quod est dimittere uxorem, & cum eo quod Matth. v. 32. est aliam ducere, dicens: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis caussa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat*. Male itaque Caietanus, & Erasmus verbum mœchatur coniuncte ad utramque partem sententiæ referunt, quo significatur, si adsit caussa fornicationis utrumque licere & uxorem dimittere, & aliam ducere, cum distincte ad priorem & posteriorem partem referri debeat Alioquin si vera esset horum sententia, colligi posset, non esse prohibitum a Christo quavis alia de caussa præter fornicationem dimittere uxorem, dummodo nec vir dimittens, nec uxor dimissa ad alias transeat nuptias. Quod falsum profecto esse constat.

Atque hæc dicimus, si sententia sumatur exceptive, sin autem negative, ut requirit tertia expositio, tunc dicendum est, Dominum noluisse generatim dicere, omnis qui dimittit uxorem, & aliam ducit, mœchatur, sed consideratis loco, & tempore respondisse Pharisæis, qui venerant parati, ut eum tentarent, & in sermone caperent. Cum ergo interrogassent, an liceret dimittere uxorem quoad vinculum quacumque ex caussa, Dominos divina prudentia præcise ad interrogata respondit non licere quacumque ex caussa, quia non licet dimittere non fornicariam, & aliam ducere. Quamvis enim per veterem legem liceret etiam non fornicariam dimittere, scilicet si propter aliquam fœditatem non placuisset viro, eique odio fuisset; tamen illud permissum fuisse Matth. XIX. 8. ait Dominus propter duritiam cordis illorum. Quæ enim iusta caussa foret dimittendi uxorem castam, & quæ fidem servasset marito? Ergo male non fornicariam dimittebant. Utrum autem liceret dimittere fornicariam quoad vinculum, & per consequens fas esset aliam ducere, Dominus tunc aperte dicere noluit, quia non erant auditores capaces. Quod si illi intulissent, Ergo licet dimittere, quoad vinculum, fornicariam, tunc Dominus istud utique negasset. Quemadmodum domi ab Apostolis interrogatus aperte suam mentem aperuit, & universe pronunciavit, omnem qui uxorem dimittit, & aliam ducit mœchari.

Ad tertiam patet responsio ex dictis. Illud enim, *nisi ob fornicationem* non debet referri ad utromque membrum orationis, sed tantum ad primum. Perfecta enim dimissio duo continent, dimissionem onius, & potestatem ducendi aliam: primum Dominus approbavit, idque in caussa fornicationis; posterius improbavit, & propterea illam exceptionem, nisi ob fornicationem, Dominus non adiecit in fine sententiæ, sed in medio post primum membrum. Non enim dixit, Quicumque dimiserit, & aliam duxerit, nisi ob fornicationem mœchatur.

Vel cum Augostino dicendum est, sententiam Salvatoris negative accipiendam esse, & sensum esse, Quicumque dimiserit uxorem non fornicariam, & aliam duxerit, mœchatur: ex quo non infertur, Ergo qui dimittit uxorem fornicariam, & aliam ducit, non mœchatur; non enim valet secundum ea, quæ diximus supra.

Quartum argumentum innititur falso fundamento, quippe ponit vinculum Matrimonii esse copulam, in eaque consistere essentiam Matrimonii, inde vero falsa concludit.

Digitized by Google

Ad quintum respondeo, caussam, cur aliquis non possit ducere aliam, nonesse, quia non habet potestatem sui corporis, sed quia præcise reperitur inter coniuges vinculum, idque indissolubile, ex quo sequitur tamquam effectus, ut qui sit vinculo coniugali constrictus non habeat potestatem sui corporis, qui quidem effectus in caussa fornicationis cessat, sed cum quadam coarctatione, non enim vir ob uxoris adulterium adeo liber evadit, ut suum corpus possit alteri tradere, sed tantum illud uxori in pœnam peccati denegare potest. Cessat itaque hoc modo eiusmodi effectus, durante caussa nimirum vinculo, quod est de essentia Matrimonii. Ambrosius autem Catharinus modo huc, modo illuc se vertit, & multa miscet, atque confundit invicem. Quippe in superiori argumento essentiam Matrimonii aiebat consistere in copula. Nunc vero ponit in eo esse, ut quis non habeat potestatem sui corporis. Quod si ista non constituunt essentiam Matrimonii, ut revera non constituunt, non igitur aliquid inde necessario concludit.

Ad sextum, maximum esse aio discrimen inter Matrimonium legitimum, & ratum, hoc est inter Matrimonium, quod est officium naturæ, & quod est sacramentum, cui etiam addimus esse consummatum. Nam Matrimonium verum, & legitimum habet quidem insolubilitatem quamdam naturalem, ea tamen non tanta est, ut in aliquo casu non possit dispensari, atque solvi. At Matrimonium ratum in sua tota perfectione, id est ratum & consummatum, ut nullam admittit dispensationem, ita etiam nullam perfectam solutionem. Non autem admittit propterea quod significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quæ indissolubilis est: qua conditione caret Matrimonium legitimum.

Ad septimum, quod spiritualis fornicatio separet sponsum a sponsa, concedendum est, sed negandum posse totam Ecclesiam spiritualiter fornicari, & consequenter separari a sponso. Si autem per sponsam non Ecclesiam intelligat, sed animam iusti, tunc nihil concludit, non enim Matrimonium consummatum coniunctionem iusti cum Deo, sed Christi cum Ecclesia significat, de quo Paul-
Ephes. v. 32. lus ait: *Ego autem dico in Christum & in Ecclesiam*. Sed & animam peccantem non ita abiicit Deus, ut non possit reconciliari, immo semper eam hortatur ad reconciliationem. Pars III. Sect. I.

Ad octavum, concedo illam esse caussam, cur Christus Dominus ob fornicationem, dimissionem quoad torum concesserit, ut hactenus disseruimus. Quia fornicatio directe adversatur bonis Matrimonii, nimirum fidei, proli, cohabitationi; non tamen solvit vinculum, quod est quid distinctum ab aliis hisce circumstantiis, ut a principio libri notatum est. Cap. VIII. §. 9.

Ad ultimum, quod si retineat vir uxorem adulteram incurrit in infamiam, si dimittat timet de incontinentia.

Respondeo, si sit vir Christianus non debet curare, sed parvi pendere perversas leges, & corruptos mores huius mundi, & amplecti piissimas leges Christi. Si enim Dominus ex reconciliatione benignus, misericors & humani generis amator a sacra Scriptura merito prædicator; quomodo vir infamis, ac non potius humanus erit, si idem præstiterit? An magis offenderat serva conservum, quam Regem, & Dominum gloriæ? At sanctificata est apud Deum sacramento Pœnitentiæ, ideoque reconciliata. Caveat igitur vir ne sanctior esse velit ipso Deo vere sancto, & totius fonte sanctitatis, ne dicat, *noli me tangere*. Quid si forte ipse etiam adulter extiterit? & si non opere, saltem voluntate, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. An libenti animo relinqui ab uxore casta & despici pateretur? quid si congeriem flagitiorum commiserit, & spiritualiter anima eius sit adulterata, an non optat Deum propitium sibi fieri? An tam severum, & inexorabilem iudicem in sua caussa videre illum non reformidat? Quin potius ille ad honestam, & castam reconciliationem animam invitare non cessat, quam post tot adulteria sibi iam reconciliatam uberrime lactat, & ducit in solitudinem, ubi nemo adest, ut sine ullo impedimento liberius loquatur ei ad cor verba blanda, & consolatoria & percutit cum ea fœdus, ac *desponsat sibi eam in sempiternum in iustitia, & iudicio, & misericordia, & miserationibus*, Osee II. 19. Hæc illi præstitit castissimus, idemque liberalissimus sponsus, si umquam eum offendit, offendit autem sæpenumero in multis. Caveat igitur ne sibi dicatur: *Nonne oportuit* Luc. xviii. 33

PARS III. SECT. I CAP. VIII. §. 9.

te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?

Sed esto, nolo retineat adulteram, ne tamen fiant alia coniugia, quæ convincuntur esse adulteria.

At non possum, ait, continens esse; audiat parumper quæso aureum illud os Chrysostomum homilia 16. in Epist. ad Hebræos circa finem moralis. *Non enim*, inquit, *licet dicere non possum, neque accusare opificem. Nam si nos tales fecit, qui non possemus, deinde iubet, ipse accusandus est. Quomodo ergo dicit aliquis, multi non possunt? Quomodo ergo multi nolunt? Nam si volunt, poterunt omnes.*

1. Cor. VII. 7. *Propterea, & Paulus ait*, volo omnes homines esse, ut me ipsum. *Quia sciebat omnes posse esse, sicut erat ipse. Neque enim hoc dixisset, si fieri non posset.* Sic ille. Quare accingat se ad servandam continentiam, desperat de suis viribus, recte istud, sed imploret divinum auxilium.

Matth. VII. 7. *Petite, & accipietis. Quid si uxor esset*, ut ait S. Augustinus lib. 2. de adulterinis coniugiis cap. 10. *in languore insanabili, atque diuturno? aut enim si alicubi esset corpore separata, quo maritus non posset accedere. Puta si duceretur captiva, aut detineretur in carcere, aut si volens servare castitatem, casta castum dimitteret; non quidem laudabiliter, quia non ex consensu, dimitteret tamen. An propterea licebit viro nova inire coniugia?* At quæ caussa dissolvit priora? non enim intercessit adulterium. Itaque non unus tantum casus incidit, nempe quando quis dimittit adulteram, ut sine sua culpa perpetuo servare castitatem cogatur. Ut si etiam vi ab uxore disiunctus sive mercaturæ, sive iusti negotii caussa multos annos in longinqua regione peregrinetur, volens nolens vivere continenter cogitur.

Similiter non in dissimili caussa, sine culpa, quamvis non sine caussa sæpe filius ob peccatum patris privatur hereditate; innoxius ob aliqua indicia iure torquetur a iudice, sed iam satis. *Cetera vide apud Auctorem. Eamdem sententiam tuentur Theologi omnes qui de Matrimonio scripserunt, quos consulere potes.*

Decret. GRATIANI *part.* 2. *caussa* 32. *quæst.* 7. *cap.* 1. Interveniente divortio non aboletur illa confœderatio nuptialis: ita ut sibi coniuges sint, etiam separati: cum illis autem adulterium committunt, quibus etiam fuerint post suum repudium copulati. *Ex S. AUG. de bono coniug. cap.* 7.

Cap. 2. Licite dimittitur coniux ob caussam fornicationis: sed manet vinculum prioris. Propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob caussam fornicationis... Ita manente in se vinculo fœderis coniugalis, uxor dimittitur ob caussam fornicationis, nec carebit illo vinculo, etiamsi numquam reconcilietur viro. Carebit autem, si mortuus fuerit vir eius. *Ex S. AUG. de adul. Coniug. lib.* 2 *c.* 4 *&* 5.

Cap. 3. Apostolus dicit: *His qui sunt in coniugio, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut reconciliari viro suo.* Potest enim fieri, ut discedat ea caussa, qua Dominus permisit. Aut, si feminæ licet virum dimittere etiam præter caussam fornicationis & non licet viro; quid respondebimus de hoc, quod dixi posterius? *Et vir uxorem ne dimittat.* Quare non addit, excepta caussa fornicationis, quod Dominus permittit? Nisi quia similem formam vult intelligi, ut si dimiserit, quod caussa fornicationis permittitur, maneat sine uxore, aut reconcilietur uxori? *Apud* BEDAM. 1. *Cor.* 7. *ex lib.* 1. S. AUG. *de Serm. Dom. in monte c.* 26. 1. Cor. VII. 10. & 11.

Cap. 4. Fieri potest, ut vir dimittat uxorem caussa fornicationis, quam Dominus exceptam esse voluit. Iam vero si nec illi nubere conceditur, vivo viro, a quo recessit, neque huic alteram ducere viva uxore, quam dimisit: multo minus fas est illicita cum quibuslibet stupra committere. *Ex. S. AUG. de Serm. Dom. in monte lib.* 1. *c.* 15.

Cap. 5. *Ex* CONCIL. MILEVITANO *Canone* 17. Placuit ut secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri coniungantur: sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur.

Cap. 6. Dominus ad illud confirmandum, ut non facile dimittatur uxor, solam caussam fornicationis excepit, ceteras vero universas molestias si quæ forte exstiterint iubet pro fide coniugali, pro castitate fortiter sustineri. Et mœchum dixit etiam virum, qui eam duxerit quæ soluta est a viro. *Ex S. AUG. lib.* 1. *de Serm. Dom. in monte c.* 15.

Cap. 7. *Ex* S. HIERONYM. *Epist. ad Amandum.* Omnes caussationes Apostolus amputans apertissime definivit vivente

I. Licetne uxori discedere a viro adultero, quemadmodum licet viro discedere ab uxore adultera?

R. Iniquum esset ex mente SS. Hieronymi & Augustini dare potestatem viro discedendi ab uxore adultera, (H) simulque cogere uxorem innocentem manere cum viro

---

viro esse adulteram mulierem si alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris præstationem, patris auctoritatem, propinquorum catervam, servorum insidias, atque contemptum, damna rei familiaris. Quamdiu vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus eius reputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec Apostolus hæc propria auctoritate decernit, sed Christo in se loquente Christi verba secutus est,
Matth. v. 32. qui ait in Evangelio: *Qui dimiserit uxorem suam, excepta caussa fornicationis, facit eam mœchari: & qui dimissam acceperit, adulter est.*

Cap. 8. *Ex* CONCIL. ELIBERITANO *cap.* 9. Fidelis femina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum duxit, prohibeatur, ne ducat. Si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quam is, quem reliquit, de seculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.

(H) S. HIERON. *ad Ocean. de morte Fabiol. Epist.* 84. *alias* 30.... Et quia statim in principio, quasi scopulus quidam, & procella mihi obtrectatorum eius opponitur; quod secundum sortita matrimonium, prius reliquerit, non laudabo conversam, nisi prius ream absolvero. Tanta prior maritus vitia habuisse narratur, ut ne scortum quidem & vile mancipium ea sustinere posset. Quæ si voluero dicere, perdam virtutem feminæ; quæ maluit culpam subire dissidii, quam corporis sui infamare partem, & maculas eius detegere. Hoc solum proferam, quod verecundæ matronæ & Christianæ satis est. Præcepit Dominus uxorem non
Ibid. xix. debere dimitti, excepta caussa fornicationis: & si dimissa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris iubetur, hoc consequenter redundat in feminas. Neque enim adultera uxor dimittenda est, & vir mœchus tenendus. *Si quis meretrici*
1. Cor. vi. 16. *iungitur, unum corpus facit:* ergo & quæ scortatori impuroque sociatur, unum cum eo corpus efficitur. Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi: aliud Papinianus, aliud Paullus noster præcipit. Apud illos viris impudicitiæ frena laxantur: & solo stupro atque adulterio condemnato, passim per lupanaria & ancillulas libido permittitur: quasi culpam dignitas faciat, non voluntas. Apud nos, quod non licet feminis æque non licet viris: & eadem servitus pari conditione censetur. Dimisit ergo, ut aiunt, vitiosum: dimisit illius & illius criminis noxium: dimisit (pene dixi) quod clamante vicinia, uxor sola non prodidit: sin autem arguitur, quare repudiato marito, non innupta permanserit, facile culpam fatebor, dum tamen referam necessitatem. *Melius est,* 1. Cor. vii. 9.
inquit Apostolus, *nubere quam uri*. Adolescentula erat; viduitatem suam servare non poterat. Videbat aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & se vinctam, & captivam ad coi- Rom. vii. 23.
tum trahi. Melius arbitrata est aperte confiteri imbecillitatem suam, & umbram quamdam miserabilis subire coniugii, quam sub gloria univiræ opera exercere meretricum. Idem Apostolus vult viduas 1. Tim. v. 14.
adolescentulas nubere, filios procreare, nullam dare occasionem adversario maledicti gratia. Et protinus cur hoc velit, Ibid. 15.
exponit: *Iam enim quædam abierunt retro post Satanam*. Igitur & Fabiola, quia persuaserat sibi, & putabat, a se virum iure dimissum: nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi universa caussatio viventibus viris, feminis amputatur, dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit. Sed quid ego in abolitis & antiquis moror, quærens excusare culpam, cuius pœnitentiam ipsa confessa est? Quis hoc crederet, ut post mortem secundi viri in semet reversa, quo tempore solent viduæ negligentes, iugo servituris excusso, agere se liberius, adire balnea, volitare per plateas, vultus circumferre meretricios; saccum indueret, ut errorem pu-

blice fateretur: & tota urbe spectante Romana, ante diem Paschæ in Basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium, Episcopo, Presbyteris, & omni populo collacrimanti sparsum crinem, ora lurida, & squalidas manus, sordida colla submitteret? . . . Aperuit cunctis vulnus suum, & decolorem in corpore cicatricem, flens Roma conspexit. Dissuta habuit latera, nudum caput, clausum os. Non est ingressa Ecclesiam Domini, sed extra castra cum Maria sorore Moysi separata consedit; ut quam Sacerdos eiecerat, ipse revocaret. Descendit de solio deliciarum suarum, accepit molam, fecit farinam, & discalceatis pedibus transivit fluenta lacrimarum. Sedit super carbones ignis. Hi ei fuere in adiutorium. Faciem per quam secundo viro placuerat, verberabat, oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat. Sic dolebat, quasi adulterium commisisset, & multis impendiis medicaminum unum vulnus sanare cupiebat.

S. Aug. *de Serm. Dom. in mont. lib.* 1. *c.* 14. *n.* 39. . . . . Dominus ergo ad illud confirmandum ut non facile uxor dimittatur, solam caussam fornicationis excepit: ceteras vero universas molestias, si quæ forte exstiterint, iubet pro fide coniugali & pro castitate fortiter sustineri; & mœchum dicit etiam virum, qui eam duxerit, quæ soluta est a viro. Cuius rei
Rom. VII. 2. Apostolus Paullus terminum ostendit, quia tamdiu observandum dicit, quamdiu vir eius vivit: illo autem mortuo, dat nubendi licentiam. Hanc enim etiam ipse regulam tenuit, & in ea non suum consilium, sicut in nonnullis monitis, sed præceptum Domini iubentis ostendit,
1. Cor. VII. 10. cum ait. *Eis autem qui sunt in coniugio præcipio, non ego, sed Dominus, mulierem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir uxorem non dimittat.* Credo, simili forma, ut si dimiserit non ducat aliam, aut reconcilietur uxori. Fieri enim potest ut dimittat uxorem caussa fornicationis, quam Dominus exceptam esse voluit. Iam vero si nec illi nubere conceditur vivo viro a quo recessit, neque huic alteram ducere viva uxore quam dimisit; multo minus fas est illicita cum quibuslibet stupra committere.

Cap. 16. *num.* 43. . . Sed consulamus A- 1. Cor. VII. 10. & 11.
postolum, ne aliquid temere dicamus: *His qui sunt in coniugio*, inquit, *præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*. Potest enim fieri ut discedat ea caussa, qua Dominus permittit. Aut si feminæ licet virum dimittere etiam præter caussam fornicationis, & non licet viro; quid respondebimus de hoc quod dixit posterius, *Et vir uxorem ne dimittat?* Quare non addidit, excepta caussa fornicationis, quod Dominus permittit: nisi quia similem formam vult intelligi, ut si dimiserit (quod caussa fornicationis permittitur) maneat sine uxore, aut reconcilietur uxori? Non enim male reconciliaretur vir illi mulieri, quam cum Ioan. VIII. 11.
lapidare nemo ausus esset, dixit ei Dominus, vade, & vide deinceps ne pecces. Quia & qui dicit, Non licet dimittere uxorem nisi caussa fornicationis; cogit retinere uxorem, si caussa fornicationis non fuerit: si autem fuerit, non cogit dimittere, sed permittit: sicut dicitur, Non licet mulieri nubere alteri, nisi mortuo viro? Si ante viri mortem nupserit, rea est; si post viri mortem, non nupserit, non est rea: non enim iussa est nubere, sed permissa. Si ergo par forma est in isto iure coniugii inter virum, & mulierem, usque adeo ut non tantum de femina idem Apostolus dixerit: *Mulier non habet potestatem* 1. Cor. VII. 4.
sui corporis, sed vir; sed etiam de illo non tacuerit dicens: *Similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*; si ergo similis forma est, non oportet intelligi licere mulieri virum dimittere, nisi caussa fornicationis sicut & viro.

N. 48. Quod autem dicit, *Quisquis so-* Matth. V. 32.
lutam a viro duxerit, mœchatur, quæri potest, utrum quomodo mœchatur ille qui ducit, sic & illa quam ducit. Iubetur enim & illa manere innupta, aut viro reconciliari, sed si discesserit, in- 1. Cor. VII. 11.
quit, a viro. Multum autem interest utrum dimittat, an dimittatur. Si enim ipsa virum dimiserit, & alteri nupserit; videtur cupiditate mutandi coniugii virum priorem reliquisse, quæ sine dubio adulterina cogitatio est. Si autem dimittatur a viro, cum quo esse cupiebat, mœchatur quidem qui eam duxerit secundum Domini sententiam, sed utrum & ipsa tali

adultero: eadem est omnium SS. Patrum eadem re sententia. Id definiere summi Pontifices (I). Supponit id certum Tridentina Synodus, canone supra laudato. Tandem hæc est una Theologorum omnium sententia, ubi adulterium certum sit, parem esse utriusque coniugis conditionem quoad ius separationis & divortii (K).

I. Si coniux coniugem adiuvit in adulterio perpetrando, potestne dimittere adulteram?

---

erimine teneatur, incertum est. Quamvis multo minus inveniri pnssit, quomodo cum vir & mulier pari consensu sibi misceantur, unos eorum mœchus sit & non sit alter. Huc aecedit, quia si mœchatur ille ducendo eam quæ soluta est a viro, quamquam non dimiserit, sed dimissa sit, ipsa eum facit mœcharl, quod nihilo minus Dominus vetat. Ex qun colligitur, sive dimissa fuerit, sive dimiserit oportere illam manere innuptam, aot viro eeconciliari.

(I) *Decret.* GRATIANI *part.* 2. *caus.* 32. *Quast.* 5. *c.* 23. *& ult.* INNOCENTIUS I. *Epist.* 3. *ad Exuper. c.* 4. Christiana relligio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres non facile de adolterio accusant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri aotem liberius uxores adulteras apud Sacerdotes deferre consueverunt: & ideo mulieribus, prodito earum erimine, communio denegatur: virorum autem latente commisso, non facile quisquam ex suspicionibus abstinetur: qui utique submovebitur, si eius flagitium detegatur. Cum ergn par caussa sit, interdum probatione cessaote, vindictæ ratio conquiescit.

(K) S. THOM. *in supplem. part.* 3. *Quast.* 66. *art.* 4. *in Conclus.* Respnndeo dicendum quod in caussa divortii vir & uxor ad paria iudicantur, ut idem sit licitum uni quod alteri. Non tamen pariter iudicantur ad illa; quia caussa divortii est maior in uno quam alio; cum tamen in utroque sit sufficiens caussa ad divortiom: Divortium enim pœna est adulterii, in qoantum est contra matrimonii bona. Quantum autem ad bonum fidei, ad quam eonioges æqualiter sibi invicem tenentur, tantum peccat contra matrimonium adolterium unius, sicut adolterium alterius. Et hæc eaussa in utroque sufficit ad divortium: sed quantum ad bonum prolis, plus peccat adulterium uxoris quam viri: Et ideo maior est caussa divortii in uxore quam in viro: Et sic ad æqualia, sed oon ex æqoali caussa obligantur: nec tamen iniuste; quia in utroque est caussa sufficiens ad hanc pœnam: sicut est etiam de duobus qui damnantur ad eiusdem mortis pœnam, quamvis alius altero gravius peccaverit.

THOM. SANCHEZ e Societ. Iesu *de Matrimon. lib.* 10. *de divort. Disput* 3. *n.* 6. Secunda conclusio. Coniuges sunt pares in divortio caussa adulterii celebrandi: ac proinde sicut vir innocens potest ab adultera uxore divertere, ita e contra uxor innocens a viro adultero. Hæc est contra sententiam Caiet. n. 1. relatam, euios sententia prorsus est falsa ae temeraria. Hanc enim partem definit Innoc. I. Epist. 3. ad *Exuperium* &c. Et constat ex illo loco 1. Corinth VII. *His qui matrimonio iuncti sunt pracipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Qui locus in pnsteriori illa parte, *Quod si discesserit*, de iusta dimissione per fornicatinnem viri est necessario intelligendus, ut probavi dispot. præced. n. 2. Ergn licitum est uxori divertere ob viri adulterium. Cum D. Paullus ibi non cogar uxorem ita divertentem ad redeundum, sed optionem illi concedat aut redeundi aut continendi: & ratio huius concl. est, ut colligitur ex D. Thom. 4. d. 35. Quæst. un. art. 4. quia pœnæ legales ita strictim ponderant quantitatem culparum ob quas imponuntur; sed satis est si in utroqoe delicto reperiator caussa sufficiens pœnæ infligendæ: ut omnia homicidia capitis pœna plectuntur, intee qoæ aliqua esse graviora nemo dubitat. Cum ergo fidei fractio, quæ est ratio divortii, reperiatur in adulterio tam viri quam uxoris, ob utrumque concessum est divortium: licet hoc maiorem matrimonio iniuriam irrog t. Atqoe ideo hanc sententiam tamqoam certissimam tuentur, ex Theologis, Magist. 4. d. 35. Alb. Magnus art. 14. & 19. &c.

Ægid. de Coninck de Sacrament. disp.

35. de divort. dub. 1. n. 6. Conclus. 6. Eadem in hac parte est ratio, sive vir, sive femina adulterium commiserit. Quia uterque perfecte frangit datam fidem, & consequenter dat alteri ius resiliendi a pactis.

Guill. Estius *in lib. 4. Sentent. Distinct.* 35. §. 7. Quamvis, ut diximus, non semper teneatur uxor virum adulterum dimittere, quoties vir uxorem, ius tamen divortii ad utrumque coniugem æqualiter pertinet; ita ut pari iure mulier virum atque vir mulierem dimittere possit.

Quod patet imprimis ex iis quæ probant coniuges in re coniugali pares esse, quemadmodum ostendimus ad distinctionem 32. cap. 1. Nam ius dimittendi coniugem caussa fornicationis, maxime spectat ad rem coniugalem, & ex ea dependet. Si enim tam habet mulier potestatem in corpus viri quam vir in corpus mulieris, consequens est, ut sicut viro propter iniuriam huius potestatis licet dimittere uxorem, ita & uxori liceat dimittere virum.

Deinde probatur ex Apostolo 1. Corinth. vii. 10. ubi quod Dominus Matth. v. 32. de viro dicit: *Quicumque dimiserit uxorem nisi ob fornicationem, facit eam mœchari*, id de muliere similiter intelligendum ostendit his verbis. *Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*. Cum enim Dominus in Evangelio solius viri mentionem expresse fecisset, declarat Apostolus Domini præceptum ac sententiam etiam ad mulierem pertinere, eique par ius divortii tribuere. Hoc enim volunt illa Apostoli verba, *Non ego præcipio, sed Dominus*, ut sensus Apostoli sit, non suum sed Domini præceptum esse, ne mulier a viro per divortium discedat, nisi sola ea caussa quam Dominus excepit; & ob quam solam divortium concessum esse voluit. Quod enim loquatur Apostolus de concesso ac licito discessu mulieris, ex eo satis intelligitur, quia relinquit in eius potestate, ut vel innupta maneat, vel viro reconcilietur. Quod si non iure discessisset, non ei optio utriusque partis danda fuerat, sed simpliciter præcipiendum ut ad virum rediret. Atqui non alia est caussa qua licite per divortium discedat, sicut sola deinceps remanere possit, nisi ob fornicationem viri, sicut non alia est propter quam simpliciter dimitti possit nisi ob fornicationem suam. Sentit ergo Apostolus adulterii caussa posse mulierem dimittere virum suum, idque ex constitutione Dominica. Hoc modo locum Apostoli explicat Augustinus lib. 1. de adulter. coniug. cap. 1. & sequentibus, & libro de bono coniugali cap. 21 & 22.

Joan. Maldon. e Societ. Iesu, *Tract. de Sacram. Matrimon. tom 2. capit. 2. De quarta quæstione*. Ad quartam quæstionem quamvis multi dubitarunt etiam magni Auctores; non possumus tamen aliter respondere, quam idem ius habere uxorem dimittendi maritum, quod habet maritus dimittendi uxorem. Nam D. Paullus utrumque facit parem in iure matrimonii, dicens, *mulierem non habere* 1.Cor. vii. 4.
potestatem sui corporis, sed virum: similiter & virum non habere potestatem sui corporis, sed uxorem. Præterea idem D. Paullus eodem loco, postquam dixerat; *Dico non ego, sed Dominus, uxo-* Ibid. 10.
rem a viro non discedere, addit, *vir uxo-* Ibid. 11.
rem non dimittat. Quibus verbis ostendit, posse uxorem a marito invito discedere aliqua de caussa, & posse maritum uxorem dimittere. Item Christus apud Matth. cap. v. postquam dixerat, mœchari maritum, qui dimissa uxore aliam duceret, addidit mœchari etiam uxorem, quæ dimisso marito, nuberet alteri Ubi etiam significat iusta de caussa, videlicet fornicationis, non minus uxorem maritum, quam maritum uxorem posse dimittere. Idque fuit postea decretum in Conc Milevit. can. 17. Et Hier. in Epitaph. Fabiolæ ad Ocean. tractans illum locum Paulli 1. Corinth. septimo, *Quidquid*, ait, *maritis iubetur, hoc consequenter redundat in feminas*. Idem respondit iam olim Innocentius. I. Epistol. 3. cap. 4 & Div. Augustinus (leg. Fulgent.) in lib de fide ad Petr. cap. 3. Quæret aliquis, Cur ergo fere semper Christus & Apostolus loquuntur de uxore, & non de marito, cum agant de divortio? Multæ fuerunt caussæ huius rei. Prima esse potuit antiqua consuetudo Iudæorum, apud quos non uxores maritos, sed mariti uxores solebant dimittere. Et quia Christus volebat corrigere errores veteris legis, loquebatur iuxta consuetudinem eiusdem legis.

Alia caussa fuit communis consuetudo omnium gentium. Semper enim fuit usi-

Digitized by Google

R. Tenetur & ipse eiusdem adulterii reus. Dimittere non potest coniugem ob adulterium eiusmodi (L).

I. Si vis illata est mulieri, nec ipsa consensit in adulterium, potestne dimitti?

R. Si constet vim esse illatam

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 9.

tatum, ut vix verteretur vitio, si maritus esset adulter, daretur autem vitio, si uxor esset adultera. Itaque de hac re loquens Hieron. in Epitaph Fabiolæ: *Aliæ*, inquit, *sunt leges Cæsaris, aliæ leges Christi. Leges Cæsaris adulteras puniunt, adulteros vagari sinunt.... Leges Christi prohibent pariter utrumque.* Alia caussa fuit, quod vir sit caput mulieris, & propterea quod de viro dictum est, de muliere poterat intelligi. Nam debuit lex nomen habere ex meliori parte.

Van Espen *Iur. Eccles. univers. Part.* 2. *tit.* 15. *de divort. & sec. Nupt. num.* 4. Porro utriusque coniugis hic par conditio est; neque maius in uxore, quam marito crimen adulterii esse credit Ecclesia; quantumvis leges civiles plus viris, quam mulieribus indulsisse videantur; de quibus loquens S. Ambrosius lib. 1. de Abraham ait: *Neque sibi blandiatur de legibus hominum, omne stuprum adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non licet.* Et S. Hieronymus Epist. ad Oceanum acrius in has Romanorum leges insurgens, aperte dicit: *Aliæ sunt leges Cæsarum: aliud Papinianus, aliud Paullus noster præcipit*; ac tandem concludit: *Apud nos quod non licet feminis, æque non licet viris.*

(L) *Decret.* Greg. IX. *lib.* 4 *tit.* 13. *cap* 6. Discretionem tuam (& infra.) Sane ex parte tua fuit propositum, quod quidam cum muliere quadam legitime per verba de præsenti contraxit, quam postmodum a se incognitam, cuidam consanguineo suo tradidit in quantum potuit renitentem. Ille vero cum ipsa, licet invita, matrimonii sollemnia celebravit: sed mulier quam cito fuit reddita libertati, aufugit ab eo, & se priori viro restitui postulavit. Nos igitur inquisitioni tuæ respondemus, quod & viro pro tam turpi facinore gravis est pœnitentia iniungenda, & mulier propter publicam honestatem est monenda sollicite, ut nec primum repetat, cuius consanguineus eam licet invitam cognovit: nec redeat ad secundum, cui non potest propter reatum adulterii commisceri: sed in continentia maneat, donec prior fuerit viam universæ carnis ingressus. Quod si forsitan ad id induci nequiverit, vir prior cogatur redire ad ipsam, & maritali eam affectione tractare: cum adulterium ei non possit obiicere, qui eam adulterandam tradidit, præsertim invitam. Nam & si secundum Evangelicam veritatem numquam nisi propter fornicationis caussam, aut vir uxorem, aut uxor possit dimittere virum; non tamen semper propter caussam eamdem, vel uxor virum, vel vir dimittere potest uxorem, cum possit exceptione, vel replicatione legitima impediri. Sed nec affinitas, quæ post contractum legitime matrimonium inter virum & uxorem inique contrahitur, ei debet officere, quæ huiusmodi iniquitatis particeps non exsistit, cum suo iure non debeat sine sua culpa privari; quamquam a quodam prædecessore nostro dicatur in simili casu fuisse distinctum, utrum incestus vel adulterium manifestum fuerit, an occultum: aliis asserentibus inter gradum proximum & remotum esse potius distinguendum.

Matth. v. 32. xix. 9. *Marc.* x. 11. *Luc.* xvi. 18.

S. Thom *in suppl part* 3. *Quæst.* 62. *art.* 1. *in Conclus.* Respondeo dicendum quod Dominus dimittere uxorem concessit propter fornicationem, in pœnam illius qui fidem fregit; & in favorem illius qui fidem servavit, ut non sit astrictus ad reddendum ei debitum qui non servavit fidem: Excipiuntur tamen septem casus, in quibus non licet viro uxorem dimittere fornicantem, in quibus vel uxor a culpa immunis est, vel utrique sunt æqualiter culpabiles. Primus est, si ipse vir similiter fornicatus fuerit: Secundus si ipse uxorem prostituerit. Tertius si uxor virum suum probabiliter mortuum credens propter longam eius absentiam, alteri nupserit. Quartus est, si latenter cognita est ab aliquo sub specie viri lectum subintrante: Quintus, si fuerit vi oppressa: Sextus, si reconciliaverit eam sibi post adulterium perpetratum carnaliter eam cognoscens: Septimus, si

Digitized by Google

invitæ dimitti non potest: non enim tenetur adulterii rea (M).

I. Si uterque coniux seorsum adulterii crimine tenentur, possuntne ab invicem separari ob adulterium?

R. Non possunt. Oportet alterum esse innocentem, ut fieri le-

---

matrimonio in infidelitate utriusque contracto, vir dederat uxori libellum repudii, & uxor alteri nupserit; tunc enim si uterque convertatur, tenetur eam vir recipere.

Thom Sanchez e Soc. Iesu, *Tract. de Matrim lib* 10. *de Divort. disp.* 5. *num.* 3. Secundus casus est, quando vir uxorem prostituit. Habetur cap. *Discretionem*, *de eo qui cognov. consang* Et rationem reddam num. sequenti

Num. 4. Difficultas autem est circa hunc casum. An intelligatur, quando uxor invita & renitens prostituta est a viro? Id enim affirmant gloss. eo cap. *Discretionem verb. Præsertim*, & ita explicat illum textum, dum ait: *Præsertim invitam*, id est, tantum invitam. Et cap. *Significasti*, *verb. Materiam*, *de divortiis*, *Ricard.* 4. *dist* 35 *art.* 2. *quæst.* 1. *Astensis* 2. *part. Sum. lib.* 8. *tit.* 11. *art* 3. *quæst.* 12. Quia quando uxor non coacta prostituta est, rea est culpæ adulterii: ac proinde ob illud dimitti poterit, Verum omnino tenendum est, sufficere ut de viri beneplacito uxor etiam volens committat adulterium, ne ob id a viro dimitti possit. Quod aperte probat textus *d. cap. Discretionem*, ibi: *Præsertim invitam*. Nam de natura illius dictionis implicativæ, præsertim est asserere certum, & denotare seu implicare idem esse in casu magis dubio contrario (ut probavi lib. 2. disp. 39. n. 6. & lib. 6. disp. 14. n. 21.) atque ita vult textus idem dicendum esse, quando uxor volens prostitota est a viro. Nec valet dicere præsertim, accipi pro tantum, quia est ea impropria usurpatio: Ut docet *Sylv. Summa*, *verb. Maxime num. un.* Proprietas autem verborum servanda est, nec ab ea recedere licet, nisi quando in significatione propria verificari minime possunt. Ut ex multis probat *Mantica de coniect. ult. volunt. leg.* 2. *tit.* 5. *num.* 5. Et idem probant *locum mulier viri* 49. *ff. solut. matrim. & lib* 2. §. *si publico*, *ff. ad leg. Iul. de adult. lib.* 6. *tit.* 9. *part.* 4. *lib.* 7. *tit.* 17. *part.* 7. ubi interdicitur marito accusatio uxoris, propter lenocinium. Deinde, quia cum vir eodem crimine implicetur, perinde est, ac si ipse sit adulterii reus. Tandem, quia iniuria illata viro ob adulterium, est caussa & fundamentum divortii. Quæ cessat ipso consentiente. Nam scienti & volenti non fit Iniuria. *Regula*, *scienti*, *de reg. iur. in* 6. atque ideo huius sententiæ videntur esse D. Thom. 4. *dist.* 35. *q. un. art.* 1. Et universi alii Doctores, qui indistincte statuunt hunc casum, quando vir prostituit uxorem, &c.

(M) Gratian *in Decret.* 2. *part. caussa* 32. *Quæst.* 5. Quod autem pudicitia violenter eripi non possit, multorum auctoritatibus probatur. Est enim virtus animi quæ violentiam non sentit. Corpori namque vis Infertur, non animo. Unde, quamvis corpus violenter corrumpatur, si pudicitia mentis servetur illæsa, tamen castitas duplicatur. Sicut beata Lucia fertur dixisse Paschasio: *Si invitam me feceris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Non enim inquinatur corpus nisi de consensu mentis: Nam si in manu mea tura ponas, & per manum meam sacrificia facias, Deus hanc ostendit, & deridet. De sensibus enim & voluntatibus iudicat Deus.*

Cap. 1 Tolerabilius est mentem virginem, quam carnem habere. Utrumque bonum, si liceat: si non liceat, saltem non homini castæ, sed Deo simus. *Et infra.* Virgo prostitui potest: adulterari non potest. Ubicumque Dei virgo est, templum Dei est; nec lupanaria infamant castitatem: sed castitas etiam loci abolet infamiam. *Ex D.* Ambros. *lib.* 2. *de Virginibus.*

Ex eod. ad Virgin. lapsam c. 12. Revera non potest caro corrumpi, nisi mens fuerit ante corrupta.

Num. 3. Ita, ne aliquem polluat aliena libido, metuitur? Non polluit, si aliena erit: si autem polluet aliena non erit. Sed cum pudicitia virtus sit animi, comitemque habeat fortitudinem, quæ potius quælibet mala tolerare, quam ma-

gitime divortium possit. Si uterque adulterii crimine tenetur: neuter ius habet de adulterio coniugis expostulandi. Suo uterque iure excidit. Id iura statuunt omnia (N).

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 9.

I. Si coniux innocens, cognito

---

lo consentire decernat, nullus autem magnanimus, & pudicus in potestate habeat, quid de sua carne fiat: sed tantum quid annuat mente, vel renuat; quis tandem sana mente putaverit se perdere pudicitiam, si forte in apprehensa, & oppressa carne sua exerceatur, & repleatur libido non sua? *Ex S.* Aug. *de Civit. Dei lib* 1. *c.* 18.

Cap. 4. Proposito animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam servat perseverantia continentiæ suæ. An vero, si aliqua femina mente corrupta, violatoque proposito, quod Deo voverat pergat vitianda ad deceptorem suum, adhuc eam pergentem sanctam vel corpore dicimus, ea sanctitate animi, per quam corpus sanctificabatur, amissa, atque destructa? Absit hic error, & hinc potius admoneamur, ita non amitti corporis sanctitatem, manente animi sanctitate, etiam corpore oppresso; sicut amittitur corporis sanctitas, violata animi sanctitate. *Ex S.* Aug. *ibid.*

Thom. Sanchez *Tract. de Matrim. lib.* 10. *de Divort. disput.* 5. *n.* 13. Quartus casus est, quando uxor fuit violenter cognita. Cum enim culpa vacet adulterium illud, *cap Ita, & cap. Proposito* 32. *quæst.* 5. imputari non debet ad divortii pœnam.

Num. 14. Temperant aliqui, nisi uxor caussam violentiæ dedisset. Ut quia non audivit viro monenti fugam, ne vi hostium opprimeretur. *Sic Cantera quæst. criminalibus, quæst. tangentibus punitionem delicti, cap.* 4. *n.* 49 Ceterum dicendum est adhuc non posse accusari de illo adulterio ad divortium aliamve pœnam. Quia *leg. vim passam, ff. ad leg. Iul. de adulter.* indistincte deciditur vim passæ non esse adulterium imputandum. Item, quia nullius criminis uxor rea est, quæ coacta fuit, nec prohibere potuit, *leg. nullum, ff. de reg. iuris*. Nec semper imputatur effectus subsequens, ubi culpa præcedit, *cap. Quoniam, de concess. preb.* Cum culpa illa inobedientiæ uxoris non fuerit ordinata, ut opprimeretur. Atque ita *Glosa, capit. de pudicitia, verb. Eripi*, 32. *q.* 5. mota hac quæstione nil decidit, sed remittit se ad quæstionem Dominicalem, ubi sustinuit adhuc non posse dimitti uxorem. Et idem docent *Archid. eo. cap. de pudicitia n. un. & Bellamera n. un. & ibi Ioan.* quem refert ac sequitur *Greg. Lopez l.* 7. *verb. Per fuerza tit.* 9. *part.* 4.

Num. 15. Alii autem sunt in contrario extremo, ut intelligant non solum excusari mulierem a pœna divortii & dotis amittendæ, quando vi præcisa oppressa est, sed etiam quando metu cadente in feminam constantem. Ducuntur quia *D. Aug. lib.* 1. *de Civitate Dei, cap.* 19, *& refertur cap. proposito*, 32. *quæst.* 5. Lucretiam excusat ab adulterio, dicens solum accedentem ad ipsam fuisse adulterum, eo quod coacta. Et tamen non vi præcisa, sed metu solo coacta est. Nec potest dici excusari tunc a culpa adulterii: sentit ergo excusari a pœna illius, quæ est divortium.

N. 16. Verum a communissima sententia recedendum minime esse arbitror, quæ docet metum non excusare, quin liceat viro divortium facere. Quia revera non excusat a culpa mortali adulterii & fidei fractæ, quæ caussæ divortii sunt. Et ad illam culpam mortalem canones attendunt. Unde caute *Glosa dict. cap. Proposita*, & illam sequentes *Archid. & Bellamera* dixerunt excusare metum a pœna legali adulterii, quæ dolum desiderat. At secundum canones esse adulterium, quasi senserint non excusare a pœnis canonicis, quæ culpam considerant. Quales sunt divortium, & dotis amissio, *cap. Plerumque, de donat. inter vir. & uxor*. Et per hoc cessant obiecta, quæ de pœnis legalibus probant. Atque ita loquentes de divortio sentiunt ex Iurisperitis *Goffredus Summa, tit. de Divortiis, n.* 4. *Hostiensis*, &c.

(N) S. Aug. *de Serm. Dom. in monte sec. Matth. lib.* 1. *c.* 16. *n.* 47. Nihil autem iniquius, quam fornicationis caussa dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari. Occurrit enim illud: *In quo enim alterum iudicat temetipsum conde-* Rom. 2. 1.

coniugis adulterio, rem habuit matrimonii cum coniuge, potestne deinceps coniugem ob adulterium dimittere?

R. Non potest, nisi novum adulterium subsequatur. Nam eo ipso quod coniux post cognitum adulterium usum habuit matrimonii cum coniuge, censetur adulterium condonasse, nec iam amplius iure licet huic coniugi innocenti animadvertere in coniugem nocentem, nisi novum adulterium subsequatur (O).

---

mnas: cadem enim agit que iudicas. Quapropter quisquis fornicationis caussa vult abiicere uxorem, prior debet esse a fornicatione purgatus: quod similiter etiam de f mina dixerim.

Innocent. III. *Extra. De adulteriis, & stupro cap. Tua fraternitas. Decret.* Greg. IX. *lib.* 5. *tit.* 16. *De adulter. & stupro cap.* 6. Intelleximus; quod cum S. laicus H. uxorem suam a maritali consortio depulisset, Diœcesanus eorum audiens eamdem cum quodam adultero fornicari, eam & illum vinculo excommunicationis adstrinxit: quæ tandem adulterum abiurans, absolutione recepta, coram Episcopo memorato prædictum virum sibi restitui postulavit: at ille obiiciens ei adulterium, & quod ab ipso non expulsa, sed spontanea recessisset, restitutionem sui proposuit minime faciendam: quod mulier inficians, replicavit in ipsum, quod fuerat fornicatus: (& infra.) Quocirca mandamus, quatenus (nisi tibi constiterit, vel per evidentiam rei vel per confessionem legitimam mulieris, quod adulterata sponte fuisset) adulterii etiam quod vir dicitur commisisse, probatione cessante, ipsum recipere compellas eamdem. Quod si prædicto modo de mulieris fornicatione constiterit (nisi testes, per quos viri adulterium est probatum, fuerint reprobati, cum matrimonii ius in utroque læsum consistat, & paria delicta mutua compensatione tollantur) nihilominus eum cogas, ut eam recipiat, & maritali adfectione pertractet: alioquin mulieri silentium imponere non postponas.

Cap. 7. Tua fraternitas requisivit utrum aliquo denegante uxori suæ in adulterio deprehensæ debitum coniugale, si postmodum ipse cum alia perpetret adulterium manifeste, cogi debeat ut eamdem maritali affectione pertractes... Super quo taliter respondeo quod cum paria crimina compensatione mutua deleantur, vir huiusmodi fornicationis obtentu suæ uxoris nequit consortium declinare.

Van Espen. *de Iure Ecclesiast. univert. Part.* 2. *tit.* 15. *De Divort & sec. Nupt. n.* 11. Similiter maritus adulter nequit ob adulterium uxoris eam dimittere, quod iampridem docuit S. Augustinus *lib.* 1. *de sermone Dom. in Monte cap.* 28. e quo sumptus est *Canon* 1. *caus.* 32. *q.* 6 *Nihil iniquius* (ait) *quam fornicationis caussa dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari. Occurrit etiam illud:* In quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas: *Quapropter quisquis fornicationis caussa vult abiicere uxorem, prior debet esse a fornicatione purgatus Quod similiter & de femina dixerim.* Hunc sequutus est Alexander III. *in c.* 4. *De Divortiis*, & Innocentius III. *in cap. fin. de adulteriis*, dicens: *Cum paria crimina compensatione mutua deleantur, vir huiusmodi fornicationis obtentu sua uxoris nequit consortium declinare.* Rom. II. 1.

(O) *Lege* Crimen, Cod. *lib.* 9. *ad leg. Iuliam de adult. tit.* 9. *cap.* 11. Crimen adulterii maritum retenta in matrimonio uxore inferre non posse, nemini dubium est.

Lege Quæsitum §. Item quæritur ff. *ad legem Iuliam de adulter. coerc.* Digest. *lib.* 48. *tit.* 5. *cap* 4. §. 1. Item quæritur, an idem maritus destitisse videatur, vel lenocinium commisisse qui eamdem reduxit uxorem. Paullus respondit, eum qui post crimen adulterii intentatum eamdem uxorem reduxit, destitisse videri: & ideo ex eadem lege postea accusandi ei ius non superesse.

Thom. Sanchez e Societ. Iesu, *l.* 10. *De divort. disput.* 5. *n.* 19. Ultimus casus est, quando coniux innocens alteri condonat adulterium, & sic reconciliantur. Cum enim divortium sit in favorem innocen-

I. Age, dic nunc quæso quænam aliæ caussæ sunt legitimæ divortii, quoad torum & cohabitationem?

R. Licet discedere quoad torum, si adsit vitæ, vel gravissimæ infirmitatis imminens periculum in usu matrimonii; verbi gratia, quod supervenerit lepra vel aliud morbi pestilentis genus coniugi (P).

---

tis, potest innocens cedere iure suo, delictumque condonare, & sic cessabit ius divortii. Hæc autem remissio est duplex, quædam expressa, quando, scilicet, verbis expressis innocens coniux adulterum sibi reconciliat, condonans delictum. De qua reconciliatione loquitur textus, *leg. Si maritus*, 25. §. *ti negaverint*, *ff. ad leg. Iuliam de adult.* probans ex tunc minime audiendum esse maritum de adulterio accusantem. Et notant *Alexand. leg. Iuris gentium* 1. §. *ti paciscor*, *ad finem*, *ff. de pactis*, *Barbosa*, *leg.* 2. *in princip. part.* 1. *num* 100. *ff. soluto matrimonio*. Non tamen satis esset remissio mente retenta, nec signo aliquo externo coniugi nocenti expressa. Quia propositum mente retentum in his contractibus inter homines initis nullius efficaciæ est, *leg. Cum in plures*, 62. §. *Locator*, *ff. locati*. Deinde, quia cum remissio illa sit velut quædam iuris divortii & accusandi donatio, oportet ut firma sit, eam parti, cui fit, intimari. Ut de donatione late disserui lib. 1. disp. 6. & 7. Alia autem est remissio tacita. Ut si coniux adulterii conscius alium non exclusit a consortio maritali, vel exclusum admisit. De qua reconciliatione nihil in præsenti dicendum est Quia in sequentibus est specialis disputatio instituenda.

Num. 20. Id tamen observandum est, si reconciliatione facta coniux ille reconciliatus in adulterium relabatur, posse non obstanti priori illa reconciliatione de novo eo adulterio illum accusari, & ratione illius celebrari divortium. Quoniam præcedens venia non trahitur ad futura delicta, sed sola preterita respicit, argumento *leg. Non alias*, §. 1. *ff. de iudiciis*, ubi quamvis legato ius gentium securitatem concesserit, *leg. sanctum*, *ff. de rer. divis.* deciditur posse eum puniri de legationis tempore admisso delicto. Præterea, quia reconciliatio illa contractum matrimonii ad pristinum vigorem restituit, ac si nullum esset usque tunc adulterium commissum, sed in eo eventu posset coniux reus novi adulterii dimitti, & de illo accusari: ergo idem dicendum est facta ea reconciliatione. Nec æquum est ut ea criminis futuri impunitatem præstet. Atque ita sentiunt ex Iurisperitis, *Glossa cap. Plerumque*, &c.

Van Espen *iur. Eccles. univ. Part.* 2. *tit.* 15. *de divort. & sec. Nupt. num.* 10. Maritus uxori iniuriam remisisse videtur, si post adulterium commissum, & a se cognitum eam cognoverit, uti post S. Thomam & Theologos ac Canonistas probat Sanchez lib. 10. de Matrim. disput. 5.

(P) Gratian. *Decret.* 2. *part. caus.* 32. *Quæst.* 5. *cap.* 18. Si uxorem quis habeat sterilem, vel deformem corpore, sive debilem membris, vel cæcam, vel surdam, vel claudam, vel si quid aliud, sive morbis, & doloribus languoribusque confectam, & quidquid (excepta fornicatione) cogitari potest vehementer horribile, pro fide & societate sustineat. *Ex* S. Aug. *de Serm. Dom. in monte lib.* 1. *cap.* 32.

Decret. Greg. IX. *lib.* 4. *tit.* 8. *de coniug. leprot. cap.* 1. Pervenit ad nos quod cum hi, qui lepræ morbum incurrunt, de consuetudine generali, a communione hominum separentur, nec uxores viros, nec viri uxores taliter ægrotantes sequuntur. Quoniam igitur cum vir & uxor una caro sint, non debet alter sine altero esse diutius; mandamus, quatenus, ut uxores viros, & viri uxores, qui lepræ morbum incurrunt, sequantur, & eis coniugali adfectione ministrent, sollicitis exhortationibus inducere non postponas. Si vero ad hoc induci non poterunt, eis arctius iniungas, ut uterque altero vivente continentiam servet. Quod si mandatum tuum servare contempserint, vinculo excommunicationis adstringas

Cap. 2. Quoniam nemini licet (excepta caussa fornicationis) uxorem dimittere: constat quod sive mulier lepra percussa fuerit, seu alia gravi infirmitate deten-

PARS III. SECT. I. CAP. VIII. §. 9.

Deinde licet discedere a coniuge & quoad habitationem. 1. Si coniux coniugi necem machinetur, aut machinatus sit (Q).

---

ta, non est a viro propterea separanda, vel etiam dimittenda. Leprosi autem si continere nolunt, & aliquam quæ sibi nubere velit, invenerint, liberum est eis ad matrimonium convolare Quod si virum sive uxorem leprosum fieri contigerit, & infirmus a sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est solvendum; cui præcepto nulla in hoc casu exceptio invenitur.

THOM. SANCHEZ e Soc. Iesu, *de Matrim. lib. 9. disput.* 24. *num.* 14. Quæ tio 2. Num sanus coniux cum propriæ infectionis periculo teneatur debitum reddere leproso aliove morbo contagioso laboranti? Quamvis in genere conveniant omnes, coniugem liberum esse a debiti redditione, ubi grave damnum probabiliter sibi timet, ut n. 2. diximus. At in casu lepræ dissentiunt propter cap. 2 *de coniug. lepros.* decidens leproso coniugi reddendum esse, ibi: *Quod si virum, sive uxorem, leprosum fieri contigerit, & infirmus a sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est solvendum: cui praecepto nulla in hoc casu exceptio invenitur, Quare triplex est sententia.*

Prima sententia absolute docet teneri sanum ad reddendum coniugi leproso debitum. Quia textus d. c. 2. id absolute decidit, nec infectionis periculum imminet ex coniunctione momentanea ad copulam, qualis ex cohabitatione assidua posset oriri. Ita ex Theologis docent *D. Thom.* 4. *d.* 32. *quæst. un. art.* 1. *ad* 4. &c.

N. 16. Secunda sententia docet teneri reddere sanum leproso, etiam si periculum infectionis adsit. Quia ad hoc se obligavit per contractum matrimonii. *Ita Sotus* 4. *d.* 32. *q. un. in fin. corp.* &c.

N. 17. Tertia sent. (cui omnino adhæreo) docet minime teneri, ubi iudicio medicorum, notabilis infectionis periculum immineret sano ex debiti redditione. Nec obviat textus *cap.* 2. *de coniug. lepros.* intelligitur enim, ubi ea redditio non cedit in reddentis notabile damnum. Atque ita intelliguntur *D. Thom. & reliqui DD. citati num.* 15. pro prima sententia, ut constat ex ratione, qua eam probant: nempe, quia ex tam brevi coniunctione non imminet infectionis periculum. Quare manifeste sentiunt eo imminenti cessare reddendi obligationem. Nec obest etiam ratio secundæ sententiæ, allata num. præcedent. Quia nullus se obligat per matrimonii contractum ad reddendum, nisi salva individui incolumitate: ut n. 2. probavimus. Atque rationes ibi adductæ aperte probant hanc sententiam. Illamque tuentur ex Theologis, *Durand.* 4. *d.* 32. *q.* 1. *n.* 8. &c.

VAN ESPEN *iur. Ecclesiast. univers. Part.* 2. *de Divort. & sec. Nupt. n.* 14. Ob alia seu corporis seu animi vitia non facile admittenda coniugum separatio. Si uxorem quis habeat, ait S. Augustinus, *sterilem vel deformem corpore, sive debilem membris, vel cæcam, vel surdam, vel claudam, vel si quid aliud, sive morbis, & doloribus languoribusque confectam, & quidquid (excepta fornicatione) cogitari potest vehementer horribile, pro fide & societate sustineat.*

Apud Gratianum *Caus.* 32. *q.* 5. *can.* 18. *Et cap.* 2. *de coniug. leprosorum* dicitur, nec ob supervenientem lepram liberum esse dimittere coniugem.

(Q) CODIC. IUSTINIAN. *Lib.* 5. *de repud.* &c. *Tit.* 17. *leg.* 8. *Imp.* THEOD. & VALENTIN. Consensu licita Matrimonia posse contrahi, contracta non nisi misso repudio dissolvi præcipimus. Solutionem etenim Matrimonii difficiliorem debere esse, favor imperat liberorum. Caussas autem repudii hac saluberrima lege apertius designamus. Sicut enim sine iusta caussa dissolvi matrimonia iusto limite prohibemus: ita adversus necessitatem pressum, vel pressam, quamvis infausto, attamen necessario auxilio cupimus liberari. Si qua igitur maritum suum adulterum, aut homicidam, aut veneficum, vel certe contra nostrum imperium aliquid molientem, vel falsitatis crimine condemnatum invenerit, si sepulcrorum dissolutorem, si sacris ædibus aliquid subtrahentem, si latronem, vel latronum susceptorem, vel abactorem, aut plagiarium, vel ad contemptum sui domusve suæ ipsa inspiciente cum

Digitized by Google

2. Si coniux in coniugem sævierit afficiendo iniuriis gravibus, pugnis, verberibus, & periculum sit ne coniux in illa sævitia perseveret. Multo magis si alter coniugum in furorem incidat, ita ut coniugem severiori custodiæ tradi necesse sit (R).

3. Si coniugum alter incidat vel in infidelitatem, vel in hæresim, vel in aliud peccati genus unde grave periculum subversionis oriatur alteri coniugi (S).

I. Debetne fieri divortium, quoties iure licet?

R. Licet sæpe de suo iure re-

---

impudicis mulieribus (quod maxime etiam castas exasperat) cœtum ineuntem, si suæ vitæ veneno, aut gladio, aut alio simili modo insidiantem, si se verberibus (quæ ingenuis aliena sunt) afficientem probaverit: tunc repudii auxilio uti necessario ei permittimus libertatem, & caussas dissidii legibus comprobare.

Decret. GREG. IX *lib.* 2. *Tit* 13. *de restitut. spoliat. cap.* 8. Ex transmissa nobis, Mandamus, quatenus si vobis constiterit, quod præfata mulier prædicto militi legitime desponsata fuisset, & ab eo cognita: ipsam ei restitui faciatis, recepta tamen sufficienti cautione, quod illi non debeat aliquod malum inferre. Si autem capitali odio ita mulierem vir persequitur, quod merito de ipso diffidat: alicui probæ & honestæ mulieri usque ad caussæ decisionem custodienda studiosius committatur, in loco ubi vir, vel parentes eius, mulieri nullam possint violentiam inferre. *Ex* ALEXAN. III. *ad Ambian. & Belvacens. Episc. Epist.*

Cap. 13. Litteras tuas recepimus... *in Glossa*, tertio loco quærebas si mariti crudelitas & sævitia sint nota iudici, ut propter motam controversiam indignatus uxorem tormentis tractaturus sit & iniuriis affecturus? & sic accusatores de morte feminæ metuentes, accusare desistant: utrum hoc in primo vel in secundo casu restitutionis præbeat adminiculum denegandæ. Postremo quærebas si deneganda sit restitutio in aliquo casuum præmissorum & ad Sed. Ap appelletur, utrum appellationi sit huiusmodi deferendum.... *Cui quæstioni respondet* Innocentius III. Si vero tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solum non debet *ei* restitui, sed ab eo potius amoveri: alioquin sufficienti (si fieri potest) securitate provisa, profecto videtur coniux ante caussæ cognitionem restituenda marito.

(R) *Vide auctoritates lit. super. allatas.*

S. IOAN. CHRYSOST. *Homil.* 26. *num.* 7. *in* 1. *ad Corinth. num.* 7. Vobis quoque viris hoc dico. Nihil tale sit peccatum, quo cogamini uxorem verberare. Et quid dico uxorem? Neque ancillam verberare aut ei manus inferre viro ingenuo fuerit tolerandum. Quod si ancillam verberare magnum infert viro probrum; multo magis contra liberam manum intendere. Et hoc in externis etiam Legislatoribus videre est, qui eam quæ ita percussa fuit non cogunt habitare cum percussore, utpote qui illius consortio indignus sit. Etenim extremæ est iniquitatis vitæ consortem, quæ tibi in rebus necessariis iamdiu operam præstabat, ut mancipium ignominia afficere. Ideoque talem virum, si virum tamen licet appellare, non feram, parricidæ & matricidæ parem esse dixerim.

(S) S. AUG. *De Serm. Dom. in monte lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 43. Exoritur hic altera quæstio, cum Dominus caussa fornicationis permittat dimitti uxorem, quatenus hoc loco intelligenda sit fornicatio, utrum quousque intelligunt omnes, id est, ut eam fornicationem credamus dictam quæ in stupris committitur: an quemadmodum Scripturæ solent fornicationem vocare, sicut supra dictum est, omnem illicitam corruptionem, sicut est idololatria vel avaritia, & ex eo iam omnis transgressio legis propter illicitam concupiscentiam. Sed consulamus Apostolum, ne aliquid temere dicamus.

Num. 44.... Sequitur enim & dicit: *Ceteris autem ego dico, non Dominus* Hic primo videndum est quibus ceteris: dicebat enim superius ex Domini persona iis qui sunt in coniugio, nunc vero ex 1.Cor.VII.12

sua persona ceteris dicit: ergo fortasse
iis qui noo sunt in coniugio; sed non hoc
sequitur. Ita enim subiungit; *Si quis
frater habet uxorem infidelem, & hac*
1. Cor. VII. 12. *contentit habitare cum illo, non dimittat
illam*. Ergo etiam nunc iis dicit qui sunt
in coniugio. Quid sibi ergo vult quod
ait, *ceteris*: nisi quia superius eis lo-
quebatur, qui sic copulati erant, ut pa-
riter in fide Christi essent; ceteris vero
nunc dicit, id est eis, qui sic copulati
sunt, ut non ambo fideles sint? Sed quid
Ibid. 12 & 13. eis dicit? *Si quis frater habet uxorem in-
fidelem, & hac contentit habitare cum
illo, non dimittat illam: & si qua mu-
lier habet virum infidelem, & hic consen-
tit habitare cum illa, non dimittat vi-
rum*. Si ergo non præcipit ex Domini
persona, sed ex sua persona monet, ita
est hoc bonum, ut si quis aliter fece-
rit, non sit præcepti transgressor: sicut
Ibid. 25. de virginibus paullo post dicit, præ-
ceptum Domini se non habere, consi-
lium autem dare; atque ita laudat vir-
ginitatem, ut arripiat eam qui voluerit,
non tamen ut si non fecerit, contra
præceptum fecisse iudicetur. Aliud anim
est quod iubetur, aliud quod monetur,
aliud quod ignoscitur. Iubetur mulier a
Ibid. 11. viro non discedere; *quod si discesserit,
manere innuptam, aut viro suo reconci-
liari*; aliter ergo non licet facere. Mo-
netur autem vir fidelis, si habet uxorem
infidelem consentientem secum habitare,
non eam dimittere; licet ergo & dimit-
tere: quia non est præceptum Domini,
ne dimittat, sed consilium Apostoli; sic-
ut monetur virgo non nubere; sed si
nupserit, consilium quidem non tene-
bit, sed contra præceptum non faciet.
Ibid. 6. Ignoscitur cum dicitur; Hoc autem dico
secundum veniam, non secundum impe-
rium. Quapropter si licet ut dimittatur
coniux infidelis, quamvis melius sit non
dimittere, & tamen non licet secundum
præceptum Domini ut dimittatur coniux
nisi caussa fornicationis, fornicatio est
etiam ipsa infidelitas.

Num. 45. Quid enim tu dicis, Apo-
stole? Certe ut vir fidelis consenien-
tem secum habitare mulierem infidelem
non dimittat, Ita, inquit. Cum ergo
hoc & Dominus præcipiat, ne dimittat
vir uxorem, nisi caussa fornicationis,
quare hic dicis: *Ego dico, non Dominus?*
Quia scilicet idololatria quam sequuntur
infideles, & quælibet noxia superstitio
fornicatio est. Dominus autem permisit
caussa fornicationis uxorem dimitti: sed
quia permisit, non iussit, dedit locum
Apostolo monendi, ut qui voluerit non
dimittat uxorem infidelem, quo sic for-
tasse possit fieri fidelis. Sanctificatus est Ibid. 14.
enim, inquit, vir infidelis in uxore; &
sanctificata est mulier infidelis in fra-
tre. Credo iam provenerat ut nonnullæ
feminæ per viros fideles, & viri per uxo-
res fideles in fidem venirent; & quam-
vis non dicens nomina, exemplis tamen
hortatus est, ad confirmandum consilium
suum. Deinde sequitur, *alioquin filii* Ibid.
*vestri immundi essent; nunc autem san-
cti sunt*. Iam enim erant parvuli Chri-
stiani, qui sive auctore uno ex parenti-
bus sive utroque consentiente sanctifi-
cati erant: quod non fieret, si uno cre-
dente dissociaretur coniugium, & non
toleraretur infidelitas coniugis usque ad
opportunitatem credendi. Hoc est ergo
consilium eius, cui credo dictum esse:
Si quid supererogaveris, rediens reddam Luc. x. 35.
tibi.

Num. 46. Porro si infidelitas fornica-
tio est, & idololatria infidelitas, & ava-
ritia idololatria, non est dubitandum
& avaritiam fornicationem esse. Quis
ergo iam quamlibet illicitam concupi-
scentiam potest recte a fornicationis ge-
nere separare, si avaritia fornicatio est?
Ex quo intelligitur, quod propter illici-
tas concupiscentias, non tantum quæ in
stupris cum alienis viris aut feminis
committuntur, sed omnino quaslibet,
quæ animam corpore male utentem a
lege Dei aberrare faciunt, & perniciose
turpiterque corrumpi, possit sine crimi-
ne & vir uxorem dimittere, & uxor vi-
rum: quia exceptam facit Dominus caus-
sam fornicationis; quam fornicationem,
sicut supra consideratum est, generalem
& universalem intelligere cogimur.

Num. 47. Cum autem ait: *excepta caus-
sa fornicationis:* non dixit cuius ipso-
rum, viri an feminæ. Non enim tantum
fornicantem uxorem dimittere concedi-
tur, sed quisquis eam quoque uxorem
dimittit, a qua ipse cogitur fornicari,
caussa fornicationis utique dimittit. Vel-
ut si aliquem cogat uxor sacrificare
idolis, qui talem dimittit, caussa forni-
cationis dimittit, non tantum illius, sed
& suæ; illius quia fornicatur; suæ, ne
fornicetur.

DECRET. 2. *part. Caus.* 28. *Quæst.* 1.

cap. 5. Idololatria, quam sequuntur infideles, & quælibet noxia superstitio, *Matth.* xix. 9. fornicario est, Dominus autem permisit caussa fornicationis uxorem dimitti. Sed quia permisit, non iussit, dedit locum Apostolo monendi, ut qui voluerit, non dimittat uxorem infidelem, quo sic fortassis possit fidelis fieri. Item cap. 28. Si infidelitas fornicatio est, & idololatria infidelitas, & avaritia idololatria, non est dubitandum & avaritiam fornicationem esse. Quis ergo iam quamlibet illicitam concupiscentiam potest recte a fornicationis genere separare, si avaritia fornicatio est? Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias non tantum, quæ in stupris cum alienis viris, aut feminis committuntur, sed omnino quaslibet, quæ animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt, & perniciose, turpiterque corrumpunt, possit sine crimine & vir uxorem dimittere, & uxor virum; quia exceptam facit Dominus caussam fornicationis: quam fornicationem (sicut supra commemoratum est) generalem, & universalem intelligere cogimur. Cum autem ait: Excepta caussa fornicationis: non dixit, cuius ipsorum, viri an feminæ. Non enim tantum fornicantem uxorem dimittere conceditur. Sed quisquis eam quoque uxorem dimittit, a qua ipse cogitur fornicari, caussa utique fornicationis dimittit: velut si aliquem cogat uxor sacrificare idolis, qui talem dimittit, caussa fornicationis dimittit, non tantum illius, sed & suæ: illius, quia fornicatur; suæ, ne fornicetur.... *Ex S. August. supra allato testimonio.*

Decret. Greg IX. *Tit.* 33. *de conversione Coniugat. cap.* 21. Mulier, quæ in fide remansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat iudicio Ecclesiæ separata, ad relligionem libere convolare.

Lib. 4. *Tit.* 19. *de Divort. cap* 2. Quæsivit a nobis: (& infra.) Nos itaque taliter respondemus, quod mulier pro furto vel alio crimine viri sui (nisi fidei suæ relligionem corrumpere velit) ab eo separari non debet. Verum si coniugem suam ad infidelitatis maleficiam traxerit, a viro poterit separari, ita quod ei nubere alii non licebit: quia licet separentur, semper tamen coniuges erunt. In viris quoque præsentis sententiæ forma servetur.

Cap. 6. De illa, quæ viro suo labente in hæresim, ipsius consortium sine iudicio Ecclesiæ declinavit, videtur nobis, quod mulier, maxime si ea intentione decessit, ut lapsos in hæresim tædio pariter & confusione adfectos se ab errore suo converteret, ei cum reversus fuerit, est reddenda: quæ etiam si reverti noluerit, compellatur. Si vero iudicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellandam. Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 9.

Cap. 7. Quanto te novimus in Canonico iure peritum: (& infra.) Sane tua F. intimavit, quod altero coniugum ad hæresim transeunte, qui relinquitur, ad secunda vota desiderat convolare. Quod utrum possit fieri, per tuas nos duxisti litteras consulendos. Nos igitur consultat. t. respondentes distinguimus, licet quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur, an ex duobus infidelibus alter ad fidem catholicam convertatur, vel ex duobus fidelibus alter labatur in hæresim, vel decidat in gentilitatis errorem. Si enim alter infidelium coniugum ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda si voluerit vota transibit, & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: *Si infidelis discedit, discedat, frater enim vel soror non est servituti subiectus in huiusmodi.* 1. Cor. vii. 15. Et canonem etiam in quo dicitur: Contumelia creatoris solvit ius Matrimonii circa eum, qui relinquitur. Si vero alter fidelium coniugum vel labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc casu, is, qui relinquitur, vivente altero, possit ad secundas nuptias convolare, licet in hoc casu maior adpareat contumelia creatoris. Nam etsi Matrimonium verum inter infideles exsistat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum & ratum exsistit: quia Sacramentum fidei, quod semel admissum, numquam amittitur, sed ratum efficit coniugii sacramentum, ut ipsum in coniugibus illo durante perduret. Nec obstat quod a quibusdam forsan obiicitur, quod fidelis relictus non debeat iure suo sine culpa privari: cum in multis casibus hoc contingat, ut si alter coniugum incidatur. Per hanc responsionem quorumdam malitiæ obvia-

Digitized by Google

Pars III Sect. I. Cap. VIII. §. 9.

mittere: quidquid licet non propterea id expedit semper. *Omnia mihi licent*, inquit Apostolus, *sed non omnia expediunt* (Γ).

1. Cor. x. 23.

Antequam ad divortium veniatur, videndum num alia via subsit revocandi coniugem nocentem ad meliorem frugem. Multum oran-

---

tur, qui in odium coniugum vel quando sibi invicem displicerent, si eas possent in tali casu dimittere, simularent hæresim, ut ab ipsa (nubentibus coniugibus) resilirent: Per hanc ipsam responsionem illa solvitur quæstio, qua quæritur, utrum ad eum, qui ab hæresi vel infidelitate revertitur, is, qui permansit in fide, redire cogatur.

S. Thom. *in* 4 *Dist.* 35. *quæst. unica artic.* 1. *ad* 3. Dicendum quod fornicatio est directe contra bona Matrimonii, quia tollitur per eam certitudo prolis, & fides frangitur, & significatio non servatur, dum unus coniugum pluribus carnem suam dividat, & ideo alia crimina quamvis forte sint maiora fornicatione, non caussant divortium. Sed quia infidelitas quæ dicitur spiritualis fornicatio, etiam est contra Matrimonii bonum, quod est proles educanda ad cultum Dei, etiam ipsa facit divortium, sed tamen aliter quam corporalis fornicatio. Quia propter unum actum fornicationis carnalis potest procedi ad divortium, non autem propter unum actum infidelitatis, sed propter consuetudinem quæ pertinaciam ostendit, in qua infidelitas perficitur.

Eadem habet S. Doctor in Scripto secundo in sentent. lib. 4. *Distinct.* 35. *art.* 4. Ad secundum dicendum, quod quamvis aliqua peccata sint graviora adulterio, non tamen ita directe bonis Matrimonii repugnant, sicut homicidium, sacrilegium, & huiusmodi. Infidelitas autem, quæ dicitur spiritualis fornicatio, est contra intentum Matrimonii, quod est proles educanda ad cultum Dei, & ideo divortium caus at propter consuetudinem, quæ pertinaciam monstrat, non propter unum actum tantum, sicut est in fornicatione carnali.

Van Espen *Iur. Eccles. univers. part.* 2. *tit.* 15. *De divort & sec. Nupt. num.* 12. Separatio sive divortium quoad torum & cohabitationem fieri posse non tantum ob corporalem fornicationem, sed & ob spiritualem; si scilicet alter coniugum in hæresim aut Paganismum labatur, dicitur in cap. 6. de Divortiis, & cap. fin. de convers. Coniugat. atque communiter docent Canonistæ.

Num. 13. Immo etiam quoad vinculum Matrimonium dissolvi ob hæresim alterius coniugis olim nonnullos asseruisse constat; & ita aliquem suorum Prædecessorum sensisse videri, asserit Innocentius III. in cap. 7. de Divortiis: Dogma tamen catholicum, scilicet ob hæresim Matrimonium quoad vinculum non dissolvi, adstruit Innocentius; & contra nostri temporis Hæreticos declaravit Synodus Tridentina Sess. 24. can. 5. de reformat. Matrim. *Si quis dixerit, propter hæresim aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a coniuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum; anathema sit.*

(T) 1. Cor. x. 23. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.

S. Aug *lib.* 19. *Contra Faustum, cap.* 26. Nam & illud de uxore non dimittenda quod Dominus præcepit; cum antiquis dictum sit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii;* Deut. xxiv. 1. Matth. v. 32. & xix. 7. si diligenter intueamur, videbimus non esse contrarium. Exposuit enim Dominus quid Lex voluerit: cum passim dimittenti uxorem iusserit libellum repudii dare. Neque enim ait, Qui voluerit, dimittat uxorem suam; cui esset contrarium non dimittere; sed utique nolebat dimitti uxorem a viro, qui hanc interposuit moram, ut in dissidium animus præceps, libelli conscriptione refractus absisteret, & quid mali esset uxorem dimittere cogitaret: præsertim quia, ut perhibent, apud Hebræos scribere litteras Hebræas nulli fas erat, nisi Scribis solis, cum & excellentiorem profiterentur sapientiam, & si qui eorum essent æquitate ac pietate præditi, non tantum profiterentur sapientiam, verum etiam sectarentur. Ad hos igitur, quos oporteret esse prudentes Legis Interpretes & iustos dissidii dissuasores, lex mittere voluit eum, quem iussit libellum repudii dare, si dimisisset uxorem. Non

dus Deus: habendum consilium cum viris prudentibus & peritis & integris & incorruptis & amicis: cavendumque maxime ne quid temere & leviter & præpostere, & ex nimia commotione animi fiat.

I. Quam vitam agere debent coniuges post divortium?

R. Hanc agere debent vitam quam dicemus infra agendam esse a viduis.

Coniux autem, cuius culpa divortium factum est, pœnitentiam agere tenetur, & ita vivere ut tandem peccati remissionem & reconciliationem cum coniuge innocente consequi mereatur.

I. Si coniux nocens revocetur a coniuge innocente post divortium, teneturne redire?

R. Tenetur: in gratiam enim solius innocentis conceditur divortium. *Quod* autem *ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum*. Ut habet regula iuris, *in 6*.

I. Si coniux nocens in meliorem frugem convertatur, debetne ab innocente recipi post conversionem, & actam diutius pœnitentiam?

R. Debet: nisi propter adulterium facta discessio sit:

Ubi autem in adulterii pœnam facta coniugis repudiatio est, numquam cogi potest coniux innocens ad se recipere coniugem nocentem, quamvis minime dubia morum conversio & pœnitentia diuturna subsequuta sit (V).

Christianæ tamen pietati & misericordiæ convenientius esse videtur, si recipiatur post minime du-

---

enim ei poterat scribi libellus, nisi ab ipsis, qoi per hanc occasionem ex necessitate venientem quodam modo in manus suns bono consilio regerent, atque inter ipsum & uxorem pacifice agendo dilectionem concordiamque suaderent. Quod si rantum intercederet odium, ut extingui emendarique non posset, tunc utique scriberetur libellus: quia frustra non dimitteret, quam sic odisset, ut ad debitam coniugio caritatem nulla prudentiom persuasione revocaretur. Si enim non diligitur uxor, dimittenda est. Quia ergo dimittenda non est, diligenda est. Dilectio autem monendo atque soadendo componi, non invitum cogendo imponi potest. Hoc facere Scriba debebat iustus & sapiens, qualem in illa professione esse oportebat: ad quem ut veniretur, discordi marito libellus conscribendus præceptus est: quem vir bonus prudensque non scriberet, nisi in animo nimis averso atque perverso consilium concordiæ non valeret.

(V) Decret. *part.* 2. *caussa* 32. *quæst.* 1. *cap.* 5. De Benedicto qooque quem uxorem alienam indicasti facinoroso sustulisse spiritu, & in suum hactenos præsumere detinere consortium, si hoc rerum veritas habet, iubemus experientiæ tuæ, ut eom cum ipsa quoque adultera districte mactare non differas, & calvatos ab invicem separare, & illum quidem ad Lociom defensorem in Apuliæ provinciæ patrimonium sine dilatione fac migrare: illam vero si quidem maritus suus sine dolo aliquo forte accipere voluerit, tua ordinatione sub cautela recipiat, nollum ei nihil dumtaxat de cetero simile committenti pericolum illaturus. Si vero omnino eam recipere noluerit, in alium quemdam locum, in qoo ei non liceat male vivere, provida eam dispensatione constitue.

Caussa 33. *quæst.* 2. *cap.* 8. Admonere .... Si verom (quod absit) fuisset (*adulterium*) sicut ille adulter mentitos est, post septem annos pœnitentia peracta dimittere eam per approbatam caussam poteras, si voluisses: occidere tamen eam nullatenus debuisti.

Pars III Sect. I. Cap VIII. §. 10.

biam conversionem & pœnitentiam diuturnam (X).

Æstimandum est ex prudentiæ Christianæ legibus, habita omnium & singularium circumstantiarum ratione, quid magis expedierit, quid magis e salute utriusque coniugis fuerit. Nam, ut iam diximus post Apostolum Paullum, quæcumque licent, non propterea expediunt.

§. 10. *Quæ sint Officia coniugum, instante morbo alterius coniugis. Quæ viduorum, vel viduarum Officia.*

I. Quæ sunt Officia coniugum instante morte alterutrius?

R. Coniugem ægrotantem debent omni cura atque opera & sollicitudine adiuvare. Quidquid conferre potest ad salutem animæ vel corporis, id omne impendere in ægrotum: curare ut omnia Ecclesiæ Sacramenta ubi opus erit & quidem mature suscipiat; ut rebus domesticis provideat; denique ut in Domino moriatur. Neque enim coniugalis amor purus & castus est inter Christianos, nisi in quantum dirigitur ad Deum, adeoque ad salutem æternam utriusque coniugis. Nullum est ergo tempus in quo maiori cura & studio invigilare coniugem oporteat saluti coniugis, quam ubi instat illi supremus dies, hora suprema, unde pendet æterna hominis salus (A).

I. Quid agendum coniugi superstiti statim atque alter vita cessit?

(X) S. Aug. *de Coniug. adult. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 5. Quod autem tibi durum videtur, ut post adulterium reconcilietur coniugi coniux; si fides adsit, non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos vel baptismate ablutos, vel pœnitentia credimus esse sanatos? Hæc crimina in vetere Dei lege nullis sacrificiis mundabantur, quæ novi Testamenti sanguine sine dubitatione mundantur; & ideo tunc omni modo prohibitum est ab alio contaminatam viro
2. Reg. III. 14. recipere uxorem; quamvis David Saulis filiam, quam pater eiusdem mulieris ab eo separatam dederat alteri, tamquam novi Testamenti præfigurator sine cunctatione receperit: nunc autem posteaquam Christus ait adulteræ: *Nec ego te*
Joan. VIII. 11. *damnabo, vade, deinceps noli peccare;* quis non intelligat debere ignoscere maritum, quod videt ignovisse Dominum amborum, nec iam se debere adulteram dicere, cuius pœnitentis crimen divina credit miseratione deletum?

Cap. 9. *num.* 8. Quibus consideratis atque tractatis, si communis conditio, commune malum, commune periculum, commune vulnus, communis salus, fideliter & humiliter cogitetur, non erit turpis, neque difficilis, etiam post perpetrata atque purgata adulteria reconciliatio coniugum, ubi per claves regni cælorum non dubitatur fieri remissin peccarnrum: non ut post viri divortium adultera revoeetur, sed ut post Christi consortium adultera non voeetur. Verum ecce non fiat, nemo compellit, quia forte lex aliqua huius seculi vetat secundum terrenæ civitatis modum, ubi cogitata non est abolitio eriminum per sanguinem sanctum. Suscipiatur ergo continentia, quam nulla lex prohibet: in alia non eatur adulteria.

(A) Ephes. v. 25. *Vide supra huiusce cap.* §. 6. *litt.* (B).

S. Hieron. *Comment. in cap.* v. *Epist. ad Ephes. lib.* 3. *circ. finem* ... Quamvis sui invicem maritus & coniux amore teneantur: qualis illa uxor memoratur Hasdrubalis, quæ capto viro in patriæ se iecit incendium; & ceteræ quæ viris mortuis supervivere noluerunt: Numquam tamen dilectionem illam vir sapiens dilectioni Christi & Ecclesiæ comparabit. Sanctus igitur hic intelligendus est amor, quo & Isaac dilexit uxorem suam Rebeccam.

Digitized by Google

R. 1. Æquum est dare locum lacrimis & dolori. Id ratio pariter & relligio suadent: absit ut tristitiam hanc vitio vertamus. Id unum monet Apostolus, ut ne Christiani de mortuis contristentur, *sicut & ceteri qui spem non habent.* Debet ergo dolor ille & gemitus habere modum ex futuræ spe resurrectionis. Id primo omnium vidui sibi dictum putent (B). *1. Thess. iv. 12.*

2. Curandum funus defuncti; sed

(B) 1. Thessal. iv. 12. Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri, qui spem non habent. Si enim credimus quod Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. ... Deinde, nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus. Itaque consolamini invicem in verbis istis.

S. Aug. *Serm.* 172. *alias* 32. *de verb. Apost.* 1. *Thess.* iv. *cap.* 1. *num.* 1. Admonet nos beatus Apostolus, *ut de dormientibus*, hoc est, mortuis carissimis nostris, *non contristemur, sicut & ceteri qui spem non habent*, spem scilicet resurrectionis & incorruptionis æternæ. Nam ideo & dormientes eos appellat Scripturæ veracissima consuetudo, ut cum dormientes audimus, evigilaturos minime desperemus. Unde etiam cantator in Psalmo. *Numquid qui dormit, non adiiciet ut resurgat?* Est ergo de mortuis eis qui diligunt, quædam tristitia quodam modo naturalis. Mortem quippe horret, non opinio, sed natura. Nec mors homini accideret, nisi ex pœna quam præcesserat culpa. Quapropter si animalia quæ ita creata sunt, ut suo quæque tempore moriantur, mortem fugiunt, diligunt vitam; quanto magis homo, qui sic fuerat creatus, ut si vivere sine peccato voluisset, sine termino viveret? Hinc itaque necesse est ut tristes simus, quando nos moriendo deserunt quos amamus: quia etsi novimus eos non in æternum relinquere nos mansuros, sed aliquantum præcedere secuturos; tamen mors ipsa quam natura refugit, cum occupat dilectum, contristat in nobis ipsius dilectionis affectum. Ideo non admonuit Apostolus, ut non contristemur; sed *non sicut ceteri qui spem non habent.* Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi. Inde angimur, hinc consolamur: inde infirmitas afficit, hinc fides reficit: inde dolet humana conditio, hinc sanat divina promissio. *1. Thess. iv. 12.* *Psal. xl. 9.*

Cap. 2. *num.* 3. Permittantur itaque pia corda carorum de suorum mortibus contristari dolore sanabili, & consolabiles lacrimas fundant conditione mortali; quas cito reprimat fidei gaudium, qua creduntur fideles, quando moriuntur, paullulum a nobis abire, & ad meliora transire. Consolentur eos etiam fraterna obsequia, sive quæ funeribus exhibentur, sive quæ dolentibus adhibentur, ne sit iusta querela dicentium: *Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit, & consolantes, & non inveni.* *Ps. lxviii. 21.*

S. Hieron. *Epist.* 35. *alias* 3. *ad Heliod. Epitaph. Nepot.* Quid igitur faciam? iungam tecum lacrimas? Sed Apostolus prohibet, Christianorum mortuos, dormientes vocans. Et Dominus in Evangelio: *Non est*, inquit, *mortua puella, sed dormit.* Lazarus quoque quia dormierat, suscitatus est. Lætor & gaudeam, quia *raptus est, ne malitia immutaret mentem eius, quia placuerat Deo anima illius?* Sed invito & repugnanti per genas lacrimæ fluunt, & inter præcepta virtutum resurrectionisque spem, credulam mentem desiderii frangit affectus. O mors quæ fratres dividis; & amore sociatos, crudelis ac dura dissocias! *Adduxit urentem ventum Dominus de deserto ascendentem, qui siccavit venas suas, & desolavit fontem tuum.* Devorasti quidem Ionam, sed & in utero tuo vivus fuit. Portasti quasi mortuum, ut tempestas mundi conquiesceret; & Ninive nostra, illius præconio salvaretur. Ille, ille te vicit: ille te iugulavit. Fugitivus Propheta, qui reliquit domum suam, dimisit hereditatem suam, dedit dilectam animam suam in manibus quærentium eum. Qui per Osee quondam tibi rigi- *1. Thess. iv. 12.* *Marc. v. 39.* *Luc. viii. 52.* *Ioan. xi.* *Sap. iv. 11. & 14.* *Osee xiii. 15.*

dus minabatur: *Ero mors tua, o mors! ero morsus tuus, inferne.* Illius morte, tu mortua es: illius morte, nos vivimus. Devorasti, & devorata es. Dumque assumpti corporis sollicitaris illece-
Osee xiii. 14. bra, & avidis faucibus prædam putas:
interiora tua adunco dente confossa sunt. Gratias tibi Christe Salvator, tua agimus creatura, quod tam potentem adversarium nostrum dum occideris, occidisti ..... Flammea illa romphæa custos paradisi, & præsidentia foribus Cherubim, Christi restincta & reserata sunt sanguine. Nec mirum hoc nobis in resurrectione promitti, quum omnes qui in carne, non secundum carnem vivimus municipatum habeamus in cælo: &
Luc. xvii. 21. hic adhuc positis dicatur in terra: *Regnum Dei intra vos est*... Non plangam cum Iacob & David filios in lege morientes; sed cum Christo in Evangelio recipiam resurgentes. Iudæorum luctus,
Ps. xxix. 6. Christianorum gaudium est. *Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matuti-*
Rom. xiii. 12. *num lætitia. Nox præcessit, dies autem*
appropinquavit. Unde & Moyses moriens
Deut. xxxiv. 8. plangitur, Iesus absque funere & lacri-
Iosue xxiv. 30. mis in monte sepelitur . . . Scimus quidem Nepotianum nostrum esse cum Christo, & Sanctorum mixtum choris, quod hic nobiscum eminus rimabatur in terris, & æstimatione quærebat, ibi videntem eominus dicere: *Sicut audivimus, sic & vi-*
Ps. xlvii. 9. *dimus, in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri*: Sed desiderium absentiæ eius ferre non possumus: non illius, sed nostram vicem dolentes. Quanto ille felicior, tanto amplius nos in dolore, quod tali caremus bono. Flebant &
Ioann. xi. 33. sorores Lazarum, quem resurrecturum noverant. Et ut veros hominis exprimeret affectus; ipse Salvator ploravit quem
Ibid. 35. resuscitaturus erat. Apostolus quoque
Phil. i. 23. eius qui dixit: *Cupio dissolvi, & esse cum*
Ibid. 21. *Christo*: & alibi: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum*, gratias agit, quod Epaphras de mortis sibi vicinia redditus
Ibid. ii. 27. sit, ne haberet tristitiam super tristitiam: non incredulitatis metu, sed desiderio caritatis. Quanto magis tu & avunculus & Episcopus, hoc est, in carne & in spiritu pater, doles abesse viscera tua, & quasi a te divulsa suspiras? Sed obsecro, ut modum adhibeas in dolore, memor illius sententiæ: Ne quid nimis: obligatoque parumper vulnere, audias laudes eius, cuius semper virtute lætatus es. Nec doleas, quod talem amiseris; sed gaudeas quod talem habueris... Vince quantum potes, immo etiam plus quam potes, molliciem animi tui, & ubertim fluentes lacrimas reprime, ne grandis pietas in nepotem apud incredulas mentes, desperatio putetur in Deum. Desiderandus est tibi quasi absens, non quasi mortuus: ut illum exspectare, non amisisse videaris.

S. Ioann. Chrysost. *Homil. 62. alias 61. in Ioann. num.* 4. Verum nunc, præter alia mala, hic quoque mulierum morbus obtinet. Nam in luctu & planctu ostentationem affectant, brachia nudant, crines discerpunt, genas laniant; aliæ ob dolorem; aliæ ad ostentationem; aliæ impudico animo brachia nudant, viris intuentibus. Quid facis, o mulier? Te in medio foro turpiter nudas, quæ Christi membrum es, idque in foro viris præsentibus? Crines vellicas, vestem discindis, magnos eiulatus emittis, choream circum efficis, & mænadum illarum imaginem servas, nec te putas Deum offendere? Quæ illa insania? An non gentiles ridebunt? an non fabulas nostra esse putabunt? Dicent enim, nulla est resurrectio; sed Christianorum dogmata ridicula sunt, fraudes, fallaciæ. Ac si enim nihil post hanc vitam supersit, ita lugent apud illos mulieres, nihil attendunt scripturis suis. Figmenta sunt illa omnia ut ipsæ comprobant. Si enim crederent eum qui mortuus est, non vere mortuum esse, sed ad meliorem vitam translatum; non illum quasi iam ultra non esset lugerent, non ita se macerarent, non illas emitterent voces incredulitatis plenas: Non te amplius videbo, non te recuperabo. Fabulæ apud illos omnia sunt. Quod si id quod caput omnium bonorum est non credunt, multo minus credent cetera... Opulentiores mulieres capillos non vellunt, brachia non nudant; quod quidem summopere improbandum, non quod non nudent, sed quia non pietatis caussa, ac ne turpes videantur, hoc faciunt. Pudor luctum cohibet, Dei metus non cohibet? & quomodo hæc non admodum improbanda? Oporteret ergo quod opulentæ faciunt quia opulentæ sunt, id pauperes ob Dei timorem facere .... Quid ergo, inquies, hominem deflere non licebit? Hoc non vero; sed tunsiones, sed immoderatos fletus: non sum ferinus, non inhumanus. Scio naturam flecti, &

quotidianam requirere consuetudinem. Non possumus non lugere, quod & Christus ostendit. Lacrimatus enim est de Lazaro. Hoc & tu facito. Lacrimare, sed leniter, sed prudenter, sed cum timore Dei. Si sic lacrimeris, non lacrimaris qoasi resurrectionem non credens, sed quasi separationem non ferens.

N. 5.... Sic & tu lacrimas emitte, ac si proficiscentem præmitteres... Nam si peccator.. defunctus est, qui sæpe Deum offenderit deflendus utique est; immo non deflendus tantum, cum id nihil ipsi afferat utilitatis; sed ea facienda sunt, quæ possint illum iuvare, ut eleemosynæ, oblationes. Hinc etiam lætandom est, quod omnis malitiæ occasio ipsi ablata sit. Si vero iustus sit, exultandum, quod in tuto sit collocatus, & liber ab incerto foturo statu. Si iuvenis sit, gaodendum quod cito ereptus sit huios vitæ malis; si senex, quod eo diutius sit usos, quod maxime desiderabile videbatur... Honor enim defuncto sunt, non fletus, non ciulatos, sed hymnorum psalmorumqoe canctus, optimaqoe vita. Ille namque digressos cum Angelis versabitur, etiamsi funeri nemo adsit; qui porro improbus moritur, etsi totam civitatem exsequiis præsentem habeat, nihil inde lucrabitur. Vis defunctum cohonestare, alia adhibe, eleemosynas, beneficia, ministeria. Quid ex tot fletibus lucri?.. Et quomodo potest, inquies, non lugere, qui filiom, aut filiam, aut uxorem amisit? Non dico non lugendum, sed non sine modo lugendum esse. Si enim cogitemus Deum abstulisse, nosque seu virum, seu filium mortalem habere, cito consolationem admittemus... Ne doleas, ne te maceres, sed fer ea quæ omnibos statuta sont. Dole de peccatis. Hic optimus luctus est, hæc maxima philosophia, hæc ergo perpetuo defleamus, ut illic gaodium consequamur.

In Epist. Paulli ad Thess. 1. *cap.* IV. *homil.* 6. *num.* 2.... Plangere ergo propter eos qui excesserunt, non est eorum certe qui spem habent. Anima enim quæ nihil scit de resurrectione, sed hanc mortem, mortem esse potat, merito plangit, & lamentatur & luget intolerabiliter tamquam de iis qui perierunt. Tu autem qui exspectas resorrectionem, cur lamentaris? An non lugere est eorum qui spem non habent? Aodite, o mulieres, quæ lobenter lamentamini, quæ estis proclives & propensæ intolerabiliter ad luctus, quod ea faciatis qoæ ethnici. Si autem dolere propter eos qui excesserunt, est ethnicorum, plangere & genas lacerare quorumnam est, dic quæso? Cor lamentaris, si credis eum esse resurrecturum? si credis eum non periisse? si eam rem esse somnum & dormitionem?... Cur luges infantem? Cur maritum? Qooniam illo quidem frui non est concessum: hoc vero exspectavi fore ut amplius fruerer. Hoc autem qoantæ est infidelitatis, existimare quod aut maritus aut infans te in tuto collocet, non autem Deus? Quomodo non putas te eum irritare? Propterea enim eos sæpe accipit, ne eis ita sis affixa, ut ob illis spem abducas. Deus enim est zelotes, & maxime omnium vult a nobis diligi: idque quoniam nos valde diligit. Scitis enim honc esse morem eorum qoi insano capti sunt amore. Sunt enim valde zelotypi, & maluerint animam prodigere, quam ab ullo ex suis rivalibus existimatione superari. Propter hæc Deus eom accepit, propter hæc, inqoam verba ...

Num. 3. Nunc autem qooniam adeo deorsum tendimus & delabimor, & mariti oxores plusquam Deum diligimus, & uxores maritos Deo præferimos, ideo nos vel invitos ad sui trahit desiderium. Ne diligas maritum plusquam Deum, & nomquam senties viduitatem. Immo vero etiamsi acciderit, eius nullum sensom capies. Quare? Quoniam defensorem habes immortalem qui magis diligit. Si Deom magis diligis, ne lugeas. Nam qui magis diligitur est immortalis: nec sinit ut accipiatur sensus eios qui minus diligitur... Sed sollicita es quis relictos tibi nutriet filios? Pater orphanorum. Quis enim ipsos dedit, dic quæso? Non audis Christum dicentem in Evangelio: *Nonne anima est plus quam esca, & corpus quam indumentum?* Matth. VI. 25.

Num. 4 Vides lamentationem non esse ex consuetudine, sed incredulitate? At filii non sunt æque clari & illustres, cum pater decesserit. Quare? Deum habent patrem, & non sunt clari & illustres? Quam multos tibi ostendam a viduis educatos, qui fuerunt bonæ existimationis? Quam multos autem a patribus educatos, qui perierunt? si enim eos educas ut oportet a prima ineunte ætate, maiori fruentur beneficio, quam ex cura paterna.

Homilia 4. *in Epist. ad Hebræos*, *n.* 5. ... Quando autem vel mulier aliqua, vel vir quispiam dicens se esse mundo crucifixum, hic quidem vellit

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 10.

curandum maxime ut orationibus, eleemosynis, & Sacrificio salutari adiuvetur apud Deum (C).

3. Si publica auctoritate facienda sit recognitio bonorum coniugis mortui, servandæ omnes æquitatis & conscientiæ leges: nihil de mortui successione clam subtrahendum: quod quidem fieri nequit quin violetur fides publica in præiudicium creditorum, vel heredum, vel pupillorum, vel legatariorum; unde oritur obligatio restitutionis damni illati. Quin & hoc scelus adiunctum semper habet periurium; priusquam enim ad faciendam hanc bonorum recognitionem veniatur, Prætor, seu vices illius tenens inquisitor, interposito iureiurando sciscitatur a coniuge superstite, a liberis, ab heredibus, a domesticis singulis, num quid de mortui successione subduxerint; vel noverint a quoquam fuisse subductum.

4. Sancte exsequenda quantum fieri potest suprema coniugis mortui mandata.

5. Cogitandum serio ex ea morte oriri novas rationes, nova incitamenta adhærendi Deo sanctius & purius.

I. Quænam sunt illæ rationes, quænam illa incitamenta?

R. 1. Libertas maior: unde fit ut cogitari possint facilius quæ Domini sunt. Nam coniux adhæret coniugi, & divisus est: soli Deo adhærere facilius potest qui Matrimonii vinculo non tenetur (D). 1. Cor. vii. 32.

2. Quod recens expertum est morte coniugis, quam fluxæ & incertæ & caducæ sint res omnes humanæ. Id autem viduæ præ ceteris sentiunt & experiuntur; nam illæ sæpius omni destituuntur auxilio, & patent magis proditionibus & iniquitatibus opprimere & aliena invadere volentium. Sed tunc magis sperare debent in Deum, ut ait Apostolus; quia tunc vere viduæ sunt & desolatæ (E). 1. Tim. v. 5.

3. Quæ ipsa viduitate contrahitur obligatio, etiam ad servandum decorum status ex recepta consuetudine, vitam agendi remotiorem a frequenti hominum consortio.

4. Necessitas quæ iam, maior incumbit curandi rem familiarem, re-

---

capillos, illa vero valde eiulat, quid est hoc turpius & magis indecorum? Credite mihi dicenti: oportet eos qui sunt huiusmodi, longo tempore arceri a liminibus Ecclesiæ. Qui enim sunt digni ut ita lugeantur, ii sunt qui mortem adhuc timent & horrent, qui non credunt resurrectioni... Cogita quid psallas illo tempore: *Convertere*, inquit, *anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*: & rursus: *Non timebo mala quoniam tu mecum es*: & rursus: *Tu es mihi refugium a tribulatione, quæ me circumdat*... Dicis & lacrimaris? An non hæc sunt ludus, & histrionica simulatio? Nam si revera credis iis quæ dicis, supervacanee luges & lamentaris. Ps. xxiv. 7. Ps. xxii. 4. Ps. xxxi. 7.

(C) S. August. *Lib. de cura pro mortuis gerenda. cap. 1. & ult. Vide supra part. 2. sect. 4. cap. 2. §. 23. litt.* (F) *& huiusce part. sect. 1. cap. 5. §. 18. lit.* (G) *uti & Serm. 172. alias 32. de verbis Apost. lit.* (L)

(D) 1. Cor. vii. 32. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo,... Et mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini sunt; ut sit sancta corpore & spiritu.

(E) 1. Timoth. v. 5. Quæ autem vere vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus, & orationibus nocte ac die.

gendi & instituendi liberos, eosque, cum tempus fuerit, ut decet, collocandi, &c. (F)

I. Quæ sunt officia viduorum & viduarum?

R. Alia communia sunt viduis & coniugibus, alia specialia sunt viduis.

I. Quænam utrisque communia sunt?

R. Liberorum institutio, cura domesticorum. *Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet*, inquit Apostolus, *fidem negavit, & est infideli deterior*. De his officiis iam egimus in superioribus huiusce capitis paragraphis. 1. Tim. v. 8.

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 10.

I. Quænam sunt officia specialia viduis?

R. 1. Castitatem servare illibatam: adeoque orare multum & assidue, fugere peccatorum occasiones, & ludos, & iocos, & consuetudinem eorum apud quos solet castitas venire in periculum (G).

2. Segregare se idcirco quam

(F) 1. Timo ii. v. 4. Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet: discat primom domum suam regere, & motoam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo.

(G) S. Hieron. *Epist.* 47. *al.* 10. *ad Furiam*, *Tom.* iv. *p.* 554 *edit.* D Martianay. Obsecras litteris, & suppliciter deprecaris, ut tibi scribam, immo rescribam quomodo vivere debeas; & viduitatis coronam illæso pudicitiæ nomine conservare. Gaudet animos, exsultant viscera, gestit affectos, hoc te cupere esse post virum, quod sanctæ memoriæ mater toa Titiana multo tempore fuit sob marito. Exauditæ sunt preces & orationes eius. Impetravit, ut adipisceretur in unica filia, quod vivens ipsa possederat. Habes præterea generis tui grande privilegium, quod exinde a Camillo, vel nulla, vel rara vestræ familiæ scribitur secundos nosse concubitus: ut non tam laudanda sis si vidua perseveres, quam execranda si id Christiana non serves, quod per tanta secula gentiles feminæ custodierunt. Taceo de Paulla, & Eustochio, stirpis vestræ floribus, ne per occasionem exhortationis tuæ illas laudare videar. Blesillamque prætereo, quæ maritum suum, tuum sequuta germanum, in brevi vitæ spatio tempora virtutum multa complevit. Atque utinam præconia feminarum imitarentur viri: & rugosa senectus redderet, quod sponte offert adolescentia.

Paullo post. Facessat invidia, quam nomini Christiano maledicorum semper sermo genuinus infigit: ut, dum probra metuunt, ad virtutes non provocentur. Exceptis Epistolis ignoramus alterutrum. Solaqoe caussa pietatis est, ubi carnis nulla notitia est. Honora Patrem tuom; sed si te a vero Patre non separat. Tamdiu scito sanguinis copulam, quamdiu ille suum noverit creatorem. Alioqui David tibi protinus canet: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum & domum patris tui & concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus tuus*. Grande præmium parentis obliti: *Concupiscet Rex, decorem tuum*. Quia audisti, quia vidisti, quia inclinasti aurem tuam, & populi tui, domusque patris tui oblita es, idcirco concupiscet Rex decorem tuum, & dicet tibi: *Tota pulcra es amica mea: & macula non est in te*. Quid polcrius anima quæ Dei filia nuncupatur, & nullos extrinsecus quærit ornatus? Credit in Christum, & hac ambitione ditata pergit ad sponsum; eumdem habens Dominum, quem & virum. Quid angostiarum habeant nuptiæ, didicisti in ipsis nuptiis: & quasi coturnicum carnibus, usque ad nauseam saturata es: amarissimam choleram tuæ sensere fauces. Egessisti acescentes & morbidos cibos; relevasti æstuantem stomachum. Quid vis cursum ingerere, quod tibi noxium fuit? *Canis revertens ad vomitum, & sus lota, ad volutabrum luti*. Bruta quoque animalia & vagæ aves, in easdem pedicas, retiaque non incidunt. An vereris, ne proles Furiana deficiat, & ex

Ps. xliv. 11.

Cant. iv. 7.

2 Petr. ii. 22.

te parens tuus non habeat pusionem, qui reptet in pectore, & cervicem eius stercore liniat? Quippe omnes habent filios, qui habuere matrimonia? & quibus nati sunt liberi, suo generi responderunt? Exhibuit Ciceronis filius patrem in eloquentia? Cornelia vestra, pudicitiæ simul & fœcunditatis exemplar, Gracchos suos se genuisse lætata est? Ridiculum sperare pro certo, quod multos, & non habere videas, & cum habuerint, perdidisse. Cui dimittes tantas divitias? Christo, qui mori non potest. Quem habebis heredem? Ipsum quem & Dominum. Contrastabitur pater, sed lætabitur Christus: lugebit familia, sed Angeli gratulabuntur. Faciat pater quod vult de substantia sua; non es eius cui nata es, sed cui renata: & qui te grandi pretio redemit sanguine suo. Cave nutrices, & gerulas, & istiusmodi venenata animalia, quæ de corio tuo saturari ventrem suum cupiunt. Non suadent quod tibi, sed quod sibi prosit; & sæpe illud obganniunt.

Virg. Æn. Lib. 4.

Solane perpetua mærens carpere iuventa?
Nec dulces natos, Veneris nec præmia noris?

Ubi pudicitiæ sanctitas, ibi frugalitas est. Ubi frugalitas, ibi damna servulorum. Quidquid non tulerint, sibi ablatum putant: nec considerant de quanto, sed quantum accipiant. Ubicumque viderint Christianum, statim illud de trivio, ὁ γραικὸς ὁ ἐπιθέτης (*Impostor & Græcus est.*) Hi rumores turpissimos serunt: & quod ab ipsis egressum est, id ab aliis audisse se simulant, iidem auctores & exaggeratores. Exit fama de mendacio. quæ cum ad matronas pervenerit & earum linguis fuerit ventilata, provincias penetrat.... Hæc loquutus sum, in Christo filia, non dubitans de proposito tuo, (numquam enim exhortatorias litteras postulares, si ambigeres de bono monogamiæ.) Sed ut nequitiam servulorum, qui te venalem portant, & insidias affinium, ac pium parentis errorem intelligeres: cui, ut amorem in te tribuam, amoris scientiam non concedo.... Imitare sanctam matrem tuam, cuius ego quoties recordor, venit in mentem ardor in Christum, pallor ex ieiuniis, eleemosynæ in pauperes, obsequium in servos Dei, humilitas vestium & cordis, atque in cunctis sermo moderatus..... Lætetur (*pater*) filiam genuisse Christo, non seculo.... Copulam carnis (*mariti*) solvit interitus. Arripe, quæso, occasionem & fac de necessitate virtutem. Non quæruntur in Christianis initia, sed finis. Paullus male cœpit, sed bene finivit. Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur. Lege Ezechielem: *Iustitia iusti non liberabit eum, in quacumque die peccaverit. Et impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua....* Ezech. xxxiii. 12. Meretrix illa in Evangelio baptizata lacrimis suis, & crine, quo multos ante deceperat, pedes Domini tergens, salvata est. Non habuit crispantes mitras, nec stridentes calceolos, nec orbes stibio fuliginatos. Quanto fœdior, tanto pulcrior. Quid facit in facie Christianæ, purpurissus & cerussa? Quorum alterum ruborem genarum, labiorumque mentitur: alterum candorem oris & colli: ignis iuvenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia.... Ornatus iste non Domini est; velamen istud Antichristi est. Qua fiducia erigit ad cælum vultus, quos Conditor non agnoscit? Frustra obtenditur adolescentia, & ætas puellaris asseritur. Vidua quæ marito placere desivit, & iuxta Apostolum *vere vidua est*, nihil habet necessarium nisi perseverantiam. 1. Tim. v. 5. Meminit pristinæ voluptatis, scit quid amiserit, quo delectata sit. Ardentes diaboli sagittæ, ieiuniorum & vigiliarum rigore restinguendæ sunt..... Hoc quantum ad habitum pertinet & ornatum. Ceterum *vidua quæ in deliciis est* (non est meum; Ibid. v. 6. sed Apostoli,) *vivens mortua est*. Quid sibi vult hoc quod ait, *vivens mortua est?* Vivere quidem videtur ignorantibus, & non esse peccato mortua, sed Christo, quem secreta non fallunt, mortua est. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur...* Deut. xx. 16. Ezech. xviii. 4. & 20. Quid ergo necesse est nos iactare pudicitiam, quæ sine comitibus & appendiciis suis, continentia & parcitate, fidem sui facere non potest? Apostolus macerat corpus suum, & animæ subiicit imperio; ne quod aliis præcipit, ipse non servet: & adolescentula fervente cibis corpore, de castitate secura est? Neque vero hæc dicens condemno cibos, quos Deus creavit ad utendum cum gratiarum actione: sed iuvenibus & puellis incentiva aufero voluptatum. Non Æt-

Digitized by Google

nei ignes, non Vulcania tellus, non Vesevus, & Olympus tantis ardoribus æstuant, ut iuveniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ .... Omnia alia peccata extrinsecus sunt; & quod foris est facile abiicitur. Sola libido insita a Deo, ob liberorum procreationem, si fines suos egressa fuerit, redundat in vitium, & quadam lege naturæ in coitum gestit erumpere. Grandis igitur virtutis est & sollicitæ diligentiæ superare quod nata sis: in carne, non carnaliter vivere; tecum pugnare quotidie, & inclusum hostem Argi (ut fabulæ ferunt) centum oculis observare..... Primum igitur si tamen stomachi firmitas patitur, donec puellares annos transeas, aquam in potu sume, quæ natura frigidissima est. Aut si hoc imbecillitas prohibet, audi cum Timotheo: *Vino modico utere propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates*. Deinde in ipsis cibis calida quæque devita.... nihilque ita scias conducere Christianis adolescentibus, ut esum olerum. Unde & in alio loco: *Qui infirmus est*, ait, *olera manducet*; ardorque corporum frigidioribus epulis temperandus est. Sic autem tres pueri & Daniel leguminibus vescebantur.... Nobis non corporis cultus, qui in illis .... ex huiuscemodi cibis enituerat; sed animæ vigor quæritur, quæ carnis infirmitate fit fortior. Inde est quod nonnulli vitam pudicam appetentes, in medio itinere corruunt, dum solam abstinentiam carnium putant: & leguminibus onerant stomachum, quæ moderate parceque sumpta innoxia sunt. Et, ut quod sentio loquar, nihil sic inflammat corpora, & titillat membra genitalia, sicut indigestus cibus, ructusque convulsus.... Quidquid seminarium voluptatum est, venenum puta. Parcus cibus, & venter semper esuriens triduanis ieiuniis præfertur. Et multo melius est quotidie parum, quam raro satis sumere. Pluvia illa optima est, quæ sensim descendit in terram. Subitus & nimius imber in præceps, arva subvertit. Quando comedis, cogita quod statim tibi orandum, illico & legendum sit. De Scripturis sanctis habeto fixum versuum numerum; istud pensum Domino tuo redde. Nec ante quieti membra concedas, quam calathum pectoris tui hoc subtegmine impleveris. Post Scripturas sanctas, Doctorum hominum tractatus lege; eorum dumtaxat, quorum fides nota est. Non necesse habes aurum in luto quærere; multis margaritis unam redime margaritam. Sta iuxta Ieremiam in viis pluribus, ut ad illam viam, quæ ad Patrem ducit pervenias. Amorem monilium, atque gemmarum, sericarumque vestium transfer ad scientiam Scripturarum. Ingredere terram repromissionis, lacte & melle manantem. Comede similam & oleum: vestire cum Ioseph variis indumentis: perforentur aures tuæ cum Ierusalem sermone Dei; ut pretiosa ex illis novarum segetum grana dependeant. Habes sanctum Exuperium probatæ ætatis & fidei, qui te monitis suis frequenter instituat.

1. Tim. v. 23. — Rom. xiv. 2. — Ierem. vi. 16.

Fac tibi amicos de iniquo mammona, qui te recipiant in æterna tabernacula. Illis tribue divitias tuas, qui non Phasides aves, sed cibarium panem comedant: qui famem expellat, non qui augeat luxuriam. *Intellige super egenum, & pauperem. Omni petenti te, da*; sed maxime domesticis fidei: nudum vesti, esurientem ciba, ægrotantem visita. Quotiescumque manum extendis, Christum cogita. Cave ne mendicante Domino Deo tuo, alienas divitias augeas.

Luc. xvi. 9. — Ps. xl. 2. — Luc. vi. 30.

Iuvenum fuge consortia; Comatulos, compros, atque lascivos, domus tuæ tecta non videant. Cantor pellatur, ut noxius. Fidicinas & psaltrias, & istiusmodi chorum diaboli, quasi mortifera syrenarum carmina proturba ex ædibus tuis. Noli ad publicum subinde procedere, & spadonum exercitu præeunte, viduarum circumferri libertate. Pessimæ consuetudinis est, cum fragilis sexus & imbecilla ætas suo arbitrio abutitur, & putat licere, quod libet: *Omnia quidem licent, sed non omnia expediunt*. Nec procurator calamistratus, nec formosus collactaneus, nec candidus & rubicundus assecla adhæreat lateri tuo. Interdum animus dominarum ex ancillarum habitu iudicatur. Sanctarum virginum & viduarum societatem appete. Et si sermocinandi cum viris incubuerit necessitas, arbitros ne devites: tantaque confabulandi fiducia sit, ut intrante alio, nec paveas, nec erubescas. Speculum mentis est facies; & taciti oculi, cordis fatentur arcana. Vidimus nuper ignominiosum quemdam per totum Orientem volitasse rumorem. Et ætas, & cultus, & habitus, & incessus, & indiscreta so-

1. Cor. vi. 12.

PARS III. SECT. I. CAP. VIII. §. 10.

Digitized by Google

cietas, exquisitæ epulæ, regius apparatus, Neronis & Sardanapali, nuptias loquebantur. Aliorum vulnus nostra sit cautio. *Pestilente flagellato, sapiens sapientior erit*. Sanctus amor impatientiam non habet. Falsus rumor cito opprimitur: & vita posterior iudicat de priore. Fieri quidem non potest ut absque morsu hominum vitæ huius curricula quis pertranseat: malorumque solatium est, bonos carpere; dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum . . . Habes opes, facile tibi est indigentibus victus subsidia ministrare. Quod luxuriæ parabatur, virtus insumat; nullam nuptias contemptura timeat egestatem. Redime virgines, quas in cubiculum Regis inducas. Suscipe viduas, quas inter Virginum lilia & Martyrum rosas, quasi quasdam violas misceas..... Volumus scire quales esse debeant viduæ? Legamus Evangelium secundum Lucam .... Anna ab adolescentia usque ad octoginta quatuor annos viduitatis onus sustinuerat, & non recedebat de templo Dei, diebus ac noctibus insistens ieiuniis & obsecrationibus: idcirco meruit gratiam spiritualem . . . . Recordemur viduæ Sareptanæ, quæ & suæ & filiorum saluti, Eliæ prætulit famem: ut in ipsa nocte moritura cum filio, superstitem hospitem relinqueret; malens vitam perdere, quam eleemosynam: & in pugillo farris, seminarium sibi messis Dominicæ præparavit . . . . Legimus in Iudith . . . viduam confectam ieiuniis & habitu lugubri sordidatam, quæ non lugebat mortuum virum, sed squalore corporis, sponsi quærebat adventum. Video armatam gladio manum, cruentam dexteram. Recognosco caput Holophernis de mediis hostibus reportatum. Vincit viros femina, & castitas truncat libidinem: Habituque repente mutato, ad victrices sordes redit, omnibus seculi cultibus mundiores.

Proverb. 25.

Luc. II. 36. & seq.

3. Reg. XVII. 10. & seq.

Iudith. VIII. & seq.

Epist. 96. alias 16. ad Principiam, Marcellæ viduæ Epitaphium ..... Nostra vidua talibus usa est vestibus, quibus arceret frigus, non membra nudaret: aurum usque ad annuli signaculum repudians, & magis in ventribus egenorum, quam in marsupiis recondens. Nusquam sine matre. Nullum clericorum, aut monachorum (quod amplæ domus interdum exigebat necessitas) vidit absque arbitris. Semper in comitatu suo virgines, ac viduas, & ipsas graves feminas habuit: sciens ex lascivia puellarum sæpe de dominarum moribus iudicari; & qualis quæque sit, talium consortio delectari. Divinarum Scripturarum ardor erat incredibilis; semperque cantabat. *In corde meo abscondi eloquia tua; ut non peccem tibi*: & illud de perfecto viro: *Et in lege Domini voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte* . . . . Moderata ei ieiunia; carnium abstinentia; vini odor magis quam gustus propter stomachum & frequentes infirmitates. Raro procedebat ad publicum, & maxime nobilium matronarum vitabat domos, ne cogeretur videre quod contempserat. Apostolorum, & Martyrum basilicas secretis celebrans orationibus, & quæ populorum frequentiam declinarent. Matri in tantum obediens, ut interdum faceret, quod nolebat. Nam cum illa suum diligeret sanguinem, & absque filiis & nepotibus, vellet in fratris liberos universa conferre; ista pauperes eligebat, & tamen matri contraire non poterat: monilia & quidquid supellectilis fuit, divitibus peritura concedens, magisque volens pecuniam perdere, quam parentis animum contristare . . . . Hæc ab Alexandrinis Sacerdotibus, Papaque Athanasio, & postea Petro, qui persecutionem Arianæ Hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant, vitam Beati Antonii adhuc tunc viventis, Monasteriorumque in Thebaide Pachumii, & virginum ac viduarum didicit disciplinam; nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognoverat. Hanc multos post annos imitata est Sophronia & aliæ ... Huius amicitiis fruita est Paulla venerabilis. In huius cubiculo nutrita Eustochium virginitatis decus, ut facilis æstimatio sit, qualis magistra, ubi tales discipulæ. . . . Annis igitur plurimis sic suam transegit ætatem, ut ante se vetulam cerneret quam adolescentulam fuisse meminisset. . .... Unde & noster Apostolus: *Quotidie morior per vestram salutem*: & Dominus iuxta antiqua exemplaria: *Nisi quis tulerit crucem suam quotidie, & sequutus fuerit me, non potest meus esse discipulus*: multoque ante per Prophetam Spiritus Sanctus: *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis*. Et post multas ætates illa sententia, Memento sem-

Ps. CXVIII. 11.

Psal. 1. 2.

1. Tim. V. 23.

1. Cor. XV. 31.

Matth. XVI. 24.

Luc. XIV. 27.

Ps. XLIII. 22.

Rom VIII. 36.

Eccli. VII. 40.

Digitized by Google

per diem mortis, & numquam peccabis. Disertissimique præceptum Satyrici,

Pers. Sat. v. *Vive memor leti, fugit hora, hoc quod loquor inde est.*

Sic ergo..... ætatem duxit & vixit, ut semper se crederet esse morituram: sic; induta est vestibus, ut meminisset
Rom. xii. 1. sepulcri, offerens hostiam rationabilem, vivam, placentem Deo.

Epist. 85. alias 9. ad Salvin. de vid. servand...... Habes igitur Salvina quos nutrias, in quibus virum absentem tenere
Ps. cxxvi. 3. te credas. *Ecce hereditas Domini, filii merces, fructus ventris.* Pro uno homine duos filios recepisti, auctus est numerus caritatis. Quidquid debebas marito, redde filiis. Amore præsentium, absentis desiderium tempera. Non est parvi apud Deum meriti bene filios educare.
1. Tim. v. 9. & 10. Audi Apostolum commonentem: *Vidua eligatur non minus annorum sexaginta, quæ fuerit unius viri uxor, in bonis operibus habens testimonium, si filios educavit, si hospitalis fuit, si sanctorum pedes lavit, si afflictis abundanter præbuit, si omne opus bonum subsequuta est.* Didicisti catalogum virtutum tuarum, quid debeas nomini tuo, quibus meritis secundum pudicitiæ gradum possideas. Nec te moveat, quod sexagenaria eligatur vidua, & putes adolescentulas ab Apostolo reprobari. Et te crede eligi ab eo,
Ibid. iv. 12. qui discipulo dixerat: *Nemo adolescentiam tuam contemnat;* non continentiam, sed ætatem. Alioquin omnes quæ ante sexaginta annos viduatæ sunt, hac lege accipient maritos. Sed quia eudem Christi instituebat Ecclesiam, & omni ordini providebat, præcipueque pauperibus, quorum ei cura cum Barnaba fuerat demandata; illas vult Ecclesiæ opibus sustentari, quæ propriis manibus non queunt laborare, quæ vere viduæ sunt: quas & ætas probat, & vita. Heli Sacerdos offendit Deum, ob vitia liberorum. Ergo e contrario placatur Deus virtutibus eorum, si permanserint in fide & caritate, & sanctitate cum pudicitia.

Ibid. v. 22. O Timothee: *te ipsam castam custodi.* Absit ut sinistrum quippiam mihi de te suspicari liceat; sed ex abundantia lubricam ætatem monuisse pietatis est. Quæ dicturus sum, non tibi, sed puellaribus
Ibid. v. 6. annis dicta intellige. *Vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est.* Hoc vas electionis loquitur; & de illo profertur thesauro, qui confidenter aiebat: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Hoc ille pronunciat qui libere sub persona sua fragilitatem humani corporis fatebatur. *Non enim quod volo bonum, hoc operor, sed quod nolo* 2 Cor. xiii. 3. *malum. Et propterea subiicio, & redigo* Rom. vii. 19. *in servitutem corpus meum, ne aliis prædicans, ipse reprobus inveniar.* 1. Cor. ix. 27. Si ille timet, quis nostrum potest esse securus? si David amicus Domini, & Salomon amabilis eius, victi sunt quasi homines, ut & ruinæ nobis ad cautionem, & pœnitudinis ad salutem exempla præberent, quis in lubrica via lapsum non metuat? Procul sint a conviviis tuis Phasides aves, crassi turtures, attagen Ionicus; & omnes aves quibus amplissima patrimonia avolant. Nec ideo te carnibus vesci non putes, si suum, leporum atque cervorum, & quadrupedum animantium esculentias reprobes. Non enim hæc pedum numero, sed suavitate gustus iudicantur. Scimus ab Apostolo dictum: *Omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* 1. Tim. iv. 4. Sed idem loquitur; *Bonum est vinum non bibere, & carnem non manducare.* Rom. xiv. 21. Et in alio loco: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Omnis creatura Dei bona est.* Ephes. v. 18. Audiant hæc mulieres, quæ sollicitæ sunt, quomodo placeant viris. Comedant carnes, quæ carni serviunt, quarum fervor despumat in coitum; quæ maritis alligatæ, generationi ac liberis dant operam. Quarum uteri portant fœtus, earum & intestina carnibus impleantur. Tu vero quæ in tumulo mariti sepelisti omnes pariter voluptates; quæ litam purpurisso & cerussa faciem, super feretrum eius lacrimis diluisti; quæ pullam tunicam, nigrosque calceolos, candidæ vestis & aurati socci depositione sumsisti, nihil habes necesse aliud, nisi perseverare in ieiunio. Pallor & sordes gemmæ tuæ sint: plumarum mollicies iuvenilia membra non foveat. Balneorum calor novum adolescentulæ sanguinem non incendat. Audi quid ex persona viduæ continentis Ethnicus Poeta decantet:

Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores Virg. Aeneid. lib. 4.
Abstulit: ille habeat secum, servetque sepulcro.

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 10.

Si tanti vilissimum vitrum, quanti pretiosissimum margaritum? Si communi lege naturæ damnat omnes Gentilis vidua voluptates, quid exspectandum est a vidua Christiana, quæ pudicitiam suam non solum ei debet, qui defunctus est, sed & ei, cum quo regnatura est?

Quæso te, ne generalia monita, & conveniens puellari sermo personæ suspicionem tibi iniuriæ moveant, & arbitreris me obiurgantis animo scribere, non timentis: cuius votum est te nescire quæ metuo. Tenera res in feminis fama pudicitiæ est: & quasi flos pulcherrimus cito ad levem marcescit auram, levique flatu corrumpitur, maxime ubi & ætas consentit ad vitium, & maritalis deest auctoritas, cuius umbra tutamen uxoris est. Quid faciet vidua inter familiæ multitudinem? inter ministrorum greges? Quos nolo contemnat ut famulos, sed ut viros erubescat. Certe si ambitiosa domus hæc officia flagitat, præficiat his senem honestis moribus, cuius honor dominæ dignitas sit. Scio multas, clausis ad publicum foribus, non caruisse infamia servulorum, quos suspectos faciebat aut cultus immoderatus, aut crassi corporis nitor, aut ætas apta libidini, aut ex conscientia amoris occulti, securus animi tumor; qui etiam bene dissimulatus, frequenter erumpit in publicum, & conservos quasi servos despicit. Hoc ex abundantia dictum sit, ut omni diligentia custodias cor tuum, & caveas quidquid de te fingi potest.

Non ambulet iuxta te calamistratus procurator, non histrio fractus in feminam, non cantoris diabolici venenata dulcedo, non iuvenis cultus & nitidus. Nihil artium scenicarum, nihil tibi in obsequiis molle iungatur. Habeto tecum viduarum & virginum choros, habeto tui sexus solatia. Ex ancillarum quoque moribus dominæ iudicantur. Certe quum tecum sancta sit mater, & lateri tuo amita hæreat virgo perpetua, non debes periculose externorum consortia quærere, de tuorum societate secura. Semper in manibus tuis sit divina lectio & tam crebræ orationes, ut omnes cogitationum sagittæ, quibus adolescentia percuti solet, huiusmodi clipeo repellantur... Hæc filia in Christo carissima ineulcen, & crebrius repeto; ut posteriorum oblita, in priora te extendas; habens tui ordinis quas sequaris, Iudith de Hebræa historia, & Annam filiam Phanuelis de Evangelii claritate, quæ diebus, & noctibus versabantur in templo, & orationibus atque ieiuniis thesaurum pudicitiæ conservabant. Unde & altera in typo Ecclesiæ diabolum capite truncavit: altera Salvatorem mundi prima suscepit, sacramentorum conscia futurorum.

Epist 86. alias 27. ad Eustochium. Vide infra litt (Q) hocce §. & alibi.

S. Aug. *ad Probam*, *Epist.* 130. *alias* 121. *cap.* 1. *num.* 1. Quod enim maius oportuit esse negotium viduitatis tuæ, quam persistere in oratione nocte ac die, secundum Apostoli admonitionem? Ille quippe ait: *Quæ autem vere vidua est & desolata speravit in Domino, & persistit in oratione nocte ac die.* Unde mirum videri potest, cum sis secundum hoc seculum nobilis, dives, tantæque familiæ mater; & ideo licet vidua, non tamen desolata: quomodo occupaverit cor tuum præcipueque sibi vindicaverit orandi cura, nisi quia prudenter intelligis, quod in hoc mundo & in hac vita nulla anima possit esse secura. 1.Tim. v. 5.

Num. 2.... Quomodo enim tu sic studeres orare Deum, nisi sperares in eo? Quomodo autem sperares in eo, si sperares in incerto divitiarum, & contemneres præceptum saluberrimum, quo Apostolus ait: *Præcipe divitibus huius mundi non superbe sapere; neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum; ut divites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum ut apprehendant veram vitam.* 1.Tim. VI. 17

Cap 2 *num.* 3. Debes itaque præ amore huius veræ vitæ, etiam desolatam te putare in hoc seculo, in quantalibet eius felicitate verseris. Nam sicut est illa vera vita, in cuius comparatione utique ista quæ multum amatur, quamlibet iucunda atque producta sit, nec vita dicenda est: sic est etiam solatium verum, quod per Prophetam Dominus promittit, dicens: *Dabo illi solatium verum, pacem super pacem:* sine quo solatio quæcumque sunt terrena solatia, magis in eis desolatio, quam consolatio reperitur. Divitiæ quippe atque fastigia dignitatum, ceteraque huiusmodi quibus se felices esse putant mortales veræ illius felicitatis expertes, quid afferunt consolationis, cum sit eis non indigere Isai. LVII. 18 & 19.

Digitized by Google

quam eminere præstantius; quæ plus excruciant adepta timore amissionis, quam concupita adeptionis ardore?

Cap. 3. *num.* 7. Antequam ergo ista consolatio veniat, quantacumque temporalium bonorum felicitate circumflluas, ut persistas in orationibus die ac nocte, desolatam te esse memineris. Non enim Apostolus qualicumque viduæ hoc munus tribuit, *sed quæ vere*, inquit, *vidua est*, *& desolata speravit in Domino*, *& persistit in orationibus die ac nocte*. (*1.Tim. v. 5.*) Quod vero sequitur, vigilantissime cave: *Quæ autem in deliciis agit*, *vivens mortua est*. (*Ibid. 6.*) Agit enim homo in iis quæ diligit, quæ pro magno appetit, quibus beatum se esse credit. Quapropter quod Scriptura dixit de divitiis: *Divitiæ si adfluant ne apponatis cor*, (*Psal. LXI 11.*) hoc etiam de deliciis tibi dico, Deliciæ si adfluant, ne apponas cor. Non ideo te magnipendas, quod non desunt, quod affatim suppetunt, quod velut ex fonte largissimo terrenæ felicitatis fluunt. Omnino hæc in te despice atque contemne, nec in iis quidquam requiras præter integram corporis valetudinem. Hæc enim contemnenda non est propter necessarios usus vitæ: *Antequam mortale hoc induatur immortalitate*, (*1.Cor. XV. 54.*) hoc est vera & perfecta & perpetua sanitate, quæ non terrena deficiens infirmitate, corruptibili voluptate reficitur, sed cælesti firmitate persistens, æterna incorruptione vegetatur. Nam & ipse Apostolus: *Carnis*, inquit, *providentiam ne feceritis concupiscentiis*: (*Rom. XIII 14*) quia gerimus curam carnis, sed ad necessitatem salutis. *Nemo enim umquam carnem suam odio habuit*, (*Eph. v. 29*) sicut itidem ipse dicit. Hinc est enim quod & Timotheum, nimium, sicut apparet, corporis castigatorem admonet, ut modico vino utatur, propter stomachum & frequentes suas infirmitates. (*1.Tim. v. 23.*)

Num. 8. Has ergo delicias, in quibus vidua si agit, hoc est, si delectatione cordis hæret atque habitat, vivens mortua est, multi sancti & sanctæ omni modo caventes, ipsas velut matres deliciarum divitias dispergendo pauperibus abiecerunt, & tali modo in cælestibus thesauris tutius condiderunt. Quod si tu devincta aliquo pietatis officio non facis, tu scis quam de iis rationem reddas Deo. *Nemo enim scit quid agatur in homine*, *nisi spiritus hominis qui in ipso est*. (*1.Cor. II. 11.*) *Nos non debemus ante tempus quidquam iudicare*, *donec veniat Dominus*, *qui & illuminabit abscondita tenebrarum*, *& manifestabit cogitationes cordis*, *& tunc laus erit unicuique a Deo*. (*1.Cor. IV 5.*) Pertinet tamen ad vidualem curam tuam, *deliciæ si adfluant*, *ne apponas cor*, (*Ps. LXI. 11.*) ne in eis putrescendo moriatur, quod sursum esse debet ut vivat. Te in illorum numero deputato, de quibus scriptum est, *vivent corda eorum in seculum seculi*. (*Ps. XXI. 27.*)

Cap. 6. *num.* 12. Placetne igitur ut super salutem istam temporalem optent sibi ac suis honores & potestates? Sane, si ut per hoc consulant eis, qui vivunt sub eis, non propter hæc ipsa, sed propter aliud quod inde fit bonum, decet ea velle: si autem propter inanem fastum elationis pompamque superfluam vel etiam noxiam vanitatis, non decet. Quocirca si optant sibi ac suis etiam sufficientiam rerum necessariarum, de qua sic Apostolus loquitur: *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia*. (*1.Tim. VI. 6.*)

Cap. 16. *num.* 29.... Concerta in oratione vincere hoc seculum, ora in spe, ora fideliter & amanter, ora instanter atque patienter, ora sicut vidua Christi. Quamvis enim ad omnia membra eius, hoc est ad omnes qui in eum credunt, & eius corpori sociantur, sicut docuit, orare pertineat; specialiter tamen diligentior cura orationum in Scripturis eius viduis invenitur iniuncta... De illa vero Anna vidua vide quid scriptum sit: *Quia non discedebat de templo*, *ieiuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die*. (*Luc. II. 37.*) Nec aliunde Apostolus, quod & supra commemoravi, *Quæ autem vere vidua est*, inquit, *& desolata*, *speravit in Domino*, *& persistit in orationibus nocte ac die*: (*1.Tim. v. 5.*) & Dominus cum semper ad orandum, & non deficiendum nos hortaretur, viduam commemoravit, (*Luc. XVIII 1.*) quæ licet iniquum & impium iudicem ac Dei & hominum contemtorem, ad audiendam causam suam assidue interpellando convertit. Quam ergo præ ceteris viduæ debere vacare orationibus, satis hinc intelligi potest, quod omnibus ad suscipiendum orandi studium de viduis propositum est exhortationis exemplum.

N. 30.... Ora ergo ut vidua Christi, nondum habens eius conspectum, cuius precaris auxilium. Et licet sis ditissima, sicut pauper ora. Nondum enim veras futuri seculi divitias habes; ubi nulla damna formides. Licet habeas filios & ne-

Digitized by Google

maxime a mundi consortio; solitudinem, silentium, lectiones sacras diligere (H).

---

potes, numerosamque familiam, quod & supra dictum est, sicut desolata ora: incerta sunt enim omnia temporalia, etiam usque in finem vitæ huius in nostram consolationem mansura. Tu aurem si ea quæ sursum sunr quæris & sapis, æterna & certa desideras, quæ quamdiu nondum habes etiam salvis omnibus atque obsequentibus tuis tamquam desolatam deputare te debes. Et si tu, profecto etiam tuo exemplo relliginsissima nurus tua, & aliæ sanctæ viduæ virginesque sub vestra cura securius constitutæ; quanto enim magis domum vestram pie tractatis, tanto impensius orationibus insrare debetis, rerum præsentium non occupatæ negotiis, nisi quæ flagitat caussa pietatis.

(H). S. Hieron. *Vide hocce §. litt. eup.*

S. Ambros. *de Viduis*, *c.* 1. *n.* 1... Quodammodo enim magisterium virginitatis viduarum valescit exemplis. Quæ cum viro castum cubile custodiunt, documento virginibus sunt integritatem Deo esse servandam. Et propemodum non inferioris virtutis est eo abstinere coniugio, quod aliquando delectaverit, quam coniugii oblectamenta nescire. Inutroque fortes: ut eas & coniugii non pœniteat, cui fidem servent, & coniugalia oblectamenta non alligent; ne videantur infirmæ quæ sibi adesse non possint.

N. 3... Sed non simplex viduitatis laus est, nisi virtus etiam viduitatis accedat.

Cap. 2. *n.* 7. Ergo vidua non abstinentia corporis tantum definirur, sed virtute designatur: cui præcepta non do ego, sed Apostolus tribuit. Honorificentiam non solus impartior, sed gentium Doctor
1. Tim, v, 3. & 4. prius detulit dicens: *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt. Si qua autem vidua filios. aut nepotes habet, discat primum suam domum regere, & mutuam vicem reddere parentibus.* Unde & advertitur utrumque pietatis affectum viduæ inesse debere, ut filios diligar, parentibus deferat. Ita dum obsequium parentibus rependit, magisterium exercet in filios, suoque seipsa remuneratur officio; cum id quod aliis defert, sibi proficit.

Ibid. 4. *N.* 8. *Hoc enim*, inquit, *acceptum est coram Deo*. Et ideo si cogitas, vidua, quæ Dei sunt, debes id sequi, quod Deo placere didicisti. Et supra quidem sanctus Apostolus ad continentiæ studium viduas cohortatus, dixit eas cogitare quæ sunt Domini. Alibi autem ubi eligitur vidua, quæ probata est, non solum cogitare præcipitur sed etiam sperare de
Domino: *Quæ enim vere vidua est*, inquit, *& desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus, & orationibus die ac nocte*. Ibid. 5.
Nec immerito has irreprehensibiles ostendit esse debere, quibus ut opus virtutis indicitur, ita etiam honorificentia larga defertur, ut etiam ab Episcopis honorentur.

N. 11. Nec sola tamen castitas corporis viduæ fortitudo est, sed magna & uberrima disciplina virtutis. *Quæ in operibus bonis testimonium habeat, si filios educaverit, si hospitio receperit, si sanctorum pedes laverit, si tribulationem patientibus subministraverit, si postremo omne opus bonum fuerit subsequuta*. Ibid. 10.
Vides quam multas virtutum comprehenderit disciplinas: primum pietatis officium: secundum hospitalitatis studium, & humilitatis obsequium: tertium misericordiæ ministerium, liberalitatisque subsidium; ad summam omnis exsecutionem boni operis flagiravit.

Cap. 4. *num* 23. Docuit igitur Scriptura quantam collatio conferat gratiam, quantum etiam sit munus divinæ benedictionis in viduis. Quibus quoniam honorificentia a Deo tanta confertur; est advertere, qualis debeat vita competere. Docet enim Anna quales deceat esse viduas, quæ immaturo mariti obitu destituta, maturæ tamen adoream laudis invenit: non minus relligionis officio, quam studio castitatis intenta. *Vidua*, inquit, Luc. II. 37.
octoginta & quatuor annorum, vidua quæ non discederet de templo, vidua quæ ieiuniis, & obsecrationibus die ac nocte serviret.

N. 22. Vides qualis vidua prædicetur, unius viri uxor, ætatis quoque iam probata processu, vivida relligioni, & effœta iam corpore: cui diversorium in templo, colloquium in prece, vita in ieiunio: quæ dierum noctiumque temporibus, indefessæ devotionis obsequio, cum corporis agnosceret senectutem, pietatis

3. Mollitiem & otium fugere (I).

4. Vitam agere duram, pœnitentem, laboriosam (K).

5. Alienum habere animum a divitiis & ab omni avaritia, & tamen rem familiarem curare diligenter (L).

---

tamen nesciret ætatem. Sic instituitur a iuventute vidua, sic prædicatur in senectute veterana: quæ viduitatem, non occasione temporis, non imbecillitate corporis, sed virtutis magnanimitate servaverit. Etenim cum dicit septem annis eam cum viro fuisse a virginitate sua, ab adolescentiæ utique studiis inchoata prædicat subsidia senectutis.

N. 23 . . . Ita igitur virginitatem prædicavimus, ut viduas non reiiceremus: ita viduas honoramus, ut suus honos coniugio reservetur. Non nostra hoc præcepta, sed divina testimonia docent.

N. 26. Quanto igitur vos magis convenit intentas esse studio castitatis; ne locum sinistræ relinquatis opinioni, quæ pudicitiæ testimonium in solis habetis moribus... Docuit igitur Scriptura quam attentus viduæ esse debeat & relligiosus affectus.

Cap 5. *num.* 27. Docuit... quam misericordem in pauperes & liberalem esse conveniat, nec paupertatis debere contemplatione revocari; quia liberalitas non cumulo patrimonii, sed largitatis definitur affectu. Denique Dominica voce illa vidua omnibus antefertur, de qua dictum est: *Vidua hæc plus omnibus misit*.... Uberior est enim nummus e parvo quam thesaurus e maximo; quia non quantum detur; sed quantum resideat expenditur. Nemo plus tribuit, quam quæ nihil sibi reliquit. Marc. XII. 43.

N. 31. Bona & illa & plane laboriosa stipendia castitatis, quæ de suo opere, quotidianoque penso conferat vidua, nocturnis pariter & diurnis iugi exercens labore pensa temporibus, & pudicitiæ quæstuosæ pervigili opere mercedem congregans: ut intemeratum defuncti coniugis cubile custodiat, alere dulces liberos possit, ministrare pauperibus. Hæc est præferenda divitibus; hæc est quæ Christi iudicium non timebit.

(I) I. Timoth. v. 13. Simul autem & otiosæ (*viduæ*) discunt circuire domos, non solum otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet.

(K) *Vide* S. Hieron. *supra hocce §. litt.* (G)

(L) S. Aug. *de bono viduit. c.* 21. *num.* 26. Deliciæ igitur spiritales deliciis carnalibus in sancta castitate succedant, lectio, oratio, psalmus, bona cogitatio, bonorum operum frequentatio, spes futuri seculi, & cor sursum: atque de his omnibus gratiarum actio Patri luminum, a quo sine ulla dubitatione *omne datum optimum & omne donum perfectum*, Scriptura teste descendit. Iacob. I. 17. Nam quando pro deliciis nuptarum quas in carne virorum habent, aliarum carnalium deliciarum tamquam in solatium usus assumitur, quid ego dicam quæ sequantur mala, cum breviter Apostolus dixerit, viventem mortuam esse viduam, quæ in deliciis vivit? I. Tim. v. 6. Absit autem a vobis ut divitiarum cupiditate capiamini pro cupiditate nuptiarum, & in cordibus vestris nummus viri amori succedat. Intuentes enim hominum conversationem, sæpe experti sumus, in quibusdam lascivia compressa crevisse avaritiam. Nam sicut in ipsis sensibus corporis acutius audiunt qui non vident, & tangendo multa discernunt, nec tanta vivacitate tangunt qui oculis utuntur; ubi intelligitur ex uno aditu, id est, luminum, repressa intentione sentiendi, eam se in alios sensus promptiorem dignoscendi acumine exserere, tamquam ex altero conetur implere quod negatur in altero: ita etiam sæpe carnalis cupiditas a concumbendi voluptate cohibita, maioribus viribus in pecuniæ se porrigit appetitum, & illinc aversa, huc se impetu ardentiore convertit. In vobis autem amor divitiarum simul frigescat cum amore nuptiarum; & pius usus rerum quas possidetis, ad spiritales delicias conferatur, ut liberalitas vestra magis ferveat adiuvandis egenis quam ditandis avaris. In thesaurum quippe cælestem non mittuntur dona cupidorum, sed eleemosynæ pauperum, quæ in immensum modum orationes adiuvant viduarum. Ieiunia quoque ac vigiliæ in quantum valetudinem non perturbant, si orando, psallendo, legendo, & in lege Dei meditando insumantur, in delicias spiritales etiam ipsa quæ videntur laboriosa vertuntur.

PARS. III. SECT. I. CAP. VIII. §. 10.

6. Instare sedulo bonis operibus, præsertim vero iis quibus caritas exercetur in pauperes, ægrotos, afflictos: visitare infirmos in xenodochiis, iisque ministrare: adiungere se piæ societati eorum, qui intra suæ Parochiæ ambitum levandis proximi necessitatibus occupantur (M).

7. Si vidua afflicta est & desola-

S. IOAN. CHRYSOST. *in 2. Epist. Paulli ad Timoth. Homil. 7. num.* 4. Sicut in virginibus honestus habitus & assidua cautela requiritur; sic in viduis, ut solæ maneant, precando perseverent, atque a voluptate & deliciis abstineant. *Nam quæ in deliciis est*, inquit, *vivens mortua est*. (1. Tim. v. 6.) Si vidua manens eumdem fastum, eamdem pompam, eumdem amictum habitura es, quem vivente marito, melius est nubere: non enim coitus malus est, sed tantus ille apparatus. Tu vero non id facis quod culpa vacat; quod vero non indifferens, sed culpa obnoxium est, id agere audes. Ideo retro conversæ sunt post Satanam, quia viduitatem recte servare nescierunt. Vis discere quid sit vidua? Audi Paullum dicentem: *Si filios educavit, si suscepit hospitio, si sanctorum pedes lavit, si iis qui in tribulatione sunt subministravit, si omne opus bonum sequuta est*. (Ibid. 15.) Nam si mortuo viro ingentem opum præferas fastum, iure dicaris non ferre viduitatem. Transfer igitur has divitias in cælum, & viduitatis onus facile feres Quid ergo, inquies, si filios habeam paternæ sortis heredes? Doce illos aspernari pecunias, quæ tua sunt illo transfer, illis quantum satis sit distribuens. Erudi illos ut sint opibus superiores. Quid ergo, inquies, si circumfluant mancipiorum greges, si negotiorum multitudo, aurum, argentum, quomodo ad tantam custodiam viro privata, sufficere valeam? Obtentus hæc sunt, ut palam omnino est. Si enim pecunias non amas, nec opes augere vis, leve onus erit. Onerosius certe est ostentare divitias, quam custodire. Si ergo ostentationem amputes, & ex facultatibus eroges inopibus, Deus te manu sua proteget. Si vere orphanorum hereditati prospiciens, hæc dicas, neque hoc obtentu pecuniæ cupiditate tenearis; scit is qui corda novit quo pacto illorum divitias in tuto ponat, cum ipse filios educare præcipiat Non potest enim, non potest domus in eleemosyna radicata quid grave perpeti. Sed & si quid patiatur ad tempus, in bonum res cedet. Hoc magis quam thoracis & clipei instar domui erit.

(M) 1. TIMOTH. v. 10. (Vidua eligatur) in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsequuta est.

LUC. XXI. 2. Vidit autem & quamdam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. Et dixit: Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quam omnes misit. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum, quem habuit misit.

3. REG. XVII. 8. Factus est ergo sermo Domini ad eum (*Eliam*), dicens: Surge, & vade in Sarepta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ ut pascat te.

S. IOAN CHRYSOST. *in 1. Epist Paulli ad Timoth. Homil.* 14. *num.* 1.... *Si omne opus bonum subsequuta est* (1. Tim. v.) De quo præcepto hic agit? Corporale ministerium præcipit. Nam ad ministerium maxime idoneæ sunt mulieres, ad lectum sternendum, quietem curandam.

N. 2. Papæ! quantam accurationem a vidua postulat! tantam fere, quantam in Episcopo desiderat. Illud enim si omne opus bonum subsequuta est, hoc indicat. Si illa hoc exsequi non potuit, particeps tamen fuit, ministravit, delicias abstulit: providentiam & curam domus vult habere, & orationibus semper incumbere: talis erat Anna. Vide quantam diligentiam postulet a vidua, maiorem quam a virginibus. Etiamsi ab illis quoque magnam exspectat accurationem, & summam virtutem. Cum enim dicit, quod honestum est & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi, in summa virtutem omnem fere complectitur..... Viden quod hospitalitatem dicat, non bonum affectum tantum, sed diligen-

Digitized by Google

ta, si derelicta, oppressa, si calu-
2.Tim. v. 5. mniis & iniuriis appetita, tunc *vere*
vidua est ex mente Apostoli; tunc
ergo magis *speret in Deum & in-* Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 10.

---

tem, & cum hilaritate & alacritate factam, ita ut rem suscipiat ac si ipsum Christum exeiperet? Non enim vult hoc ministerium aneillis committi, sed ipsas
Ioan. XIII. 14. illud præstare. Nam si ego, inquit, magister lavi pedes vestros, mulro magis vos debetis alter alterius pedes lavate. Quantumvis enim fueris opulenta, in. quantavis dignitate fueris, & in generis nobilitate altum sapias, non tantum intervallum erit, quantum inter Deum & discipulos. Si hospitem ut Christum excipias, nihil est quod erubescas, immo porius de re illa gloriare. Si vero non ut Christum excipis, ne excipias o-
Matth. X. 40. mnino. Nam ait: *qui vos suscipit, me suscipit*. Si non ita suseipias, mereedem non babebis... Ita oportet hospitalitatem exhibere, per se omnia faciendo, ut nos santificemur, ut manus nostræ beoedicantur. Etiamsi pauperi dederis, ne dedigneris per te dare; non enim pauperi das, sed Christo. Quis autem ita miser est, ut non dignetur manum porrigere Christo?... Minisrerii exsuperantia pudorem tollere oportet, ae verbis simulque re ipsa ostendere, ipsum magis beneficium accipere, quam dare... Itaque maiora aeeipis, quam das; beneficium magis aeeipis, quam eonfers. Deo feneraris, non hominibus, divitias auges, non minuis; minuis autem si non
1.Tim. v. 10. minores reddas, si non dederis. *Si hospitio suscepit*, inquit, *si sanctorum pedes lavit*. Quorum nam? eorum qui in ærumnis versantur, non simpliciter sanctorum. Potest enim fieri ut sancti multo ab omnibus obsequio foveantur. Ne hos prosequaris qui in copia rerum sunt; sed eos qui in ærumnis, qui ignoti sunt.
Matth. XXV. 40. *Qui fecerit*, inquit, *uni ex his minimis, mihi fecit*.

S. Bernard. *Epist.* 289. *ad Reginam Ierosolymorum num* 1. Pacifiee & mansuete te habeas, sapienter & eonsilio sapientum te & tua regas; Fratres de Templo diligas, & familiares habeas; periculis imminentibus terræ, secundum sapientiam tibi a Deo daram, salutaribus consiliis & auxiliis provide & sapienter occurras. Talia prorsus, talia deeent opera mulierem fortem, humilem viduam, sublimem reginam; neque enim quia Regina es, indignum tibi viduam esse, quod si voluisses, non esses. Puto qood & gloria tibi est, præcipue inter Christianos, non minus vivere viduam, quam Reginam. Illud sueeessionis est, hoc virtutis: illud tibi ex genere, istud ex munere Dei: illud feliciter nacta es, hoc viriliter nacta es. Duplex honor, alter seeundum seculum, alter secundum Deum: uterque a Deo. Nec parvus tibi videatur honor viduitatis, de quo Apostolus: *Honora*, inquit, 1.Tim. v. 3.
viduas, quæ vere viduæ sunt.

N. 2. Habes eerte penes teipsam familiare eommonitorium Apostolicæ iterum salutaris sententiæ, qua doeeris ab eo providere bona non tantum *coram* 2. Cor. VIII. 21.
Deo, sed etiam coram hominibus. Coram Deo, ut vidua; coram hominibus, ut Regina. Attende Reginam, euius digna, indignave non possunt latere sub modio. Super eandelabrum sunt, ut appareant omnibus. Memento viduam, eui iam non est quod velit placere viro, ut soli possit placere Deo. Beata es, si Salvatorem ponas tibi murum ad protectionem eonscientiæ, & antemurale ad repulsionem infamiæ. Beata, inqoam, si veluti desolatam & viduam totam te Deo regendam eommiseris. Alioquin bene non regis, si bene non regeris. Regina Austri venit audire sapientiam Salomonis, ut regi diseeret, & sic regeret. Et eece plus Matth. XII. 42.
quam Salomon hic: Iesum loquor & hunc erucifixum. Huic te committe regendam, huic docendam, quomodo regere debeas. Disee tamquam vidua, quod sit *mitis* Matth. XI. 29.
& humilis corde. Disce tamquam Regina, quod *indicet in iustitia pauperes, &* Isai. XI. 4.
arguas in æquitate pro mansuetis terræ. Ergo eum eogitas dignitatem, attende & viduitatem: quia (ut pure apud te quod sentio proferam,) non potes esse Regina bona, si bona non fueris vidua. Quæris unde bona vidua æstimetur? ex his profecto quæ Apostolus dicit: *Si filios* 1.Tim. v. 10.
educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsequuta est. Si hæc facis, beata es & bene tibi erit.

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 10.

stet obsecrationibus & orationibus nocte & die.

8. Magnam viduæ debent habere modestiam & simplicitatem in vestibus, in supellectili, in mensa, in familia & comitatu; nec quidquam habere debent apud se quod fastum luxumve redoleat (N).

9. In exemplum vitæ sibi sumere debent non viduas mundi vanitatibus & deliciis deditas; de his enim hoc ait Apostolus: *Quæ in deliciis est, vivens mortua est:* sed eas de quibus honorifica mentio fit in Scripturis, vel in historia Ecclesiastica; quales fuere Iudith, Anna Prophetissa, SS Olympias, Paulla, Marcella, aliæque complures, quas hic brevitatis caussa prætermitto (O). 1.Tim. v. 6.

(N) S. Hieron. *Epist. 85. alias 9. ad Salviv. Vide supra hocce §. litt.* (G)

S. Ioan. Chrysost. *Homil. 7. in 2. ad Tim. Vide ibid. litt.* (L)

(O) S. Ambros. *de viduis, c. 6. num.* 33. An vero mediocris tibi vidua illa videtur Noemi, quæ viduitatem suam messis manipulis sustentabat alienæ, quam ævo gravem alebat nurus? Nam hoc quoque & ad subsidium & ad gratiam proficit viduarum, ut ita instituant nurus suas, quo possint in his maturæ habere subsidium senectutis; & quasi stipendium magisterii, mercedem quoque suæ capere disciplinæ. Etenim quæ bene instituerit ... nurum suam, Ruth ei deesse non poterit, quæ viduitatem socrus paternæ domui præferat.

Cap. 7. num. 37. Sed nec fortitudo bonæ viduæ deesse consuevit. Hæc enim vera est fortitudo, quæ naturæ usum, sexus infirmitatem mentis devotione transgreditur: qualis in illa fuit cui nomen Iudith, quæ viros obsidione fractos, perculsos metu, tabidos fame sola potuit a colluvione revocare, ab hoste defendere. Ea enim..... cum Holofernes successu multorum terribilis præliorum, intra muros innumera virorum millia coegisset, armatis paventibus, & de extrema iam sorte tractantibus, extra murum processit, & illo præstantior exercitu, quem liberavit; & eo fortior, quem fugavit. Judith. viii. 6. & seq.

N. 38. Sed ut discas maturæ viduitatis affectum, seriem ipsam persequere Scripturarum. A diebus enim viri sui quibus ille defunctus est, vestem iucunditatis deposuit, mœroris adsumpsit: per omnes dies intenta ieiunio, sabbato tantum & Dominica sacrarumque temporibus feriarum non refectioni indulgens, sed relligioni deferens.... Diuturnis igitur mœroribus, & quotidianis roborata ieiuniis sancta Iudith, quæ seculi oblectamenta non quærit, periculi negligens, mortisque contemptu fortior; ut commenta strueret doli, vestem illam iucunditatis, qua, vivente viro, vestiri solebat, se induit: quasi placitura viro, si patriam liberaret. Sed virum alium videbat cui placere quærebat: illum utique, de quo dictum est: *Post me venit vir, qui ante me factus est.* Et bene coniugales pugnatura resumsit ornatus, quia monimenta coniugii arma sunt castitatis: neque enim vidua alias aut placere posset aut vincere. Ioan. 1. 30.

N. 39. Quid cetera persequamur, quod inter millia hostium casta permansit? Quid eius sapientiam prædicemus, quod huiuscemodi est commentata consilium? Potentem elegit, ut intemperantiam a se inferioris arceret, occasionem pararet victoriæ. Abstinentiæ meritum, pudicitiæ gratiam reservavit. Nec cibo enim, ut legimus, maculata, nec adulterio, non minorem servatæ castitatis ex hostibus revexit triumphum, quam patriæ liberatæ.

N. 40. Quid sobrietatem loquar? Temperantia enim virtus est feminarum. Inebriatis vino viris, & somno sepultis abstulit vidua gladium, exeruit manum, bellatoris abscidit caput, per medias hostium acies intemerata processit. Advertitis igitur quantum nocere mulieribus possit ebrietas, quando viros vina sic solvunt, ut vincantur a feminis? Esto igitur vidua temperans; casta primum a vino; ut possis casta esse ab adulterio. Nequaquam te ille tentabit, si vina non tentent. Nam si Iudith bibisset,

Digitized by Google

I. Quale vitæ exemplum præbuit Iudith viduis Christianis?

R. Iudith in Bethulia civitate nupserat Manassi. *Hæc relicta vidua fecit sibi in superioribus domus suæ secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, & habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, & neomenias, & festa domus Israel. Erat autem eleganti adspectu nimis, cui vir suus reliquerat divitias multas, & familiam copiosam, ac possessiones armentis boum, & gregibus ovium plenas. Et erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde; nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* Hæc ad verbum excerpta sunt ex c. 8. Libri Iudith. *Iudith. viii. 4. & seq.*

§. 10. Quid viduæ Christianæ in sanctissima illa femina debeant imitari per se patet; solitudinis, silentii, modestiæ, simplicitatis, mortificationis studium: uno verbo timorem Dei & irreprehensibilem vitæ modum.

I. Quæ fuit Anna Prophetissa? In quo fuit exemplar viduarum?

R. *Anna Prophetissa*, ut habetur cap. 2. Evangelii Lucæ; *vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat de templo, ieiuniis & ob-* *Luc. ii. 36. & 37.*

---

dormisset cum adultero. Sed qui'a non bibit, haud difficile ebrios exercitus unius sobrietas, & vincere potuit, & eludere.

N. 42. Nec his tamen elata successibus, cui utique gaudere & exultare licebat iure victoriæ, viduitatis reliquit officium: sed contemptis omnibus, qui eius nuptias ambiebant, vestem iucunditatis deposuit, viduitatis resumsit: nec triumphorum suorum amavit ornatus, illos exi timans esse meliores, quibus vitia corporis, quam quibus hostium arma vincuntur.

Cap 8 *num.* 44. (Debbora) docuit non solum viri auxilio viduas non egere, verum etiam viris esse subsidio: quæ nec sexus infirmitate revocata, munia virorum obeunda suscepit, per suscepta cumulavit. Denique cum Iudæi Iudicum regerentur arbitrio, quia virili non poterant vel æquitate regi, vel virtute defendi, bellis hinc inde ardentibus, Debboram sibi, cuius regerentur iudicio, cooptarunt. Itaque multa millia virorum una vidua & in pace rexit, & ab hoste defendit.... Strenuos non sexus, sed virtus facit.

N. 45. Et in pace quidem nulla querimonia, nullus error mulieris invenitur.... Ubi vero Chananæi... hostiles in populum Iudæorum animos extulerunt, vidua præ ceteris bellicos instruit apparatus.... Domo propria filium ducem producit exercitus, ut agnoscatis quod possit instituere vidua bellatorem: quem quasi mater erudiit, quasi Iudex præposuit, quasi fortis instituit, quasi Prophetissa victoriæ certæ transmisit.

N. 50. Ergo secundom historiam ad provocandos animos feminarum femina iudicavit, femina disposoit, femina prophetavit. femina triumphavit, & præliaribus intermixta copiis, imperio viros ducuit militare femineo.

N. 51. Non ergo habetis quod per naturam vos excusetis, feminæ... Si satis unicuique præsidii est, si virtus non desit animæ. Et ipse in viduis frequens processus ætatis munimen podoris est, & ipse amissi coniugis dolor, usus operis, domus cura, sollicitudo liberorum noxiam pudori solet arcere lasciviam: atque ipse lugubris habitus, pompa funebris, fletus assiduus, & mœstæ fronti inarantibus rugis impressa tristitia petulantium premit oculos, restinguit libidines, procaces avertit adspectus. Bonus custos pudoris pietatis dolor; non obrepit culpa, si cura non desit.

Lege S. Aug. *lib. de bono viduitatis, & lib. Gallice scriptum sub hoc titulo:* Vita viduarum: *la vie des veuves.*

PARS III. SECT. I. CAP. VIII. §. 10. *Ibid.* 38.

secrationibus serviens nocte ac die. Hinc factum est ut meruerit videre Christum recens natum, cum in templo oblatus est Deo. *Et illa ipsa hora superveniens confitebatur Domino, & loquebatur de eo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel.* Deinde sicut & Simeon senex in pace quievit.

S. Ambr. in Luc.

Vides, inquit S. Ambrosius, *qualis vidua prædicetur, cui diversorium in templo, colloquium in prece, vita in ieiunio.*

I. Quam viduam prædicasti Olympiadis nomine? Quid egit illa dignum imitatione?

R. Olympias, ut referunt Palladius Scriptor coævus, in vita S. Ioannis Chrysostomi, aliique Scriptores historiæ Ecclesiasticæ, in urbe Constantinopoli longe antecelluit ceteris omnibus ætatis suæ feminis nobilitate generis, opibus, pulcritudine. Hæc in ipso adolescentiæ flore vidua, vehementer expetita est in uxorem ab Elpidio Theodosii Imperatoris consanguineo, cuius votis impense favit Imperator. Olympias autem numquam adduci potuit, ut ad secundas nuptias transiret: nihil illam futura Imperatoris affinitas, nihil preces, nihil Principis iussa sæpius repetita tentarunt. Tunc Imperator sperni se ratus, iussit omnia illius bona in publicam tradi custodiam, vetuitque ne illorum administratio concederetur Olympiadi, donec attigisset annum ætatis trigesimum. Mox scripsit illa ad Imperatorem litteras relligionis plenas, quibus & gratias egit, quod levasset ipsam onere gravi, & rogavit illum enixe ut bona istæc omnia pauperibus & Ecclesiis distribuenda curaret. Vicit Theodosium tanta virtus; moxque illam & restituit in integrum, & permisit manere viduam.

Tum vacavit impense omnibus pietatis & caritatis operibus: servos omnes quos habebat plurimos libertate donavit. Consecravit se Constantinopolitanæ Ecclesiæ ministerio, & in ordinem Diaconissarum adscripta est. In hoc gradu, prudenter, caute, graviter ministravit. Nihil servabat sibi, totum effundebat in pauperes. Mille illi caritatis exercendæ artes; nulla præpostera festinatio, nulla curiositas, nulla loquacitas: mens recta, candida, integra: simplicitas vere Evangelica: somnus parcus; vestitus pauper; vita durissima: Ad hæc mira humilitas, qua maior haberi nequit; adeo ut culpas vel levissimas pro magnis criminibus expiaret. Quale exemplum viduis! (P)

(P) PALLADIUS *Histor. Lausiaca cap.* 144. *tom.* 2. *Biblioth. PP. Græcor.* In primis veneranda & honesta Olympias vitæ quæ ferret in cælum summo zelo tenebatur, divinarum Scripturarum sententiam sequuta in omnibus Fuit autem secundum carnem filia Seleuci ex comitibus, vera autem Dei filia secundum spiritum: neptis autem Ablavii, qui erat ex Præfectis: aliquot autem dies sponsa Nebridii, qui fuit ex præfectis urbis Constantinopolis. Ipsa autem revera uxor fuit nullius. Dicitur autem dormisse virgo incorrupta effecta divini verbi convictrix, coniux autem totius veræ humilitatis, communicans, & ministrans omnibus egentibus.

I. Iam quæso S. Paullæ vitam attinge: quas illa virtutes habuit a viduis exprimendas?

R. Vitam eius & mores delineavit S. Hieronymus, ea de re multa egregie scripsit, quarum hæc summa est. Paulla mortuo marito mox addixit se omnibus Christianæ pie-

PARS III. SECT. I. CAP. VIII §. 10.

Ipsa cum omnes illas infinitas, & immensas dispersisset divitias, absolute, & indiscriminatim opem ferebat omnibus Non enim urbs, non rus, non solitudo, mansit expers largitionum huius inclitæ virginis; sed & Ecclesiis suppeditavit ad donaria deputata sacrificiis; & monasteriis & cœnobiis, & xenotrophiis, & custodiis, & relegatis; & ut semel dicam, in omnem orbem terræ dispersit eleemosynas. Hæc beata processit usque ad extremum terminum humilitatis: ultra quem nihil possit inveniri amplius: vita sine ulla inani gloria, species nequaquam ficta: sinceri mores, facies non fucata, corpus florens, mens non gloriosa, animus ab arrogantia alienus, cor minime turbulentum, somni expers vigilia, spiritus non curiosus, caritas immensa, quæ comprehendi non potest communicatio, vilis & contempta vestis, infinita continentia, recta cogitatio, in Deum spes æterna, cum eleemosyna quæ non potest narrari: ornamentum omnium humilium, cum multæ sunt accensæ tentationes ex operatione eius qui est sua sponte malus, & omnis boni expers, nempe dæmonis: quæ pro veritate non parva adiit certamina; quæ & diu affatim vixit, in immensis lacrimis, omni humanæ naturæ subiecta propter Dominum: cum omni pietate sanctis subdita Episcopis, venerans Presbyteratum, honorans Clerum, reverens suscipiens virginitatem, opem ferens viduitati, curam gerens orbitatis, protegens senectutem, ægrotos invisens, peccatorum miserens, errantes in viam deducens, in omnes utens misericordia, profusa autem in pauperes, multisque infidelium in catechesi institutis uxoribus, etiam ad victum eis ferens auxilium, semper memorabile nomen benignitatis reliquit per totam vitam. A servitute in libertatem innumerabilium servorum restituens examina, reddidit eos honore æquales suæ nobilitati, vel potius, si vera dicere oporteat, facti sunt huius sanctæ habitu nobiliores, Neque enim eius indumentis inveniri potuit quidquam vilius. Nam iis etiam qui sunt pannis valde obsiti, indigna erant huius sanctæ tegumenta. Tanta autem erat eius mansuetudo, ut etiam longe superaret simplicitatem ipsorum puerorum. Nulla vituperatio ne a vicino quidem umquam inventa est apud hanc quæ Christum gestabat, sed eius omnis vita non vitalis, erat in compunctione & frequenti profluvio lacrimarum, & potius videre licebat fonti æstare sua deficere fluenta, quam eius non sublimibus, & Christum semper videntibus oculis lacrimas deficere.... Multæ eius pecuniæ sunt a me ex eius sententia distributæ. Hæc ergo non amplius de cetero quæ sunt carnis sapiens, subiecta Principatibus, obediens Potestatibus, venerans Presbyteratum, honorans universum clerum, confessione quoque digna est habita pro veritate, importunarum recusationum multis acceptis procellis. Cuius vitam inter Confessores referunt, quicumque pii habitant Constantinopolim, ut quæ proxime matrem periclitata sit in iis quæ sunt ex Deo certaminibus; & in his mortua beatam accepit gloriam & in infinito seculo coronata agit pompam nulli interitui obnoxiam, cum sanctis & sui similibus, in sempiternum mansiones habitans, & bonorum operum a Christo Domino cum fiducia accipiens remunerationes.

Idem Pallad. in vita S. Ioan. Chrysost. quæ exstat in calce tom. 1. *Operum* S. CHRYSOST. *edit. Paris. ann.* 1614. *cap.* 6 *pag.* 10. *col.* 2..... Isidoro vidua quædam ex principalibus civitatis mille aureos dedit, adiurans eum ante altare venerandum, coemptis ut vestibus pauperculas Alexandriæ mulieres indueret, ignorante Theophilo, ne si sciret, acceptos lapidibus emendis impenderet... Acceptam pecuniam Isidorus pauperibus impendit, ac viduis.

Cap. 10 *pag* 17. *col* 2. Ingressus autem Baptisterium (*S. Ioannes Chrysostomus antequam urbe excederet in exilium pergens*) Olympiadem vocat, quæ ab Ecclesia non discedebat, una & Pentadiam,

& Proculam diaconas, Silvinamque Beati Nebridii coniugem, quæ viduitatem suam præcipua virtute & honestate decurabat, dicitque eis: Venite huc filiæ, audite me: quæ de me sunt, ut video, finem habent: cursum meum consummavi, neque ultra forte videbitis faciem meam, hoc unum rogo, hoc deprecor, ne qua ex vobis solitam ad Ecclesiam benevolentiam deserat, & quicumque non sponte fuerit ordinatus, neque id ullo quæsierit ambitu, sed de consensu omnium, ei caput vestrum inclinate, ut Ioanni, per omnia. Non enim esse Ecclesia sine Episcopo potest. Atque ita miseremini mei, ut in orationibus vestris semper memineritis mei. Ad hæc illæ profusæ cum gemitu & eiulatu, ante sacra eius vestigia volutabantur. Tunc ille cuidam ex honestioribus Presbyteris annuens: Tollite, inquit, eas hinc, ne multitudinem perturbent. Sic ergo impeditæ modicum locum illi dedere abeundi. ....

Pag. 28. *col.* 1. Oro itaque nobis & de Olympiade, si qua nosti, enarrare pergas. *Pallad.* Quam tu Olympiadem dicis? sunt enim huius nominis plurimæ. *Theod.* Diaconam illam Constantinopoleos, Nebridii quondam ex Præfectis sponsam. *Pall.* Illa vero mihi notissima est. *Theod,* Cuius meriti mulier est? *Pallad.* Ne quæso mulierem dicas, sed virum, est enim, præter sexum corporis, vir. *Theodor.* Quonam modo? *Pallad.* Vitæ sanctimonia, laboribus, scientia, passionumque tolerantia. *Theod.* Cur ergo illam Theophilus maledictis incessit? ... *Theod.* In eo, quod proiectos ab se monachos suscepit hospitio .... *Pag.* 30. *col.* 1. *cum Monachorum iussu Theophili exulum multis laudes prosequutus esset.* Hi sunt, quos Sacerdotes & Levitæ despexere, quos ad confusionem virorum virilis suscepit mulier, atque ad Episcoporum damnationem Diacona femina hospites habuit, *Col.* 2. ... Quantam hæc pecuniarum copiam, quanta villarum pretia egenis distribuerit, non est nostræ facultatis evolvere .... Audi maiorem ipsius quoque virtutem. Pupilla namque coniuncta viro permissa non est a præscio omnium Deo, qui hominum prævidet exitus, carnis servire voluptati viginti integros menses, viro eius mature subtracto. Fertur autem virgo esse.
1.Tim.v.14. Nam Apostolicæ legi renuit servire, dicenti: Volo adolescentiores viduas nubere, matres familias esse, & quidem cum & genere, & opibus, & eruditione singulari, & ingenio liberali, & forma, & ætatis flore præcelleret, sed Dorcadis in morem seculi connubii laqueos constanti voluntate transiliens. Contigit autem diaboli invidia, ut huius immatura viduitas, ad aures Theodosii principis perveniret, qui hanc Elpidio cuidam, cognato suo Hispano coniungere in matrimonium cupiens, cum post plurimas preces id obtinere nequivisset, tristabatur. Ad quem illa, Si, inquit, me vellet Rex meus copulari viro, numquam priorem mihi abstulisset. Quoniam autem me parum idoneam coniugali vitæ cognovit, viroque placere minime valentem, & illum iugali vinculo absolvit, & me gravissimo iugo virilis servitutis eripuit, suave continentiæ iugum cervicibus meæ mentis imponens. Hoc responso accepto, Theodosius Præfecto urbis mandavit, ut omnem eius substantiam custodiret, quousque trigesimum ætatis implesset annum. Ille accepta procuratione regia, eam adeo vexabat ab Elpidio submissus, ut nullam haberet facultatem, vel insignibus Episcopis congrediendi, vel Ecclesiam ipsam ingrediendi, ut his angustiis coacta, præ angore animi coniugalem eligeret vitam. Illa e contra his oblectata magis, & Deo gratias referens, Imperatori ita rescripsit. „ Et Imperatori debitam, & congruam Episcopo virtutem in me humilem ostendisti, mi Domine, mandans grave onus meum custodiri, cuius me dispensationis cura macerabat. Erit autem gratius, si iusseris id pauperibus, & Ecclesiis dividi. Ego enim iamdudum a vanitate, quæ solet ex hac largitione subsequi, metuebam, ne terrenis implicita negligerem divitias naturales ... „ Cum illius tolerantiam, laboremque comperisset (*Imperator*) in sua eam libertate esse iussit. *Theod.* Iustissime sane hanc Ioannes in honore habuit ita laborantem. *Pallad.* Abstinet illa quidem animatis omnibus, balneaque numquam adit. Quod si infirmitatis necessitas urgeat, crebris enim passionibus ac morbis atteritur, induta camisia descendit in aquas. Veretur enim, ut aiunt, & semetipsam. *Theod.* Dicitur & sanctum Ioannem valde curasse, & refecisse. Et quid ipsius virtute dignum conferre in eum potuit, nisi ut quotidiani victus illi sollicitudinem

demeret? Quod quidem minimum non est Christi operariis qui noctu & interdiu, quæ Christi sunt, curant.... Scio hanc sanctum Nectarium plus fuisse admiratum, adeo ut in Ecclesiasticis quoque rebus mulieri obtemperaret. Amphilochium vero, & Optimum, & Petrum Basilii fratrem, & Epiphanium Cypri sanctos viros quid memorem? quibus illa & pecunias donavit, & villas. Optimo certe, dum Constantinopoli moreretur, oculos suis manibus clausit. Ad hæc mirabiles quoque illos non modice refrigeravit in omnibus, Antiochum scilicet, Acacium, & Severianum, & omnes prorsus adventantes Sacerdotalis ordinis viros, monachorum item ac virginum infinitam multitudinem.

SOZOMENUS *lib. 8. Histor. Eccles. c. 9...* Olympiadem.. cum nobilissimo genere orta esset, quamvis iuvenili ætate viduam, tamen quia iuxta leges Ecclesiasticas egregie philosophabatur, Nectarius Diaconissam ordinaverat. Ioannes vero cum eam facultates suas petentibus erogare cerneret, & reliqua quidem insuper habere: omnem autem curam divinis rebus impendere: Equidem, inquit, studium tuum laudo. Verum qui perfectæ secundum Deum virtutis fastigium consequi desiderat, cum sua recte dispensare oportet. Tu vero dum opulentis opes superadiicis, idem facis, ac si tua in mare effunderes. An ignoras, te tua sponte facultates tuas indigentibus propter Deum dedicasse: & tamquam in bonis quæ non sunt amplius dominii tui, dispensatricem te appositam, & rationibus reddendis obnoxiam esse. Quod si me audis, pro necessitate petentium, largitionem tuam deinceps moderaberis. Sic enim fiet, ut plures beneficiis a te afficiantur, & tu misericordiæ ac diligentissimæ benignitatis a Deo mercedem accipias.

Cap. 24. Olympias quoque diaconissa, in hoc rerum discrimine fortitudinem animi sui declaravit. Nam cum eamdem ob caussam in iudicium adducta esset, interroganti Præfecto cur Ecclesiam incendisset, respondit: Non est hæc vitæ meæ institutum. Ego enim facultates meas, quæ multæ erant & maximæ, templis Dei instaurandis impendi. Cumque ille diceret, sibi probe cognitam esse illius vivendi rationem, subiecit illa: Tu ergo in accusatoris locum transi, & alius de nobis iudicet: Porro cum accusatio testibus destitueretur, Præfectus nihil habens quod iure culparet paullo clementius ad aliud crimen se convertit. Ac veluti consulendi gratia, tam Olympiadi, quam reliquis mulieribus amentiam exprobravit, quæ communionem Episcopi sui (*Arsacii in S. Ioan. Chrysost. locum intrusi*) aversarentur: cum resipiscere ipsis liceret, seque ipsas molestiis omnibus liberare: Sed ceteræ quidem Præfecto ista præcipienti cesserunt. Olympias vero; Minime æquum est, inquit, ut quæ in multitudine per calumniam capta, in iudicio vero nullius criminis convicta sum, ad defensionem trahar querelarum quæ in iudicium non venerint. Permitte igitur mihi, ut adversus priorem accusationem patronos adhibeam. Nam si contra ius ac leges coacta fuero communicare illis quibus non oportet, non faciam id quod piis nefas est facere. Præfectus ergo cum ei persuadere non posset ut cum Arsacio communicaret, tum quidem eam dimisit quo advocatos suos institueret. Altero autem die cum eam exhiberi iussisset, magno auri pondere mulctavit. Sic enim illam a sententia sua sese abducturum putabat. Verum illa pecunias contemnens, nullatenus cessit: & relicta Constantinopoli, in urbe Cyzico domicilium fixit. PARS III. SECT. I. CAP. VIII. §. 10.

Vitæ S. Olympiadis, sanctæ Melaniæ vitam ex Palladii Historia Lausiaca c. 117. hic adiungam. Beatissima Melania Romana, quæ fuit quidem filia Marcellini Exconsulis, uxor cuiusdam viri qui erat in magna auctoritate, cuius nominis non recte memini. Hæc cum esset vidua agens annum vicesimum secundum, divino amore digna fuit habita, & nemini quidquam dicens: prohibebatur enim iis temporibus, Valente tenente imperium, cum curasset ut filii sui nominaretur tutor, ipsa acceptis suis mobilibus & in navem iniectis cum aliquot famulis & ancillis, cursu navigavit Alexandriam: & cum illic res suas vendidisset & in aurum minutum convertisset, ingressa est montem Nitriæ, sanctos Patres conveniens, Pambo & Christi servum Arsisium, & Serapionem magnum, & Paphnutium Scetiotem, & Isidorum confessorem Episcopum Hermipolis, & Dioscorum, & versata est apud eos circiter annum dimidium, obiens solitudinem, & videns omnes sanctos. Post hæc autem cum Augustalis Alexan-

Digitized by Google

driæ relegasset Isidorum & Pisinium, & Adelphium, & Paphnutium, & Pambo, & inter eos etiam Ammonium unam habentem auriculam, & duodecim Episcopos, & Presbyteros, & Clericos, & Anachoretas, ut essent omnes numero centum viginti sex, in Palæstinam circa Diocæsaream, ipsa eos est sequuta, eis ex suis propriis pecuniis subministrans. Cum autem prohiberentur ministri, ut narrabant (conveneram enim sanctum Pisinium, Isidorum, & Paphnutium, & Ammonium;) hæc fortis mulier induta servuli caracalla, vespere eis ferebat quæ erant ad usum necessaria. Cum autem id cognovisset Consularis Palæstinæ, & vellet sinum suum implere, speravit fore ut eam terreret; eamque retentam coniecit in carcerem, ignorans eius libertatem. Hæc autem significat ei dicens; Ego illius quidem fui filia, huius vero uxor, qui in terra fuit genere clarus, nunc autem sum Christi ancilla. Neque meum vilem habitum despexeris, possum enim me si velim extollere, nec potes me terrere, neque ex rebus meis aliquid accipere. Ne ergo forte ignorans in aliquod crimen incidas, quænam sim tibi declaravi. Oportet enim adversus stolidos tamquam cane & accipitre uti animi elatione & in tempore eorum superbiæ in ipsos immittere. Tunc certe Iudex cum hæc accepisset, se excusavit, & eam oravit: & iussit eam absque ullo impedimento cum sanctis viris versari.

Cap. 119. Beneficiorum enim & largitionum huius immortalis feminæ non Occidens, non Oriens, non Septentrio fuit expers nec Meridies. Triginta enim & septem annos hospites excipiens, illis ea quæ erant usui, præbuit sumptibus, Ecclesiisque & monasteriis & hospitibus & carceribus, &, ut semel dicam, nullus ex iis qui eam convenit, non est reversus quin aliquam partem eius opum sit consequutus, suppeditantibus consanguineis, & ipso filio, & procuratoribus quotannis pecunias, & tamquam luculentæ lucernæ oleum ministrantibus, ut fulgido lumine flammam accendens eleemosynæ largitione cunctos illuminaret. Ea autem cum in hospitalitate adeo perseveraverit, ne palmum quidem terræ possedit. Non abstracta est cupiditate filii ab amore solitudinis, non eam divisit a caritate Christi unigeniti filii desiderium. Sed eius precibus adolescens & ad summam pervenit doctrinam, moribusque fuit ornatissimus, claroque & illustri fuit matrimonio coniunctus, & mundanos est honores consequutos: qui duos quoque habuit filios, qui testarentur iustum matrimonium. Multis itaque post annis eum de neptis statu audisset, & eam nupsisse, & velle seculo renuntiare: verita ne forte in aliquam malam abriperentur doctrinam, vel hæresim, vel malam vitam, anus sexaginta annos nata navem ascendit, & Cæsarea navigans viginti dierum spatio Romam venit. Atque illic quidem cum esset, beatissimum virum maximæ existimationis clarissimum Apronianum qui erat gentilis, Catechesi instituit, & Christianum fecit, persuasitque ut contineret etiam cum sua uxore, eius autem sororis filia, Avita nomine. Cum autem suam quoque neptem confirmasset Melaniam, una cum eius marito Piniano, & Catechesi instituisset Albinam nurum suam, uxorem autem sui filii: & persuasisset his omnibus vendere quæ habebant, Roma eos eduxit: & ad honestum ac tranquillum vitæ portum deduxit. Et sic depugnavit adversus bestias, nempe eos qui erant ordinis Senatorii, & eorum uxores prohibentes eam renuntiare reliquis suis ædibus. Christi autem ancilla eis dicebat: Filii, plusquam quadringentis ab hinc annis scriptum est, *ultima hora est*. 1. Ioan. 2. 18. Quid ergo lubentes ac volentes immoramini in vanitate vitæ? ne forte veniant dies antichristi, & non possitis frui vestris opibus, & rebus maiorum vestrorum? Cumque omnes his verbis liberasset, ad monasticam vitam traduxit, & filium iuniorem Publicolam cum instruxisset, duxit in Siciliam; cumque reliqua omnia sua vendidisset & pretium accepisset, duxit Hierosolyma, & eum facultates divisisset, intra quadraginta dies dormiit in bona senectute, & summa mansuetudine, & veneranda memoria, eleemosynis redundans: relicto etiam monasterio Hierosolymis, & sumptibus monasterii. Postquam autem hi omnes Roma abscessissent qui Catechesi instituti fuerant a beata Melania, barbarica quædam procella, quæ etiam in Prophetiis iam olim posita fuerat, in Romam irruit: & nec æneas quidem statuas reliquit in foro, sed omnia barbarica diripiens insolen-

Digitized by Google

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 10.

tatis operibus. Romæ quinquennium vixit vitam agens monasticam. Hinc maioris solitudinis studio se recepit in Betlehem, ibique propriis sumtibus multa ædificavit monasteria. Vixit illic parcissime ac durissime. Nullum hominem secum umquam adhibuit ad mensam, nec ab ea lege Sacerdotes vel sanctissimos eximi voluit. Totam se dedit orationi, lectioni, institutioni iuventutis, aliisque huiusmodi occupationibus. Præsertim vero filiam Eustochium quæ & ipsa eminuit sanctitate, sic formavit ad omne opus bonum, ut ipsa illa sanctæ virginis institutio proponi debeat in exemplum matribus omnibus Christianis. Legatur ea de re S. Hieronymus. Habent hic sane viduæ satis superque quod imitentur (Q).

I. Superest ut & S. Marcellæ vi-

---

tia corrupit: adeo ut Roma quæ mille & ducentis annis pulcherrima fuerat & frequentissima, dirueretur, fieretque deserta, & ut ait Sibylla, ῥύμη hoc est vicus, non Roma. Tunc qui Catechesi fuerant instituti, & ei minime adversati, Deum laudaverunt, qui rerum mutatione persuasisset incredulis, quod aliis omnibus redactis in servitutem, ex solæ salvæ fuerint familiæ quæ Domino fuerunt holocausta studio beatæ Melaniæ, cum ceteri qui eorum saluti adversabantur eorum inutili pœnitentia detinerentur.

(Q) S. Hieron. *Epist.* 86. *alias* 27. *ad Eustochium Epitaph. Paullæ.* Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes artus humana voce resonarent, nihil dignum sanctæ ac venerabilis Paullæ virtutibus dicerem. Nobilis genere, sed multo nobilior sanctitate; potens quondam divitiis, sed nunc Christi paupertate insignior; Gracchorum stirps, soboles Scipionum; Paulli heres, cuius vocabulum trahit, Martiæ Papyriæ matris Africani vera & germana progenies, Romæ prætulit Bethlehem; & auro tecta fulgentia, informis luti vilitate mutavit. Non mœremus quod talem amisimus: sed gratias agimus quod habuimus, immo habemus. Deo enim vivunt omnia; & quidquid revertitur ad Dominum, in familiæ numero computatur. Quamquam amissio illius, cælestis domus habitatio sit: quæ quamdiu in corpore fuit, peregrinata est a Domino & voce semper flebili quere- Psal. cxix 5.
batur, dicens; *Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum peregrinata est anima mea.* Nec mirum si planxerit se versari in *tenebris*, (hoc enim *Cedar* interpretatur) quum mundus in maligno positus sit: & sicut tenebræ illius, Ioan. I. 5.
ita & lumen eius; luxque in tenebris luceat, & tenebræ eam non comprehenderunt. Unde & illud crebrius inferebat: *Advena sum & peregrina sicut omnes* Ps. xxxviii. 13.
patres mei. Et iterum: *Cupio dissolvi &* Philip. I. 23.
esse cum Christo. Quoties autem infirmitate corpusculi (quam incredibili abstinentia, & duplicatis contraxerat ieiuniis) vexabatur, hoc in ore volvebat: 1. Cor. IX 27.
Subiicio corpus meum, & in servitutem redigo: ne aliis prædicans, ipsa reproba Rom. xiv. 21.
inveniar. Et: *Bonum est vinum non bibere, & carnem non manducare.* Et: *Hu-* Ps. xxxiv 13. Ps. xxxi. 4.
miliavi in ieiunio animam meam. Et: *Totum lectum meum versasti in infirmitate mea.* Et: *Versata sum in miseria, dum* Ps. xxxi. 4.
mihi configitur spina. Atque inter doloris aculeos, quos mira patientia sustinebat, quasi apertos sibi cælos aspicer- Ps. liv. 7.
ret, loquebatur: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?*

Testor Iesum & sanctos eius ipsumque proprium Angelum, qui custos fuit & comes admirabilis feminæ, me nihil in gratiam, nihil more blandientium loqui: sed quidquid dicturus sum, pro testimonio dicere; & minus eius esse meritis, quam totus orbis canit; Sacerdotes mirantur; Virginum chori desiderant; Monachorum & pauperum turbæ deplangunt. Vis, lector, eius breviter scire virtutes? Omnes suos pauperes, pauperior ipsa dimisit. Nec mirum, de proximis & familiola quam in utroque sexu de servis & ancillis in fratres sororesque mutaverat, ista proferre; quum Eustochium virginem, & devotam Christi

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 10.

filiam; in cuius consolationem libellus hic cuditur, procul a nobili genere, sola fide & gratia divitem reliquerit.

Carpamus igitur narrandi ordinem. Alii altius repetant, & a cunabulis eius, ipsisque (ut ita dicam) crepundiis matrem Blesillam, & Rogatum proferant patrem: quorum altera Scipionum Gracchorumque progenies est: alter per omnes fere Græcias usque hodie stemmatibus & divitiis, ac nobilitate Agamemnonis fertur sanguinem trahere, qui decennali Troiam obsidione delevit.... Cunctorum virtutes & potentias sua humilitate superavit, minimaque fuit inter omnes, ut omnium maior esset... Tali igitur stirpe generata, iuncta est viro Toxotio, qui Æneæ & Iuliorum altissimum sanguinem trahit. Unde etiam filia eius Christi virgo Eustochium, *Iulia* nuncupatur; & ipse Iulius a magno demissum nomen Iulo. Et hæc dicimus, non quod habentibus grandia sint, sed quo contemnentibus mirabilia. Seculi homines suscipiunt eos, qui his pollent privilegiis. Nos laudamus, qui pro Salvatore ista despexerint.... His inquam orta maioribus, & fœcunditate ac pudicitia probata, primum viro, deinde propinquis, & totius urbis testimonio, quum quinque liberos edidisset, Blesillam, super cuius morte eam Romæ consolatus sum; Paullinam, quæ sanctum & admirabilem virum, & propositi & rerum suarum Pammachium reliquit heredem, ad quem super obitu eius parvulum libellum edidimus; Eustochium, quæ nunc in sanctis locis virginitatis & Ecclesiæ monile preciosum est; Rufinam, quæ immaturo funere pium matris animum consternavit; & Toxotium, post quem parere desiit; ut intelligeres eam non diu servire voluisse officio coniugali, sed mariti desiderio, qui marem optabat, liberos edidisse.

Postquam vir mortuus est, ita eum planxit ut prope ipsa moreretur; ita se convertit ad Domini servitutem, ut eius mortem videretur optasse. Quid ego referam, amplæ & nobilis domus, & quondam opulentissimæ, omnes pene divitias in pauperes erogatas? Quid in cunctos clementissimum animum & bonitatem etiam in eos quos numquam viderat evagantem? Quis inopum moriens, non illius vestimentis obvolutus est? Quis clinicorum non eius facultatibus sustentatus est? Quos curiosissime tota urbe perquirens, damnum putabat, si quisquam debilis & esuriens cibo sustentaretur alterius. Spoliabat filios, & inter obiurgantes propinquos, maiorem se eis hereditatem, Christi misericordiam, dimittere loquebatur.

Nec diu potuit excelsi apud seculum generis, & nobilissimæ familiæ visitationes & frequentiam sustinere. Mœrebat honore suo, & ora laudantium declinare ac fugere festinabat. Quumque Orientis, & Occidentis Episcopos ob quasdam Ecclesiarum dissensiones Romam imperiales litteræ contraxissent, vidit admirabiles viros, Christique Pontifices, Paullinum Antiochenæ urbis Episcopum, & Epiphanium Salaminæ Cypri, quæ nunc Constantia dicitur: quorum Epiphanium etiam hospitem habuit; Paullinum in aliena manentem domo, quasi proprium, humanitate possedit. Quorum accensa virtutibus, per momenta patriam deserere cogitabat. Non domus, non liberorum, non familiæ, non possessionum, non alicuius rei, quæ ad seculum pertinet, memor, sola (si dici potest) & incomitata, ad eremum Antoniorum atque Paullorum pergere gestiebat. Tandemque exacta hieme, aperto mari, redeuntibus ad Ecclesias suas Episcopis, & ipsa voto cum eis ac desiderio navigavit. Quid ultra differo? Descendit ad portum, fratre, cognatis, affinibus; & (quod id maius est) liberis prosequentibus, & clementissimam matrem pietate vincere cupientibus. Iam carbasa tendebantur, & remorum ductu navis in altum protrahebatur. Parvus Toxotius supplices manus tendebat in littore. Rufina iam nubilis, ut suas exspectaret nuptias, tacens fletibus obsecrabat. Et tamen illa siccos tendebat ad cælum oculos, pietatem in filios, pietate in Deum superans. Nesciebat se matrem, ut Christi probaret ancillam. Torquebantur viscera, & quasi a suis membris distraheretur, cum dolore pugnabat: in eo cunctis admirabilior, quod magnam vinceret caritatem. Inter hostium manus & captivitatis duram necessitatem nihil crudelius est, quam parentes a liberis separari. Hoc contra iura naturæ plena fides patiebatur, immo gaudens animus appetebat: & amorem filiorum maiore in Deum amore contemnens, sola Eustochio, quæ & propo-

Digitized by Google

siti & navigationis eius comes erat, acquiescebat. Sulcabat interim navis mare, & cunctis, qui cum ea vehebantur, littora respicientibus, ipsa aversos tenebat oculos, ne videret quos sine tormento videre non poterat. Fateor, nulla sic amavit filios; quibus antequam proficisceretur, cuncta largita est; exheredans se in terra, ut hereditatem inveniret in cælo.

Delata ad insulam Pontiam, quam clarissimæ quondam feminarum sub Domitiano principe pro confessione nominis Christiani, Flaviæ Domitillæ nobilitavit exilium; vidensque cellulas in quibus illa longum martyrium duxerat, sumptis fidei alis, Ierosolymam & sancta loca videre cupiebat. Tardi erant venti, & omnis pigra velocitas .... Tandem vidit Cyprum, ubi sancti & venerabilis Epiphanii pedibus pro oluta, decem ab eo diebus retenta est: non in refectionem, ut ille arbitrabatur, sed in opus Dei, ut re comprobatum est. Nam omnia illius regionis lustrans monasteria, prout potuit, refrigeria sumptuum fratribus dereliquit quos amor sancti viri de toto illuc orbe conduxerat. Inde brevi cursu transfretavit Seleuciam; de qua ascendens Antiochiam, sancti Confessoris Paullini modicum caritate detenta, media hyeme, calente ardore fidei, femina nobilis, quæ prius Eunuchorum manibus portabatur, asello sedens profecta est... Ingressa est Ierosolymam... Cumque Proconsul Palæstinæ, qui familiam eius optime noverat, præmissis apparitoribus iussisset parari prætorium, elegit humilem cellulam: Et cuncta loca tanto ardore ac studio circumivit: ut nisi ad reliqua festinaret, a primis non posset abduci. Prostrataque ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat. Ingressa sepulcrum, resurrectionis osculabatur lapidem, quem ab ostio monumenti amoverat Angelus. Et ipsum corporis locum in quo Dominus iacuerat, quasi sitiens desideratas aquas, fideli ore lambebat. Quid ibi lacrimarum, quantum gemituum, quid doloris effuderit, testis est cuncta Ierosolyma, testis est ipse Dominus, quem rogabat... Deinde pro facultatula sua, pauperibus atque conservis pecunia distributa... In Bethlehem ingressa, & in specum Salvatoris introiens, postquam vidit sacrum virginis diversorium, & stabulum in quo *agnovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*... Me audiente iurabat, cernere oculis fidei infantem pannis involutum; vagientem in præsepi Dominum; Magos adorantes... Et ego misera, atque peccatrix, digna sum iudicata deosculari præsepe, in quo Dominus parvulus vagiit? orate in spelunca, in qua Virgo puerpera Dominum fudit infantem? *Hec requies mea*, quia Domini mei patria est. *Hic habitabo*, quoniam Salvator elegit eam... (*Transiit in Ægyptum & cum Nitriam*) vidisset, occurrente sibi sancto & venerabili Episcopo Isidoro Confessore, & turbis innumerabilibus Monachorum, ex quibus multos Sacerdotalis & Leviticus sublimabat gradus: lætabatur quidem ad gloriam Domini, sed se indignam tanto honore fatebatur. Quid ergo narrem Macarios, Arsenios, Serapionas, & reliqua columnarum Christi nomina? Cuius non intravit cellulam? quorum pedibus non advoluta est? Per singulos sanctos Christum se videre credebat: & quidquid in illos contulerat, in Dominum contulisse lætabatur. Mirus ardor, & vix in femina credibilis fortitudo. Oblita sexus & fragilitatis corporeæ, inter tot millia Monachorum cum puellis suis habitare cupiebat. Et forsitan cunctis eam suscipientibus impetrasset, ni maius sanctorum Locorum retraxisset desiderium. Atque propter ferventissimos æstus de Pelusio Maiomam navigatione perveniens, tanta velocitate reversa est, ut avem putares. Nec multo post in sancta Bethlehem mansura perpetuo, angusto per trieonium mansit hospitiolo, donec exstrueret cellulas ac Monasteria, & diversorum peregrinorum iuxta viam conderet mansiones, in qua Maria & Ioseph hospitium non invenerant. Huc usque iter eius descriptum sit, quod multis virginibus & filia comite peragravit: nunc virtus latius describatur... Quæ prima Christianorum virtus est, tanta se humilitate deiecit, ut qui eam non vidisset, & pro celebritate nominis videre gestisset, ipsam esse non crederet, sed ancillularum ultimam. Et quum frequentibus choris virginum cingeretur, & veste & voce & habitu & incessu minima omnium erat: numquam post viri mortem usque ad diem dormitionis suæ cum ullo comedit viro, quamvis eum sanctum & in Pontificali sciret culmine

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 10.

Isai. 1. 3.

Ps. cxxxi. 14.

Digitized by Google

constitutum. Balneas, nisi periclitans non adiit. Mollia, etiam in gravissima febre, lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat, si tamen illa quies dicenda est, quæ iugibus pene orationibus dies noctesque iungebat: illud implens de
Ps. vi. 7. Psalterio: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo*. In qua fontes crederes lacrimarum, ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream. Quumque a nobis crebrius moneretur, ut parceret oculis, & eos servaret Evangelicæ lectioni, aiebat: Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso & cerussa & stibio sæpe depinxi. Affligendum corpus quod multis vacavit deliciis. Longus risus, perpeti compensandus est fletu. Mollia linteamina & serica pretiosissima, asperitate cilicii commutanda. Quæ viro & seculo placui, nunc Christo placere desidero. Si inter tales tantasque virtutes castitatem in illa voluero prædicare, superfluus videar: in qua etiam quum secularis esset, omnium Romæ matronarum exemplum fuit: quæ ita se gessit, ut numquam de illa etiam maledicorum quidquam auderet fama confingere. Nihil animo eius clementius, nihil erga humiles blandius fuit. Non appetebat potentes: nec tamen superbos & gloriolam quærentes fastidio despiciebat. Si pauperem videbat, sustentabat; si divitem, ad benefaciendum hortabatur. Liberalitas sola excedebat modum. Et usuras tribuens, versuram quoque sæpius faciebat, ut nulli stipem rogantium denegaret. Fateor errorem meum: quum in largiendo esset profusior, arguebam,
2. Cor. viii. 13. & 14. illud proferens de Apostolo: *Non ut aliis sit refrigerium, vobis autem tribulatio: sed ex æqualitate in hoc tempore, ut vestra abundantia sit ad illorum inopiam, & illorum abundantia sit ad vestram inopiam:* Et hoc de Evangelio Sal-
Luc. iii. 11. vatoris: *Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti*: & providendum esse, ne quod libenter faceret, semper facere non posset; multaque huiuscemodi, quæ illa mira verecundia & sermone parcissimo dissolvebat, testem invocans Deum, se pro illius nomine cuncta facere; & hoc habere voti, ut mendicans ipsa moreretur, ut unum nummum filiæ non dimitteret, & in funere suo aliena sindone involveretur. Ad extremum inferebat: Ego si petiero, multos inveniam qui mihi tribuant: iste mendicans si a me non acceperit quæ ei possum etiam de alieno tribuere, & mortuus fuerit, a quo eius anima requiretur? Ego cautiorem in re familiari esse cupiebam; sed illa ardentior fide, toto Salvatori animo iungebatur; & pauperem Dominum pauper spiritu sequebatur, reddens ei quod acceperat, pauper pro ipso effecta. Denique consequuta est quod optabat, & in grandi ære alieno filiam dereliquit, quod hucusque debens non suis viribus, sed Christi se confidit misericordia reddituram.

Solent pleræque matronarum buccinatoribus suis dona conferre, & in paucos largitate profusa, manum a ceteris retrahere, quo illa omnino carebat vitio. Ita enim singulis suam pecuniam dividebat, ut singulis necessarium erat, non ad luxuriam, sed ad necessitatem. Nemo ab ea pauperum vacuus reversus est. Quod obtinebat, non divitiarum magnitudine, sed prudentia dispensandi;
illud semper replicans: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*: & : *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum*: & *Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in æterna tabernacula*: & : *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis;* & verba Danielis regem Nabuchodonosor monentis, ut eleemosynis redimeret peccata sua. Nolebat in his lapidibus pecuniam effundere, qui cum terra & seculo transituri sunt: sed in vivis lapidibus, qui volvuntur super terram, de quibus, in Apocalypsi Ioannis, civitas magni regis exstruitur ... Tantæ continentiæ fuit, ut prope mensuram excederet, & debilitatem corporis nimiis ieiuniis ac labore contraheret. Quæ, exceptis diebus festis, vix oleum in cibo caperet, ut ex hoc uno æstimetur, quid de vino & liquamine, & piscibus, & melle, & ovis, & reliquis quæ gustui suavia sunt, iudicarit. In quibus sumendis quidam se abstinentissimos putant, & si his ventrem ingurgitaverint, tutam pudicitiam suspicantur ... Dicam & de ordine Monasterii ... Post virorum monasterium, quod viris tradiderat gubernandum, plures virgines quas e diversis Provinciis congregarat, tam nobiles quam medii & infimi generis, in tres turmas monasteriaque divisit: ita dumtaxat ut,

Matth. v. 7.
Eccli. iii. 33.
Luc. xvi. 9.
Ibid. 12.
Dan. iv. 24.
Apoc. xxi. 21. & 22.

in opere & in cibo separatæ, psalmodiis & orationibus iungerentur. Post *alleluia* cantatum (quo signo vocabantur ad collectam,) nulli residere licitum erat. Sed prima, seu inter primas veniens, ceterarum opperiebatur adventum, pudore & exemplo ad laborem eas provocans, non terrore. Mane, hora tertia, sexta, nona, vespere, noctis medio, per ordinem Psalterium cantabant: nec licebat cuiquam Sororum ignorare Psalmos, & non de Scripturis sanctis quotidie aliquid discere. Die tantum Dominico ad Ecclesiam procedebant, ex cuius habitabant latere; & unumquodque agmen matrem propriam sequebatur; atque inde pariter revertentes, instabant operi distributo, & vel sibi vel ceteris indumenta faciebant. Si qua erat nobilis, non permittebatur de domo sua habere comitem, ne veterum actuum memor, & lascivientis infantiæ errorem refricaret antiquum, & crebra confabulatione renovaret. Unus omnium habitus. Linteamine ad tergendas solum manus utebantur. A viris tanta separatio, ut a spadonibus quoque eas seiungeret, ne ullam daret occasionem linguæ maledicae, quae sanctos carpere solita est in solatium delinquendi. Si qua vel tardior veniebat ad Psalmos, vel erat in opere pigrior, variis eam modis aggrediebatur: Si erat iracunda, blanditiis; si patiens, correptione; illud Apostoli imitans: *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in spiritu lenitatis & mansuetudinis?* Excepto victu & vestitu nullam habere quidquam patiebatur, dicente Paullo: *Habentes victum & vestitum, his contenti sumus;* ne consuetudine plus habendi præberet locum avaritiæ, quæ nullius expletur opibus; & quanto amplius habuerit, plus requirit; & neque copia neque inopia minuitur. Iurgantes inter se sermone lenissimo fœderabat. Lascivientem adolescentularum carnem crebris & duplicatis frangebat ieiuniis, malens eis stomachum dolere, quam mentem. Si vidisset aliquam comptiorem, contractione frontis, & vultus tristitia arguebat errantem, dicens: munditiam corporis atque vestitus, animæ esse immunditiam. Et turpe verbum atque lascivum numquam de ore virgineo proferendum: quibus signis libidinosus animus ostenditur; & per exteriorem hominem interioris hominis vitia demonstrantur. Quam

1. Cor. iv. 21.

1. Tim. vi. 8.

linguosam, garrulam ac procacem, rixisque perspexerat delectari, & sæpius commonitam nolle converti, inter ultimas & extra conventum Sororum, ad fores triclinii orare faciebat, & separatim cibum capere: ut quam obiurgatio non correxerat emendaret pudor. Furtum quasi sacrilegium detestabatur; & quod inter seculi homines vel leve putatur, vel nihil, hoc in Monasteriis gravissimum dicebat esse delictum. Quid memorem clementiam & sedulitatem in ægrotantes, quas miris obsequiis & ministeriis confovebat? Quumque aliis languentibus large præberet omnia, & esum quoque exhiberet carnium, si quando ipsa ægrotasset, sibi non indulgebat; & in eo inæqualis videbatur, quod in aliis clementiam, in se duritiam commutabat.

Pars III. Sect. I. Cap. VIII. §. 10.

Nulla iuvenum puellarum sano & vegeto corpore tantæ se dederat continentiæ, quantæ ipsa fracto & senili debilitatoque corpusculo. Fateor in hac re pertinacior fuit, ut sibi non parceret, & nulli cederet admonenti. Referam quod expertus sum. Mense Iulio ferventissimis æstibus incidit in ardorem febris, & post desperationem quum Dei misericordia respirasset, & medici persuaderent ob refectionem corporis vino opus esse tenui & parco, ne aquam bibens in hydropem verteretur; & ego clam beatum Papam Epiphanium rogarem, ut eam moneret, immo compelleret vinum bibere: illa ut erat prudens & sollertis ingenii, statim sensit insidias; & subridens, meum esse quod ille diceret, intimavit. Quid plura? Quum beatus Pontifex post multa hortamenta exisset foras, quærenti mihi quid egisset, respondit: Tantum profeci, ut seni homini pene persuaserit, ne vinum bibam. Hæc refero, non quod inconsideranter, & ultra vires sumta onera probem, monente Scriptura: *Super te onus ne levaveris;* sed quod mentis eius ardorem, & desiderium fidelis animæ, ex hac quoque probare velim perseverantia, decantantis: *Sitivit anima mea in te, quam multipliciter tibi caro mea ....* Quæ in contemptu ciborum tantam habebat pertinaciam, in luctu mitis erat; & suorum mortibus frangebatur, maxime liberorum. Nam & in viri & filiarum dormitione semper periclitata est. Et quum os stomachumque signaret, & matris dolorem crucis niteretur impressione le-

Ps. lxii. 2.

Pars III. Sect. I. Cap. VIII.

tam nobis exhibeas, proponasque hoc ultimum exemplum viduis Christianis?

§. 10. *R.* Paucis expedio quod ea de re S. Hieronymus multo fusius scripsit. Hæc simul orbata patre & viro, cui non ante menses septem nupserat, non flecti potuit umquam ut nuberet iterum Cereali, qui quidquid habebat (habebat autem opes amplissimas) voluit in eam conferre. Mundum omnem muliebrem vendidit, & pauperibus erogavit. Hoc unum egit ut ieiuniis & omni castigationum genere corpus attereret, & faciem cuius erat egregia forma deturparet. Vestis eius modesta & simplex. Numquam sine teste colloquuta est cum ullo Clerico aut Monacho. Nullam ad suum consortium feminam adhibuit, nisi virginem aut viduam, cuius esset perspecta virtus & sanctitas. Raro prodibat in publicum. Si qua femina nobilis mundi vanitatibus & pompis delectabatur, hanc fugiebat, ad eius domum ne accedebat quidem. Eius oratio fere continua;

---

nire; superabatur affectu, & credulam mentem, parentis viscera consternabant: animoque vincens, fragilitate corporis vincebatur. Quam semel languor arripiens, longo tempore possidebat; ut nobis inquietudinem, & sibi discrimina offerret. In quo illa lætabatur, per mo-
Rom. VII. 24. menta commemorans: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*.... Nihil ingenio eius docilius fuit. Tarda erat ad loquendum, velox ad au-
Exod. XIV. 13. diendum; memor illius præcepti: *Audi Israel, & tace*. Scripturas sanctas tenebat memoriter. Et quum amaret historiam, & hoc veritatis diceret fundamentum; magis tamen sequebatur intelligentiam spiritualem: & hoc culmine, ædificationem animæ protegebat. Denique compulit me, ut vetus & nuvum Instrumentum cum filia, me disserente, perlegeret.... Hebræam linguam.... discere voluit. & consequuta est: ita ut Psalmos Hebraice caneret, & sermonem absque ulla Latinæ linguæ proprietate personaret. Quod quidem usque hodie in sancta filia eius Eustochio cernimus; quæ ita semper adhæsit matri, & eius obedivit imperiis, ut numquam absque ea cubaret, numquam procederet, numquam cibum caperet, ne unum quidem nummum haberet potestatis suæ, sed & paternam & maternam substantiolam, a matre distribui pauperibus lætaretur, & pietatem in parentem, hereditatem maximam & divitias crederet.... In hoc solo, patriæ desiderium habuit, ut filium, nurum, neptem, renunciasse seculo, & Christo servire cognosceret. Quod & impetravit ex parte. Nam neptis Christi flammeo reservatur. Nurus æternæ se tradens pudicitiæ, socrus opera, fide & eleemosynis sequitur, & Romæ conatur exprimere, quod Ierosolymis illa complevit.. Incidit in gravissimam valetudinem, immo quod optabat invenit, ut nos desereret, & plenius Domino iungeretur.... Sentiebat prudentissima feminarum adesse mortem, & frigente alia parte corporis atque membrorum, solum animæ teporem in sacro pectore palpitare, & nihilominus quasi ad suos pergeret, alienosque desereret, illos versiculos susurrabat. *Domine, dilexi decorem domus* Ps. XXV. 8.
tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ: &: *Quam dilecta tabernacula tua, Domi-* Ps. LXXXIII. 1.
ne virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini; &: *Elegi abie-* Ibid. 11.
cta esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Quumque a me interrogaretur, cur taceret, cur nollet respondere, an doleret aliquid, Græco sermone respondit, nihil se habere molestiæ; sed omnia quieta & tranquilla perspicere. Post hæc obmutuit, & clausis oculis, quasi iam mortalia despiceret, usque ad exspirationem animæ eosdem repetebat versiculos; ut quod dicebat, vix audire possemus. Digitumque ad os tenens, crucis signum pingebat in labiis. Defecerat spiritus, & anhelabat in mortem; animaque erumpere gestiens, ipsum stridorem, quo mortalium vita finitur, in laudes Domini convertebat.

cumque dies non sufficerent, etiam noctes sæpius orando transigebat(R). Qualia Exempla! O utinam illa Deo miserante imitentur viduæ nostra ætate non paucæ!

(R) S. Hieron. *Epist. 96. alias 16. ad Principiam virg. Marcellæ viduæ Epitaph.* Neque vero Marcellam tuam, immo meam; & ut verius loquar, nostram, omniumque Sanctorum, & propriæ Romanæ urbis inclitum decus institutis Rhetorum prædicabo; ut exponam illustrem familiam, alti sanguinis decus, & stemmata per Consules & Præfectos prætorio decurrentia. Nihil in illa laudabo, nisi quod proprium est, & eo nobilius quod opibus & nobilitate contempta, facta est paupertate & humilitate nobilior. Orba patris morte, viro quoque post nuptias septimo mense privata est. Quumque eam Cerealis (cuius clarum inter Consules nomen est) propter ætatem, & antiquitatem familiæ, & insignem (quod maxime viris placere consuevit) decorem corporis, ac morum temperantiam ambitiosius peteret; suasque longævus polliceretur divitias, & non quasi in uxorem, sed quasi in filiam vellet donationem transfundere: Albinaque mater tam clarum præsidium viduatæ domus ultro appeteret, illa respondit: Si vellem nubere, & non æternæ me cuperem pudicitiæ dedicare, utique maritum quærerem, non hereditatem. Illoque mandante, posse & senes diu vivere, & iuvenes cito mori, eleganter lusit: Iuvenis quidem potest cito mori, sed senex diu vivere non potest. Qua sententia repudiatus, exemplo ceteris fuit, ut eius nuptias desperarent.... Difficile est in maledica civitate, & in urbe in qua Orbis quondam populus fuit, palmaque vitiorum, si honestis detraherent, & pura ac munda macularent, non aliquam sinistri rumoris fabulam contrahere... Quis umquam de hac muliere, quod displiceret, audivit, ut crederet? Quis credidit, ut non magis seipsam malignitatis & infamiæ condemnaret? Ab hac primum confusa gentilitas est, dum omnibus patuit quæ esset viduitas Christiana, quam & conscientia & habitu promittebat.

Quæ sequuntur habes supra litt. (G) *hocce §. Deinde pergit S. Hieron.*

Denique quum & me Romam cum sanctis Pontificibus Paullino & Epiphanio, Ecclesiastica traxisset necessitas; (quorum alter Antiochenam Syriæ, alter Salaminiam Cypri rexit Ecclesiam) & verecunde nobilium feminarum oculos declinarem, ita egit secundum Apostolum *importune, opportune*, ut pudorem meum sua superaret industria. Et quia alicuius tunc nominis esse existimabar super studio Scripturarum, numquam convenit, quin de Scripturis aliquid interrogaret, nec statim acquiesceret, sed moveret e contrario quæstiones; non ut contenderet, sed ut quærendo disceret earum solutiones, quas opponi posse intelligebat. Quid in illa virtutum, quid ingenii, quid sanctitatis, quid puritatis invenerim, vereor dicere; ne fidem credulitatis excedam, & tibi maiorem dolorem incutiam, recordanti quanto bono carueris. Hoc solum dicam, quod quidquid in nobis longo fuit studio congregatum, & meditatione diuturna quasi in naturam versum; hoc illa libavit, hoc didicit atque possedit: ita ut post profectionem nostram, si de aliquo testimonio Scripturarum esset oborta contentio, ad illam iudicem pergeretur. Et quia valde prudens erat, & noverat illud quod appellant Philosophi τὸ πρέπον, id est *decere* quod facias; sic ad interrogata respondebat, ut etiam sua, non sua diceret, sed vel mea, vel cuiuslibet alterius: ut in eo ipso quod docebat se discipulam fateretur. Sciebat enim dictum ab Apostolo: *Docere autem mulieri non permitto*; ne virili sexui, & interdum Sacerdotibus, de obscuris & ambiguis sciscitantibus, facere videretur iniuriam. In nostrum locum statim audivimus te illius adhæsisse consortio, & numquam ab illa ne transversum quidem unguem, ut dicitur, recessisse: eadem domo, eodem cubiculo usam, ut omnibus in urbe clarissima notum fieret, & te matrem, & illam filiam reperisse. Suburbanus ager vobis pro monasterio fuit, & rus electum pro solitudine. Multoque ita vixistis tempore, ut ex imitatione vestri, conversatione multarum gauderemus Romam factam Ierosolymam. Cre-

2.Tim. IV. 2.

1.Tim. II. 12.

bra virginum monasteria, Monachorum innumerabilis multitudo; ut pro frequentia servientium Deo, quod prius ignominiæ fuerat postea gloriæ.... Terribilis de Occidente rumor affertur, obsideri Romam, & auro salutem civium redimi, spoliatosque rursum circumdari, ut post substantiam, vitam quoque perderent..... In tanta confusione rerum Marcellæ quoque domum cruentus victoe ingreditur. Sit mihi fas audita loqui, immo a sanctis viris visa narrare qui interfuere præsentes, qui te dicunt in periculo quoque ei fuisse sociatam. Intrepido vultu excepisse dicitur introgressos: quumque posceretur aurum, & defossas opes vili excusaret tunica, non tamen fecit fidem voluntariæ paupertatis. Cæsam fustibus flagellisque aiunt non sensisse tormenta: sed hoc lacrimis, hoc pedibus eorum prostratam egisse, ne te a suo consorrio separarent; ne sustineret adolescentia, quod senilis ætas timere non poterat. Christus dura corda mollivit, & inter cruentos gladios invenit locum pietas. Quumque & illam & te ad Apostoli Paulli Basilicam barbari deduxissent, ut vel salutem vobis ostenderent, vel sepulcrum, in tantam lætitiam dicitur erupisse, ut gratias ageret Deo, quod te integram sibi reservasset; quod pauperem illam non fecisset captivitas, sed invenisset; quod egeret quotidiano cibo; quod saturata Christo, non sentiret esuriem; quod & voce & opere loqueretur: *Nuda exivi de* Iob. 1. 21.
utero matris meæ, nuda & redeam. Sicut Domino visum est, ita & factum est: sit nomen domini benedictum. Post aliquot dies, sano, integro, vegetoque corpusculo obdormivit in Domino: & te paupertatulæ suæ, immo per te pauperes reliquit heredes, claudens oculos in manibus tuis, reddens spiritum in tuis osculis; dum inter lacrimas tuas illa rideret conscientia vitæ bonæ, & præmiis futurorum.

SECTIO ALTERA

De Oratione, omnibusque ad eam pertinentibus.

CAPUT PRIMUM

De Oratione in genere.

§. 1. *Quid sit Oratio, quæ variæ eius species.*

Int. QUid est Oratio?

Resp. Oratio est elatio mentis ad Deum.

I. Qua ratione mens nostra ferri ad Deum potest?

R. Fertur ad Deum anima, dum eum laudat, dum adorat, dum gratias agit de acceptis beneficiis, dum petit a Deo auxilium, dum offert se suaque Deo. Itaque quintuplex orationis genus: adoratio, laus, gratiarum actio, petitio, oblatio.

Potest autem oratio uno ex illis quinque modis fieri quadrupliciter, vel interius, vel exterius, vel privatim, vel publice.

Oratio interior sola mente perficitur, nec prodit in verba (A): ideoque dicitur oratio mentalis.

Oratio exterior prodit in verba: ideoque dicitur vocalis. Sed adverte vocalem orationem nullius esse meriti, immo a Deo reiici ut men-

---

(A) 1. Reg. 1. 13. Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur.

1. Reg. 1. S. Ioan. Chrysost. *De Ann. homil.* 2. *num.* 2.... Precationem multa cum attentione perficias. Quod sane hæc fecit, dum non longo sermone, sed crebris ac frequentibus precibus adiit Deum. Deinde posteaquam Sacerdos illi occlusit os; nam hoc est, quod ait: *Observabat os eius, & labia eius movebantur, vox autem illius non audiebatur* coacta est obedire Sacerdoti, & ab orando desistere. Et vox quidem illi interclusa est; at non est exclusa fiducia, sed vehementius etiam cor clamabat interius. Nam illa potissimum est precatio, cum ab intimis voces sursum feruntur: hoc præcipue mentis est exercitatæ, non intentione vocis, sed animi fervore precationem absolvere.

N. 3. Sic oravit & Moses: qui quum nihil voce resonaret, Deus tamen: *Quid*, inquit, *clamas ad me*? Homines quidem externam hanc vocem tantum audiunt, at Deus & ante hanc intus conclamantes audit. Itaque fieri potest, ut etiam qui non clamant audiantur, ut per forum ambulans quis oret accuratissime, & in consessu amicorum aliorumque, quidvis aliud agens vehementi clamore invocet Deum, clamore, inquam, interno, etiamsi nihil faciat, quod a quoquam præsentium sentiatur. Quod sane tum hæc fecit mulier: *Vox*, inquit, *illius non audiebatur*, & exaudivit illam Deus. Tantus erat illius clamor internus! Exod. xiv. 15.

Pars III. Sect. II. Cap. I. §. 1.

dacem (B), niſi a mente prodeat, niſi vox cum mente conſonet.

Oratio privata ea eſt, quam quiſque apud ſe privatim edit, ſive ſola mente, ſive & voce fiat.

Oratio publica ea eſt, quæ fit in frequenti conventu fidelium. Adverte tamen Divinum officium, etiam cum privatim perſolvitur, cenſeri orationem publicam; quia dum illud Clerici, ſive intra, ſive extra Eccleſiam, ſive ſoli, ſive cum aliis perſolvunt, orant ſemper ut Miniſtri Eccleſiæ, funguntur que munere publico; & quidem tali munere, quo, ſi ſacrificii oblationem excipias, non aliud fere præſtantius.

I. Ex variis illis orandi modis quinam acceptior Deo, privatus an publicus?

R. Uterque præceptus a Deo, uterque proinde acceptus illi, plus magis pro maiori vel minori orantium fervore. Si tamen cetera ſint paria, publica oratio plus habet in ſe virtutis & efficaciæ quam privata. Nam 1. Tota Eccleſia ſimul orans plus habet virtutis ad impetrandum quam privati: tunc vis quædam infertur Deo: & *hæc vis Deo grata eſt*, inquit Tertullian.(C). Apol. c. 39.

(B) Isai. xxix. 13. Appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me; cor autem eius longe eſt a me, &c. Matth. xv. 8. Marc. vii. 6.

(C) Tertul. *Apolog. cap.* 39. Corpus ſumus de conſcientia religionis & diſciplinæ unitate, & ſpei fœdere. Coimus in cœtum & congregationem, ut ad Deum, quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt.

S. Ioan. Chrys. *Eclog. de oratione Hom.* 2. *circa finem*. Vis diſcere quanta ſit orationis in Eccleſia factæ potentia? Vinctus aliquando fuit Petrus, multiſque circumdatus erat catenis: *Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia pro eo*, & ſtatim eum a carcere liberavit. Quid igitur hac oratione potentius fuerit, quæ columnam & turrim Eccleſiæ adiuvit? Et catechumenis quidem permiſſum hoc nondum eſt, quoniam necdum ad hanc pervenere fiduciam: vobis autem & pro terrarum orbe, & pro Eccleſia, quæ uſque ad terminos terræ extenditur, & pro gubernantibus ipſam & præſidentibus orationes emittere præcipitur. Cum animi igitur alacritate obedite, opere teſtantes, magnam vim eſſe orationis in Eccleſia a populo concorditer oblatæ. Nam cum inter homines, populo ſontes viros, cum ad mortem trahuntur, petente, Rex multitudine motus, ſententiam deponat; multo magis Rex cæleſtis a vobis placatus petita præſtabit. Non audiſtis, ita Petrum de carcere ereptum eſſe, quoniam oratio fundebatur ſine intermiſſione pro eo? Quanto maius eſſe noſtra creditis exiguitate, ad Deum pro tanto accedere populo & ſupplicare? Nam ſi pro me ipſo precari fiduciam non habeo, multo minus pro aliis, probatorum enim hoc eſt. Cum igitur etiam ipſe offenderim, quomodo pro alio deprecabor? Quod enim unus pro multis oret, res magnæ eſt fiduciæ, multæque indigens libertatis: Multos autem ſimul congregatos pro uno ſupplicationem facere, nihil grave videbitur. Oratio quidem domi etiam fieri poteſt; ſic autem, ut in Eccleſia, non poteſt, ubi tanta patrum multitudo, ubi clamor ad Deum unanimiter emittitur. Non ita Dominum per te ſolum orans audiris, ſicut cum fratribus tuis. Hic enim maius quid eſt unanimitas videlicet & conſonantia, caritatiſque vinculum, & Sacerdotum orationes. Propterea namque Sacerdotes præpoſiti ſunt, ut multitudinis orationes, cum ſint infirmiores, horum velut potentiorum precibus ſe coniungentes, pariter cum illis in cælum aſcendant. Si namque Petrum Eccleſiæ adiuvit oratio, & illam ex carcere columnam eduxit, quomodo tu, quæſo, ipſius potentiam contemnis? Quemadmodum enim caritatis virtus intervallo non arcetur, ita nec orationis efficacia. Act. xii. 5.

Digitized by Google

2. Infirmi & tepidi cum fervidis & perfectis simul orantes participant aliquid horum fervoris; & sic facilius exaudiuntur.

Matth. xviii. 20. 3. Si duo vel tres congregati fuerint in nomine Christi, Christus sollemniter promisit se in medio eorum fore (D): quanto magis si tota Ecclesia coeat.

I. Quænam oratio omnium perfectissima?

R. Ea quam Dominicam dicimus; quia Christus eam docuit; in illa enim continetur quidquid desiderare, quidquid a Deo petere possumus & debemus, ut dicemus infra fusius. *Huius sect. cap. 4.*

I. In omnibus orationibus, quæ publice fiunt, quænam ceteris perfectior?

R. Sacrosanctum Missæ sacrificium.

1. Enim illud alias omnes orationis species in se complectitur, adorationem, laudem, gratiarum actionem, petitionem & oblationem.

2. Christus ipse, fons omnis gratiæ & virtutis, *de cuius plenitudine* *Ioan. i. 16.* *omnes accipimus*, offert ibi semetipsum Deo, & offertur a tota Ecclesia. Hæc dicemus infra fusius.

§. 2. *De necessitate orationis.*

Huius sect. cap. 7.

I. Unde oritur necessitas orationis?

R. 1. Ex Christi præcepto. 2. Ex Christi exemplo. 3. Ex nostra inopia. 4. Ex supremo Dei in homines imperio & dominio. 5. Ex infinitis eius erga nos beneficiis.

I. Quid præcepit ea de re Christus?

R. Multa ea de re præcepit Christus; multa præcepere post Christum Apostoli. *Vigilate*, inquit Christus, *omni tempore orantes.* *Luc. xxi. 36. xxii. 40.* *Orate ne intretis in tentationem.* *Pe-* *Ioan. xxv. 24.* *tite & accipietis.* *Oportet semper* *Luc. xviii. 1.* *orare & non deficere* (A). Similia his habentur in omnibus Apostolorum epistolis: ex his unum & alterum seligere satis est. *Vigilate in* *1. Pet. iv. 7.* *orationibus*, inquit Petrus: *sine intermissione orate*, inquit Paullus. *1. Thess. v. 17.*

I. Qui fieri potest ut sine inter-

(D) MATTH. xviii. 19. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cælis est. Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

S. ATHANAS. Episc. Alexand. *ad Imperat. Constant. apol.* Si pro ipsius Salvatoris pacto in consensu duorum quodcumque petierint fiet; quid igitur futurum, ubi ex tot tantisque populis in unum congregatis, una vox respondeatur acclamantium, Amen?

(A) LUC. xviii. 1. Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare, & non deficere, dicens: Iudex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, & hominem non reverebatur. Vidua autem quædam erat in civitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de adversario meo. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Et si Deum non timeo, nec hominem revereor: tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens suggillet me. Ait autem Dominus: Audite quid Iudex iniquitatis dicit. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum.

missione oretur, ut semper oretur?

PARS III. SECT. II. CAP. I. §. 2.

R. Quod ait Apostolus: *Sine intermissione orate*, inquit S. Augustinus, *quid est aliud quam beatam vitam quæ nulla nisi æterna est, ab eo, qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderate. Semper ergo hanc a Domino Deo desideremus, & oremus semper*. (1. Thess. v. 17. Epist. 130. alias 121. ad Prob. cap. 9. num. 18.)

Quidquid aliud agas, inquit alibi S. Augustinus, *si desideras illud sabbatum, non intermittis orare. Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum, continua vox tua. Tacebis si amare destiteris. Qui tacuerunt? De quibus dictum est*. Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum. *Frigus caritatis, silentium cordis: flagrantia cordis, clamor cordis est. Si semper manet caritas, semper clamas; si semper clamas, semper desideras*. (Enarr. in Ps. XXXVII. n. 14. Matth. XXIV. 12.)

Non possumus quidem semper in genua provolvi; non possumus ore Deum laudare vel orare semper; non possumus actus caritatis elicere semper, & quolibet instanti. Sed nihil obstat quominus amor continuus & desiderium continuum in cordibus nostris perseveret. Stat amor, stat desiderium cum occupationibus necessariis. Si Deum vere diligimus, ad Deum a nobis omnia referuntur; omnia recto fine, recto ordine fiunt. Etiamsi actu non cogitetur Deus, diligitur tamen, quæritur; adeoque oratur. Nam ut patet ex verbis supra dictis S. Augustini, amor, desiderium, oratio cordis, idem sunt. Non potest ergo præceptum orationis perfecte impleri, quin præceptum caritatis impleatur. Nec intermittitur oratio proprie loquendo, nisi quando cessatur ab amore Dei. *Si semper manet caritas, semper clamas. Tacebis, si amare destiteris* (B).

(B) S. IOAN. CHRYSOST. *Eclog. de Orat. Homil.* 2. In conspectu Domini orat, qui totam animam suam colligit, & nihil habet cum terra commune, sed in ipsum se transfert cælum, atque omnem ex animo expellit humanam cogitationem. Sic enim orantem oportet orare, ut totam suam mentem colligens & contendens, animo dolente Deum invocet, & neque prolixos extendat sermones, neque in longum orationem producat, sed pauca & simplicia verba dicat. Non enim in verborum multitudine, sed mentis sobrietate positum est, ut quis exaudiatur. Atque hoc ex precibus Annæ matris Samuelis videre est .... Propterea enim multa tam in communibus, quam in privatis rebus præter sententiam nobis eveniunt, quoniam non circa spiritualia primum, tum vero circa secularia negotia studium exhibemus. Nonne scis, quod si veniens Deum adoraveris, & præsentis hic occupationis sis particeps, magis tibi illa, quæ in manibus habentur, facilia reddantur? Sed seculares habes curas? Propter has saltem huc occurre, ut allecta per hanc exercitationem Dei benevolentia, ita tutus prodeas, ut ipsum habeas auxiliatorem, ut superna iuvante manu, dæmonibus inexpugnabilis fias. Nam si preces consequaris spirituales, si communis orationis particeps fias, si Dei compares auxilium, si ipsius armis munitus ita progrediaris, iam neque diabolus ipse contra te respicere poterit, nedum homines improbi, qui iniuria te afficere & calumniari student. Quod si e domo in forum egressos, & huiusmodi armis nudus inventus fueris, omnibus insidiantibus expugnabilis eris. Neque mihi quispiam dicat, fieri non posse, ut homo secularis, foro affixus, continue per diem oret, & ad Ecclesiam excurrat: potest (1. Reg. I. 11.)

enim, & quam facillime. Nam licet in Ecclesiam currere facile non sit, pro foribus illic constiturus, & foro iudiciali affixus orare potest. Et hoc multi fecere frequenter; & clamante intus magistratu, comminante, contendente, furente, pro foribus stantes signo muniti, & pauca verba mente orantes, ingressi mutaverunt eum atque mitigaverunt, & mansuetum ex fero reddidere: nihilque aut a loco, aut a tempore, aut a silentio ad orationem istam impediri sunt. Nec enim tam voce opus est, quam cogitatione: neque manuum extensione, quam animi intentione: neque figura, sed intellectu. Quoniam & Samuelis Mater Anna, non quia claram & magnam edidit vocem, propter hoc audiebatur, sed quia intus in corde multum clamabat: *Vox eius non audiebatur*, inquit, *& exaudivit eam Deus*. (1. Reg. 1. 13.) Ne igitur nos excusemus dicentes, non esse facile quempiam orare secularibus negotiis implicitum, & prope se oratoriam domum non invenientem. Nam ubicumque sis, potes altare tuum constituere. Nihil enim locus prohibet, nec impedit tempus. Sed etiamsi genua non flectas, etiamsi pectus non percutias, nec manus in cælum extendas, si mentem solum ferventem exhibeas, orationem perfectam consummaveris. Licet enim & forum petentem, & solum ambulantem, prolixas orationes facere. Licet & in officina sedentem, & pelles consuentem, animam Domino consecrare. Licet etiam servo & ementi, & ascendenti, & descendenti, & culinæ astanti, cum ad Ecclesiam ire non poterit, orationem facere prolixam & ferventem. Non enim locum Deus veretur, sed unum solum exquirit, fervidam mentem & continentem animam. Nam & Paullus non in oratorio, sed supinus in carcere iacens, neque erectus stans, neque genua flectens: (Non enim sinebat lignum, quo pedibus vinctis tenebatur:) (Act. xvi.) quoniam iacens studiose oravit, carcerem concussit, & commovit fundamenta, carcerisque custodem ligavit, & post hæc ad sacram initiationem deduxit. Et Ezechias haud rectus stans, neque genua flectens, sed supinus propter ægritudinem in lectulo iacens, cum ad parietem seipsum convertisset, quoniam Deum ferventer & casto animo invocavit, prolatam revocavit sententiam, & magnam sibi conciliavit benevolentiam, atque ad pristinam rediit sanitatem. (4. Reg. xx.) Et latro in cruce distentus, paucis verbis cæleste regnum assequutus est. Et Ieremias in cœno & in lacu, in lacu ferisque Daniel, & Ionas in ipso ceti ventre Deum deprecati, imminentia mala universa dissolverunt, & cælestem gratiam sibi conciliaverunt. (Luc. xxiii 42. Ier. xxxviii. Daniel. vi. Ionas. ii.) Quid igitur orans dicere debes? Quod Chananæa. Sicut enim illa dicebat: *Miserere mei, filia mea male a dæmonio vexatur:* (Matth. xv. 22.) Ita & tu dicito; Miserere mei, anima mea male a dæmonio vexatur; magnus siquidem dæmon, peccatum: dæmonium habens, misericordiam invenit; peccans odio habetur. Miserere mei, breve verbum, & clementiæ pelagus continet: ubi enim misericordia, ibi sunt omnia bona. Etiamsi extra Ecclesiam sis, clama & dic: Miserere mei; etsi non moveus labia, sed mente clamans: nam & tacentes Deus exaudit. Non quæritur locus, sed loci principium. Ieremias in cœno erat, & Deum exoravit: & Iob erat in sterquilinio, & Deum reddidit propitium: (Iob. ii.) Ionas etiam in ventre ceti, Deum sibi obsequentem habuit. Etiam si in balneo sis, ora, ubicumque sis, ora. Templum es, ne locum quæras. Mare erat ante Iudæos, & post terga Aegyptii, & medius Moyses, nihil loquens: (multa enim in oratione angustia;) & dicit ei Deus: *Quid clamas ad me?* (Exod. xiv. 15) Et tu igitur cum tibi advenerit tentatio, ad Deum confuge, Dominum invoca. Numquid enim homo est, ut locum petas? Deus semper prope est. *Adhuc loquente te dicam: Ecce adsum.* (Isai. lviii. 9.) Nondum orationem fecisti, & ipse medicinam præbet. Si enim mentem puram ab impuris affectionibus habeas, licet in foro sis, sive in via, sive in iudicio constitutus, sive in diversorio, sive in officina stans, sive ubicumque tandem sis, Deo potteris invocato petitionem obtinere.

S. August. *Epist.* 130. *alias* 121. *ad Probam, cap.* 1. *num.* 1.... Quod enim magis oportuit esse negotium viduitatis tuæ, quam persistere in oratione nocte ac die, secundum Apostoli admonitionem? Ille quippe ait: *Quæ autem vere vidua est & desolata speravit in Domino, & persistit in oratione nocte ac die....* (1. Tim. v. 5.) Quomodo occupaverit cor tuum præcipuèque sibi vindicaverit orandi cura, nisi quia prudenter intelligis, quod in hoc mun-

Pars III. Sect. II. Cap. I. §. 2

do & in hac vita nulla anima possit esse secura.

Num. 2..... Cui ergo facile est, ut etiam dives intret in regnum cælorum, inspiravit tibi piam sollicitudinem, de qua me consulendum putasti, quonam modo esset tibi orandum .... Quomodo enim tu sic studeres orare Deum, nisi sperares in eo? Quomodo autem sperares in eo, si sperares in incerto divitiarum, & contemneres præceptum salu-
1.Tim.vi.17. berrimum quo Apostolus ait: *Præcipe divitibus huius mundi non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum.*

Cap. 2. *num.* 5. In iis igitur vitæ hu-
2 Cor.v.6.7. ius tenebris, in quibus *peregrinamur a Domino*, quamdiu *per fidem ambulamus, non per speciem*, desolatam debet se Christiana anima reputare, ne desistat orare: & scripturarum divinarum sanctarumque sermoni discat, tamquam lucernæ in obscuro loco positæ, fidei ocu-
2.Pet.1.19. lum intendere, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus nostris. Huius enim lucernæ quidam fons ineffabilis lumen illud est, quod sic lucet in tenebris, ut non comprehendatur a tenebris, cui videndo fide corda mundanda sunt.

Cap. 3. *num.* 7.... Ut persistas in orationibus die ac nocte desolatam te esse memineris. Non enim Apostolus quali-
1.Tim.v.5. cumque viduæ hoc munus tribuit, *sed quæ vere*, inquit, *vidua est & desolata, speravit in Domino, & persistit in orationibus die ac nocte.* Quod vero sequi-
Ibid. 6. tur, vigilantissime cave: *Quæ autem in deliciis agit, vivens mortua est.* Agit enim homo in iis quæ diligit, quæ pro magno appetit, quibus beatum se esse credit.

Cap. 4. *Num.* 9. Audisti qualis ores, nunc audi & quid ores, unde me maxime consulendum putasti, quoniam te
Rom.viii.26. permovet quod ait Apostolus: *Quid enim oremus sicut oportet nescimus:* & timuisti ne magis tibi obsit, non sicut oportet orare, quam non orare. Quod itaque dici breviter potest; Ora beatam vitam. Hanc enim habere omnes homines volunt. Nam & qui pessime & perdite vivunt, nullo modo ita viverent, nisi eodem modo se esse vel posse fieri beatos putarent. Quid ergo aliud oportet te orare, nisi id quod cupiunt & mali & boni, sed ad quod perveniunt, non nisi boni!

Cap. 5. *num.* 10.... Velle enim quod non deceat, idem ipsum miserrimum: nec tam miserum est non adipisci quod velis, quam adipisci velle quod non oporteat. Quid tibi videtur? Hæc verba nonne ab ipsa veritate per quemlibet hominem dicta sunt? Possumus ergo hic dicere, quod Apostolus ait de quodam Propheta Cretensi, cum eius illi sententia placuisset: *Testimonium hoc ve-* Tit. 1. 13.
rum est.

Num. 11..... Vide iam quæ homines non indecenter velint. Alius vult coniugari, alius coniugio viduatus deinceps continenter eligit vivere, alius nullum concubitum nec in ipsis nuptiis experiri. Et si aliud hic alio melius reperitur; nullum tamen istorum possumus dicere indecenter aliquid velle: sic & optare filios, nuptiarum scilicet fructum, & eis qui suscepti fuerint vitam ac salutem, quo voto plerumque occupatur etiam continentia vidualis; nam & si spreto coniugio iam non optant etiam filios procreare, optant tamen quos procreaverunt incolumes vivere. Ab hac omni cura immunis est virginalis integritas. Habent tamen omnes caros & caras, quibus non indecenter optant etiam temporalem salutem. Sed eum istam salutem in se ipsis & in eis quos diligunt adepti homines fuerint, num poterimus eos dicere iam beatos? Habent enim aliquid quod non dedecet velle: sed si alia non habent maiora atque meliora, & utilitatis decorisque pleniora, adhuc a beata vita longe absunt.

Cap. 6. *num.* 12. Placetne igitur ut super salutem istam temporalem optent sibi ac suis honores & potestates? Sane, si ut per hoc consulant eis, qui vivunt sub eis, non propter hæc ipsa, sed propter aliud quod inde fit bonum, decet ea velle: si autem propter inanem fastum elationis, pompamque superfluam vel etiam noxiam vanitatis, non decet. Quocirca si optant sibi ac suis etiam sufficientiam rerum necessariarum, de qua sic Apostolus loquitur: *Est autem* 1.Tim. vi.6.
quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, sed nec auferre hinc aliquid possumus; victum & tegumentum habentes his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem & laqueum

& desideria multa stulta & noxia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est avaritia, quam quidam appetentes a fide erraverunt: & inseruerunt se doloribus multis. Hanc ergo sufficientiam non indecenter vult, quisquis vult, nec amplius vult: alioquin non ipsam vult, & ideo nec decenter vult. Hanc optabat

Prov. xxx. 8. & pro hac orabat qui dicebat: *Divitias & paupertatem ne dederis mihi: constitue autem mihi quæ necessaria sunt sufficienter, ut ne satiatus mendax efficiar, & dicam, Quis me videt? aut pauper factus furer, & periurem nomen Dei mei.* Vides certe & istam sufficientiam non appeti propter se ipsam, sed propter salutem corporis, & congruentem habitum personæ hominis, quo habitu non sit inconveniens eis, cum quibus honeste officioseque vivendum est.

Num. 13. In his itaque omnibus incolumitas hominis & amicitia propter se ipsa appetuntur; sufficientia vero rerum necessariarum non propter se ipsam, sed propter duo superiora quæri solet, cum decenter quæritur.

Cap. 7. Sed ii nos multum iusteque delectant, a quibus vicissim sancte casteque diligimur. Ista cum habentur, ut teneantur, cum autem non habentur, ut habeantur, orandum est.

Num. 14. Hoccine totum, & hæc sunt omnia quibus beatæ summa vitæ colligitur, an aliquid aliud veritas docet quod his omnibus præferatur? Nam & illa sufficientia, & ipsa incolumitas, vel propria vel amicorum quamdiu temporalis est, pro æternæ vitæ adeptione abiicienda est: quamquam fortasse corpus, animus vero nullo modo sanus existimandus est, qui non temporalibus æterna præponit. Neque enim in tempore utiliter vivitur, nisi ad comparandum meritum, quo in æternitate vivatur. Ad illam ergo unam vitam, qua cum Deo & de Deo vivitur, cetera quæ utiliter & decenter optantur, sine dubio referenda sunt. In eo quippe nosmetipsos diligimus si Deum diligimus: & ex alio præcepto proximos nostros sicut nosmetipsos ita vere diligimus, si eos ad Dei similem dilectionem, quantum in nobis est, perducamus. Deum igitur diligimus propter seipsum, & nos ac proximos propter ipsum: nec cum ita vivimus, iam nos in ipsa beata vita constitutos existimemus, quasi nihil sit amplius quod oremus. Quomodo enim iam beate vivimus, cum illud adhuc desit, propter quod unum bene vivimus?

PARS III. SECT. II. CAP. I. §. 2.

Cap. 8. *num.* 15. Ut quid ergo per multa dispergimur, & quærimus quid oremus, timentes ne forte sicut non oportet oremus, ac non potius cum psalmo dicimus: *Unam petii a Domino hanc requiram, ut habitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ: ut contempler delectationem Dei, & visitem templum eius?* Ps. xxvi. 4. Ibi namque omnes dies non veniendo, & transeundo fiunt omnes, nec initium alterius est finis alterius; omnes sine fine simul sunt, ubi nec ipsa vita habet finem cuius illi dies sunt. Propter hanc adipiscendam vitam beatam, ipsa vera Vita beata nos orare docuit, non in multiloquio, tamquam eo fiat, ut exaudiamur, quo loquaciores sumus, cum eum oremus qui novit, sicut ipse Dominus Matth. vi. 8. ait, quid nobis necessarium sit, prius quam petamus ab eo. Unde mirum videri potest, quamvis multiloquium prohibuerit, cur nos sic orare adhortatus sit, qui novit quid nobis necessarium sit, priusquam petamus ab eo, ut diceret: *Oportet semper orare & non deficere*, vi- Luc. xviii. 1. duæ cuiusdam proposito exemplo, quæ de suo adversario cupiens vindicari, iudicem iniquum sæpe interpellando flexit ad audiendum, non iustitia vel misericordia permotum, sed tædio superatum; ut hinc admoneremur, quam certius nos exaudiat misericors & iustus Dominus Deus sine intermissione orantes, quando illa nec ab iniquo & impio iudice potuit assidua interpellatione contemni: & quam libens, atque placatus bona desideria impleat eorum, a quibus aliena peccata novit ignosci, si quo cupiebat illa pervenit, quæ voluit vindicari. Ille quoque cui amicus de via venerat, nec quod ei Luc. xi. 5. apponeret habebat, ab amico sibi tres panes cupiens commodari... Iam cum suis servis dormientem petitor instantissimus, & molestissimus excitavit, ut daret ei quantos volebat, magis & ipse vitando tædium, quam benevolentiam cogitando: ut hinc intelligeremus, si dare cogitur qui, cum dormiat, a petente excitatur invitus, quanto det benignus, qui nec dormire novit, & dormientes nos excitat ut petamus.

Num. 16. Hinc est & illud: *Petite &* Ibid. 9. & *accipietis: quærite & invenietis: pulsate* seq.

Pars III. Sect. II. Cap. I. §. 2.

& aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & quærens invenit, & pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo, a quo filius suus panem petit, numquid lapidem porrigit ei? aut si piscem petit, numquid serpentem porrigit illi? aut si ovum petit, numquid porrigit ei scorpium? Si ergo vos cum sitis mali, noſtis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cælestis dabit bona petentibus se?.. Qui novit bona data dare filiis suis, petere nos & quærere & pulsare compellit.

Num. 17. Quod quare faciat, qui novit, quid nobis necessarium sit, prius quam petamus ab eo, movere animum potest, nisi intelligamus quod Dominus & Deus noster non voluntatem nostram sibi velit innotescere, quam non potest ignorare; sed exerceri in orationibus desiderium nostrum, quo possimus capere quod præparat dare. Illud enim valde magnum est, sed nos ad capiendum parvi & angusti sumus.

Cap. 9. *num.* 18. In ipsa ergo fide & spe & caritate continuato desiderio semper oramus. Sed ideo per certa intervalla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantumque in hoc desiderio profecerimus nobis ipsis innotescamus, & ad hoc augendum nos ipsos acrius excitemus. Dignior enim sequetur effectus, quem ferventior præcedit affectus. Ac per hoc, & quod ait Apostolus, *sine intermissione orate*, quid est aliud, quam beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderate? Semper ergo hanc a Domino Deo desideremus, & oremus semper. Sed ideo ab aliis curis atque negotiis quibus ipsum desiderium quodam modo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem revocamus, verbis orationis nos ipsos admonentes in id, quod desideramus, intendere, ne quod tepescere cœperat omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebrius inflammetur. Unde & illud quod idem Apostolus ait: *Postulationes vestræ innotescant apud Deum*, non sic accipiendum est, tamquam Deo innotescant, qui eas & antequam essent utique noverat, sed nobis innotescant apud Deum per tolerantiam, non apud homines per iactantiam. Aut forte etiam innotescant Angelis qui sunt apud Deum, ut quodam modo eas offerant Deo, & de his consulant, & quod eo iubente implendum esse cognoverint, sicut oportere ibi cognoverint, hoc nobis vel evidenter, vel latenter apportent. Dixit enim Angelus homini: *Et nunc quando orabas tu & Sara, ego obtuli orationem vestram in conspectu claritatis Dei.*

1. Thess. v. 16.

Philip. iv. 6.

Tob. xii. 12.

Cap. 10. *n.* 19. Quæ cum ita sint, etiam cum diu orare vacat, id est cum alia bonarum & necessariarum actionum non impediuntur officia, quamvis & in eis, ut dixi, desiderio illo semper orandum sit, non est improbum nec inutile. Neque enim, ut nonnulli putant, hoc est orare in multiloquio, si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam & de ipso Domino scriptum est, quod pernoctaverit in orando, & quod prolixius oraverit: ubi quid aliud quam nobis præbebat exemplum, in tempore precator opportunus, cum Patre exauditor æternus?

Luc. vi. 12.

Num. 20. Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, & raptim quodam modo iaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat atque hebetetur intentio. Ac per hoc etiam ipsi satis ostendunt, hanc intentionem, sicut non est obtundenda, si perdurare non potest, ita si perduraverit, non cito esse rumpendam. Absit enim ab oratione multa loquutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio. Nam multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis. Multum autem precari, est ad eum, quem precamur, diuturna & pia cordis excitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus, quam sermonibus agitur, plus fletu quam affatu. Ponit autem lacrimas nostras in conspectu suo, & gemitus noster non est absconditus ab eo, qui omnia per verbum condidit, & humana verba non quærit.

Cap. 11. & 12. *num.* 21. & 22. *Vide infra huiusce sect. cap.* 4. §. 1. *litt.* (B) *In his docet* nihil aliud a Deo esse petendum quam quod in oratione Dominica continetur.

Num. 23. Hæc (quæ oratione Dominica petere docemur,) & pro nobis; & pro nostris; & pro alienis, atque pro ipsis inimicis sine fluctu dubitationis

oranda sunt: quamvis alius pro isto, alius pro illo, sicut se habent propinquitates, vel longinquitates necessitudinum in corde orantis oriatur, aut excellat affectus. Qui autem dicit in oratione, verbi gratia; Domine multiplica divitias meas, aut da mihi tantas, quantas illi vel illi dedisti, aut honores meos auge, fac me in hoc seculo præpotentem atque clarentem, vel si quid huiusmodi est; & hæc dicit, eorum habens concupiscentiam, non id attendens, ut ex his secundum Deum prosit hominibus: puto eum non invenire in oratione Dominica, quo possit hæc vota coaptare. Quamobrem pudeat saltem petere quæ non pudet cupere; aut si & hoc pudet, sed cupiditas vincit, quanto melius hoc petitur, ut etiam ab isto cupiditatis malo liberet, cui dicimus *Libera nos a malo*.

Cap. 13. *num.* 24. Habes quantum arbitror, non solum qualis ores, verum etiam quid ores: non me docente, sed illo qui omnes nos docere dignatus est. Beata vita quærenda est, hæc a Domino Deo petenda est. Quid sit beatum esse, a multis multa sunt disputata, sed nos ad multos & ad multa ut quid imus? Breviter in scriptura Dei veraciterque

Ps. CXLIII. 15. dictum est: *Beatus populus cuius est Dominus Deus ipsius*. In ipso populo ut simus, atque ad eum contemplandum & cum eo sine fine vivendum pervenire

1. Tim. 1. 5. possimus: *Finis præcepti est caritas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta*. In eisdem tribus, pro conscientia bona spes posita est. Fides ergo & spes & caritas ad Deum perducunt orantem, hoc est credentem, sperantem, desiderantem, & quæ petat a Domino in Dominica oratione considerantem. Ieiunia, & ab aliis voluptatibus sine salutis neglectu carnalis concupiscentiæ refrenatio, maximeque eleemosynæ multum adiuvant orationem, ut possimus dicere;

Ps. LXXVI. 3. *In die tribulationis meæ, Deum exquisivi manibus meis, nocte coram eo, & non sum deceptus*. Quomodo enim Deus incorporalis & impalpabilis manibus exquiritur, nisi operibus exquiratur.

Cap. 14. *num.* 25. Adhuc est fortasse

Rom. VIII. 26 quod quæras, cur Apostolus dixerit: *Quid enim oremus, sicut oportet nescimus*. Neque enim ullo modo credendum est vel ipsum vel quibus ista dicebat, Dominicam nescisse orationem. Cur ergo putamus hoc eum dixisse, quod nec temere potuit, nec mendaciter dicere, nisi quia molestiæ tribulationesque temporales plerumque prosunt, vel ad sanandum tumorem superbiæ, vel ad probandam exercendamve patientiam, cui probatæ & exercitatæ clarior merces uberiorque servatur, vel ad quæcumque flagellanda, & abolenda peccata; tamen nos nescientes quid ista prosint, ab omni tribulatione optamus liberari? Ab hac ignorantia nec seipsum Apostolus ostendit alienum, nisi forte quid oraret sicut oportet sciebat, quando in revelationum magnitudine ne extolleretur datus est illi

2. Cor. XII. 7. stimulus carnis, angelus Satanæ qui eum colaphizaret, propter quod ter Dominum rogavit, ut eum auferret ab eo, utique sicut oportet nesciens quod oraret. Denique Dei responsum cur non fieret, quod vir tantus orabat, & quare fieri

Ibid. 9. non expediret, audivit: *Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur*.

Num. 26. In his ergo tribulationibus, quæ possunt & prodesse & nocere, quid oremus sicut oportet nescimus: & tamen quia dura, quia molesta, quia contra sensum nostræ infirmitatis sunt, universali humana voluntate, ut a nobis hæc auferantur, oramus. Sed hoc devotionis debemus Domino Deo nostro, ut si ea non abstulerit, non ideo nos ab eo negligi existimemus, sed potius pia patientia malorum bona speremus ampliora: sic enim virtus in infirmitate perficitur. Nonnullis quippe impatientibus Dominus Deus quod petebant concessit iratus, sicut contra

Num. XI. 33. Apostolo negavit propitius. Nam legimus Israelitæ quid & quomodo rogaverint & acceperint; sed expleta concupiscentia,

1. Reg. VIII. 7 impatientia est graviter castigata. Dedit & Regem petentibus secundum cor eorum, sicut scriptum est, non secundum

Iob. 1. 12. & 11. 6. cor suum. Dedit etiam quod diabolus postulavit, ut probandus eius famulus

Luc. VIII. 32. tentaretur. Exaudivit rogantes & immundos spiritus, ut in multos sues legio dæmonum mitteretur. Hæc scripta sunt, ne forte se quisque magnipendat, si fuerit exauditus, cum aliquid impatienter petit, quod non impetrare plus prosit; aut se abiiciat, & de divina erga se miseratione desperet, si non exaudiatur, cum forte aliquid petit, quo accipiendo affligatur atrocius, vel a prosperitate corruptus penitus evertatur. In talibus ergo quid oremus sicut oportet, nesci-

mus. Unde si aliquid contra quam ora-
Pars III. mus acciderit, patienter ferendo, & in
Sect. II. omnibus gratias agendo, hoc potius opor-
Cap. I. tuisse quod Dei, non quod nostra volun-
§. 2. tas habuit, minime dubitare debemus.
Nam & huiusmodi exemplum præbuit
nobis ille Mediator, qui cum dixisset:
Matth. xxvi. 39. *Pater, si fieri potest, transeat a me ca-
lix iste*, humanam in se voluntatem ex
hominis susceptione transformans, con-
tinuo subiecit: *Verum non quod ego vo-
lo, sed quod tu vis, Pater*. Unde non
Rom. v. 19. immerito per unius obedientiam iusti
constituuntur multi.

Num. 27. Quisquis autem illam unam
Ps. xxvi. 4. petit a Domino & hanc requirit, cer-
tus ac securus petit, nec timet ne for-
te obsit cum acceperit, sine qua nihil
prodest quidquid aliud orando sicut
oportet acceperit. Ipsa est enim una
vera & sola beata vita, ut contemple-
mur Domini delectationem in æternum,
immortales atque incorruptibiles corpo-
re & spiritu. Propter hanc unam cete-
ra requiruntur, & non indecenter pe-
tuntur. Istam quisquis habuerit, omnia
quæ vult habebit, nec aliquid ibi velle
habere poterit, quod non decebit. Ibi
quippe est fons vitæ, quem sitire nunc
oportet in oratione, quamdiu in spe vi-
vimus, & quod speramus nondum vide-
mus, in protectione alarum eius, ante
quem est omne desiderium nostrum, ut
Ps. xxxv. 9. inebriemur ab ubertate domus eius, &
torrente voluptatis eius potemur: quo-
niam apud eum est fons vitæ, & in lu-
mine eius videbimus lumen: quando sa-
tiabitur in bonis desiderium nostrum:
& nihil erit ultra quod gemendo quæ-
ramus, sed quod gaudendo teneamus.
Verumtamen quia ipsa est pax quæ præ-
cellit omnem intellectum, etiam ipsam
in oratione poscendo, quid oremus sic-
ut oportet nescimus. Quod enim sicuti
est cogitare non possumus, utique ne-
scimus, sed quidquid cogitanti occurrerit,
abiicimus, respuimus, improbamus, non
hoc esse quod quærimus novimus, quam-
vis illud nondum quale sit, noverimus.

Cap. 15. *num.* 28. Est ergo in nobis
quædam, ut ita dicam, docta ignoran-
tia, sed docta Spiritu Dei, qui adiuvat
infirmitatem nostram. Nam cum dixis-
Rom. viii. 25 & seq. set Apostolus: *Si autem quod non vide-
mus speramus, per patientiam exspecta-
mus*, ibi subiecit: *Similiter & spiritus
adiuvat infirmitatem nostram. Quid enim
oremus sicut oportet nescimus: sed ipse
Spiritus interpellat pro nobis gemitibus
inenarrabilibus: qui autem scrutatur cor-
da, scit quid spiritus sapiat, quia se-
cundum Deum interpellat pro sanctis*.
Quod non sic est intelligendum, ut exi-
stimemus sanctum Spiritum Dei, qui in
Trinitate incommutabilis Deus est, &
cum Patre & Filio unus Deus, tamquam
aliquem qui non sit quod Deus est in-
terpellare pro sanctis. Dictum quippe
est, *interpellat pro sanctis*, quia inter-
pellare sanctos facit, sicut dictum est:
Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat Deut. xiii. 3.
si diligatis eum, hoc est ut scire vos fa-
ciat. Interpellare itaque sanctos facit
gemitibus inenarrabilibus, inspirans eis
desiderium etiam adhuc incognitæ tantæ
rei, quam per patientiam exspectamus,
Quomodo enim narratur, quando desi-
deratur, quod ignoratur? nam utique si
omni modo ignoraretur, non desiderare-
tur; & rursus, si videretur, non deside-
raretur, nec gemitibus quæreretur.

Cap. 16. *num.* 29..... Concerta in ora-
tione vincere hoc seculum, ora in spe
ora fideliter & amanter, ora instanter,
atque patienter, ora sicut vidua Christi.
Quamvis enim ad omnia membra eius,
hoc est ad omnes qui in eum credunt,
& eius corpori sociantur, sicut docuit,
orare pertineat, specialiter tamen dili-
gentior cura orationum in Scripturis eius
viduis invenitur iniuncta. Nam duæ fue-
runt Annæ honorabiliter nominatæ, una 1. Reg. i. 2.
coniugata, quæ sanctum Samuelem pe-
perit, alia vidua, quæ Sanctum Sancto- Luc. ii. 36.
rum, cum adhuc infans esset, agnovit.
Oravit & coniugata in dolore animi &
afflictione cordis, quia filios non habe-
bat; tunc ipsum Samuelem impetravit, 1. Reg. i. 10.
& acceptum Deo reddidit, quia cum po-
sceret, vovit. Sed oratio eius, quomo-
do ad orationem illam Dominicam per-
tineat, non facile reperitur, nisi quia
in eo quod ibi positum est, *Libera nos* Matth. vi. 13.
a malo, non parvum malum videbatur,
& nuptam esse, & fructu carere nuptia-
rum, cum sola excuset nuptias procre-
andorum causa filiorum. De illa vero
Anna vidua vide quid scriptum sit: *Quia* Luc. ii. 37.
*non discedebat de templo, ieiuniis & ob-
secrationibus serviens nocte ac die*. Nec
aliunde Apostolus..... *Quæ autem vere* 1. Tim. v. 5.
vidua est, inquit, *& desolata, speravit
in Domino & persistit in orationibus no-
cte, ac die*. Et Dominus cum semper ad

Digitized by Google

I. Quid exemplo suo docuit nos Christus circa necessitatem orationis?

R. Quanta sit orationis necessitas, non verbis solum Christus sed & exemplo nos docuit: ipse enim maximam vitæ partem agebat in oratione. *Erat* sæpius *pernoctans in oratione Dei*. Non agebat quidquam, non suscipiebat quidquam nisi præmissa oratione. Oravit in templo (C). Oravit in deserto (D). Pars III. Sect. II. Cap. I. § 2 Luc. vi. 12.

---

orandum & non deficiendum nos hortaretur, viduam commemoravit, quæ licet iniquum & impium iudicem, ac Dei & hominum contemptorem, ad audiendam caussam suam assidue interpellando convertit. Quam ergo præ ceteris viduæ debent vacare orationibus, satis hinc intelligi potest, quod omnibus ad suscipiendum orandi stadium de viduis propositum est exhortationis exemplum. Luc. xviii. 1.

Num. 30. Quid autem in hoc operis genere in viduis electum est, nisi destitutio & desolatio? Quapropter si se omnis anima intelligit in hoc seculo destitutam atque desolatam quamdiu peregrinatur a Domino, profecto quamdam viduitatem suam Deo defensori assidua & impensissima precatione commendat. Ora ergo ut vidua Christi, nondum habens eius conspectum, cuius precaris auxilium. Et licet sis ditissima, sicut pauper ora. Nondum enim veras futuri seculi divitias habes, ubi nulla damna formides. Licet habeas filios & nepotes numerosamque familiam...., sicut desolata ora: incerta sunt enim omnia temporalia; etiam usque in finem vitæ huius in nostram consolationem mansura. Tu autem si ea quæ sursum sunt quæris & sapis, æterna & certa desideras, quæ quamdiu nondum habes, etiam salvis omnibus, atque obsequentibus tuis, tamquam desolatam deputare te debes. Et si tu, profecto etiam tuo exemplo religiosissima nurus tua, & aliæ sanctæ viduæ virginesque sub vestra cura securius constitutæ: quanto enim magis domum vestram pie tractatis, tanto impensius orationibus instare debetis, rerum præsentium non occupatæ negotiis, nisi quæ flagitat caussa pietatis. Coloss. iii. 1.

Num. 31. Sane memineritis & pro nobis non negligenter orare. Nolumus enim sic nobis honorem quem periculosum gerimus deferatis, ut adiutorium, quod necessarium novimus, auferatis. A familia Christi oratum est pro Petro, oratum est pro Paullo; & vos in eius familia esse gaudemus, & incomparabiliter plus quam Petrus & Paullus orationum fraternarum auxiliis indigemus. Orate certatim concordi sanctoque certamine: non enim adversus alterutrum certatis, sed adversus diabolum sanctis omnibus inimicum. In ieiuniis & vigiliis & omni castigatione corporis quam plurimum adiuvatur oratio. Faciat quæque vestrum quod poterit. Quod altera minus potest, in ea quæ potest facit, si in altera diligit, quod ideo quia non potest, ipsa non facit: proinde quæ minus valet, non impediat plus valentem, & quæ plus valet, non urgeat minus valentem. Conscientiam quippe vestram Deo debetis: nemini autem vestrum aliquid debeatis, nisi ut invicem diligatis. Exaudiat te Dominus qui potens est facere supra quam petimus aut intelligimus. Act. xii. 7. Tob. xii. 8.

(C) *Evangelistæ omnes Christum in templo docentem turbas toties inducunt, ut pene vitam in illo ipsum transegisse diceres. Hinc.* Luc. xix. 47. Et erat docens quotidie in templo. *Et Christus ipse ad Iudæos qui eum in horto comprehenderunt, ait* Matth. xxvi. 55. Quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis. Marc. xiv. 49. Luc. xxii. 53.

Et Ioan. xviii 20. Ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conveniunt. *At Synagogas uti & templum maxime ad orationem destinatas fuisse nemo nescit.*

(D) Marc. i. 35. Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat.

Luc. v. 16. Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.

ix. 12.... Hic in loco deserto sumus... Et factum est, cum solus esset orans, &c.

Pars III. Sect. II. Cap. I. §. 2.

Oravit in montibus (E). Oravit privatis in domibus (F). Oravit ante Discipulorum electionem (G). Oravit ante quælibet miracula (H). Oravit post Baptismum, oravit ante Transfigurationem (I). Oravit in horto (K). Ubi, quando non oravit?

I. Cur ais ex nostra inopia sequi necessitatem orationis?

R. Non enim possumus a nobis quidquam quasi a nobis: omnis nostra sufficientia ex Deo est. Omnia nobis a Deo per Christum. *Ex plenitudine* Christi *omnes accepimus*. At quidquid accipimus a Deo per Christum, id sola oratio impetrat (L).

2.Cor.III.5. Ioan. I. 16.

Sacramenta sunt quidem instrumenta gratiæ Dei, quia per Sacramenta gratiam Dei recipimus: sed ipsa Sacramentorum administratio adiunctam habet orationem, & quædam ex eis sola oratione perficiuntur. Adde quod ipsa Sacramentorum susceptio gratia est quædam, quam sola oratio impetrat.

(E) Matth. xiv. 23. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi.

Luc. vi. 12. *Vide infra hocce §. litt.* (G) *&* ix. 28. *ibid. litt.* (I)

(F) Matth. xix. 13. Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret.

Luc. xi. 1. Et factum est, cum esset in quodam loco orans, &c.

At his omissis, num verisimile est Christum, qui ante cœpit facere *quam* docere, *ut ait* Luc. Act. i. 1. *numquam clauso cubiculi ostio orasse, cum* Matth. vi. 6. *id expresse Discipulis suis præceperit, his verbis:* Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, &c.

(G) Luc. vi. 12. Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocavit Discipulos suos: & elegit duodecim ex ipsis.

(H) Matth. xiv. 19... Acceptis quinque panibus & duobus piscibus, aspiciens in cælum benedixit, &c.

Marc. vi. 41. Luc. ix. 16.

Et Ioan. vi. 11. Accepit ergo Iesus panes: & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus, &c.

Marc. vii. 32. Et adducunt ei surdum & mutum..... Et suspiciens in cælum, ingemuit.

Matth. xxvi. 26. Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit.... Et accipiens calicem gratias egit.

Marc. xiv. 22. 23. Luc. xxii. 19.

(I) Luc. iii. 21.... Et Iesu baptizato & orante apertum est cælum.

ix. 28.... Assumpsit Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & ascendit in montem ut oraret. Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera.

Ioan. xvii. 1. Hæc loquutus est Iesus: & sublevatis oculis in cælum, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te, &c.

(K) Matth. xxvi. 30 Et Hymno dicto, exierunt in montem Oliveti... Venit Iesus... in villam quæ dicitur Gethsemani, & dixit Discipulis suis: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem... Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans, &c.... Iterum secundo abiit, & oravit... Iterum abiit, & oravit tertio, eumdem sermonem dicens.

Eadem leges, Marc. xiv. 32. *& seq.*

Luc. xxii. 39. Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem olivarum. Sequuti sunt autem illum & discipuli. Et cum pervenisset ad locum, dixit illis: Orate ne intretis in tentationem. Et ipse avulsus est ab eis quantum iactus est lapidis: & positis genibus orabat, dicens: Pater si vis, transfer calicem istum a me; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

(L) Ioan. vi. 66.... Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. I. §. 2.

Sola, inquam, oratio Dei gratias impetrat; nec iam ullæ conceduntur nisi orationibus. Quod quidem ut evidentius & fusius pateat, adverte Christum, ut diximus, esse omnium erga nos Dei beneficiorum fontem. De plenitudine eius omnes
Ioan. I. 16. & III. 16. accepimus. *Ut filium suum unigenitum daret* nobis Deus, fecit qui-
1. Ioan. IV. 19. dem sola Dei erga nos dilectio. *Ipse prior dilexit nos*, nec opinantes quidem statuit per Christum reconciliare sibi. Nec tamen voluit Christum dare priusquam hominum vota & orationes diu præcessissent. Voluit homines experiri diu quæ esset generis humani miseria, ut ipsa tantæ miseriæ experientia doceret eos ad Deum clamare de profundo. Venit tandem tamdiu exspectatus mediator hominum Deus & homo Christus Iesus, Ecclesiamque oratione, & fuso sanguine formavit. Nec ullam iam dat ulli gratiam, quæ prosit ad salutem, nisi hanc impetraverit oratio Ecclesiæ, & membrorum eius. Qui nondum ergo iustificati sunt per Christum, non iustificantur, nisi ipsis iustificationis gratiam impetraverit Ecclesia cum membris suis orans. Qui iam iustificati sunt, non nisi iunctis cum Ecclesia precibus impetrant sibi augmentum gratiæ, & perseverantiæ donum, & præmium vitæ æternæ. Nec quidquam habent orationes illæ meriti nisi per Christum, eiusque sanguinis efficaciam. Quanta sit orationis necessitas hoc uno maxime patet, etiamsi alia momenta deessent. Hoc autem ex S. Augustini scriptis sumpsimus (M).

---

xv. 5..... Sine me nihil potestis facere.

xvi. 23.... Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

(M) Nicola, Traitè de l'unitè de l'Eglise contre M. Iurieu livre 3. chap. 14. Certum est, remissionem peccatorum, quam Deus animabus dat vel in Baptismo, vel in pœnitentia, duabus semper rebus copulatam esse, sine quibus remissio quidquam non operatur.

Ac prima quidem in precibus iustorum a S. Spiritu animatorum consistit, qui ineffabilibus gemitibus, quos S. Spiritus in eorum cordibus format, efficaciter a Deo peccatorum iustificationem obtinent: quod *gemitum Columbæ* D. Augustinus appellat.

Altera est Pastorum ministerium, qui utpote Dei Ministri hanc peccatorum remissionem per Sacramentorum Baptismi vel Pœnitentiæ administrationem conferunt, auctoritateque sua, quod Ecclesia obtinuit, dispensant.

Concursus harum duarum caussarum imaginem sensibilem refert id quod legitur in libro Esther de Iudæorum liberatione, quos Aman malitia ab Rege Assuero morti adiudicari fecerat.

Oportuit itaque ut Regina Esther eorum liberationem precibus impetraret, iuxta promissum, quo se Assuerus ad concedendum quidquid peteret, obstrinxerat, licet Regni dimidium postularet.

Per has igitur preces Assuerus Iudæos liberos esse voluit publico ac sollemni edicto, quod in Libro Esther descriptum est.

Verum ut edictum executioni mandaretur, necesse fuit, ut Provinciarum Rectores suam quoque præstarent operam, Iudæisque opitularentur, iuxta id quod ab Edicto ipsis præscriptum erat.

Ecce imago efficaciæ precum Ecclesiæ, & Pastorum ministerii, supremæque Dei auctoritatis in remissione peccatorum.

Actio S. Spiritus, qui peccata remittit, iuncta est eodem tempore & pastorum ministerio, qui remissionem Dei auctoritate impartiuntur, & Ecclesiæ precibus, quæ obtinet; atque hinc duo dissimiles modi explicandi claves Ecclesiæ.

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. I. §. 2.

I. Cur asseris necessitatem orationis fundamentum habere in supremo Dei erga nos dominio & imperio?

R. Quia ex hoc supremo imperio sequitur necessitas adorationis, laudis, gratiarum actionis, oblationis sacrificii, petitionis: nostri non
Ps. xv. 2. eget Deus. *Dixi Domino. Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. Nos vero egemus
Ps 99. 3. ipsius: *quia ipse fecit nos & non*
Iacob. v. 12. *ipsi nos*: &: *ipse potest perdere nos*:
Sap. vii. 16. &: *in manu eius sumus omnes nos*, sicut vasa in manu figuli.

I. Cur tandem ex infinitis Dei erga nos beneficiis sequi prædicas orationis necessitatem?

R. Quia hinc sequitur necessitas & gratiarum actionis, & laudis, & adorationis, & oblationis, immo & petitionis ut nova impetrentur. Quæ omnia per se patent.

I. Quænam illa sunt Dei erga nos beneficia?

R. Tot & tanta sunt, ut ea ne cogitatione quidem adsequi liceat, nedum enumerare. Ut tamen ea quantum in nobis est obiiciamus animo, iuvat ea ad tria capita revocare; nimirum ad ea quæ generalia sunt, ad ea quæ specialia, & ad ea quæ personalia.

Generalia dicuntur ea quæ ad omnes omnino homines spectant, qualia sunt creatio, mors Christi, &c.

Specialia, quæ non ad omnes, sed vel ad solos Christianos pertinent, vel non ab omnibus, sed a quibusdam solum recipiuntur, verbi gratia, Sacramentorum susceptio, iustificatio, Evangelii prædicatio, &c.
Licet enim pro omnibus mortuus Concil. Trid.
sit Christus, non omnes tamen iustificantur, non omnes sacramenta
suscipiunt, *non omnium est fides*, 2. Thess. iii. 2.
non omnes audiunt verbum Dei.

Personalia, ea sunt quæ singuli Deo miserante recipiunt ad salutem: verbi gratia, si quis pie & Christiane institutus est, si perve-

---

Ceteri siquidem Patres, ut D Hilarius (*Can.* 15. *in Matth*) S. Ambrosius (*l.* 1. *de Pœnitent. c.* 2.) S. Chrysostomus (*l.* 1. *de Sacerd.*) S. Gregorius Magnus (*homil.* 86. *in Evang.*) cum tantummodo advertissent, ministerialem Pastorum actionem, Divina auctoritate factam, in animabus bene dispositis semper remissionem peccatorum sequi, & de Ecclesiæ precibus, quibus hæc remissio obtinetur, minime cogitarent, potestatem ligandi & solvendi solis Pastoribus tribuerunt, deque necessitate precum Ecclesiæ ne verbum quidem fecerunt; quia revera ministerium & clavium dispensatio ad solos Pastores spectat.

. . . . Verum id minime prohibet, quominus si ex adverso pensemus nullam in Ecclesia dari gratiam, quæ ipsius precibus non obtineatur; ab ipsa Dei misericordiam flecti, qui singulos homines precibus fidelium omnium salvari sanxit, quominus, inquam, dicamus ab Ecclesia remissionem dari peccatorum, quia ab ipsa hæc remissio efficaciter obtinetur, & sine ipsa minime datur. Atque ita claves Ecclesiæ commode explicari possunt de precibus intensis vivi corporis Ecclesiæ a Spiritu Sancto animatæ.

Quemadmodum enim satis apposite loquimur, cum dicimus, precibus Esther Hebræos liberatos esse, resurrectionem filii Viduæ Naim matris afflictioni, qua Iesus Christus motus est, acceptam referri debere, Marthamque & Mariam Lazari resurrectionem precibus impetrasse: ita firmissima, sanctissima, optimique exempli veritas est, peccatores omnes dæmonis iugum excutere vivorum Ecclesiæ membrorum precibus. . .

Digitized by Google

nit ad veritatis cognitionem, si peccato solutus est, si temporalibus flagellis & castigationibus probatus, si quidquid præ cupiditate expetit, id Deo miserante denegetur, &c. Uno verbo, quidquid habemus, a Deo est: nihil est quod non possit ad salutem conferre. Ut autem quidquid id est ad salutem conferat, hoc Dei beneficio fit. Agendæ ergo gratiæ Deo de omnibus. Petendum a Deo ut bene utamur donis eius. *Benedicam Dominum in omni tempore*, inquit Propheta, *semper laus eius in ore meo* (N).

Ps. xxxiii. 1.

I. Quinam orare debent?

R. Quicumque gaudent rationis usu. Omnes ad vitam æternam vocantur: omnes ergo debent hoc agere, ut ad vitam æternam perveniant; quod quidem sine oratione fieri nequit.

§. 3. *Quis orandus. Pro quibus orandum.*

I. Quis orandus?

R. 1. Solus Deus orandus, ut fons & origo bonorum omnium.

2. Solus Christus orandus, ut mediator Deum inter & homines.

3. Beatam Virginem Deiparam, sanctos Angelos ceterosque omnes cum Christo regnantes & licet & maxime expedit invocare, ut nostros apud Christum intercessores (A).

I. Pro quibus orandum?

R. Debet unusquisque orare primum pro se ipso, deinde pro proximo: hoc enim sequitur ex præcepto caritatis erga proximum: *Orate pro invicem ut salvemini*, inquit Iacobus Apostolus; *multum enim valet deprecatio iusti assidua*.

Iacob. v. 16.

Itaque orandum pro omnibus hominibus, pro Pastoribus, pro Regibus ceterisque omnibus qui in sublimitate sunt, pro Magistratibus, pro genere propinquis, pro amicis, pro inimicis, pro iustis & peccatoribus; immo & pro hæreticis & infidelibus (B).

(N) I. Thessal. v. 17. Sine intermissione orate. In omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu, in omnibus vobis.

(A) Concil. Trident. Sess. 25. *De invocatione Sanct. (Episcopi, & docendi munus sustinentes)* fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare; & ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere; illos vero, qui negant Sanctos æterna felicitate in cælo fruentes invocandos esse, aut qui asserunt vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius Mediatoris Dei & hominum Iesu Christi, vel stultum esse in cælo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire.

De invocatione Sanctorum vide quæ diximus supra huiusce operis parte 2. sect. 3. cap. 2. §. 3.

(B) Baruch. I. 11. Orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonis, & pro vita Baltassar filii eius, ut sint dies eorum sicut dies cæli super terram; & ut det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos nostros, ut vivamus sub umbra Nabuchodonosor Regis Babylonis, & sub umbra Baltassar filii eius, & serviamus eis multis diebus, & inveniamus gra-

Digitized by Google

tiam in conspectu eorum. Et pro nobis ipsis orate ad Dominum Deum nostrum: quia peccavimus Domino Deo nostro, & non est aversus furor eius a nobis usque in hunc diem.

I. Macchab xii. 11. Nos ergo in omni tempore sine intermissione in diebus sollemnibus, & ceteris quibus oportet, memores sumus vestri in sacrificiis quæ offerimus, & in observationibus, sicut fas est & decet meminisse fratrum.

Matth. v. 44. Orate pro persequentibus & calumniantibus vos; ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est.

Act. xii. 5. Et Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.

Coloss. iv. 3. Orantes simul & pro nobis, ut Deus adaperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi.

I. Thessal. v. 25. Fratres orate pro nobis.

I. Timoth. ii. 1. Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Tertull. *Apolog. Cap.* 30. Nos pro salute Imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum... De pectore oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis & Cæsaris vota sunt. Hæc ab alio rogare non possum, quam a quo scio me consequuturum; quoniam & ipse est qui solus præstat.

Cap. 31. Hoc agite boni Præsides, extorquete animam Deo supplicantem pro Imperatore. Adulati nunc sumus Imperatori, & mentiti vota quæ diximus ad evadendam scilicet vim. Plane proficit ista fallacia. Admittis nos enim probare quodcumque defendimus. Qui ergo putas nihil nos de salute Cæsarum curare, inspice Dei voces, litteras nostras, quas neque ipsi supprimimus, & plerique casus ad extraneos transferunt. Scito ex illis præceptum esse nobis, ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare, & persecutoribus nostris bona precari. Qui magis inimici & persecutores Christianorum, quam de quorum maiestate convenimur in crimen? Sed etiam nominatim atque manifeste: *Orate*, inquit, *pro Regibus & pro Principibus, & Potestatibus, ut omnia tranquilla sint vobis*. Cum enim concutitur imperium, concussis etiam ceteris membris eius; utique & nos licet extranei a turbis, in aliquo loco casus invenimur.

Cap. 39... Oramus etiam pro Imperatoribus, pro Ministris eorum, ac Potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis.

Lib. ad Scapulam Cap. 2. Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris: quem sciens a Deo suo constitui, necesse est ut & ipsum diligat, & revereatur & honoret, & salvum velit cum toto Romano Imperio, quousque seculum stabit: tamdiu enim stabit. Colimus ergo & Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum, & quidquid est a Deo consequutum, & solo Deo minorem. Hoc & ipse volet. Sic enim omnibus maior est, dum solo vero Deo minor est. Sic & ipsis diis maior est, dum & ipsi in potestate sua sunt. Itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius, & quomodo præcepit Deus, pura prece. Non enim eget Deus, conditor universitatis, odoris aut sanguinis alicuius. Hæc enim dæmoniorum pabula sunt. Dæmones autem non tantum respuimus, verum & revincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus, sicut plurimis notum est. Ita nos magis oramus pro salute Imperatoris, ab eo eam postulantes, qui præstare potest.

S. August. *Epist.* 130. *alias* 121. *ad Probam cap.* 12. *n.* 23. *Vide supra huiusce capitis §.* 2. *litt* (B)

Epist. 217. *alias* 107. *ad Vitalem c.* 1. *n.* 1. Cum de te mihi essent nuntiata non bona, & rogavi Dominum, & donec mihi bona nuntientur, adhuc rogo ut litteras meas nec aspernanter sumas, & salubriter legas. Si hanc exaudit pro te orationem meam, etiam de te gratiarum actionem donat ut offeram. Quod si impetro, proculdubio non contradices huic ipsi principio Epistolæ meæ. Hoc enim pro te oro, ut sis rectæ fidei. Si hoc ergo

I. Licetne commendare se orationibus fidelium?

R. Et licet & maxime iuvat. Id patet exemplo iustorum utriusque Testamenti, & ipsorum Apostolorum (C).

PARS III. SECT. II. CAP. I. §. 2.

pro caris nostris non tibi displicet ut oremus, si hanc orationem recognoscis esse Christianam, si & tu pro caris tuis talia vel orare te recolis, vel orare te debere cognoscis; quomodo dicis quod te audio dicere, *ut recte credamus in Deum, & Evangelio consentiamus, non esse donum Dei, sed hoc nobis esse a nobis, id est, ex propria voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est ipse?*

Num. 2. Dic ergo apertissime nos pro iis, quibus Evangelium prædicamus, non debere orare ut credant, sed eis tantummodo prædicare. Exsere contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas, & quando audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, orare pro incredulis ut eos Deus convertat ad fidem, & pro catechumenis ut eis desiderium regenerationis inspiret, & pro fidelibus ut in eo quod esse cœperunt, eius munere perseverent, subsanna pias voces, & dic te non facere quod hortatur, id est Deum pro infidelibus, ut eos fideles faciat, non rogare, eo quod non sint ista divinæ miserationis beneficia, sed humanæ officia voluntatis.

Cap. 2. *num.* 6. . . . . Lege expositorem eius beatissimum Cyprianum, & quemadmodum exposuerit quod ibi dicitur: *Fiat* Matth. VI. 10. *voluntas tua, sicut in cælo & in terra*, diligenter adtende, & obedienter intellige: profecto docebit te orare pro infidelibus inimicis Ecclesiæ, secundum præceptum Domini dicentis: *Orate pro ini-* Matth. V. 44. *micis vestris*: & hoc orate, ut fiat voluntas Dei, sicut in eis qui iam fideles sunt . . . Nempe isti, pro quibus inimicis Dominus nos iussit orare, & gloriosissimus Martyr sic exposuit, quod in oratione dicimus: *Fiat voluntas tua, sicut* Matth. VI. 10. *in cælo & in terra*, ut ipsis etiam poscamus fidem, quam fideles habent.

Cap. 4. *num.* 13. Oramus ut voluntas corrigatur, doctrinæ consentiatur, natura sanetur.

Num. 14. Iam vero ut perseverent in eo quod esse cœperunt, etiam pro se ipsis orant fideles.

Enarrat. seu serm. 4. *in Ps.* XXX. *vers.* 16. *num.* 2. *Erue me de manibus inimicorum meorum & a persequentibus me.* Dicamus hoc, & unusquisque de inimicis suis dicat hoc. Bonum est enim, & orare debemus ut nos Deus eruat de manibus inimicorum nostrorum. Sed intelligendi sunt inimici, pro quibus orandum sit, & contra quos orandum sit. Inimici homines, qualescumque fuerint, non sunt odio habendi; ne cum odit malus quem patitur malum, sint duo mali. Diligat bonus & quem patitur malum, ut vel unus sit malus. Illi inimici sunt contra quos orandum est, diabolus & Angeli eius; ipsi nobis invident regnum cælorum, ipsi nolunt ut ascendamus, unde illi deiecti sunt; ab his oremus erui animam nostram. Nam & quando adversum nos homines incitantur, vasa ipsorum fiunt.

(C) I. REG. VII 8. Dixeruntque (Iudæi) ad Samuelem: ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum. Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino, & clamavit Samuel ad Dominum pro Israel, & exaudivit eum Dominus.

IUDITH VIII. 28. Dixerunt illi (Iudith) Ozias & Presbyteri . . . Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, & timens Deum. Et dixit illis Iudith: Sicut quod potui loqui, Dei esse cognoscitis: Ita quod facere disposui, probate si ex Deo est, & orate, ut firmum faciat Deus consilium meum. Stabitis vos ad portam nocte ista, & ego exeam cum Abra mea, & orate, ut sicut dixistis, in diebus quinque respiciat Dominus populum suum Israel. Vos autem nolo ut scrutemini actum meum, & usque dum renuntiem vobis, nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum.

ESTHER IV. 16. Vade & congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, & orate pro me.

2. THESSAL. III. 1. De cetero fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat, &

I. Impetrantne iusti quidquid supplices a Deo petunt pro aliis?

R. Nullus quidem peccator ad Deum convertitur, nisi per gratiam, quam iusti per Christum suis apud Deum precibus impetrant. Sed non omnes iustorum orationes fusæ pro ceteris exaudiuntur. Iusti enim orant pro salute omnium, ut præcepit Apostolus: nec tamen omnes salvantur. Horum Deus miseretur: hos iuste punit, quidquid agant iusti pro eorum salute impetranda (D).

I. Quid petere licet pro ceteris?

---

clarificetur, sicut & apud vos: Et ut liberemur ab importunis, & malis hominibus: non enim omnium est fides.

Philem. 4 Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis.

Hebr. xiii. 18 Orate pro nobis.

Iacob. v. 16. Orate pro invicem ut salvemini.

S. Ignatius *Epist. ad Romanos*. Pro me petite ut consequar. Memores estote in vestris precibus Ecclesiæ Syriæ, quæ mei loco Deo pastore utitur.

(D) Eccles. vii. 14. Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.

1. Ioan. v. 16. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.

S. Ambrosius *lib. 1. de pœnit. c. 9. alias* 8. *num.* 40. Sed dicitis: Scriptum est: *Si peccaverit homo in hominem, orabunt pro eo ad Dominum: si autem in Dominum peccaverit homo, quis orabit pro eo?* Primum... tunc te ista pateret obiicere, si solis prævaricantibus non relaxares pœnitentiam. Tamen quid scrupuli ista adfert quæstio? Non enim scriptum est: Nullus orabit pro eo: sed, *Quis orabit*, hoc est, quis ille sit, qui in tali caussa orare possit, quæritur, non excluditur. (1. Reg. ii. 25.)

Num. 42. Similiter igitur accipiendum est: *Quis orabit pro eo?* hoc est, singularis vitæ aliquis debet orare pro eo, qui peccavit in Dominum. Quo maior culpa, eo maiora sunt quærenda suffragia. Non enim quicumque de vulgo pro Iudæorum populo, sed Moyses rogavit, quando vituli caput fidei immemores adoraverunt: (Exod. xxxii. 31.) Numquid erravit Moyses? Atqui non erravit, qui quod rogavit, & meruit, & impetravit. Quid enim talis affectus non impetraret, quando se obiecit pro populo, dicens: *Et nunc si dimittis illis peccatum, dimitte: sin autem, dele me de libro vitæ?* (Ibid. 32.) Vides quia non tamquam deliciosus intercessor, & fastidii plenus sibi consulat, ne offensionem contrahat, quod Novatianus metuere se dicit: sed magis omnium memor, sui immemor, offendere non timebat ipse, ut plebem ab offensionis periculo exueret & liberaret.

Num. 43 Merito ergo scriptum est: *Quis orabit pro eo?* hoc est, talis qualis Moyses qui se offerat pro peccantibus: talis qualis Ieremias, cui Prophetæ cum esset dictum a Domino Deo nostro: *Noli orare pro populo isto*: tamen oravit, (Ier. vii. 16.) & veniam meruit. Denique intercessione prophetica, & obsecratione tanti Vatis inflexus Dominus dicit ad Ierusalem; quoniam ea quoque pœnitentiam pro delictis egerat, dicens: *Domine omnipotens, Deus Israel, anima in angustiis, & spiritus anxius clamat ad te: audi Domine, & miserere.* (Baruch. iii. 1. & 2.) Et iubet luctus vestimenta deponi, & abiici gemitus pœnitentiæ; sic enim scriptum est in fine libri: *Exue te, Ierusalem, stola luctus & vexationis tuæ, & indue te decorem eius, quæ a Deo data est tibi gloria in æternum.* (Ibid. v. 1.)

Cap. 10. *alias* 9. *num.* 44. Tales igitur deprecatores in delictis maximis sunt requirendi; nam si quicumque de populo orent, non exaudiuntur.

S. August. *Tract.* 102 *in Ioan. num.* 1. Domini verba nunc ista tractanda sunt: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* (Ioan. xvi. 23.) Iam dictum est... propter eos qui nonnulla petunt a Patre in Christi nomine, nec accipiunt, non peti in nomine Salvatoris quidquid petitur contra rationem salutis. Non enim sonum litterarum ac syllabarum, sed quod sonus ipse significat, & quod eo sono recte ac veraciter intelligitur, hoc accipiendus est dicere cum dicit, *in nomine meo*. Unde qui hoc

Digitized by Google

R. Quidquid possumus & debemus pro nobis petere. Hoc est vitam æternam, & quidquid ad vitam æternam conducit. De his agemus infra fusius.

Huiusce capit §. 6.

I. Licetne orare pro mortuis?

2. Macc. xii. 46.

R. Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, inquit Spiritus Sanctus in libro secundo Macchabæorum. Id ipsum ex perpetuo usu Ecclesiæ & certissima traditione constat (E).

I. Pro quibus mortuis orandum?

R. Pro iis solum quos credibile est forsan igne purgatorio detineri. Sancti cum Christo regnantes nostris precibus nequaquam indigent. Nec prodesset orare pro damnatis: His enim iam nulla spes salutis affulget (F).

I. Quid orandum pro mortuis?

R. Ut Deus illis locum refrigerii, lucis & pacis benignus indulgeat.

---

sentit de Christo, quod non est de unico Dei Filio sentiendum, non petit in eius nomine, etiamsi non taceat litteris ac syllabis Christum: quoniam in eius nomine petit, quem cogitat cum petit. Qui vero quod est de illo sentiendum sentit, ipse in eius nomine petit, & accipit quod petit, si non contra suam salutem sempiternam petit. Accipit autem quando debet accipere. Quædam enim non negantur, sed ut congrue dentur tempore differuntur. Ita sane intelligendum est quod ait, *dabit vobis*, ut ea beneficii significata sciantur his verbis, quæ ad eos qui petunt proprie pertinent. Exaudiuntur quippe omnes sancti pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis, vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis: quia non utcumque dictum est, *dabit*, sed *dabit vobis*.

Joan. xvi. 24.

Num. 2. *Usque modo*, inquit, *non petistis quidquam in nomine meo, petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum*. Hoc quod dicit gaudium plenum, profecto non carnale sed spiritale gaudium est: & quando tantum erit, ut aliquid ei iam non sit addendum, proculdubio tunc erit plenum. Quidquid ergo petitur quod pertineat ad hoc gaudium consequendum, hoc est in nomine Christi petendum, si divinam intelligimus gratiam, si vere beatam poscimus vitam. Quidquid autem aliud petitur, nihil petitur: non quia nulla omnino res est, sed quia in tantæ rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est... Etiam sic ergo recte intelligi potest: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis:* ut hoc quod ait, *si quid*, non quodlibet intelligatur, sed aliquid, quod non in beatæ vitæ comparatione sit nihil. Et quod sequitur, *usque modo non petistis quidquam in nomine meo*, duobus modis intelligi potest, vel quia non in nomine meo petistis, quod nomen non sicut cognoscendum est cognovistis: vel non petistis quidquam, quoniam in comparatione rei quam petere debuistis, pro nihilo habendum est quod petistis. Ut igitur in eius nomine non nihil, sed gaudium plenum petant, (quoniam si aliquid aliud petunt, idem aliquid nihil est:) exhortatur dicens: *Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum:* id est, Hoc in nomine meo petite, ut gaudium vestrum sit plenum, & accipietis. Isto enim bono in petendo perseverantes sanctos suos nequaquam misericordia divina fraudabit.

(E) S. Aug. *de cura pro mortuis gerenda, cap.* 1 *num.* 1. *& cap.* 18. *& ultimo num.* 22. *Vide supra Part.* 2. *sect.* 4. *cap.* 2. §. 24 *litt* (B) (E) (F) *& sect.* 1. *cap.* 5. §. 18. *huiusce partis litt.* (G)

Lib. 9. *confess cap.* 12. *&c. Vide superius* §. 18. *c.* 5. *sect.* 1. *huiusce partis litt.* (L)

S. Anselm. *Orat.* 24. *circa finem*. Oravi ut infirmus & peccator: exaudi, exaudi tu sicut potens & miserator: & non solum amicis & inimicis meis, quæ precatus sum tribuas; sed sicut unicuique expedire, & voluntati tuæ non disconvenire, omnibus vivis & defunctis misericordiæ tuæ remedia distribuas: & me non sicut vult cor meum, nec sicut petit os meum; sed sicut scis me debere velle & petere, semper exaudias.

Vide alias auctoritates PP. §§. *supra allegatis, tum* §. 13. *cap.* 7. *huiusce sectionis.*

(F) *Vide ibidem.*

Pars III. Sect. II. Cap. I. §. 4.

I. Licetne specialius orare pro quibusdam mortuis, quam pro ceteris?

R. Id ordo caritatis postulat, ut pro illis oremus specialius, quibus plura debemus, qui magis indigent orationibus: sed in iis qui purgatorio igne torquentur, nullum prætermittere licet in orationibus. sicut nullum prætermittit Ecclesia (G).

§. 4. *Qui sint effectus Orationis.*

I. Qui sunt orationis effectus?

R. Plurimos afferre licet: hos præcipue: per orationem

1. Deum colimus (A).

2. Imus de virtute in virtutem: augetur in nobis fides, spes caritas, humilitas: uno verbo virtutes omnes incrementum accipiunt.

3. Omnes tentationes superamus (B).

4. Flectimus iram Dei, consequimurque Dei misericordiam nobis & aliis (C).

(G) *Vide ibidem.*

(A) Psal. cxl. 1. Domine, clamavi ad te, exaudi me: intende voci meæ, cum clamavero ad te. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

S. Aug. *in Ps.* cxl. *vers.* 2. *num.* 5. Oratio ergo pure directa de corde fideli, tamquam de ara sancta surgit incensum. Nihil est delectabilius odore Domini: sic oleant omnes qui credunt.

(B) Matth. xxvi. 41. Vigilate, & orate ut non intretis in tentationem.

S. Hilarius *in Psalm.* lxiii. *num.* 6.... *Exaudi Deus orationem meam cum tribulor: a timore inimici eripe animam meam.* Ingruentibus malis... per quæ fides nostra & spes periclitatur, ad eum qui solus mederi his potest refertur oratio. Metus est enim, ne infirmam per naturam & consortium carnis animam undique subrepentium illecebrarum æstus absorbeat... Vigilandum ergo in oratione Dei est, & semper orandum: ut cum fatigari anima & affligi subrepentium illecebrarum aculeis cœperit, Deus semper oratus exaudiat, nosque ab his quæ timemus eripiat. Ait enim *a timore inimici eripe animam meam.* Deus enim non tum tantum orandus est, cum quæ timentur ingruerint; sed timenda ea sunt, quæ cum cœperint adesse dominantur: & semper atque indefessis precibus orandus est, ut nos a timore eorum, quorum dominatum timemus, eripiat.

(C) Genes. xxxii. 24. (Iacob) mansit solus: & ecce vir luctabatur cum eo usque mane. Qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris eius, & statim emarcuit. Dixitque ad eum: Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Ait ergo: Quod nomen est tibi? Respondit, Iacob. At ille: Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum; sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? Interrogavit eum Iacob: Dic mihi quo appellaris nomine? Respondit: Cur quæris nomen meum? & benedixit ei in eodem loco.

Exod. xxx. 10. Deprecabitur Aaron super cornua eius (altaris thymiamatis) semel per annum, in sanguine quod oblatum est pro peccato, & placabit super eo in generationibus vestris.

xxxii. 9. Ait Dominus ad Moysen: Cerno quod populus iste duræ cervicis sit: Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos faciamque te in gentem magnam. Moyses autem orabat Dominum Deum suum, dicens: Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti, in fortitudine magna & in manu robusta? Ne, quæso, dicant Ægyptii: Callide eduxit eos ut interficeret in montibus & deleret e terra: quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac & Israel servorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo

Digitized by Google

5. Quidquid petierimus, impetramus; si tamen petierimus nihil præter æquum & bonum (D).

I. Habetne oratio semper illos effectus?

R. Habet; modo recte fiat. Tunc autem recte fit, cum quis dispositus ut par est, recte petit quæ petenda sunt: maxime si petat pro semetipso. Nam iusti recte pro aliis orantes non semper exaudiuntur, ut iam diximus superiori §.

---

semen vestrum, sicut stellas cæli: & universam terram hanc de qua loquutus sum dabo semini vestro, & possidebit eam semper. Placatusque est Dominus, ne faceret malum, qund loquutus fuerat, adversus populum suum.

Psal. cv. 21. Obliti sunt (Israelitæ) Deum qui salvavit eos... Et dixit ut disperderet eos: si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius: ut averteret iram eius ne disperderet eos.

Ezechiel. xiii. 5. Non ascendistis ex adverso neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini.

Luc. xi. *Vide inferius condit.* 6. §. 7. *huius cap. litt.* (X)

(D) Isai. xxx. 19..... Plorans nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui: ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi.

lviii. 9. Tunc invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adsum. Si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest.

lix. 1. Ecce non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris eius ut non exaudiat: sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis ne exaudiret.... Non est qui invocet iustitiam.

Ioan. xvi. 24. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo: petite & accipictis, ut gaudium vestrum sit plenum.

Psal. cxliv. 18. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & salvos faciet eos.

S. Aug. *In Ps.* cxliv. *num.* 4. *&* 22. *Vide* §. *seq. litt.* (A)

Scripturæ sacræ innumera nobis suppetunt exempla, quibus orationis vis & efficacia demonstratur. Pauca ex pluribus hic exscribemus.

Genes. xxv. 21. Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis: qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.

Exod. xvii. 11. Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paullulum remisisset, superabat Amalec.

xxxii. 9. *Vide supra hocce* §. *litt.* (C)

Iudic. iii. 9. Et (Israelitæ) clamaverunt ad Dominum: qui suscitavit eis salvatorem, & liberavit eos, Othoniel videlicet filium Cenez, fratrem Caleb minorem.

vi. 7. Et clamavit (populus Israel) ad Dominum, postulans auxilium contra Madianitas. Qui misit ad eos virum Prophetam &c.... Respexitque ad eum (Gedeonem) Dominus, & ait: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian.

1. Reg. i. 10. Cum esset Anna amaro animo oravit ad Dominum, flens largiter, & votum vovit dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque servæ tuæ sexum virilem; dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius....... Cognovit autem Elcana Annam uxorem suam, & recordatus est eius Dominus. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna, & peperit filium, vocavitque nomen eius Samuel, eo quod a Domino postulasset eum.

ii. 20. Et benedixit Heli Elcanæ & uxori eius: dixitque ei: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac, pro fenore quod commodasti Domino.... Visitavit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios & duas filias: & magnificatus est puer Samuel apud Dominum.

Digitized by Google

vii. 8. *Vide §. super. litt.* (C)

3. Reg. xviii. 36. Cumque iam tempus esset ut offerretur holocaustum, accedens Elias Propheta, ait: Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel, ostende hodie quia tu es Deus Israel, & ego servus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me Domine, exaudi me, ut dicat populus iste, quia tu es Dominus Deus, & tu convertisti cor eorum iterum. Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna & lapides, pulverem quoque & aquam quæ erat in aquæductu lambens..... Elias autem ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua.... In septima autem vice, ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Qui ait: Ascende, & dic Achab: Iunge currum tuum & descende, ne occupet te pluvia. Cumque se verteret huc atque illuc, ecce cæli contenebrati sunt, & nubes & ventus, & facta est pluvia grandis.

4. Reg. xiii. 1. *Vide §. seq. litt.* (D)

xix. 14. Itaque cum accepisset Ezechias litteras de manu nuntiorum, & legisset eas, ascendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino: & oravit in conspectu eius... Misit autem Isaias filius Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Quæ deprecatus es me super Sennacherib rege Assyriorum, audivi.

1. Machab. vii. 36. Et intraverunt Sacerdotes, & steterunt ante faciem altaris & templi, & flentes dixerunt: Tu, Domine, elegisti domum istam ad invocandum nomen tuum in ea, ut esset domus orationis & obsecrationis populo tuo. Fac vindictam in homine isto, & exercitu eius, & cadant in gladio: memento blasphemias eorum, & ne dederis eis ut permaneant.... Et oravit Iudas & dixit: Qui missi erant a Rege Sennacherib, Domine, quia blasphemaverunt te, exiit Angelus, & percussit ex eis centum octoginta quinque millia: Sic contere exercitum istum in conspectu nostro hodie; & sciant ceteri quia male loquutus est super sancta tua: & iudica illum secundum malitiam illius. Et commiserunt exercitus prælium tertia decima die mensis Adar: & contrita sunt castra Nicanoris, & cecidit ipse primus in prælio.

2. Machab. viii. 2. Et invocabant Dominum ut respiceret in populum qui ab omnibus calcabatur: & misereretur templo, quod contaminabatur ab impiis: Misereretur etiam exterminio civitatis, quæ esset illico complananda, & vocem sanguinis ad se clamantis audiret: Memoraretur quoque iniquissimas mortes parvulorum innocentum, & blasphemias nomini suo illatas, & indignaretur super his. At Machabæus, congregata multitudine, intolerabilis gentibus efficiebatur, ira enim Domini in misericordiam conversa est.

x. 16. Hi vero qui erant cum Machabæo, per orationes Dominum rogantes, ut esset sibi adiutor, impetum fecerunt in munitiones Idumæorum. Multaque vi insistentes loca obtinuerunt, occurrentes interemerunt, & omnes simul non minus viginti millibus trucidaverunt... Machabæus autem, & qui cum ipso erant, appropinquante illo, deprecabantur Dominum, caput terra aspergentes, lumbosque ciliciis præcincti, ad altaris crepidinem provoluti, ut sibi propitius, inimicis autem eorum esset inimicus, & adversariis adversaretur, sicut lex dicit. Et ita post orationem, sumptis armis, longius de civitate procedentes, & proximi hostibus effecti, resederunt. Primo autem solis ortu utrique commiserunt: isti quidem victoriæ & prosperitatis sponsorem cum virtute Dominum habentes: illi autem ducem belli animum habebant. Sed, cum vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cælo viri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes: Ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant: in adversarios autem tela & fulmina iaciebant, ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant. Interfecti sunt autem viginti millia quingenti, & equites sexcenti... Quibus gestis in hymnis & confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israel, & victoriam dedit illis.

xi. 6. Ut autem Machabæus, & qui cum eo erant cognoverunt expugnari præsidia, cum fletu & lacrimis rogabant Dominum & omnis turba simul, ut bonum Angelum mitteret ad salutem Israel... Cumque pariter prompto animo procederent, Ierosolymis apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. Tunc omnes

simul benedixerunt misericordem Dominum, & convaluerunt animis, non solum homines, sed & bestias ferocissimas & muros ferreos parati penetrare. Ibant igitur prompti de cælo habentes adiutorem & miserantem super eos Dominum.

xv. 21. Considerans Machabæus adventum moltitudinis, & apparatum varium armorum, & ferocitatem bestiarum, extendens manus in cælum, prodigia facientem Dominum invocavit, qui non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam. Dixit autem invocans hoc modo: Tu, Domine, qui misisti Angelum tuum sub Ezechia rege Iuda, & interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia: Et nunc dominator cælorum, mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timore & tremore magnitudinis brachii tui, ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum. Et hic quidem ita peroravit. Nicanor autem & qui cum ipso erant, cum tubis & canticis admovebant. Iudas vero, & qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes congressi sunt: Manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnifice delectati. Cumque cessassent, & cum gaudio redirent, cognoverunt Nicanorem ruisse cum armis suis. Facto itaque clamore, & perturbatione excitata, patria voce omnipotentem Dominum benedicebant.

Tob. xii. 12. Quando orabas cum lacrimis, & sepeliebas mortuos, & dere linquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. Et nunc misit me Dominus, ut curarem te, & Saram uxorem filii tui a dæmonio liberarem.... Vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius.... Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum, & exsurgentes narraverunt omnia mirabilia eius.

Esther. iv. 16. Vade & congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo & tunc ingrediar ad regem, contra legem faciens, non vocata, tradensque me morti & periculo.

Pars III.
Sect. II.
Cap. I.
§. 4.

xiii. 8. Mardochæus autem deprecatus est Dominum, memor omnium operum eius; & dixit: Domine, Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel. Tu fecisti cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuæ. Cuncta nosti, & scis, quia non pro superbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum.... Et nunc, Domine rex Deus Abraham, miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere, & hereditatem tuam delere. Ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi de Ægypto. Exaudi deprecationem meam, & propitius esto sorti & funiculo tuo, & converte luctum nostrum in gaudium, ut viventes laudemus nomen tuum, Domine, & ne claudas ora te canentium. Omnis quoque Israel pari mente & obsecratione clamavit ad Dominum, eo quod eis certa mors impenderet.

xiv. 1. Esther quoque regina confugit ad Dominum, pavens periculum, quod imminebat. Cumque deposuisset vestes regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro unguentis variis, cinere & stercore implevit caput; & corpus suum humiliavit ieiuniis, omniaque loca, in quibus antea lætari consueverat, crinium laceratione complevit. Et deprecabatur Dominum Deum Israel, dicens: Domine mi, qui Rex noster es solus, adiuva me solitariam, & cuius præter te nullus est auxiliator alius.... Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his, qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram; sed converte consilium eorum super eos, & eum, qui in nos cœpit sævire, disperde. Memento, Domine, & ostende te nobis in tempore tribulationis nostræ, & da mihi fiduciam, Domine Deus Deorum, & universæ potestatis: Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, & transfer cor illius in odium hostis nostri, ut & ipse pereat, & ceteri qui ei consentiunt. Nos autem libera manu tua, & adiuva me nullum aliud auxilium habentem, nisi te, Domine, qui habes omnium

Digitized by Google

scientiam .... Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum qui nullam aliam spem habent, & libera nos de manu iniquorum, & erue me a timore meo.

xv. 11. Convertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem, &c.

IUDITH. IV. 8 Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna & humiliaverunt animas suas in ieiuniis, & orationibus, ipsi & mulieres eorum. Et induerunt se Sacerdotes ciliciis, & infantes prostraverunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio: Et clamaverunt ad Dominum Deum Israel unanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum, & uxores eorum in divisionem, & civitates eorum in exterminium, & sancta eorum in pollutionem, & fierent opprobrium gentibus. Tunc Eliachim, Sacerdos Domini magnus, circuivit omnem Israel, alloquutusque est eos, dicens: Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes perseveraveritis in ieiuniis, & orationibus in conspectu Domini... Ad hanc igitur exhortationem eius deprecantes Dominum, permanebant in conspectu Domini, ita ut etiam hi, qui offerebant Domino holocausta, præcincti ciliciis offerrent sacrificia Domino, & erat cinis super capita eorum. Et ex toto corde suo omnes orabant Deum, ut visitaret populum suum Israel.

IX. 1... Iudith ingressa est oratorium suum: & induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum: & prosternens se Domino, clamabat ad Dominum, dicens: Domine Deus patris mei Simeon... Deus cælorum, creator aquarum, & Dominus totius creaturæ, exaudi me miseram deprecantem, & de tua misericordia præsumentem. Memento, Domine, testamenti tui, & da verbum in ore meo, & in corde meo consilium corrobora, ut domus tua in sanctificatione tua permaneat: Et omnes Gentes agnoscant, quia tu es Deus, & non est alius præter te.

XIII. 6. Stetitque Iudith ante lectum, orans cum lacrimis, & labiorum motu in silentio, dicens: Confirma me Domine Deus Israel, & respice in hac hora ad opera manuum meaum, ut, sicut promisisti, Ierusalem civitatem tuam erigas; & hoc, quod credens per te posse fieri cogitavi, perficiam. Et cum hæc dixisset, accessit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli eius, & pugionem eius, qui in ea ligatus pendebat, exsolvit. Cumque evaginasset illum, apprehendit comam capitis eius, & ait: Confirma me, Domine Deus, in hac hora. Et percussit bis in cervicem eius, & abscidit caput eius.

XIV. 17. Quod cum audissent principes virtutis Assyriorum, sciderunt omnes vestimenta sua, & intolerabilis timor & tremor cecidit super eos, & turbati sunt animi eorum valde, &c.

DAN. III. 23. Viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach, & Abdenago, ceciderunt in medio camino ignis ardentis, colligati. Et ambulabant in medio flammæ, laudantes Deum, & benedicentes Domino... Et non cessabant qui miserant eos ministri regis succendere fornacem, naphtha, & stuppa, & pice, & malleolis, & effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem: Et erupit, & incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis; Angelus autem Domini, descendit cum Azaria, & sociis eius, in fornacem: & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace, dicentes: Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum... Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit, & surrexit propere, & ait optimatibus suis: Nonne tres viros misimus in medium ignis compeditos? Qui respondentes regi, dixerunt: Vere rex. Respondit, & ait: Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei. Tunc accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis ignis ardentis, & ait: Sidrach, Misach, & Abdenago, servi Dei excelsi, egredimini, & venite. Statimque egressi sunt Sidrach, Misach, & Abdenago de medio ignis, &c.

VI. 7. (*Dixerunt Persarum Satrapæ Regi Dario: Rex*,) consilium inierunt omnes principes regni tui, Magistratus, & Satrapæ, Senatores, & Iudices, ut decretum imperatorium exeat, & edictum; ut omnis qui petierit aliquam petitionem a quocumque Deo & homine, usque ad triginta dies, nisi a te rex, mittatur in lacum leonum.... Porro rex Darius proposuit edictum, & statuit. Quod cum Daniel comperisset, id est, constitutam

§. 5. *Quæ debeat esse affectio in Orante.*

I. Ut utilis sit oratio, quæ debet esse in orante affectio? quis status animi?

R. Quadruplex potest esse orantium status.

Primus est eorum qui sunt in statu gratiæ.

Alter eorum qui tenentur quidem peccati mortalis vinculo, sed dolent tamen, voluntque ad meliorem frugem se convertere.

Tertius eorum qui cum infidelitate vel hæresi teneantur, ad veritatem tamen vere anhelant, eiusque studio flagrant.

Quartus eorum qui peccato sic delectantur, ut velint omnino in eo perseverare, nec ullum habeant non peccandi propositum; immo velint novis in dies peccatis priora peccata cumulare.

Hac distinctione præhabita, dico utilem esse orationem, si alioqui recte fiat, ab iis qui affecti sunt uno ex tribus prioribus modis. (A)

Qui vero quarto loco positi sunt,

---

legem, ingressus est domum suam: & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut & ante facere consueverat..... Tunc rex præcepit: & adduxerunt Danielem, & miserunt eum in lacum leonum... Tunc rex primo diluculo consurgens, festinus ad lacum leonum perrexit: Appropinquansque lacui, Danielem voce lacrimabili inclamavit, & affatus est eum: Daniel serve Dei viventis, Deus tuus, cui tu servis semper, putasne valuit te liberare a leonibus? Et Daniel regi respondens, ait: Rex in æternum vive: Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo iustitia inventa est in me: sed & coram te, rex, delictum non feci. Tunc vehementer rex gavisus est super eo, & Danielem præcepit educi de lacu: eductusque est Daniel de lacu, & nulla læsio inventa est in eo, quia credidit Deo suo.

XIII. 42. Exclamavit autem voce magna Susanna, & dixit: Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant; tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me: & ecce morior, cum nihil horum fecerim, quæ isti malitiose composuerunt adversum me. Exaudivit autem Dominus vocem eius, &c.

ACTOR. XVI. 25. Media autem nocte, Paullus & Silas orantes, laudabant Deum; & audiebant eos qui in custodia erant. Subito vero terræmotus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris, & statim aperta sunt omnia ostia; & universorum vincula soluta sunt.

XXVIII. 8. Contigit autem, patrem Publii febribus & dysenteria vexatum iacere. Ad quem Paullus intravit: & cum orasset, & imposuisset ei manus, salvavit eum.

IACOB. V. 16 .... Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua. Elias homo erat similis nobis passibilis: & oratione oravit ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum oravit, & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum.

Lege etiam exemplum Cornelii ACT. X. 1. §. 5 *proxime seq. litt.* (A)

(A) PSAL. CXLIV. 18. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate.

S. AUG. *in Psal.* CXLIV. *n.* 4..... *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.* Ergo per singulos dies laudavit qui etiam in die tam tristi laudavit. Breve magisterium est, ut semper laudes Deum, verumque corde non falso dicas: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Breve magisterium est, scilicet ut noveris eum misericorditer dare cum dat, misericorditer auferre cum tollit; nec te credas

Iob. I. 21.

Ps. XXXIII. 2.

Digitized by Google

PARS.III. SECT. II. CAP. I. §. 5.

a misericordia eius derelinqui qui tibi aut blanditur dando, ne deficias; aut corripit exsultantem, ne pereas. Sive ergo in eius donis, sive in eius flagellis, lauda tu. Laus flagellantis, medicina est vulneris. *Per singulos*, inquit, *dies benedicam te*. Prorsus per singulos dies, fratres, benedicite: omnino quidquid acciderit, benedicite Deum. Etenim ne accidat aliquid, quod ferre non potestis, ipse facit. Ideo eum timore debes esse, quando tibi bene est, neque te ad hoc parare, quasi ut numquam tenteris. Si enim numquam tentaris, numquam probaris. Nonne melius est tentari & probari, quam non tentatum reprobari? *Et laudabo nomen tuum in seculum, & in seculum seculi*.

Ps. CXLIV. 2.

Ibid.

Num. 22. Prope est Dominus invocantibus eum. Et ubi est illud, Erit enim cum invocabunt me, & non exaudiam eos? Ergo vide quod sequitur, *omnibus qui invocant eum in veritate*. Nam multi eum invocant non in veritate. Aliud ab illo quærunt & ipsum non quærunt. Quare amas Deum? Quia dedit mihi sanitatem. Istud manifestum est, ipse dedit. Non enim ab ullo est ulla salus nisi ab illo. Quia dedit mihi, inquit, uxorem divitem, qui nihil habebam, & servientem mihi. Et hoc ipse dedit, verum dicis. Dedit, inquit, filios & multos, & bonos, dedit familiam, dedit omnia bona. Ideo amas? Ideo nihil amplius quæris? Esto esuriens, adhuc pulsa ad ianuam patrisfamilias, habet adhuc quod det. In mendicitate es cum omnibus his quæ accepisti, & nescis. Pannosam carnem mortalitatis adhuc portas, stolam illam gloriæ immortalitatis numquid accepisti, & quasi iam satiatus non rogas? *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam quia ipsi saturabuntur*. Ergo si bonus est Deus, quia ista tibi dedit: quanto beatior eris, cum seipsum tibi dederit? Desiderasti tanta ab illo, rogo te desidera & ipsum. Neque enim vere dulciora sunt ista quam ille, aut ex aliqua parte comparanda sunt illi. Ergo qui Deum ipsum, a quo accepit de quibus gaudet, præponit his omnibus rebus quas accepit, ipse invocat Deum in veritate. Nam ut noveritis, si talibus hominibus proponatur, & dicatur, Quid si ista omnia, de quibus gaudes, velit tibi auferre Deus? Iam non amabitur: non erit qui dicat: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit ita factum est; sit nomen Domini benedictum*. Sed forte cui abstulit, quid dicit? Deus quid tibi feci? Quare mihi abstulisti, & illis dedisti? Iniquis das, & tuis tollis. Accusas Deum quasi iniustum, & te laudas quasi iustum. Convertere, accusa te, lauda illum. Tunc eris rectus, cum in omnibus bonis quæ facit, Deus tibi placet; in omnibus malis quæ pateris, Deus tibi non displicet. Hoc est invocare Deum in veritate. Qui sic invocant Dominum, exaudit eos: *prope est*, idest, nondum dedit quod vis, ibi est tamen. Quomodo medicus, si forte aliquid imponat, vel oculo, vel visceribus, quod urendo sanet, si roget æger ut tollatur illi, medicus exspectat tempus, non facit quod rogat æger: non tamen recedit. Et prope est & non facit: & ideo magis non facit, quia prope est. Curando enim imposuit quod imposuit, & curando non facit quod rogatur. Non te exaudit ad præsentem voluntatem, exaudiendo ad futuram sanitatem; & hoc utique ad voluntatem. Nam utique sanus esse vult, etiam qui uri non vult. *Prope est* ergo *Dominus invocantibus eum; sed quibus omnibus?* Omnibus *qui invocant eum in veritate*. Tales omnes confirmat decidentes, *qui invocant eum in veritate*.

Prov. I. 28.

Matth. V. 6.

Iob. I. 21.

MATTH. VI. 6. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.

XI. 28 Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.

LUC. XVIII. 1. Dicebat autem, & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare, & non deficere.

ACTOR. X. 1. Vir autem quidam erat in Cæsarea nomine Cornelius.... faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper. Is vidit in visu manifeste... Angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi, Corneli:... Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ, ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.

S. AUG. *Serm.* 115. *alias 36. de verbis Domini, c.* 1. *num.* 1. Lectio sancti Evangelii ædificat nos ad orandum, & credendum, & non de nobis, sed de Domino præsumendum. Quæ ad orandum maior hortatio quam ut nobis de iudice iniquo proponeretur similitudo? Iudex enim iniquus, nec Deum timens, nec hominem reverens, audivit tamen viduam

interpellantem se, victus tædio, non
pietate inclinatus. Si ergo exaudivit,
qui oderat quod rogabatur, quomodo
exaudit qui ut rogemus hortatur? Cum
ergo nobis ista e contrario comparatione
Luc. xviii. 1. Dominus suaderet: *Quia oportet semper*
Ibid. 8. *orare & non deficere:* adiecit & ait: *Ve-*
rumtamen cum venerit Filius hominis, pu-
tas inveniet fidem in terra? Si fides de-
ficit, oratio perit. Quis enim orat quod
non credit? Unde & Apostolus beatus,
Rom. x. 13. cum ad orandum exhortaretur, ait: *Omnis*
quicumque invocaverit nomen Domini, sal-
vus erit. Et ut ostenderet fidem fontem
esse orationis, nec posse ire rivum, ubi
caput aquæ siccatur, adiunxit, atque ait:
Ibid. 14. *Quomodo autem invocabunt in quem non*
crediderunt? Ergo ut oremus, credamus;
& ut ipsa non deficiat fides, qua oramus,
oremus. Fides fundit orationem, fusa o-
ratio fidei impetrat firmitatem. Fides,
inquam, fundit orationem, fusa oratio
etiam ipsi fidei impetrat firmitatem. Et-
enim ne in tentationibus deficeret fides,
Luc. xxii. 46. propterea Dominus ait: *Vigilate & orate,*
ne intretis in tentationem. Vigilate, in-
quit, *& orate, ne intretis in tentationem.*
Quid est, in tentationem intrare, nisi a
fide exire? In tantum enim tentatio pro-
ficit, in quantum fides deficit; & in tan-
tum tentatio deficit, in quantum fides
proficit. Nam ut apertius noverit cari-
tas vestra, de fide ne deficeret, & peri-
ret, dixisse Dominum: *Vigilate & orate,*
ne intretis in tentationem: eo loco Evan-
Ibid. 31. & 32. gelii ait: *Hac nocte postulavit satanas*
vexare vos sicut triticum; & ego rogavi pro
te, Petre, ne deficiat fides tua. Rogat qui
tuetur, & non rogat qui periclitatur? Quod
Luc. xviii. 8. autem ait Dominus: *Cum venerit filius*
hominis, putas inveniet fidem in terra?
De fide dixit, quæ perfecta est. Ipsa enim
vix invenitur in terra. Ecce plena est
Dei Ecclesia: quis huc accederet, si nul-
la esset fides? Quis non montes transfer-
ret, si plena esset fides? Attendite ipsos
Apostolos: dimissis omnibus suis, calca-
ta spe seculi, Dominum non sequeren-
tur nisi magnam haberent fidem & ta-
men si plenam haberent fidem non dice-
Luc. xvii. 5. rent Domino: *Auge nobis fidem*. Vide
etiam illum utrumque de se confitentem
(vide fidem, & non plenam fidem) qui
cum obtulisset Domino filium suum a mă-
lo dæmonio sanandum, & esset interro-
gatus utrum crederet, respondit & ait:
Marc. ix. 23. *Credo, Domine, adiuva incredulitatem*
meum. Credo, inquit, *credo Domine:* er-
go est fides. Sed *adiuva incredulitatem* Pars III.
meam: ergo non plena est fides. Sect. II.
Cap. 3. num. 2. Sed quia fides non est su- Cap. I.
pèrborum, sed humilium: *Dixit ad quos-* §. 5.
dam qui sibi iusti videbantur, & sper- *Luc. xviii. 9. 10. & 13.*
nebant ceteros, similitudinem hanc: Duo
homines ascenderunt in templum orare,
unus Pharisæus & alter Publicanus. Pha-
risæus dicebat: Gratias tibi, Deus, quia
non sum sicut ceteri homines. Diceret sal-
tem, sicut multi homines. Quid est *sicut*
ceteri homines, nisi omnes præter ipsum?
Ego, inquit, iustus sum, ceteri pecca-
tores. *Non sum sicut ceteri homines, in-*
iusti, raptores, adulteri. Et ecce tibi ex
vicino publicano maioris tumoris occasio.
Sicut, inquit, *publicanus iste*. Ego, in-
quit, solus sum, iste de ceteris est. Non
sum, inquit, talis qualis iste, per iusti-
tias meas, quibus iniquus non sum. *Ie-* *Ibid. 12.*
iuno bis in sabbato, decimas do omnium
quæcumque possideo. Quid rogaverit De-
um, quære in verbis eius, nihil invenies.
Adscendit orare: noluit Deum rogare,
sed se laudare. Parum est non Deum ro-
gare, sed se laudare; insuper & roganti
insultare. *Publicanus autem de longinquo* *Ibid. 13.*
stabat: & Deo tamen ipse propinquabat.
Cordis conscientia removebat pietas ap-
plicabat. *Publicanus autem de longinquo*
stabat: sed Dominus eum de propinquo
adtendebat. *Excelsus enim Dominus, &* *Ps. cxxxvii. 6.*
humilia respicit. Excelsos autem, qualis
erat ille Pharisæus, a longe cognoscit.
Excelsa quidem Deus a longe cognoscit,
sed non ignoscit. Adhuc audi humili-
tatem publicani. Parum est, quia de lon-
ginquo stabat: *Nec oculos suos ad cælum*
levabat? Ut adspiceretur, non adspicie-
bat. Respicere sursum non audebat: pre-
mebat conscientia, spes sublevabat. Ad-
huc audi: *Percutiebat pectus suum*. Pœ-
nas de se ipso exigebat: propterea Do-
minus confitenti parcebat. *Percutiebat*
pectus suum, dicens, Domine, propitius esto
mihi peccatori. Ecce qui rogat. Quid mi-
raris si Deus ignoscit, quando ipse se
agnoscit? De Pharisæo & publicano ac-
cepisti controversiam; audi sententiam:
audisti superbum accusatorem, audisti re-
um humilem; audi nunc iudicem. *Amen*
dico vobis. Veritas dicit, Deus dicit, Iudex
dicit: *Amen dico vobis, descendit iustifica-* *Luc. xviii. 14.*
tus de templo publicanus ille, magis quam
ille pharisæus. Dic Domine caussam. Ec-
ce video publicanum iustificatum magis

PARS. III. SECT. II. CAP. I. § 5.

illi non modo sine fructu orant, sed & ipsis suis orationibus provocant Deum ad iracundiam nedum placent (B). Eorum enim Oratio falsa, mendax, hypocrisis vitio infecta, Deumque non orare sed irridere videtur, qui eo tempore supplex petit ab eo misericordiam,

---

de templo descendere, quam Pharisæum. Quæro quare. Quæris quare? Audi quare: *Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur*. Audisti sententiam, cave caussam malam: aliud diro, audisti sententiam, cave superbiam.

In Ioan. Evang. *Cap. 9. Tract.* 44. *num.* 13. . . . . Peccatores exaudit Deus. Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille Publicanus oculos in terram demittens, & pectus suum percutiens, diceret: *Domine propitius esto mihi peccatori*. Et ista confessio meruit iustificationem, quemodo iste cæcus illuminationem.

(B) Iob xi. 13. Tu autem firmasti cor tuum, & expandisti ad eum manus tuas. Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia: Tunc levare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis, & non timebis.

Prov. xxviii. 9. Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.

Ioan. xv. 7. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.

1. Ioan. iii. 21. Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo, facimus.

Isai. i. 13. Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & sabbatum, & festivitates alias non feram; iniqui sunt cœtus vestri: Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis: & cum multiplicaveritis orationem non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.

Matth. xv. 8. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Sine caussa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.

Tertull. *De oratione cap.* 10. Memoria præceptorum viam orationibus sternit ad cælum, quorum præcipuum est, ne prius adscendamus ad Dei altare, quam si quid discordiæ, vel offensæ cum fratribus contraxerimus, resolvamus. Quid est enim ad pacem Dei recedere sine pace? ad remissionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit patrem iratus in fratrem, cum omnis ira ab initio interdicta sit nobis? Nam & Ioseph dimittens fratres suos ad perducendum patrem: & ne, inquit, *irascamini in via*. Gen. xlv. 24. Nos scilicet monuit. Alias enim via cognominatur disciplina nostra. Tum ne in via orationis constituti ad Patrem cum ira incedamus. Exinde aperte Dominus amplians legem, iram in fratrem homicidio superponit; ne verbo quidem malo permittit expurgi; etiam si irascendum est, non ultra solis receptum, ut Apostolus admonet. Quam autem temerarium est aut diem sine oratione transigere, dum cessas fratri satisfacere, aut orationem perseverante iracundia perdere. Nec ab ira solummodo, sed omni omnino confusione animi libera debet esse orationis intentio, de tali spiritu emissa, qualis est spiritus ad quem mittitur. Neque enim agnosci poterit a Spiritu sancto spiritus inquinatus, aut tristis a læto, aut impeditus a libero. Nemo adversarium recipit, nemo nisi comparem suum admittit.

Cap. 11. Ceterum quæ ratio est manibus quidem ablutis, spiritu vero sordente orationem obire? Quando & ipsis manibus, spiritales munditiæ sint necessariæ, ut a falso, a cæde, a sævitia, a veneficiis, ab idololatria, ceterisque maculis quæ spiritu conceptæ manuum opera transiguntur, puræ alleventur.

S. August. *in Ioan. Evang. cap.* 10. *Tract.* 45. *num.* 11. . . . . Per Ezechielem prophetam Dominus obiurgat Pastores, & dicit inter cetera de ovibus: *Errantem ovem non revocastis*. Ezech. xxxiv. 4. Et errantem dicit,

& ovem appellat. Si quando errabat ovis erat, cujus vocem ut erraret audiebat? Procul dubio enim non erraret, si vocem pastoris audiret: sed ideo erravit, quia vocem audivit alieni; vocem furis & latronis audivit. Certe latronum vocem non audiunt oves: *Qui venerunt*, inquit, & intelligimus præter me, id est, Qui venerunt præter me, *fures sunt & latrones, & non audierunt eos oves*. Domine si non audierunt eos oves, quomodo errant oves? Si oves non audiunt nisi te, tu autem veritas es: quisquis veritatem audit, non utique errat. Illi autem errant, & oves appellantur. Nam si in errore ipso oves non appellarentur, non diceretur per Ezechielem, errantem ovem non revocastis. Quomodo & errat & ovis est? Vocem alieni audivit? Certe *non audierunt eos oves*. Deinde modo multi colliguntur ad ovile Christi, & ex hæreticis fiunt catholici; a furibus tolluntur, pastori redduntur: & aliquando murmurant, tædium patiuntur ad revocantem, & non intelligunt jugulantem: verumtamen etiam cum renitentes venerint quæ oves sunt, agnoscunt vocem pastoris, & se venisse lætantur, & errasse erubescunt. Quando ergo in illo errore tamquam in veritate gloriabantur, & utique non audiebant vocem pastoris, & alienum ideo sequebantur, oves erant an non erant?

Num. 12. Audistis, Fratres, altitudinem quæstionis: Dico ergo: *Novit Dominus qui sunt ejus*. Novit præscitos, novit prædestinatos: de illo quippe dicitur: *Quos autem præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, ipsos & vocavit; & quos vocavit, ipsos & justificavit; quos autem justificavit, ipsos & glorificavit. Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Adde adhuc: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non & cum illo omnia nobis donavit?* Sed quibus nobis? Præscitis, prædestinatis, justificatis, glorificatis: de quibus sequitur: *Quis accusabit adversus electos Dei?* Novit ergo Dominus qui sunt ejus, ipsæ sunt oves. Aliquando se ipsæ nesciunt, sed pastor novit eas, secundum istam prædestinationem, secundum istam Dei præscientiam, secundum electionem ovium, ante constitutionem mundi: nam

2. Tim. ii. 19. — Rom. viii. 30 & seq. — Ibid. 32.

& hoc dicit Apostolus: *Sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi*. Secundum istam ergo præscientiam Dei & prædestinationem, quam multæ oves foris, quam multi lupi intus; & quam multæ oves intus, & quam multi lupi foris. Quid est quod dixi, quam multæ oves foris? Quam multi modo luxuriantur, casti futuri; quam multi blasphemant Christum, credituri in Christum; quam multi se inebriant, futuri sobrii; quam multi rapiunt res alienas, donaturi suas: verumtamen modo vocem alienam audiunt, alienos sequuntur. Item quam multi intus laudant, blasphematuri; casti sunt, fornicaturi; sobrii sunt se vino postea sepulturi; stant, casuri; non sunt oves. (De prædestinatis enim loquimur: de his loquimur quos novit Dominus, qui sunt ejus.) Et tamen ipsi quamdiu recte sapiunt, Christi vocem audiunt. Ecce audiunt ipsi, non audiunt illi: & tamen secundum prædestinationem non oves isti, oves illi.

PARS III. SECT. II. CAP. I. §. 5. — Ephes. i. 4.

Num. 13. Adhuc manet quæstio, quæ mihi interim nunc videtur ita posse dissolvi. Est aliqua vox, est, inquam, vox aliqua pastoris, in qua oves non audiunt alienos, in qua non oves non audiunt Christum. Quæ est ista vox? *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Hanc vocem non negligit proprius, non audit alienus: nam & ille hoc ei prædicat, ut perseveret apud ipsum usque in finem, sed non apud eum perseverando non audit hanc vocem..... Tentatio accidit, persevera usque in finem.... Usque in quem finem perseverabis? Quousque finies viam.... *Concorda cum adversario tuo cito dum es cum eo in via*. Audisti, credidisti, concordasti. Si adversabaris, concorda. Si tibi præstitum est contendere, noli ulterius litigare. Quando enim finiatur via nescis.

Matth. x. 22. — Matth. v. 25.

In Psal. LXV. *num.* 5. Confitere te cæcum, ut illuminari merearis.... Fratres mei, qualiscumque Episcopi vox sonuit vobis: rogamus vos ut caveatis, quicumque in Ecclesia estis, nolite insultare eis, qui non sunt intus; sed orate potius, ut & ipsi intus sint. *Potens est enim Deus iterum inserere illos*.

Rom. xi. 23.

Num. 19.... *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea*. Quæ est distinctio in votis? Hæc est distinctio, ut te accuses, illum laudes; te intelligas

Ps. LXV. 14.

quo sic peccatis delectatur, ut ab iis discedere nullatenus velit (C).

Adverte tamen non raro contingere peccatorem qui peccato delectatur, ad orationem ea mente accedere ut impetret a Deo gratiam discedendi ab affectu peccati. Placet quidem etiamnum peccatum, sed oratur ut ne placeat. Oratur Deus ut det non peccandi voluntatem, & præveniente misericordia sic mentem afficiat, ut cesset tandem affectus peccandi, ut ne cumulus accedat ad priora delicta. Qui sic affectus orat, huius certe utilis oratio. Debet huius peccatoris affectio referri ad classem eorum quos supra secundo loco posuimus. Hæc enim est initium aliquod conversionis. Hac imperfecta voluntate, hoc qualicumque desiderio maximi peccatores, divina gratia agente solent ad se primum revocari. Cavendum ne sub specie præposteri metus Dei per orationem irritandi, negligatur illa tenuis aura gratiæ aspirantis, quæ si arripiatur, potest tandem adducere peccatorem ad optatum conversionis, & pœnitentiæ portum. Quisquis ergo humili mente orat, actus aliquo saltem vel fugiendi, vel odio habendi peccati desiderio, quamvis nondum omnem affectum peccati deposuerit, is orat utiliter. Si forte non sufficiet eius oratio ad impetrandam misericordiam Dei, ad hoc certe satis erit ut suam ipse miseriam sentiat (D).

Si quis autem nulla actus humi-

---

creaturam, illum creatorem: te tenebras, illum illuminatorem, cui dicas:
Pſ. xvii. 29. *Tu illuminabis lucernam meam Domine, Deus meus illuminabis tenebras meas.* Nam quando dixeris, o anima, quia ex te tibi lucet, non distingues. Si non distingues, non reddes vota distincta. Redde vota distincta, confitere te mutabilem, illum incommutabilem; confitere te sine illo nihil esse, ipsum autem sine te perfectum esse; te indigere illo, illum autem tui non indigere. Clama ad illum:
Pſ. xv. 2. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non indiges.*

Pſ. lxv. 15. *Num.* 20.... *Holocausta medullata offeram tibi.* Quid est *medullata*? Intus teneam caritatem tuam, non erit in superficie, in medullis meis erit quod diligo te. Nihil enim interius medullis nostris: interiora ossa sunt carne, medullæ interiores sunt ipsis ossibus. Quisquis ergo in superficie colit Deum, magis placere vult hominibus; aliud autem intus sentiens, non offert holocausta medullarum

Num. 24... Quamdiu hic sumus, hoc rogemus Deum, ut non a nobis amoveat deprecationem nostram, & misericordiam suam, idest, ut perseveranter oremus, & perseveranter misereatur. Multi enim languescunt in orando, & in novitate suæ conversionis ferventer orant, postea languide, postea frigide, postea negligenter, quasi securi fiunt. Vigilat hostis: dormis tu. Ipse Dominus præcepit in Evangelio: *Quia oportet semper orare, & non deficere.* Luc. xviii. 1. Et dat similitudinem de illo iniquo iudice, qui nec Deum timebat, nec hominem reverebatur, quem interpellabat illa vidua quotidie ut audiret eam: & cessit tædio, qui non flectebatur misericordia; & ait sibi iudex nequam: *Si nec Deum timeo, nec homines revereor, vel propter tædium, quod mihi quotidie facit hæc vidua, audiam caussam eius, & vindicabo eum.* Ibid. 4. & ſeq. Et ait Dominus: *Si iudex nequam hoc fecit, Pater vester non vindicabit electos suos, qui ad eum clamant die ac nocte? Ita dico vobis, faciet iudicium eorum cito.* Ergo non deficiamus in oratione. Ille quod concessurus est, & si differt, non aufert: Securi de pollicitatione ipsius non deficiamus orando, & hoc ex beneficio ipsius est.

(C) Iob. xi. 13. &c. *Vide supra hocce §. litt.* (B).

(D) 3. Reg. xxi. 29. Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur

litate, nulla compunctione cordis, nullo pœnitentiæ desiderio, Deum adit, quasi pro suo iure postulaturus misericordiam, quam ne desiderat quidem; quis non intelligit tali oratione Deum non flecti, sed irrideri, irritari, iniuria affici? Id agunt quotidie peccatores, qui sola ducti consuetudine Deum orant, & aliud cogitant in suis vitiis semper pertinaces.

§. 6. *Quid petendum a Deo sit.*

I. Quænam a Deo petenda sunt?

R. Quidquid licite desiderari potest, illud & licet a Deo petere (A).

Iac. I. 17. Deus enim omnium largitor bonorum est.

Quædam tamen facienda in iis distinctio.

Alia enim omnino, & absolute petenda sunt.

Alia nonnisi sub conditione petenda.

I. Quænam omnino & absolute petenda sunt?

R. Vita æterna, & quidquid necessarium prorsus est ad eius consequutionem: verbi gratia, remissio peccatorum, virtutes, gratiæ Dei necessariæ ad cognoscenda & observanda præcepta Dei & Ecclesiæ, & ad rite obeunda nostræ conditionis officia (B).

I. Quænam sub conditione petenda sunt?

R. Quæcumque possunt vel prodesse vel obesse ad salutem & ad iustitiam.

Hæc enim eatenus solum & desiderare & petere licet, quatenus Deus novit ea ad salutem & ad iustitiam profutura (C).

I. Cur eatenus solum illa desiderare, vel petere licet?

---

humiliatus est mei caussa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filii sui inferam malum domui eius.

4 Reg. xiii. 1. Anno vigesimo tertio Ioas filii Ochoziæ regis Iuda, regnavit Ioachaz filius Iehu super Israel in Samaria decem & septem annis. Et fecit malum coram Domino, sequutusque est peccata Ieroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, & non declinavit ab eis. Iratusque est furor Domini contra Israel, & tradidit eos in manus Hazael regis Syriæ, & in manus Benadad filii Hazael, cunctis diebus. Deprecatus est autem Ioachaz faciem Domini, & audivit eum Dominus: vidit enim angustiam Israel, quia attriverat eos Rex Syriæ. Et dedit Dominus salvatorem Israeli, & liberatus est de manu Regis Syriæ: habitaveruntque filii Israel in tabernaculis suis sicut heri, & nudiustertius.

(A) Ioan xv. 7 Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.

(B) S. August. *Epist.* 130. *alias* 121. *ad Probam, cap.* 4. *num.* 9. *&c. Vide supra huiusce cap.* §. 2. *litt.* (B).

(C) Matth. vi. 33. Quærite ergo primum Regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.

vii. 7. Petite & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se?

S. August. *Serm.* 2. *in Psal.* xxxvi. *n.* 20. Etiam Apostoli scripserunt plebibus, ut orarent pro se, & Apostoli orantes dicebant: *Dimitte nobis debita nostra* Et Matth. vi. 12. Apostolus Ioannes dixit: *Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iu-* 1. Ioan. ii. 1.

stum, & ipse est exoratio pro peccatis
Pars III. *nostris* .... Itaque, o popule, talem eli-
Sect. II. ge Sacerdotem, pro quo non cogaris
Cap. I. orare, sed de cuius oratione pro te se-
§. 6. curus esse possis: ipse est Dominus no-
1. Tim. II. 5. ster Iesus Christus, unus Sacerdos: *Unus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.*

In Psal. LIII. *num.* 5. Temporalibus quippe gaudent, bona æterna desiderare non norunt. Ad te perveniat oratio mea, ex desiderio æternorum tuorum beneficiorum excussa & iaculata: ad aures tuas emitto eam, adiuva eam ut perveniat, ne deficiat in itinere medio, & quasi collapsa corruat. Sed & si non mihi eveniunt modo bona quæ postulo, securus sum tamen quia postea venient. Nam & in delictis dicitur quidam rogasse Deum, & non exauditus bono suo. Desideria enim secularia incitaverant illum ad orandum, & in tribulationibus temporalibus positus, optaverat ut transirent tribulationes temporales.. ..Et tamen hoc ipsum quod non exaudisti, non ad insipientiam mihi non exaudisti, sed magis ad sapientiam non exaudisti, ut intelligerem quid a te petere deberem. Ea enim petebam quæ malo meo fortassis acciperem. Petis divitias, o homo, quanti sunt eversi per divitias suas? Unde scis, utrum tibi sint profuturæ divitiæ? Nonne multi pauperes tutius latebant; divites facti, mox ut lucere cœperunt, præda fortioribus fuerunt? Quanto melius laterent, quanto melius nescirentur, qui cœperunt quæri, non propter quod erant, sed propter quod habebant? In his ergo temporalibus, fratres, admonemus vos & exhortamur in Domino, ut non petatis aliquid quasi fixum, sed quod vobis Deus expedire scit. Quid enim vobis expediat, omnino nescitis. Aliquando quod putatis prodesse, obest; & quod putatis obesse, hoc prodest. Ægri enim estis, nolite medico dictare quæ vobis medicamenta velit apponere. Si Doctor Gentium Paul-
Rom. VIII. 26 lus Apostolus dicit: *Quid enim oremus sicut oportet, nescimus:* quanto magis nos? Qui tamen, cum sibi videretur ipse prudenter orare, ut ab eo auferretur stimulus carnis, angelus Satanæ, qui eum colaphizabat, ne in magnitudine revelationum extolleretur, quid audivit a Domino? Numquid factum est quod volebat? Non, ut fieret quod expedie-
bat. Quid ergo audivit a Domino? *Ter,* 2. Cor. XII. 8. & 9.
inquit, *rogavi Dominum, ut auferret eam a me, & dixit mihi: sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Ego medicamentum ad vulnus posui: quando posuerim novi, quando auferendum sit novi. Non recedat ægrotus a manibus medici, non det consilium medico. Ita sunt ista omnia temporalia. Tribulationes sunt; si bene colis Deum, noveris quia novit quid cuique expediat: prosperitates sunt, magis cave, ne ipsæ corrumpant animum tuum, ut ab eo qui hæc dedit recedat.

Num. 10. *Voluntarie sacrificabo tibi*... Ps. LIII. 8.
Quare ergo *voluntarie*? Quia gratis amo quod laudo. Laudo Deum, & in ipsa laude gaudeo; ipsius laude gaudeo, quo laudato non erubesco... Deus noster laudetur voluntate, ametur caritate; gratuitum sit quod amatur, & quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, non propter aliud. Si enim laudas Deum, ut det tibi aliquid aliud, iam non gratis amas Deum. Erubesceres, si te uxor tua propter divitias amaret & forte si tibi paupertas accideret, de adulterio cogitaret. Cum ergo te a coniuge gratis amari velis, tu Deum propter aliud amabis? Quod præmium accepturus es a Deo, o avare? Non tibi terram, sed se ipsum servat, qui fecit cælum & terram. *Voluntarie sacrificabo tibi:* noli ex necessitate. Si enim propter aliud laudas Deum, ex necessitate laudas. Si adesset tibi quod amas, non laudares Deum... Pete tu in hoc tempore quod tibi prosit in posterum: pete quod te adiuvet in æternum. Ipsum autem gratis dilige; quia melius ab eo non invenis quod det quam se ipsum; aut si invenis melius, hoc pete.

In Psalm. LXXVI. *num.* 2. *vers.* 2. *Voce mea*, inquit, *ad Dominum clamavi*. Sed multi clamant ad Dominum pro divitiis adquirendis, damnisque devitandis, pro suorum salute, pro stabilitate domus suæ, pro felicitate temporali, pro dignitate seculari; postremo pro ipsa etiam salute corporis, quæ patrimonium est pauperis. Pro his atque huiusmodi rebus multi clamant ad Dominum; vix quisquam propter ipsum Dominum. Facile quippe homini est quodlibet desiderare a Domino, & ipsum Dominum non desiderare: quasi vero suavius esse possit quod dat, quam ipse qui dat.

R. Quia hæc nisi prosint, obsunt ad salutem: at numquam licet id petere, id velle, quod noceat (D).

I. Quænam illa sunt, quæ vel prodesse, vel obesse possunt?

R. 1. Omnia bona temporalia, sive animi, sive corporis, sive naturæ, sive fortunæ.

2. Multa spiritualia bona, habita ratione temporis & circumstantiarum, possunt vel prodesse, vel obesse: verbi gratia, hoc vel illud vitæ institutum amplecti; horum vel illorum hominum uti familiari consuetudine; hoc vel illud nosse, vel ignorare; hic, vel illic morari. Hæc, aliaque id genus aliis prosunt, aliis obsunt ad salutem; nec ea petere a Deo licet, nisi quatenus esse profutura Deus noverit (E).

Quisquis ergo pro alia re qualibet clamat ad Dominum, nondum est transiliens. Hic vero transiliens... *vox mea*, inquit, *ad Deum*. Et numquid sioe caussa? Vide quid sequitur: *& adteudit mihi*. Vere tunc tibi adtendit, quando ipsum quæris, non quando per ipsum aliud quæris.

Num. 3. *vert.* 3. *In die tribulationis mea Deum exquisivi*. Quis es, qui hoc facis? In die tribulationis tuæ, vide quid exquiras. Si carcer facit tribulationem, exire de carcere exquiris: si febris facit tribulationem, sanitatem exquiris: si fames facit tribulationem, saturitatem exquiris: si damna faciunt tribulationem, lucrum exquiris: si peregrinatio facit tribulationem, civitatem tuæ carnis exquiris... Vis esse transiliens? In die tribulationis tuæ Deum exquire; non per Deum aliud, sed ex tribulatione Deum, ut ad hoc Deus removeat tribulationem, ut securus inhæreas Deo. *In die tribulationis mea Deum exquisivi*: non aliud aliquid, sed Deum exquisivi.

Epist. 130. *alias* 121. *ad Probam*, *cap.* 5. *num.* 11. *Vide supra huiusce cap.* §. 2. *litt.* (B)

(D) S. August. *Ibid.*

(E) S. August. *ubi supra*.

In Ioan. Evang. cap. 14. *Tract.* 73. *num.* 1..... *Ego ad Patrem vado, & quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam*. Sic ergo perrexit ad Patrem, ut non relioqueret indigentes, sed exaudiret petentes. Sed quid est, *quodcumque petieris*, cum videamus plerumque fideles eius petere, & non accipere? An forte propterea, quia male petunt? Nam hoc exprobravit Apostolus Iacobus dicens: *Petitis & non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis*. Male ergo usurus eo quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit. Proinde si hoc ab illo petitur, unde homo lædatur exauditus, magis metuendum est, oe quod posset non dare propitius, det iratus. An non videmus Israelitas malo suo impetrasse, quod culpabili concupiscentia petierunt?

[Ioan xiv. 12. & 13.] [Iacob. iv. 3.] [Num. xi. 32.]

Num. 4. Saoe quædam quamvis in nomine eius petamus, id est secuodum Salvatorem & secundum magistrum petamus: non tunc quando petimus facit, sed tamen facit. Neque enim quia & illud petimus, ut veniat regnum Dei, propterea non facit quod petimus, quia non statim cum illo in æternitate regnamus: differtur enim quod petimus, non negatur. Verumtamen orantes tamquam seminantes non deficiamus, tempore enim proprio metemus. Et simul petamus, quando bene petimus, ut non faciat quod non bene petimus: quia & ad hoc pertinet, quod in eadem oratione Dominica dicimus, *ne nos inferas in tentationem*. Neque enim parva est tentatio, si contra tuam sit caussam tua postulatio.

[Matth. vi. 10.] [Ibid. 13.]

In Psalm. LXXXV. *Serm. ad plebem in pervigilio sollemnitatis, forte S. Cypriani, & apud Carthaginem habitus*, *num.* 1.... Quando loquimur ad Deum deprecantes, non inde Filium separemus; & quando precatur corpus Filii, non a se separet caput suum; sitque ipse unus salvator corporis sui Dominus noster Iesus Christus Filius Dei, qui & oret pro nobis, & oret in nobis, & oretur a nobis. Orat pro nobis, ut Sacerdos noster; orat in

nobis, ut caput nostrum; oratur a nobis, ut Deus noster. Agnoscamus ergo & in illo voces nostras, & voces eius in nobis.... Orator ergo in forma Dei, orat in forma servi. Ibi creator, ibi creatus, creaturam mutandam non mutatus assumens, & secum nos faciens unum hominem, caput & corpus. Oramus ergo ad illum, per illum, in illo; & dicimus cum illo, & dicit nobiscum.... Noli aliquid dicere sine illo, & non dicit aliquid sine te.

Ps. lxxxv. 1. *Num.* 2. *Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me.* Ille ex forma servi dicit, tu serve in forma Domini Dei tui: *Inclina domine aurem tuam.* Inclinat aurem, si tu non erigas cervicem. Humiliato enim appropinquat: ab exaltato longe discedit, nisi quem ipse humiliatum exaltaverit.... *Inclina Domine aurem tuam & exaudi me: quoniam egenus, & inops sum ego.* Ergo non inclinat aurem ad divitem, & ad inopem & egenum inclinat aurem, idest, ad humilem & ad confitentem, ad indigentem misericordia; non ad saturatum, & extollentem se, & iactantem, quasi nihil ei
Luc. xviii. 11. desit, & dicentem: *Gratias tibi, quia non sum sicut Publicanus iste.* Dives enim Pharisæus iactabat merita sua, inops Publicanus confitebatur peccata sua.

Num. 3. Nec sic accipiatis, Fratres, quod dixi, ad divitem non inclinat aurem suam, tamquam non exaudiat Deus eos, qui habent aurum & argentum, & familiam, & fundos: si sic forte nati sunt, aut eum locum rerum humanarum tenent, tantum meminerint, quod
1. Tim. vi. 17. ait Apostolus: *Præcipe divitibus huius mundi non superbe sapere.* Qui enim non superbe sapiunt, in Deo pauperes sunt: & pauperibus, atque inopibus, & egenis inclinat aurem suam. Norunt enim spem suam non esse in auro & argento, neque in illis rebus, quibus ad tempus circumfluere videntur. Sufficit ut divitiæ non illos perdant, ut non obsint sat est: nam prodesse nihil possunt. Plane prodest opus misericordiæ & in divite & in paupere; in divite ex voluntate & opere, in paupere ex sola voluntate. Cum ergo talis est contemnens in se quidquid est unde superbia solet inflari, pauper Dei est: inclinat illi aurem suam, novit enim
Gen. xii. 10. contribulatum cor eius... Erat Abram in divitiis pauper humilis, tremens omnia præcepta & obaudiens. Usque adeo autem pro nihilo habebat illas divitias, ut iussus a Domino filium suum immolaret, Gen. xxii. 10.
cui servabat divitias. Discite ergo esse inopes & pauperes, sive qui habetis aliquid in isto seculo, sive qui non habetis. Nam & hominem mendicum invenis superbientem, & hominem habentem divitias invenis confitentem. *Resistit Deus* Iacob. iv. 6.
superbis, & holosericatis & pannosis: *humilibus autem dat gratiam*, & habentibus aliquam substantiam huius seculi & non habentibus. Interior inspector est Deus: ibi appendit, ibi examinat... Videte, quia meritum exauditionis suæ, idest, quo exaudiretur, in eo posuit, ut diceret: *Quoniam egenus, & inops ego* Ps. lxxxv. 1.
sum. Observa ne non sis egenus & inops: si non fueris non exaudieris. Quidquid est circa te vel in te unde possis præsumere, abiice a te: tota præsumptio tua Deus sit, illius indigens esto, ut ipse implearis. Quidquid enim aliud habueris sine ipso, latius inanis es.

Num. 4. *Custodi animam meam, quo-* Vers. 2.
niam sanctus sum. Hoc vero, *quoniam sanctus sum*, nescio utrum potuerit forte alius dicere, nisi ille qui sine peccato erat in hoc mundo; peccatorum omnium non commissor, sed dimissor... Ergo, *Quoniam sanctus sum*, cum audio, vocem eius agnosco, & hic separo meam? Certe inseparabiliter a corpore suo loquitur, cum sic loquitur. Et audebo ego dicere: *Quoniam sanctus sum?* Si sanctus tamquam sanctificans, & nullo sanctificante indigens; superbus & mendax: si autem sanctus sanctificatus, secundum id quod dictum est: *Sancti estote, quia & ego* Levit. xix. 2.
sanctus sum; audeat & Corpus Christi, audeat & unus ille homo clamans a fi- Ps. lx. 3.
nibus terræ cum capite suo, & sub capite suo dicere: *Quoniam sanctus sum.* Accepit enim gratiam sanctitatis, gratiam baptismi, & remissionis peccatorum.... Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati.. Dic Deo tuo sanctus sum quia sanctificasti me; quia accepi, non quia habui: quia tu dedisti, non quia ego merui.... De capite tuo dignitatem cape.

Num. 5. *Miserere mei Domine, quoniam* Vers. 3.
ad te clamavi tota die, non una die. *Tota die*, omni tempore intellige: ex quo Corpus Christi gemit in pressuris, usque in finem seculi quo transeunt pressuræ... Caput autem nostrum ad dexteram Rom. viii. 34.
patris interpellat pro nobis. Alia mem-

bra recipit, alia flagellat, alia mundat, alia consolatur, alia creat, alia vocat, alia revocat, alia corrigit, alia redintegrat.

Vers. 4. *Num. 6. Iocunda animam servi tui, quoniam ad te Domine levavi animam meam....* In terra enim erat, & in terra amaritudinem sentiebat: ne in amaritudine contabesceret, ne omnem tuæ gratiæ suavitatem amitteret, levavi eam ad te: iocunda eam apud te. Solus enim tu es iocunditas: amaritudine plenus est mundus.... Cor leva in cælum... Gradus, affectus sunt: iter tuum, voluntas tua est. Amando adscendis, negligendo descendis. Stans in terra, in cælo es, si diligas Deum.

Vers. 5. *Num. 7. Quoniam tu Domine suavis & mitis.* Quid est *mitis?* Portans me, donec perficias me... Videat (quisque) quanta aguntur in corde humano quemadmodum ipsæ plerumque orationes impediantur vanis cogitationibus, ita ut vix stet cor ad Deum suum; & vult se tenere ut stet, & quodammodo fugit a se, nec invenit cancellos quibus se includat, aut obices quosdam quibus retineat avolationes suas, & vagos quosdam motus, & stet iocundari a Deo suo. Vix est ut occurrat talis oratio inter multas orationes... Patitur ista nostra (Deus), & exspectat tamen a nobis orationem, ut perficiat nos & quando illi eam dederimus accipit grate, & exaudit; nec meminit tantas quas incondite fundimus, & accipit unam quam vix invenimus. Quis enim est, Fratres mei, homo, cum quo si cœperit amicus eius colloqui, & voluerit ille respondere colloquutioni eius, & viderit eum averti a se, & aliud loqui ad alium, qui hoc ferat? Aut si forte interpelles iudicem, & constituas eum loco ut te audiat, & subito cum ad eum loqueris, dimittas eum, & incipias fabulari cum amico tuo, quando te tolerat? Et tolerat Deus tot corda precantium, & diversas res cogitantium: omitto dicere & noxias, omitto dicere aliquando perversas, & inimicas Deo; ipsas superfluas cogitare iniuria est eius, cum quo loqui cœperas. Oratio tua loquutio est ad Deum. Quando legis, Deus tibi loquitur, quando oras, Deo loqueris, sed quid? Desperandum est de genere humano, & dicendum iam ad damnationem pertinere omnem hominem, cui subrepserit aliqua cogitatio oranti, & interruperit orationem ipsius? Si hoc dixerimus, Fratres, quæ spes remaneat, non video. Porro quia est aliqua spes ad Deum, quia magna est eius misericordia; dicamus ei: *Iocunda animam servi tui, quoniam ad te, Domine, levavi animam meam.* Et quomodo eam levavi? Quomodo potui, quomodo tu vires dedisti, quomodo eam fugientem apprehendere valui.

Vers. 5. *Num. 8. Et multum misericors.* Non enim solum misericors, sed *multum misericors.* Abundat enim iniquitas nostra, abundat & misericordia tua. *Et multum misericors et omnibus invocantibus te.* Et quid est quod dicit multis locis Scriptura? Quia invocabunt, & non exaudiam eos; (certe *misericors omnibus invocantibus te:*) nisi quia quidam invocantes, non ipsum invocant?... Invocas quidquid vis ut veniat ad te. Porro si Deum propterea invocas, ut veniat ad te pecunia, ut veniat ad te hereditas, ut veniat ad te secularis dignitas, illa invocas quæ vis ut veniant ad te: sed Deum tibi adiutorem ponis cupiditatum, non exauditorem desideriorum. Deus bonus, si det quod vis. Quid, si male vis, nonne erit magis non dando misericors? Porro si non dederit, iam nihil tibi Deus est: & dicis, Quantum rogavi, quam sæpe rogavi, & non sum exauditus! Quid enim petebas? Forte mortem inimici tui. Quid si & ille petebat tuam? Qui te creavit, ipse & illum; homo es, homo est & ille: Deus autem iudex est; audit ambos, & non exaudit ambos. Tristis es, quia non es exauditus contra illum: gaude, quia non est exauditus contra te. Ego, inquis, non hoc petebam; non inimici mei petebam mortem, sed vitam petebam filii mei. Quid mali petebam? Nihil mali petebas, sicut tu sentiebas. Nam quid, si ille, *raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius?* Sed peccator, inquis, erat; & ideo volebam eum vivere, ut corrigeretur. Tu volebas eum vivere, ut melior esset: quid si Deus noverat, si viveret, peiorem futurum? Unde ergo nosti, quid illi prodesset, mori an vivere? Si ergo non nosti, redi ad cor tuum, dimitte Deo consilium suum. Quid ergo, inquis, faciam? Quid orem? Quid ores? Quod te docuit Dominus, quod te docuit cælestis magister. Invoca Deum tamquam Deum; ama Deum tamquam Deum. Illo melius nihil est: ipsum desidera, ip-

Prov. 1. 28.

Sap. IV. 11.

Digitized by Google

PARS III. SECT. II. CAP. I. §. 7.

§. 7. *Quæ sint conditiones orationis.*

I. Qua ratione orandum est ut impetrentur a Deo quæ recta sunt? Quis rectus orandi modus?

R. Orandum 1. In nomine Christi: 2. In spiritu & veritate: 3. Cum

---

sum concupisce. Vide invocantem Deum
Ps. xxvi. 4. in alio Psalmo: *Unam petii a Domino, hanc requiram*. Quid est quod petit? *Ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ*. Ut quid hoc? Ut contempler delectationem Domini. Si ergo amator Dei esse vis, sincerissimis medullis castisque suspiriis ipsum dilige, ipsum ama, illi flagra, illi inhia, quo jocundius nihil invenis, quo melius, quo lætius, quo diuturnius. Quid enim tam diuturnum, quam id quod est sempiternum? Non times ne aliquando a te pereat, qui facit ne tu pereas? Si ergo tu invocas Deum, tamquam Deum, securus esto, exaudiris.

Num. 9... Redi ad conscientiam tuam, libra, interroga, parcere illi noli. Si vere Deum invocasti, certus esto, quia id forte quod volebas temporaliter ideo non dedit, quia non tibi proderat. *Ædificetur in hoc cor vestrum*, Fratres, cor Christianum, cor fidele: ne incipiatis tristes facti, veluti fraudati desideriis vestris, ire in indignationem contra
Act. ix. 5. Deum. Etenim non expedit adversus stimulum calcitrare. Recurrite ad Scripturas; Exauditur diabolus, non exauditur Apostolus. Quid vobis videtur?
Matth. viii. 32. Quomodo exaudiuntur dæmones? Petierunt se ire in porcos, & concessum est eis. Quomodo exauditus est diabolus?
Iob. i. 12. Petiit Iob tentandum, & accepit. Quo-
2. *Cor.* xii. 7. modo non exauditus est Apostolus? *In magnitudine*, inquit, *revelationum ne extollar datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogavi, ut auferret eum a me & dixit mihi, sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur*. Exaudivit eum, quem disponebat damnare, & non exaudivit eum quem volebat sanare. Nam & æger petit multa a medico, non dat medicus: non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad sanitatem. Ergo medicum tuum pone Deum, pete ab illo salutem, & salus tua ipse erit: non quasi salutem extrinsecus, sed ut salus ipse sit; ne rursus ames aliam salutem, præter ipsum. Sed quomodo ha-

bes in Psalmo: *Dic animæ meæ: Salus tua ego sum*... Considerate, Fratres, quæ *Ps.* xxxiv. 3.
dat Deus peccatoribus; & hinc intelligite, quid servet servis suis. Peccatoribus blasphemantibus eum quotidie dat cælum & terram, dat fontes, fructus, salutem, filios, copias, ubertatem: hæc omnia bona non dat nisi Deus. Qui talia peccatoribus dat, quid eum putas servare fidelibus suis? Hoccine de illo sentiendum est, quia, qui talia malis dat, nihil servat bonis? Immo vero servat, non terram, sed cælum. Vilius forte aliquid dico, cum dico cælum: sed seipsum, qui fecit cælum. Pulcrum est cælum, sed pulcrior est fabricator cæli... Sed plane cum patientia salutem exspecta. Quibus te medicamentis curet, ille novit; quibus sectionibus, quibus ustionibus, ille novit. Tu tibi ægritudinem comparasti peccando: ille venit non solum fovere, sed & secare & urere. Non vides quanta homines patiantur sub medicorum manibus, spem incertam homine promittente? Sanaberis, dicit medicus, sanaberis si secuero. Et homo dicit, & homini dicit: nec qui dicit certus est, nec qui audit; quia ille dicit homini, qui non fecit hominem, & non perfecte scit quid agatur in homine; & tamen ad verba hominis plus nescientis quid agatur in homine, credit homo, subdit membra, ligari se patitur, aut plerumque etiam non ligatus secatur, aut uritur; & accepit forte salutem paucorum dierum, iam sanatus quando moriatur ignorans, & fortasse dum curatur, moritur, & fortasse curari non poterit. Cui autem promisit Deus aliquid, & fefellit?

Num. 10. *Auribus infige, Domine, orationem meam*. Magnus orantis affectus. *vers.* 6.
Auribus infige, Domine, orationem meam: id est, non exeat de auribus tuis oratio mea, fige illam in auribus tuis. ... Respondeat Deus & dicat nobis. Vis figam orationem tuam in auribus meis? Fige in corde tuo legem meam.

Epistola ad Prob. c. 14. *n.* 25. *Vide supra huiusce c.* §. 2. *litt.* (B)

humilitate, & compunctione cordis: 4. Cum attentione, atque adeo cum prævia mentis præparatione: 5. Cum fiducia: 6. Cum perseverantia.

I. Conditio. *Orandum in nomine Christi*.

I. Quid hoc rei est, *orare in nomine Christi?*

R. Est petere per Christum & in Christo quidquid necessarium est ad salutem. Si quid enim aliud peteretur, etiam interposito Christi nomine, non tamen propterea censeretur in nomine Christi facta Pars III. Sect. II. Cap. I. oratio: *Non enim petitur in nomine Salvatoris quidquid petitur contra* §. 7. *rationem salutis*, inquit sanctus Augustinus (A). Tract.102.in Ioan. n. 1.

I. Cur orandum in nomine Christi?

R. Quia, *nullum aliud nomen datum hominibus, in quo nos oporteat salvos fieri. Unus mediator Dei, & hominum Deus & homo Christus Iesus, per quem solum habemus accessum ad Deum* (B). Act. iv. 12. 1. Tim. ii.5. Rom. v. 2.

I. Fiuntne in nomine Christi o-

(A) S. August. *in Ioan. Evang. cap. xiv. Tract.* 73. *num.* 2. Quomodo ergo intelligendum est: *Quodcumque petieritis, hoc faciam*, si Deus aliquis petentibus fidelibus etiam consulendo non facit? An forte solis Apostolis dictum debemus accipere? Absit... Numquid in eum soli Apostoli crediderunt? Ad eos itaque loquebatur, dicendo, *qui credidit in me*, in quibus, eo donante, etiam nos sumus, qui utique non quodcumque petierimus, accipimus. vers. 13.

Num. 3. Evigila igitur, homo fidelis, & vigilanter audi quo illic positum est, *in nomine meo*.... Qui promisit ergo tam magnum beneficium, quid vocatur? Utique Christus Iesus; Christus significat regem, Iesus significat Salvatorem: non utique nos salvos faciet, quicumque rex, sed rex salvator: ac per hoc quodcumque petimus adversus utilitatem salutis, non petimus in nomine Salvatoris. Et tamen ipse Salvator est, non solum quando facit quod petimus verum etiam quando non facit: quoniam quod videt peti contra salutem, non faciendo potius se exhibet Salvatorem. Novit enim medicus, quid pro sua, quid contra suam salutem poscat ægrotus; & ideo contraria poscentis non facit voluntatem, ut faciat sanitatem. Quapropter quando volumus ut faciat quodcumque petimus, non utcumque, sed in nomine eius petamus, hoc est in nomine Salvatoris petamus. Non ergo contra nostram salutem petamus..... Propterea non solum Salvator, sed etiam magister bonus, ut faciat quodcumque petierimus, in ipsa oratione quam nobis dedit, docuit quid petamus: ut etiam sic intelligamus, non petere nos in nomine Magistri, quod petimus præter regulam ipsius magisterii. *Tract.* 102. *in Ioan. num.* 1. *&* 2. *Vide superius* §. 3. *huiusce cap. litt.* (D)

(B) S. August. *Lib.* 1. *Confess. cap.* 5. *num.* 5. Quis mihi dabit adquiescere in te? Quis mihi dabit ut venias in cor meum, & inebries illud, ut obliviscar mala mea, & unum bonum meum amplectar te? Quid mihi es? Miserere, ut loquar. Quid tibi sum ipse ut amari te iubeas me, & nisi faciam irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? Parvane ipsa est, si non amem te? Hei mihi! Dic mihi per miserationes tuas, Domine Deus meus, quid sis mihi. *Dic animæ* Ps. xxxiv.3. *meæ: Salus tua ego sum*. Sic dic, ut audiam. Ecce aures cordis mei ante te, Domine, aperi eas, & *dic animæ meæ: Salus tua ego sum*. Curram post vocem hanc, & apprehendam te. Noli abscondere a me faciem tuam; moriar, ne moriar, ut eam videam.

Num. 6. Angusta est domus animæ meæ, quo venias ad eam: dilatetur abs te. Ruinosa est: refice eam. Habet quæ offendant oculos tuos, fateor & scio; sed quis mundabit eam? aut cui alteri præter te clamabo? *Ab occultis meis munda* Ps. xviii.13. *me, Domine, & ab alienis parce servo* & 14. *tuo*. Credo, propter quod & loquor, Domine tu scis. Nonne tibi proloquutus sum adversum me delicta mea, Deus meus; & tu dimisisti impietatem cordis mei?

PARS III. SECT. II. CAP. I. §. 7.

rationes ad Sanctos ab Ecclesia Catholica directæ?

R. Fiunt: nam id unum a Sanctis petimus, ut ipsi nobiscum Christum orent, & apud eum pro nobis intercessores accedant: nec patet ipsis ad Deum Patrem aditus nisi per Christum (C).

I. Adoratio, laus, gratiarum actio, sacrificium, oblatio, debentne & in Christi nomine fieri?

R. Debent. Hæc enim omnia, orationis species sunt, quibus fertur anima ad Deum; non potest autem ad Deum ferri anima, nisi per Christum. Alia via non patet aditus ad Deum.

II. Conditio. *Orandum in spiritu & veritate.*

I. Quid hoc rei est orare in spiritu & veritate?

R. Est orare ex corde, & ea mente, ut oratio exaudiatur (D).

I. Cur orandum in spiritu & veritate?

R. Quia *Deus spiritus est, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate adorare oportet. Pater enim tales quærit, qui adorent eum.* Qui secus faxint imitantur iudæos, & hypocritas, de quibus ait Christus: *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me* (E). Joan. IV. 24. Ibid. 23. Isai. XXIX. 13. Matth. XV. 8.

III. Conditio. *Orandum cum humilitate, & compunctione cordis.*

I. Quid hoc rei est, orare cum humilitate & compunctione cordis?

R. Est abiicere se coram Deo in

Non iudicio contendo tecum, qui veritas es; & ego nolo fallere me ipsum, ne mentiatur iniquitas mea sibi. Non ergo iudicio contendo tecum; quia *si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?* Ps. CXXIX. 3.

Lib. 10. *cap.* 43. *num.* 69. Quomodo nos amasti, Pater bone, qui Filio tuo unico non pepercisti, sed pro nobis impiis tradidisti eum? Quomodo nos amasti, pro quibus ille, non rapinam arbitratus esse æqualis tibi, factus est subditus usque ad mortem crucis, unus ille in mortuis liber, potestatem habens ponendi animam suam, & potestatem habens iterum sumendi eam; pro nobis tibi victor, & victima; & ideo victor, quia victima: pro nobis tibi Sacerdos, & sacrificium; & ideo Sacerdos, quia Sacrificium: faciens tibi nos de servis filios, de te nascendo, nobis serviendo. Merito mihi spes valida in illo est, quod sanabis omnes languores meos, per eum qui sedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis; alioquin desperarem. Multi enim & magni sunt iidem languores mei, multi sunt & magni; sed amplior est medicina tua. Philipp. II. 6. & 8.

(C) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 25. *Tit. de invocatione sanctorum. Vide supra huiusce cap.* § 3. *litt.* (A)

(D) S. CYRILL. ALEX *Lib* 17. *de adoratione & cultu in spiritu & veritate Tom.* 1. *Omnes evolvendi sunt, si quid sit adorare in spiritu & veritate cupias pernoscere.*

Lege S. AUGUST. *Epist.* 130. *alias* 121. *ad Probam, præsertim cap.* 13. *num.* 24. *supra* §. 2. *huiusce capitis, litt.* (B)

(E) MATTH VI 5. Cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam... Nolite ergo assimilari eis.

S. CYRILLUS ALEXANDR. *de adoratione in spiritu & veritate, lib.* 14 *pag.* 512. Ante itaque purificari eos necesse est, qui fuerunt divinæ familiaritatis amatores, quibusque propositum est animo ad omne virtutis genus prompto atque alacri illi velut assistere atque ministrare: eiusmodi vero qui fuerit, is non ineptus erit iam ad ipsum quoque Deum aliquatenus contemplandum.

Digitized by Google

oratione, deprimere se, gerere se pro mendico, & egeno, ad Deum de profundo miseriæ clamare, & misericordiam gemitibus impetrare (F).

I. Cur sic orandum?

Iac. IV. 6. *R.* 1. Quia *superbis resistit Deus,*
Pſ. L. 19. *humilibus autem dat gratiam. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despicit*, superbum & elatum despicit.

2. Quia revera egeni sumus, & pauperes, & infirmi, & peccatores, nec possumus vel resurgere, vel stare sine Dei auxilio (G).

(F) Eccles. XXXV. 21. Oratio humiliantis se nubes penetrabit: & donec appropinquet non consolabitur: & non discedet donec altissimus aspiciat.

Iudith. IX. 16. Non enim in multitudine est virtus tua Domine .... Nec superbi ab initio placuerunt tibi; sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.

Isaiae LXVI. 2. ... Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?

Psal. XXXIII. 19. Iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu salvabit.

Psal. CI. 18. Respexit in orationem humilium, & non sprevit precem eorum.

Luc. VII. 6. Misit ad eum (Iesum) Centurio amicos, dicens: Domine noli vexari: non enim sum dignus ut sub tectum meum intres. Propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te: sed dic verbo, & sanabitur puer meus.

XVIII. 11. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in sabbato: decimas do omnium quæ possideo. Et publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cælum levare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo: Quia omnis qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

(G) S. August. *in Psal.* LXVIII. *serm.* 2. *num.* 14. Discamus esse pauperes & dolentes. *Beati enim pauperes, quoniam* Matth. V. 3. & 5.
ipsorum est regnum cælorum: & , Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Hoc ergo ipse prius iam nobis ostendit: & ideo *pauper, & dolens ego sum.* Totum corpus eius hoc dicit. Corpus Christi in hac terra pauper est & dolens. Sed sint divites Christiani, prorsus si Christiani sunt, pauperes sunt; in comparatione divitiarum cælestium quas sperant, omne aurum suum arenam deputant. *Pauper & dolens ego sum.* Pſ. LXVIII. 30.

Num. 15. *Et salus vultus tui, Deus, suscepit me.* Numquid desertus est pauper iste? Quando tu dignaris pannosum pauperem applicare ad mensam tuam? Porro autem pauperem istum salus vultus Dei suscepit: in vultu suo abscondit eius egestatem. De illo quippe dictum est: *Abscondes eos in abscondito vultus tui.* In illo autem vultu quæ sint divitiæ, vultis nosse? Divitiæ istæ hoc tibi præstant, ut quod vis, quando vis prandeas: illæ vero, ut numquam esurias. *Pauper & dolens ego sum; & salus vultus tui, Deus, suscepit me* ... Ad quam rem? Ut iam non sim pauper, non sim dolens? *Laudabo nomen Dei cum cantico, magnificabo eum in laude.* verſ. 30. Pſ. XXX. 21. Pſ. LXVIII. 30. verſ. 31.

Num. 16. *Et placebit Deo:* hoc, quod eum laudabo, placebit: *super vitulum novellum, cornua producentem & ungulas.* Gratius illi erit sacrificium laudis, quam sacrificium vituli. *Sacrificium laudis glorificabit me, & ibi via est in qua ostendam illi salutare Dei: Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Ergo laudabo Deum; & plus ei placebit, quam vitulus novellus, cornua producens & ungulas. Amplius ergo placebit Deo laus eius exiens de ore meo; quam magna victima adducta ad aram ipsius. verſ. 32. Pſ. XLIX. 23. Ibid. 14.

Num. 18. *Quoniam exaudivit pauperes Dominus.* Exaudivit pauperes, nec exaudiret pauperes, nisi essent pauperes. Vis exaudiri? Pauper esto: dolor de te clamet, non fastidium. *Quoniam exaudivit* verſ. 34.

Pars III. Sect. II. Cap. I. §. 7.

IV. Conditio. *Orandum attente, atque adeo cum prævia præparatione.*

I. Quid hoc rei est orare attente?

R. Est sic orare, ut cogitemus quis, quid, cui loquamur.

I. Cur orandum attente?

R. Ut facilius exaudiamur.

I. Inutiles ergo & infructuosæ sunt orationes, si sine mentis attentione, & cum mentis distractione fiant?

R. Si distractio voluntaria sit, inutilis oratio est: sin minus, miseretur Deus infirmitatis humanæ,

---

pauperes Dominus, & compeditos suos non sprevit. Offensus a servis, fecit eos compeditos: sed clamantes de compedibus non contempsit. Quæ sunt istæ compedes? Mortalitas, corruptibilitas carnis, compedes sunt, quibus ligati sumus. Et vultis nosse istarum compedum gravitatem? Inde dicitur: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam.* (Sap. IX. 15.) Quando homines in seculo divites esse volunt, istis compedibus pannos quærunt. Sed sufficiant panni compedum: tantum quære, quantum depellendæ necessitati satis est. Cum autem superflua quæris, compedes tuas onerare desideras. In tali ergo custodia vel solæ compedes remaneant. *Sufficiat diei malitia sua.* (Matth. VI. 34.) De ista malitia clamamus ad Deum: *Quoniam exaudivit pauperes Dominus, & compeditos suos non sprevit.*

(vers. 10.) *Serm.* 2. *Psal.* XXIX. *n.* 19.... *Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* Confessio gemina est, aut peccati, aut laudis. Quando nobis male est, in tribulationibus confiteamur peccata nostra; quando nobis bene est, in exultatione iustitiæ confiteamur laudem Deo: sine confessione tamen non simus.

Num. 22.... Gemit tibi humilitas mea, cantabit tibi gloria mea... Confitenti iniquitatem tuam dimittit tibi peccata tua, ut ei postea laudes ipsius confitens in æternum, non compungaris peccato.

Enarrat. 2. *in Psal.* XXXIII. *vers.* 7. *n.* 11.... *Iste inops clamavit, & Dominus exaudit eum.* Docet te quomodo exaudiaris. Ideo non exaudiris, quia dives es. Ne forte clamabas, & non exaudiebaris. audi quare: *Iste inops clamavit, & Dominus exaudivit eum.* Inops clama, & exaudit Dominus. Et quomodo clamabo inops? Ut & si habes aliquid, non inde præsumas de viribus tuis: ut intelligas te indigentem, ut intelligas te tamdiu esse pauperem, quamdiu non habes illum, qui facit te divitem.

S. Bernard. *serm.* 36. *in Cantica*, *n.* 5. Quomodo non vere humiliabitur (anima) in hac vera cognitione sui, cum se perceperit oneratam peccatis: mole huius mortalis corporis aggravatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum fæce infectam, cæcam, curvam, infirmam, implicitam multis erroribus, expositam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspicionibus obnoxiam, mille necessitatibus ærumnosam, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes? Unde huic iam extollentia oculorum, unde levare caput? Nonne magis convertetur *in ærumna sua, dum configitur spina?* (Ps. XXXI. 4.) Convertetur, inquam, ad lacrimas, convertetur ad planctus & gemitus, convertetur ad Dominum, & in humilitate clamabit: *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* (Ps. XL. 4.) Porro conversa ad Dominum recipiet consolationem, quia pater est misericordiarum, & Deus totius consolationis.

N. 6. Ego quamdiu in me respicio, in amaritudine moratur oculus meus: si autem suspexero, & levavero oculos ad divinæ miserationis auxilium; temperabit mox amaram visionem mei visio læta Dei, cui & dico: *Ad me ipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui.* (Ps. XLI. 7.) Nec mediocris Dei visio, pium & deprecabilem experiri, sicut revera benignus & misericors est, & præstabilis super malitia: quippe, cuius natura bonitas, & cui proprium est misereri semper & parcere. Tali itaque experimento, & tali ordine salubriter innotescit Deus, cum prius se homo noverit in necessitate

& exaudit orantes ex intimo amoris affectu, licet aliqua cogitatio aliena subrepserit minus cauta (H).

I. Quandonam distractio mentis voluntaria censetur?

R. Voluntaria esse potest, vel in se, vel in sua caussa.

In se, si aliud consulto & data opera cogitetur inter orandum.

In sua caussa, si illa mentis

---

positum, & clamabit ad Dominum, & exaudiet eum, & dicet: *Fruam te & honorificabis me*. (Ps. xlix. 23.)

Iudith. ix. 16. *Vide litt. super.*

(H) S. Aug. *in Ps.* lxxxv. *num.* 7. *Vide supra* §. 6. *huiusce cap. litt.* (E)

In Psal. cxviii. *Serm.* 29. *num.* 1. Clamor ad Dominum, qui fit ab orantibus, si sonitu corporalis vocis fiat, non intento in Deum corde; quis dubitet inaniter fieri? Si autem fiat corde, etiam silente corporis voce; alium quemlibet hominem potest latere, non Deum. Sive ergo cum voce carnis, quando id opus est, sive cum silentio, ad Deum, cum oramus, corde clamandum est. Est autem clamor cordis, magna cogitationis intentio; quæ cum est in oratione, magnum exprimit desiderantis & petentis affectum, ut non desperet effectum. Tunc porro in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur.

Enarrat. in Psal. cxxxix. *num.* 10..... (David) velut evidentius exprimens affectum animi sui, ait, *vocem deprecationis meæ*, vitam deprecationis meæ, animam deprecationis meæ, non quod sonat in verbis meis, sed unde vivunt verba mea. Ceteri enim strepitus sine anima, soni dici possunt, voces non possunt. Vox proprie animatorum est, vivorum est. Quam multi autem deprecantur Deum, & non sentiunt Deum, nec bene cogitant de Deo? Sonum deprecationis habere possunt, vocem non possunt; quia vita ibi non est. Huius qui vivebat, quia Deum suum intelligebat, & a quo liberaretur videbat, & a quibus liberaretur sentiebat, ipsa erat vox deprecationis eius.

S. Ioan. Chrysost. *de Anna Homil.* 2. *n.* 2.... Nam omnes quidem oramus, sed non omnes in conspectu Dei. Etenim cum corpore prostrato, & ore temere delirante, mens ubique per domum ac forum circumvagatur: quo ore talis posset dicere, quod oraverit in conspectu Dei? Nam in conspectu Domini orat, qui orat undique colligens suam mentem, nihil habens cum terra commercii; sed ad ipsum cælum totus commigrans, omni cogitatione humana ab animo depulsa: quemadmodum id temporis hæc fecit mulier; totam enim sese collegerat, ac mentem intenderat, atque ita Deum invocavit animo dolente.

S. Cyprian. *De Orat. Dominica*, *pag.* 107. *Edit. Oxon.* Quando autem stamus ad orationem, Fratres dilectissimi, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet quod precatur. Ideo & Sacerdos ante orationem præfatione præmissa, parat fratrum mentes, dicendo: *Sursum corda*; ut dum respondet plebs, *habemus ad Dominum*, admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adversarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei, tempore orationis adire patiatur: obrepit enim frequenter & penetrat, & subtiliter fallens preces nostras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, & aliud in voce; quando intentione sincera Dominum debeat non vocis sonus, sed animus & sensus orare. Quæ autem segnitia est alienari & rapi ineptis cogitationibus & profanis, cum Dominum deprecaris, quasi sit aliud quod magis debeas cogitare quam quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri a Domino postulas, cum te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui cum rogas, quando tu ipse memor tui non sis? Hoc est, ab hoste in totum non cavere; hoc est, quando oras Deum, maiestatem Dei negligentia orationis offendere; hoc est, vigilare oculis, & corde dormire; cum debeat Christianus, & cum dormit oculis, corde vigilare, sicut scriptum est ex persona Ecclesiæ loquentis in cantico canticorum: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* (Cant. v. 2.)

Digitized by Google

Quspropter sollicite, & caute Apostolus admonet, dicens: *Instate orationi vigilantes in ea*; docens scilicet, & ostendens, eos impetrare quod postulant de Deo posse, quos Deus videat in oratione vigilare. (Coloss. IV. 2.)

S. Bernard. Abbas, *Serm. 25. de diversis num.* 5. Fiducialiter iam postulare potest qui eiusmodi est: tantum caveat, ne forte aut postulet non postulanda; aut nimis postulet quæ a Deo sunt postulanda: aut ea tepide quærat, quæ toto affectu, & omni tempore sunt quærenda. *Petitis & non accipitis*, ait Iacobus, *eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis*. (Iacob. IV. 3.) Sic agit omnis qui terrena quærit ultra necessitatem, qui mundialem gloriam sectatur, aut voluptatem. Tale est etiam quod solent seculares homines mortem inimicorum in orationibus postulare, coteraque similia quæ non oportet. An vero temporalia, si defuerint, petenda quidem sunt, quantum necessitas humana requirit; sed iuxta beati Gregorii sententiam, non sunt hæc nimie requirenda. In quo genere etiam illa, spiritualia sunt, sine quibus nihilominus salus constare potest, ut sermo scientiæ, gratia curationum, omniaque de quibus certum non habemus quod expediant nobis: utpote si te fatiget tentatio, supplicandum quidem pro ea ut auferatur a te; sed non nimis obnixe, quoniam in talibus meminisse semper oportet Apostolicæ illius sententiæ: *Nos enim quid oremus, sicut oportet, nescimus*; (Rom. VIII. 26.) & Deo magis committere, quam temere aliquid apud nos definire. Hæc autem sunt toto affectu, & omni tempore postulanda: hæc sunt. pro quibus incessanter & quam obnixe poterunt ad Deum clament desideria tua: ut habeas gratiam eius bonam, & placere possis in oculis pietatis ipsius, & in eo vivas, & moriaris in ipso, ut gloriam eius videre, & ipso frui in perpetuum merearis. De his enim dictum est: *Sine intermissione orate*. (Luc. XVIII. 2.) Unde, & Propheta, *Exquisivit*, inquit, *te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram*: (Ps. XXVI. 13.) & alibi, *Unam*, ait, *petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*. (Ibid. 7.)

Num. 7. Iam vero de reverentia orationis, in eo quod lectum est in capitulo ipsius Regulæ, (Reg. S. Bened. c. 20.) vos modo sollicitavit auctoritas, ex cuius occasione aliqua de oratione dicenda notavi. Illud tamen breviter dico; nonnullos ... experiri interdum in oratione aridiratem, & hebetudinem quamdam mentis: ut solis orantes labiis, non satis attendant, neque quid dicant, neque cui loquantur, pro eo quod velut ex consuetudine quadam cum minus digna reverentia & sollicitudine accesserunt. Quid enim aliud cogitare debet frater intrans ad orationem, quam propheticum illud: *Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei?* (Ps. XLI. 4.) Omnino siquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare cælestem, illam utique curiam, in qua Rex Regum stellato sedet solio, circumdante innumerabili & ineffabili beatorum spirituum exercitu. Unde & ipse qui viderat, quia maiorem numerum non invenit, *Millia*, ait, *millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*. (Dan. VII. 10.) Quanta ergo cum reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet, a palude sua procedens, & repens ranuncula vilis? Quam tremebundus, quam supplex, quam humilis, quam denique sollicitus & toto intentus animo maiestati gloriæ, in præsentia angelorum, in concilio iustorum & congregatione sanctorum, assistere poterit miser homuncio?

Num. 8. In cunctis igitur actionibus nostris multa opus est animi vigilantia, sed præcipue in oratione. Etenim, sicut in Regula nostra legimus, (S. Bened. c. 19.) licet hora omni & omni loco oculi Domini nos speculentur, maxime tamen in oratione. Licet enim semper videamur, sed tunc etiam præsentamus & ostendimus nos quasi facie ad faciem cum Deo loquentes. Porro quamvis ubique sit Deus, in cælo tamen orandus est, ibique orationis tempore cogitandus: ut mens nostra non oratorii tecto, non aeris spatio, non ipsa retardetur nubium densitate, iuxta eam formam, quæ nobis a Christo tradita est, ubi ait: *Sic orabitis: Pater noster, qui es in cælis*. (Matth. VI. 9.) Cælum enim quadam prærogativa etiam sedes, sive thronus Dei vocatur: quia ad eam comparationem, qua Deum in cælis Angeli sancti, & electorum animæ vident, nos miseri & peregrini super terram vix solum nomen habere videmur. Sic igitur oret qui orat, tamquam assumptus, & præsentatus ei, qui sedet super excelsum thronum in Angelis, qui minime cæci-

Digitized by Google

aberratio hinc orta sit, quod quis solis rebus exterioribus & transitoriis deditus, & mundi amore captus semper extra se versetur.

Matth. xii. 34. Quod ut perfectius intelligatur, adverte quod ait Christus, *Ex abundantia cordis os loquitur*, id in oratione non minus quam in privatis colloquiis locum habere. Lib. 1. de moribus Eccles. Cath. c. 17. n. 31. *Amore*, inquit Sanctus Augustinus, *petitur amore quæritur, amore pulsatur, amore revelatur, amore denique in eo quod revelatum fuerit permanetur*. Si ergo nullo cor nostrum amore Dei, sed sola mundi cupiditate flagrat, si solis exterioribus delectatur, si fascinatione nugacitatis absorbetur, his rebus iugiter mens occupata, & inter orandum his solum occupabitur: vagabitur semper extra se. Est autem illa mentis evagatio voluntaria saltem in sua caussa: nam mundi cupiditas, illius distractionis caussa, voluntaria est (I).

---

deruat; & elevatum in hominibus, quos suscitavit de pulvere inopes, & erexit de Ps. xii. 7. stereore pauperes. Sic, inquam, semetipsum consideret, & sic attendat, tamquam præsentatum Domino maiestatis Gen. xviii. 27. ut dicat cum Abraham: *Loquar ad Dominum meum: cum sim pulvis & cinis:* & quia tuo præcepto commonitus, tua institutione formatus, id præsumo, Domine, fons pietatis.

(I) S. Bernard. Abb. *In Ascens. Dom. Serm.* 5. *num.* 6. Hinc quidem sursum trahimur, sed retrahimur inde deorsum.

Num. 7. Nimirum advertere potes in omnibus fere relligiosis congregationibus viros repletos consolatione... die ac nocte meditantes in lege Dei, crebro suspicientes in cælum; & puras manus in oratione levantes.... Contra sane invenire est homines pusillanimes & remissos, deficientes sub onere, virga & calcaribus indigentes; quorum oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione... Exsurgamus, obsecro, quicumque huiusmodi sumus, resarciamus animas, spiritum recolligamus, abiicientes perniciosam tepiditatem, & si non quia periculosa est, & Deo solet (ut interdum miserabiliter plangimus) etiam vomitum provocare; certe quia molestissima, plena miseriæ & doloris, inferno plane proxima, & umbra mortis iure censetur.

Num 8. Si quærimus quæ sursum sunt, etiam sapere, & prælibare interim studeamus. Forte enim poterit intellectui, & affectui non inconvenienter aptari, quod & quærere quæ sursum sunt, & sapere admonemur: ut in principalibus.... membris suis nostra corda manibus quibusdam pii conatus & exercitii spiritualis levare studeamus ad Deum. Omnes (ni fallor) quæ sursum sunt quærimus intellectu fidei, & iudicio rationis; sed non æque forsitan sapimus omnes quæ sursum sunt, tamquam inescatis his quæ sunt super terram, violento quodam præiudicio affectionis. Unde enim ea, quam paullo ante ostendimus, animorum diversitas, tanta disparilitas studiorum, conversationum tanta dissimilitudo? Unde spiritualis gratiæ inopia tanta quibusdam, cum aliis copia tanta exuberet? Profecto nec avarus, nec inops est gratiæ distributor; sed ubi vacua vasa desunt, stare oleum necesse est. Undique sese ingerit amor mundi: cum consolationibus, immo desolationibus suis observat aditus, per fenestras irruit, mentem occupat, sed non eius qui dixit: *Renuit consolari anima mea; memor fui Dei & delectatus sum*. Ps. lxxvi. 3. Præoccupatum nempe secularibus desideriis animum delectatio sancta declinat; nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis, ut pariter sapias quæ sursum sunt, & quæ super terram.

S. Aug. *In Ioan. Evang. c.* 1. *Tract.* 6. *num.* 1. *in fine*. Amor noster pro invicem gemat ad Deum: ipse enim gemitus columbæ est.

Num. 2. Si ergo gemitus columbæ est, quod omnes novimus, gemunt autem columbæ in amore; audite quid dicat Apostolus.... *Quid enim oramus sicut oportet*, inquit, *nescimus: sed ipse spi-* Rom. viii. 26.

Pars III Sect. II. Cap. I. §. 7.

I. Quid facto opus, ut caveantur facilius, quæ subinde obrepunt in oratione, mentis evagationes?

R. Faciendum quod monet Spiritus sanctus his verbis: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Eccli. XVIII. 23.

Quæ verba ut intelligantur, advertendum est tentari Deum ab eo, qui se exponit peccati periculo; qui autem imparatus accedit ad orationem exponit se periculo orandi voluntarie sine attentione, quod quidem peccatum esse iam diximus.

I. Quæ præparatio prævia esse debet orationi?

R. Præparatio ad orationem alia remota, alia proxima.

Remota in eo posita est ut agatur vita iuxta leges Evangelicas, a mundi cupiditatibus, & ab otio, & a nugis aliena.

Proxima in eo posita est, ut ante orationem mens ad se redeat, cogitet quale negotium agendum sit, ante cuius conspectum veniatur, qua oratione orandum sit. *Cum oraveris*, inquit Christus, *intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum.* Hic de ostio cordis præcipue agitur. Matth. VI. 6.

I. Cur ais hanc ad orationem necessariam esse dispositionem præviam, ut agatur vita iuxta leges Evangelicas? Id enim si ita est, qui nondum alieni sunt a mundi cupiditatibus, horum orationem numquam attentam esse posse videatur?

R. Illud sic intelligendum est, ut sensus sit, numquam attentam fore orationem illius, qui sic mundi cupiditate distrahitur, ut ab illa cupiditate liberari nolit omnino. Is enim, ut iam diximus, ex abundantia cordis loquetur, & vix oculos levabit ad Dominum, cum reprehendet eum cor suum; aliud loquetur, aliud cogitabit: Deum colet labiis, cor autem eius longe erit a Deo. Huius ce conditi. ic p. 4. Matth. XII. 34. Isai. XXIX. 13. Matth. XV. 8.

Qui autem iam incipit cogitare de levando onere cupiditatis, de rumpendis vinculis carnis & sanguinis, etiamsi vincula illa nondum disrupta sint, orare tamen potest recte, & attente; quia iam ille ex animo ad Deum redit, & in se re-

---

ritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid ergo, Fratres mei, hoc dicturi sumus, quia Spiritus gemit, ubi perfecta & æterna beatitudo est ei cum Patre & Filio... Non ergo Spiritus sanctus in semetipso apud semetipsum in illa Trinitate, in illa beatitudine, in illa æternitate substantiæ gemit: sed in nobis gemit quia gemere nos facit. Nec parva res est, quod nos docet Spiritus sanctus gemere: insinuat enim nobis quia peregrinamur, & docet nos in patriam suspirare & ipso desiderio gemimus. Cui bene est in hoc seculo, immo qui putat quod ei bene sit, qui lætitia rerum carnalium, & abundantia temporalium, & vana felicitate exsultat, habet vocem corvi: vox enim corvi clamosa est, non gemebunda. Qui autem novit in pressura se esse mortalitatis huius, & peregrinari se a Domino, nondum tenere illam perpetuam, quæ nobis promissa est, beatitudinem, sed habere illam in spe, habiturus in re, cum Dominus venerit in manifestatione præclarus, qui prius in humilitate venit occultus: qui hoc novit, gemit. Et quamdiu propter hoc gemit, bene gemit: Spiritus illum docuit gemere, a columba didicit gemere. Multi enim gemunt in infelicitate terrena, vel quassati damnis, vel ægritudine corporis prægravati, vel carceribus inclusi, vel catenis colligati, vel fluctibus maris iacta-

vertitur. Vide quæ iam ea de re diximus §. 5. huiusce capitis (K).

V. Conditio. *Orandum cum fiducia.*

I. Quid hoc rei est orare cum fiducia?

R. Idem est quod orare cum fide, nihil dubitantes, sed plane confidentes posse Deum, & velle dare nobis misericorditer quod supplices ab eo petimus.

I. Cur orare debemus cum fiducia?

R. Quia alioqui nihil impetrabimus; iuxta illud Iacobi Apostoli: Iac. 1. §. 6. 7. *Si quis vestium indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat; & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans; qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino* (L).

I. Quibus maxime momentis excitari possumus ad orandum cum fiducia?

R. His maxime. 1. Potest Deus, utpote omnipotens, dare nobis quidquid petierimus, & liberare nos ab omni peccato, quantumcumque grave illud fuerit (M).

2. Id solus Deus potest: solus potest levare inopiam, sanare infirmitatem, largiri gratiam; nec nisi

---

ti, vel aliquibus inimicorum insidiis circumsepti gemunt: sed nun columbæ gemitu gemunt, non amure Dei gemunt, nun Spititu gemunt. Ideo tales cum ab ipsis pressuris fuerint liberati, exsultant in grandibus vocibus: ubi apparet quia curvi sunt, non culumbæ.... Qoi sunt corvi? Qui sua quærunt. Qui columbæ? Qui ea quæ Christi sunt, quærunt.

(K) Isaias 1. 15. Cum extenderitis manus vestras, avertam uculos meos a vobis & cum multiplicaveritis uratiunem, nun exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.

S. Aug. *Tractat.* 35. *in Ioan. num.* 1.... Sequamor Christum lumen mundi, ne ambolemus in tenebris. Tenebræ metuendæ sunt, morum, non oculorum: & si oculorum, nun exteriurum, sed inteziurum, unde discernitur nun album & nigrum, sed iustum & iniustum.

Num. 3.... Mens nustra, quæ est oculus animæ, nisi veritatis lumine radietur, & ab illo qui illuminat nec illuminator, mirabiliter illustretur, nec ad sapientiam, nec ad iustitiam puterit pervenire. Ipsa est enim via nustra iuste vivere. Quumodo autem nun uffendat in via, cui non lucet lumen? Ac per hoc in tali via videre opus est, in tali via videre magnum est.

Num. 9. *& ultimo.* Obsecro vus, amate mecum, currite credendu mecum: patriam supernam desideremus, supernæ patriæ suspiremus, peregrinos nos hic esse sentiamus.

(L) Sapient. 1. 1. Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Sentite de Dumino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum. Quoniam invenitur ab his qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum.

Marc. xi. 24 Propterea dico vubis: Omnia quæcomque urantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.

Iacob. 1. 5. Si quis autem vestrum indiget sapientia, pustulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & nun improperat: & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a ventu movetur & circumfertur. Nun ergo æstimet homu ille, quod accipiat aliquid a Dominu.

(M) Matth. viii. 2. Et ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens: Dumine, si vis, potes me mundare: & extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens:

Digitized by Google

orantibus hanc vulgo misericordiam impertitur (N).

3. Non vult Deus mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. *Vivo ego dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, & vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis: & quare moriemini domus Israel?* (O). [Ezec. xxxiii. 11.]

4. Ex tot ac tantis quæ collata iam sunt nobis a Deo beneficiis, coniicere possumus quæ deinceps sperare liceat (P).

5. Quantacumque sint peccata & scelera quorum reatu tenemur; longe his maior est Dei omnipotentis misericordia (Q).

6. *Habemus Pontificem magnum, qui penetravit cælos*; salvatorem & [Hebr. iv. 14.]

Volo. Mundare. Et confestim mundata est lepra eius.

(N) Matth. vii. 7. *Vide supra huiusce capitis §. 6. litt.* (C)

(O) Matth. xi. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.

(P) S. Aug. *in Ps.* xxxiii. *enar.* 1. *num.* 1.... Quemadmodum hic scriptum est, quia *beatus vir qui sperat in eum:* [Vers. 9.] [Matth. vii.] speremus omnes, quod pulsantibus aperiturus est. Non enim hortaretur nos ut pulsaremus, si nollet aperire pulsantibus. Si enim aliquando contingit, ut qui [Luc. xi. 8.] disponebat semper claudere, tædio compulsus ad manum pulsantis contra dispositionem suam surgat & aperiat, ne diu pulsantem patiatur: quanto magis sperare debemus citius aperiturum illum, qui ait: *Pulsate & aperietur vobis?* [Ibid. 9.] Pulso ergo nunc intentione cordis ad Dominum Deum, ut dignetur nobis hoc mysterium revelare. Pulset mecum & caritas vestra intentione audiendi & humilitate orandi pro nobis.

Serm. 2. *num.* 8. *Inquisivi Dominum & exaudivit me.* Ubi exaudivit Dominus? Intus. Ubi dat? Intus. Ibi oras, ibi exaudiris, ibi beatificaris. Orasti, exauditus es, beatificatus es; & non scit qui iuxta te stat: gestum est totum in occulto, sicut Dominus in Evangelio dicit; *Intra in cubiculum tuum, claude* [Matth. vi. 6.] *ostium tuum, & ora in occulto, & Pater tuus qui videt in occulto reddet tibi.* Cum ergo intras cubiculum tuum, intras cor tuum... Aufer inde cupiditatum sordes, aufer labem avaritiæ, aufer labem superstitionum, aufer sacrilegia & malas cogitationes; odia, non dico adversus amicum, sed etiam adversus inimicum: aufer ista omnia; intra in cor tuum; & gaudebis ibi. Cum ibi cœperis gaudere, ipsa munditia cordis tui delectabit te, & faciet orare... Intra, munda omnia, leva oculos tuos ad Deum, & statim te exaudiet.

Num. 9.... Ipsum Dominum quære, & exaudiet te, & adhuc te loquente dicet, Ecce adsum. [Isai. lxv. 24. & lviii. 9.]

Enarrat. in Ps. l. *num.* 5. Iste ergo Psalmus, sicut cautos facit eos qui non ceciderunt, sic desperatos esse non vult qui ceciderunt. Quisquis peccasti, & dubitas agere pœnitentiam pro peccato tuo, desperando salutem tuam, audi David gementem. Ad te Nathan Propheta non est missus, ipse David ad te missus est. Audi eum clamantem, & simul clama, audi gementem, & congemisce; audi flentem, & lacrimas iunge; audi correctum, & condelectare. Si tibi non potuit intercludi peccatum, spes veniæ non intercludatur.

Num. 6 *Miserere*, inquit, *mei secundum magnam misericordiam tuam.* Subveni gravi vulneri secundum magnam medicinam tuam. Grave est quod habeo, sed ad omnipotentem confugio. De meo tam letali vulnere desperarem, nisi tantum medicum reperirem. [Vers. 1.]

Num. 18. Ita plenus es adipe misericordiæ, ut ad te conversis, non solum quibuslibet peccatoribus, sed etiam impiis non sit desperandum.

In Ps. lxviii. *num.* 16. & 18. *serm.* 2. *Vide supra hocce §. litt.* (G)

(Q) Matth. vii. 8. *Vide supra huiusce capitis §. 6. litt.* (C)

Ioan. xvi. 23. Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis

mediatorem & advocatum, & intercessorem *Iesum filium Dei*. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (R). 1 Ioan. II. 1.

7. Ipse promisit sæpius impetraturos nos quidquid petierimus Deum in nomine eius (S).

8. Misericordiam iam orationibus suis, & gratiam consequuti sunt quamplurimi peccatores, quorum forte non erant peccata nostris leviora (T).

6. Tandem sanctus *Spiritus* ad- Rom. VIII. 26. & 27.

---

quidquam in nomine meo: petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

(R) 1. Ioan. II. 1. Si quis peccaverit, advucatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatiu pro peccatis nostris.

(S) 2. Paral. XXXIII. 12. Qui (*Manasses*) postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum & egit pœnitentiam valde coram Deu patrum suorum. Deprecatusque est eum, & obsecravit intente, & exaudivit orationem eius, reduxitque eum Ierusalem in regnum suum, & cognovit Manasses, quod Dominus ipse esset Deus.

Luc. VII. 37. Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset in domu Pharisæi, attulit alabastrum unguenti: & stans retro secus pedes eius, lacrimis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & unguento ungebat... Et conversus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrimis rigavit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti: hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata.

XV. 18. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in cælum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis... Dixit autem pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius: & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est.

XVIII. 11. *Vide supra hoc §. litt.* (F)

XXIII. 40. Respondens autem alter increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi; hodie mecum eris in Paradiso.

(T) S. Ioan. Chrysost. *Non esse desper. num.* 7. . . . . Cum igitur aliquam videris oriri difficultatem vel in matrimonio, vel in aliquo alio rerum statu, Deum precare: hic solus optimus e malis emergendi modus. Magna quippe est orationis armatura. Hoc & sæpenumero dixi, & nunc dico, neque dicere cessabo: Licet peccator sis, converte oculos tuos in Publicanum, qui repulsam non tulit, qui tam multis se peccatis expiavit.

Num. 8. . . . . Vide quam multa tibi exempla suppetant, Syrophœnissa, Publicanus, latro in cruce, amicus in parabola, qui tres panes petebat, quique non tam propter amicitiam, quam propter assiduitatem obtinuit. Horum unusquisque si dixisset, Peccator sum & pudore suffusus, & idcirco accedere non debeo, nihil promovisset. At quoniam illorum quisque non ad peccatorum suorum respexit magnitudinem, sed ad divitias benignitatis Dei, confidens & audax fuit, & quamvis peccator præter dignitatem suam postulavit, & quæ voluit quisque perfecit. Hæc igitur omnia mente versemus, & assidue preces fundamus, vigiles, confidentes, bonæ spei pleni, multo cum studio. Quanto cum studio ceteri adversus inimicos preces fundunt: tanto cum studio nos pro inimicis, & pro fratribus preces fundamus, & omnino cuncta quæ in rem nostram fuerint obtinebi-

iuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus sicut oportet nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus.

VI. Conditio. *Orandum perseveranter.*

I. Quid hoc rei est, orare perseveranter?

R. Hoc est sic orare, ut numquam ab oratione cessetur. Quod quomodo fieri possit, iam diximus.

I. Cur numquam cessare debemus ab oratione?

R. 1. Quia numquam cessare debemus ab amore Dei. Porro semper orat, qui semper amat, ut diximus.

2. Hoc Christi Domini præceptum est, ut numquam ab oratione cessetur (V).

3. Novo in dies indigemus auxilio Dei: nova quotidie necessitas adest postulantibus.

4. Sæpe suum differt auxilium

---

mus. Benignus enim est, qui largitur, nec adeo nos desideramus accipere, ut desideeat ille largiri. Hæc igitur omnia cum sciamus, licet in infimum nequitiæ profundum simus devoluti, ne sic quidem de salute nostra desperemus, sed bona etiam cum spe accedamus, nobisque persuadeamus omnino fore, ut quod petimus assequamur; si ex præscripto latarum ab ipso legum petamus.

(V) Luc. xviii. 1. Oportet semper orare, & non deficere.

1. Thessal. v. 17. Sine intermissione orate.

Ephes. vi. 18. Per omnem orationem & obsecrationem orantes, omni tempore in Spiritu: & in ipso vigilantes, in omni instantia & obsecratione pro omnibus sanctis; & pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium Evangelii.

S. Aug. *in Ps. cxviii. serm.* 14. *num.* 2. Si ergo scire volumus quomodo hæc mandata quæsierit, vel quærenda sint, illud intueamur quod dicit magister bonus, & Matth. vii. 7 doctor, & dator: *Petite, & accipietis, quærite, & invenietis; pulsate, & ape-* Ibid. 11. *rietur vobis:* & paullo post: *Si ergo vos,* inquit, *cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in cælis est, dabit bona petentibus se?* Ubi evidenter ostendit quod dixerat, petite, quærite, pulsate, nonnisi ad poscendi, hoc est, orandi instantiam pertinere. Alius porro Evangelista non ait: Dabit bona petentibus se, quæ multipliciter possunt intelligi, vel corporalia vel spiritalia: sed circumcidit inde alia, satisque diligenter expressit, quid nos vehementer atque instanter voluerit poscere Dominus, & ait: *Quanto magis Pater vester de cælo dabit Spiritum bonum petentibus se?* Luc. xi. 13. Hic est ille Spiritus, per quem diffunditur caritas in Rom. v. 5. cordibus nostris, ut Deum, proximumque diligendo divina mandata faciamus. Hic est ille Spiritus in quo clamamus, Abba, Pater. Ac per hoc ipse nos facit Rom. viii. 15. petere, quem desideramus accipere; ipse nos facit quærere, quem cupimus invenire; ipse nos facit pulsare, ad quem nitimur pervenire. Hoc docet Apostolus, qui cum dicat in Spiritu sancto nos clamare, Abba, Pater: rursus alio loco dicit: *Dedit Deus Spiritum filii sui in* Galat. iv. 6. *corda nostra clamantem, Abba, Pater.* Quomodo nos clamamus, si ipse clamat in nobis, nisi quia clamare nos fecit, dum habitare cœpit in nobis? Etiam hoc itaque agit acceptus, ut largius accipiendus petendo, quærendo, pulsando, poscatur. Sive enim ut vita bona petatur, sive ut bene vivatur; quotquot Spiritu Rom. viii. 14 Dei aguntur, hi filii sunt Dei: Ergo, *ambulabam*, inquit, *in latitudine; quoniam mandata tua exquisivi.* Exquisierat & invenerat, quoniam petierat & acceperat Spiritum bonum, quo factus bonus bene faceret bona, ex fide quæ per dilectionem operatur.

S. Ioan. Chrys. *de Ann. Hom.* 2. *n.* 6.... Non ait, deprecor Dominum, supplico

Deus, nec dat nisi pulsantibus ostium, & perseverantibus usque ad improbitatem (X).

I. Cur non statim exaudiuntur a Deo preces supplicantium?

R. 1. Ut probetur magis orantium fides.

2. Ut oretur instantius & cum maiori fervore. Oramus tepide, & remisse, quia languet in nobis desiderium æternorum: fervens foret oratio, si ferveret desiderium. Iam vero Deus nihil nisi desiderantibus concedit; & quidem citius tardiusve, pro maiori vel minori orantium instantia.

3. Ut sentiamus & experiamur magis, quanta miseria, quanta infirmitate, quot & quantis necessitatibus opprimamur: eoque experi-

---

Domino; sed: *Effundo animam meam coram Domino:* hoc est, me ipsam totam converti ad Dominum, mentem meam evacuavi apud illum, toto animo, totaque virtute precationem meam peregi. Deo narravi calamitatem meam, ostendi vulnus, ille potest dare remedium.

Homil. de peccat. fratrum non evulgand. Num. 10. An non igitur erubescimus & confundimur, cum iustum (Isaac) videmus annos viginti exspectasse, nec abstitisse: nos vero post unam vel alteram petitionem sæpe deficimus, & indignamur? Tametsi hic multam apud Deum fiduciam habebat & tamen dilationem doni non ægre ferebat, sed patienter exspectabat: At nos innumeris onerati peccatis prava conscientia torti, nec ullam erga Dominum benevolentiam exhibentes, nisi priusquam eloquuti fuerimus, audiamur, animo concidimus, ægre ferimus, a precatione absistimus: quo fit, ut vacuis semper manibus recedamus. Quis spatio viginti annorum pro una re Deum preccatus est, sicut hic iustus? Vel potius quis viginti solos menses?

S. IOAN. DAMASC. *lib.* 4 *de fide Orthod.* Matt. vii. 8. *c.* 18. Qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur. Pulsemus igitur.... Ceterum illud caveamus, ne negligenter ac defunctorie pulsemus, sed alacri potius ac constanti animo, ne pulsando defatigemur, animisque frangamur sic demum enim nobis aperietur.

(X) LUC. XI. 5. Et ait ad illos: (*ad discipulos Iesus*) Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum, et ille deintus respondens, dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi. Et si ille perseveraverit pulsans: dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ovum: numquid porriget ei scorpionem? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester de cælo dabit Spiritum bonum petentibus se? XVIII. 1. *Vide lits. super.*

MATTH. XV. 22. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Miserere mei Domine fili David, filia mea male a dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel. At illa venit, & adoravit eum, dicens: Domine adiuva me. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam, Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi, sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

mento reddamur humiliores, cautiores, vigilantiores; & maiori studio & sollicitudine curramus ad medicum & liberatorem (Y).

(Y) Ecclis. ii 1. Fili accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum, & sustine: inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectus; & ne festines in tempore obduftinnis. Sustine sustentatiunes Dei: coniungere Deu, & sustine ut crescat in nnvissimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: Quoniam in igne probatur aurum & argentum; homines vero receptibiles in camino humiliatiunis... Crede Deo, & recuperabit te: & dirige viam tuam, & spera in illum. Serva timorem illius, & in illo veterasce. Metuentes Dominum sustinete misericurdiam eius: & non deflectatis ab illu ne cadatis. Qui timeris Dominum, credite illi, & non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum: & in oblectatiunem veniet vobis misericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur curda vestra. Respicite filii natiunes hominum & scitore, quia nullus speravit in Domino, & confusus est. Quis enim permansit in mandaris eius, & derelictus est? Aut quis invocavit eum, & despexit illum? Quoniam pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata, & protector est omnibus exquirentibus se in veritate.

S. Aug. *in Ioan. Evang. c.* xvi. *Tract.* 103. *num* 3. In ea vero pressura quam post eius glorificatiunem accepto Spiritu sancto pertulerunt (*Apostoli*,) non eum (*Christum*, seu *fidem Christi*) reliquerunt: & quamvis fugerent de civitate in civitatem, ab ipsu non refugerunt; sed ut habentes pressuram in mundu, in illo pacem tenerent, nun ab ipso refugæ fuerunt, sed ipsum potius refugium habuerunt. Dato quippe illis Spiritu sancto, factum est in eis quod nunc dictum est eis: *Confidite, ego vici mundum*. Confiderunt, & vicerunt. In quo, nisi in illo? Non enim vicisset ille mundum, si eius membra vinceret muodus. Unde ait Apostolus: *Gratias Deo, qui dat nobis victoriam*: Continuoque subiecit: *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, qui dixerat suis: *Confi'ite, ego vici mundum*.

Ioan. xvi. 33.
1. Cor. xv. 57.

Tract. 102. *in Ioan. num.* 1. *&* 2. *Vide superius* §. 3. *huiusce c. litt.* (D)

In Ps. xxi. *Enar.* 1. *num.* 5. *In te speraverunt patres nostri*: omnes iusti scilicet, non quærentes suam laudem, sed tuam. *Speraverunt & eruisti eos*. vers. 5.

Num. 6 .... *In te speraverunt & non sunt confusi*. In te speraverunt, nec eos fefellit spes. Non enim in se illam posuërunt. vers. 6.

Enarr. 2 *num.* 6 Et vide quid dicat: *In te speraverunt patres nostri, speraverunt, & eruisti eos*. Et novimus, & legimus, quam multos patres nostros sperantes in se eruit Deus. Eruit ipsum populum Israel de terra Ægypti; eruit tres puerus de camino ignis; eruit Danielem de lacu leonum; eruit Susannam de falsu crimine: umnes invocaverunt, & eruti sunt.

Exod. xii. 51.
Dan. iii.
Daniel xiv.
Dan. xiii.

In Psal. xxx. *Enarr.* 1. *num.* 20.... Etiam eos quos emendas, multum amas: sed ne dissoluta securitate negligentius agant, abscondis ab eis dulcedinem amoris tui, quibus utile est timere te. *Perfecisti sperantibus in te*. Perfecisti autem hanc dulcedinem sperantibus in te: non enim subtrahis eis quod usque in finem perseveranter exspectant. vers. 20.

Num. 23.... *Ideo exaudisti Domine vocem orationis meæ, cum clamarem ad te*. Iden modum ponens emendationi, & ostendens me pertinere ad curam tuam, exaudisti Dumine vocem orationis meæ, cum eam ex tribulatione nimis intenderem. vers. 23.

Enarr. 2. *num.* 3.... Quid mirum si est aliquis pavur in passione etiam iusturum, etiam Sanctorum. Pavur est ex humana infirmitate, spes est ex divina promissiune. Quud paves tuum est, quod speras donum Dei est in te. Et melius in pavore tuo agnoscis te, ut in liberatione tua glorifices qui fecit te. Paveat humana infirmitas, non in eo pavure deficit divina misericurdia. Denique pavens iste inde cœpit: *In te Domine speravi, non confundar in æternum*. Videtis quia & pavet, & sperat: videtis quia pavor iste non est sine spe. Etiamsi est aliqua in humanu corde conturbatio, non recedit divina consolatio. vers. 2.

I. Si quis ergo eo animo, eo modo vacet orationi quo vacandum esse supra dixisti, huius orationem acceptam Deo fore confidis?

R. Confido certe & spondeo.

Unum tamen est, quod dictis adiiciatur, scilicet, ad orationem accedere debere ieiunium & eleemosynam (Z).

Enarr. 4 *num.* 3. Noli me audire secundum iudiciariam severitatem, sed secundum misericordissimam bonitatem. *Salvum me fac in tua misericordia.*

In Psal. CXLIV. *n.* 4. *&* 22. *Vide supra* §. 5. *huiusce cap. litt.* (A)

Vide auctoritates Patrum §. *seq. litt.* (B)

(Z) TOBIAE XII. 8. Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna magis quam thesauros auri recondere.

IUDITH. IV. 8. Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliaverunt animas suas in ieiuniis, & orationibus, ipsi & mulieres eorum.

1. MACHAB. III. 44. Et congregatus est conventus, ut essent parati in prælium, & ut orarent, & peterent misericordiam & miserationes.. Et congregati sunt, & venerunt in Maspha contra Ierusalem: quia locus orationis erat in Maspha ante in Israel. Et ieiunaverunt illa die, & induerunt se ciliciis, & cinerem imposuerunt capiti suo, & disciderunt vestimenta sua... Et clamaverunt voce magna in cælum

S. CYPRIANUS *De orat. Dominica in fine pag.* 107. *edit. Oxonii in fol. an.* 1700. (*scriptus an.* 252) Orantes autem non infructuosis, nec nudis precibus ad Deum veniant: inefficax petitio est, cum precatur Deum sterilis oratio. Nam cum *omnis arbor non faciens fructum excidatur, & in ignem mittatur:* utique & sermo non habens fructum, promereri Deum non potest, qui nulla est operatione fœcundus: & ideo Scriptura divina instruit dicens: *Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna.* Nam qui in die iudicii præmium pro operibus, & eleemosynis redditurus est; hodie quoque ad orationem cum operatione venienti benignus auditor est. Sic denique Cornelius centurio cum oraret meruit audiri: Fuit faciens multas eleemosynas in plebem, & semper orans Deum, huic circa horam nonam oranti, astitit Angelus testimonium reddens sui operis, & dicens: *Corneli orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt ad memoriam coram Deo.* Cito orationes ad Deum ascendunt, quas ad Deum merita nostri operis imponunt. Sic & Raphael Angelus Tobiæ oranti semper, & semper operanti, testis fuit dicens: *Opera Dei revelare & confiteri honorificum est. Nam quando orabas tu & Sara, ego obtuli memoriam orationis vestræ in conspectum claritatis Dei, & cum sepelires tu mortuos simpliciter: & quia non es cunctatus exsurgere, & derelinquere prandium tuum, sed abiisti, & condidisti mortuum, missus sum tentare te, & iterum me misit Deus curare te, & Saram nurum tuam. Ego enim sum Raphael unus ex septem Angelis sanctis qui assistimus & conversamur ante claritatem Dei.* Per Isaiam quoque Deus admonet, & docet similia contestans: *Solve*, inquit, *omnem nodum iniustitiæ, resolve suffocationes impotentium commerciorum. Dimitte quassatos in requiem, & omnem consignationem iniustam dissipa. Frange esurienti panem tuum, & egenos sine tecto induc in domum tuam, si videris nudum vesti, & domesticos seminis tui non despicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & vestimenta tua cito orientur, & præibit ante te iustitia, & claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis & Deus exaudiet te, & dum adhuc loqueris, dicet: Ecce adsum.* Adesse se promittit, & audire ac protegere se eos dicit, qui iniustitiæ nodos de corde solventes, & eleemosynas circa domesticos Dei secundum eius præcepta facientes, dum audiunt quod Deus præcipit fieri, ipsi quoque a Deo merentur audiri. Beatus Apostolus Paullus in necessitate pressuræ adiutus a fratribus, opera bona quæ fiunt, sacrificia Dei dixit esse: *Sum*, inquit, *recipiens ab Epaphrodito ea quæ a vobis missa sunt, odorem suavitatis, sacrificium acceptum, & placitum Deo.* Nam quando quis miseretur pauperis, Deum fenerat, & qui dat minimis, Deo donat, spiritaliter Deo suavitatis odorem sacrificat.

S. AUG. *Enarrat. in Psal.* XLII. *n.* 7...

Marginal notes: *Matth* VII. 19. — *Tob.* XII. 8. — *Act.* X. 1. — *Ibid.* 4. — *Tob.* XII. 7. 12. *& seq.* — *Is.* LVIII. 6. *& seq.* — *Philip.* IV. 18.

§. 8. *Quomodo Deus exaudiat orantes.*

I. Quicumque orant Deum ut par est, impetrantne a Deo quod postulant?

R. Impetrant quidem, sed non semper eo modo quo postulant. Rem explico.

1. Non impetrant semper temporalia; ea sæpe Deus negat propitius, licet illa petere liceat, ut diximus. Sup. §. 6.

2. Impetrant semper remissionem peccatorum, virtutes, ceteraque necessaria ad salutem consequendam.

3. Non exaudit semper Deus recte orantes ad eorum voluntatem, sed exaudit semper ad eorum necessitatem, vel utilitatem. Quædam denegat misericors, quæ concederet iratus: quædam non denegat, sed ut congruo dentur tempore differt. Novit ipse quid nobis necesse sit. *Omnem nostram sollicitudinem proiiciamus in eum, quia ipsi cura est de nobis*. Eligat ipse viam quam ipse iudicaverit utiliorem nobis: nos id unum appetamus, ut *faciamus eius voluntatem corde magno, & animo volenti*, ut habetur in Scriptura (A). S. Aug in Ioan. tr. 102. n. 1. 1. Pet. v. 7. 2. Mach. 1. 3.

I. Peccatores autem & impios in

---

vers. 5. *Spera*, inquit. *in Dominum, quoniam confitebor illi*. Quid illi confiteberis? *Salutare vultus mei Deus meus*. Tu es salutare vultus mei, tu sanabis me. Æger ad te loquor; agnosco medicum, non me iacto sanum. Quid est, agnosco medicum, non me iacto sanum? Quod in alio Psalmo dicitur: *Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi*. Ps. xl. 5.

Num. 8. Hæc vox, Fratres, tuta est: sed vigilate in operibus bonis... *Frange esurienti panem tuum*, audisti ab Isaia: noli ieiunium putare sufficere. Ieiunium te castigat, non alterum reficit. Fructuosæ erunt angustiæ tuæ, si alteri præstiteris latitudinem... Ita ieiuna, ut alio manducante prandisse te gaudeas, propter orationes, ut exaudiaris. Ibi enim ait: *Adhuc loquente te dicam: Ecce adsum si fregeris ex animo esurienti panem*. Quia plerumque fit a tristibus & a murmurantibus, ut careant tædio interpellantis, non ut reficiant viscera indigentis. *Hilarem autem datorem diligit Deus*. Si panem dederis tristis, & panem & meritum perdidisti. Ergo ex animo fac: ut ille qui intus videt, adhuc loquente te, dicat, Ecce adsum. Quam celeriter accipiuntur orationes bene operantium: & hæc iustitia hominis in hac vita, ieiunium, eleemosyna, oratio. Vis orationem tuam volare ad Deum? Fac illi duas alas, ieiunium, & eleemosynam. Isai. lviii. 7. Ib. 9. & 10. 2. Cor. ix. 7.

(A) S. Aug *Tract.* 73. *in Ioan. num.* 1. & 4. *Vide superius huiusce cap.* §. 6 *litt.* (E)

In Psal. lv. *num* 12.... Tu ora pro eis (dolosis, simulatoribus & insidiatoribus,) & noli dicere, Numquid & talem hominem Deus correcturus est, tam malum & tam perversum? Noli desperare, quem roges attende, non pro quo roges. Magnitudinem morbi vides, potentiam medici non vides... Sustine, ora.

Num. 13. Imples tribulationibus omnia, ut in tribulationibus positi homines recurrant ad te, ne deliciis & securitate perversa seducantur.... Ad hoc enim exagitat tribulatio, ut exinaniat vas quod plenum est nequitia, & impleatur gratia.

Num. 17. Nos ergo Deum amemus, Fratres, pure & caste. Non est castum cor, si Deum ad mercedem colit. Quid ergo? Mercedem de Dei cultu non habebimus? Habebimus plane, sed ipsum Deum quem colimus... Si non amas, parum est: si amas, si suspiras, si gratis colis eum, a quo gratis emptus es (non enim eum promerueras ut te redimeret,) si consideratis in te beneficiis eius suspiras, & inquietum habes cor desiderio eius; noli extra eum aliquid ab eo quæ-

peccatis perseverantes auditne aliquando Deus? Conceditne aliquando quod postulant?

R. Tradit illos sæpe Deus in desideria cordis eorum, & concedit iratus quod illi postulant. Quandoque autem denegat illud propitius. *Iacob.* IV. 3. *Petitis*, inquit Iacobus Apostolus, *& non accipitis, eo quod male petatis: ut in concupiscentiis vestris insumatis*. Cum ergo nobis noxia petimus, si accipimus, signum est Deum irasci nobis vehementer: & valde timendum ne tradiderit nos in desideria cordis, ut faciamus quæ non conveniunt. Sin minus id concedit, si negat, signum est benignitatis & paternæ providentiæ (B).

Hinc sequitur, 1. agendas esse

---

rere, ipse tibi sufficit. Quantumlibet sis avarus, sufficit tibi Deus... Illum ergo sic diligamus, ut aliud præter ipsum non diligatur: & sit in nobis quod diximus, quod cantavimus, quia & hic vox nostra est: *In quacumque die invocavero te, ecce scivi quoniam Deus meus es tu* (*vers.* 10.) Hoc est invocare Deum, gratis invocare Proinde de quibusdam quid dictum est? *Dominum non invocaverunt* (*Ps.* XV. 5.). Quasi Dominum sibi invocare videbantur; & petebant eum de hereditatibus, de amplianda pecunia, de prolonganda vita ista, de ceteris temporalibus rebus: & quod de illis Scriptura? *Dominum non invocaverunt*.

Num. 19 In te est quod voveas & reddas. De cordis arca profer laudis incensum, de cellario bonæ conscientiæ profer sacrificium fidei. Quidquid profers, accende caritate. In te sint vota quæ reddas laudis Deo.

Num. 20 *& ult. in fine*. De nemine desperemus, pro omnibus quos patimur oremus, a Deo numquam recedamus. Patrimonium nostrum ipse sit, spes nostra ipse sit... Ipse hic consolator, ibi munerator, ubique vivificator, & vitæ dator.

In Psalm. LXXXVII. *num.* 15.... Avertit Deus ab orantibus faciem, non exaudiendo ad id quod volunt, quando sibi nesciunt non expedire quod petunt. Et inops est Ecclesia, cum esurit & sitit peregrina, unde satietur in patria... Et ad hoc exaltantur etiam in seculo isto quædam membra eius, ut in eis sit maior humilitas. Et super ipsum corpus, id est unitatem Sanctorum atque fidelium, cui caput est Christus, transeunt iræ Dei, non autem manent: quia non de fideli, sed de infideli dictum est: *Ira Dei manet super eum* (*1. Ioan.* III. 36.). Et terrores Dei conturbant infirmitatem fidelium; quia omne quod accidere potest, etiamsi non accidat, prudenter timetur. Et aliquando terrores ipsi ita conturbant animum cogitantis circumpendentibus malis, ut sicut aqua undique circumfluere videantur, & simul circumdare metuentem. Et quia Ecclesiæ in hoc mundo peregrinanti ista non desunt, dum modo in his, modo in illis membris eius usquequaque contingunt; ideo dixit, *tota die*, continuationem significans temporis, donec finiatur hoc seculum. Et sæpe amici & noti periclitantes secundum seculum, sanctos formidine deserunt. De quibus dicit Apostolus: *Omnes me reliquerunt, non illis imputetur* (*2. Tim.* IV. 16.). Sed ut quid hæc omnia, nisi ut oratio huius sancti corporis mane, id est post noctem infidelitatis in luce fidei præveniat Deum, donec veniat salus illa, in cuius nondum re, sed iam *spe salvi facti sumus* (*Rom.* VIII. 24.), eamque cum patientia fideliter exspectamus? Ubi nec repellet Dominus orationem nostram, quoniam tunc nihil erit petendum, sed quidquid recte petitum est, obtinendum: nec faciem suam avertet a nobis, quoniam videbimus eum sicuti est; nec inopes erimus, quia copia nostra ipse *Deus erit omnia in omnibus* (*1. Cor* XV 28.): nec laborabimus, quia nulla remanebit infirmitas: nec exaltati humiliabimur & conturbabimur, quia nulla ibi erit adversitas: nec iram Dei vel transeuntem sustinebimus, quia in eius benignitate manente manebimus: nec terrores eius nos conturbabunt, quia promissa reddita nos beabunt: nec territus longe fiet a nobis notus & amicus, ubi nullus erit qui timeatur inimicus.

(B) S. August. *In Epist. Ioan. cap.* III. *Tract. 6. num.* 6.... Non erat in Paullo ra-

PARS III. SECT. II. CAP. I. §. 8.

dix illa caritatis, unde omnes boni fructus procedebant? Quis hoc demens dixerit? Ubi ergo invenimus petisse Apostolum, & non accepisse? Ait ipse: *In magnitudine revelationum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogavi ut auferret eum a me; & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*. Ecce non est exauditus, ut auferretur ab illo angelus Satanæ. Sed quare? Quia non ei proderat. Ergo exauditus est ad salutem, qui non est exauditus ad voluntatem. Noverit magnum sacramentum caritas vestra: quod ideo commendamus vobis, ne excidat vobis in tentationibus vestris. Sancti ad salutem per omnia exaudiuntur, semper exaudiuntur ad salutem æternam: ipsam desiderant; quia secundum hanc semper exaudiuntur.

2 Cor. xii. 7. & seq.

Num. 7. Sed discernamus exauditiones Dei. Invenimus enim quosdam non exauditos ad voluntatem, exauditos ad salutem: & rursus quosdam invenimus exauditos ad voluntatem, & non exauditos ad salutem. Hoc discernite, hoc tenete exemplum eius, qui non est exauditus ad voluntatem, sed exauditus ad salutem. Audi Apostolum Paulum; nam ipsam exauditionem ad salutem ostendit illi Deus: *Sufficit tibi*, inquit, *gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*, Rogasti, clamasti, ter clamasti; ipsum semel quod clamasti audivi, non averti aures meas a te; novi quid faciam: tu vis auferri medicamentum, quo ureris; ego novi infirmitatem, qua gravaris. Ergo iste ad salutem exauditus est, ad voluntatem non est exauditus. Quos invenimus exauditos ad voluntatem, non exauditos ad salutem? Invenimus, putamus, aliquem nequam, aliquem impium exauditum a Deo ad voluntatem, non exauditum ad salutem? Si alicuius hominis exemplum posuero, forte dicturus es mihi: Tu illum dicis iniquum, nam iustus erat: si iustus non esset, a Deo non exaudiretur. Talem propositurus sum, de cuius iniquitate & impietate nemo dubitet. Diabolus ipse petiit Iob, & accepit... Ipse diabolus petiit sanctum virum tentandum, & accepit: petiit Apostolus ut auferretur ab eo stimulus carnis, & non accepit. Sed Apostolus magis exauditus est quam diabolus: Apostolus enim exauditus est ad salutem, etsi non ad voluntatem; diabolus exauditus est ad voluntatem, sed ad damnationem. Ideo enim concessus est iste tentandus, ut eo probato esset ille cruciandus. Sed hoc, Fratres, non tantum in veteribus libris invenimus, sed in Evangelio. Petierunt dæmones a Domino, cum eos excluderet ab homine, ut ire permitterentur in porcos. Non eis posset dicere Dominus, ut nec illuc accederent? Non enim, si nollet, rebellaturi erant contra Regem cæli & terræ. Certi tamen mysterii gratia & certa dispensatione dimisit dæmones in porcos, ut ostenderet diabolum in eis dominari, qui vitam porcorum gerunt. Dæmones ergo exauditi sunt, Apostolus non est exauditus? An potius quod verius est dicamus, Immo Apostolus exauditus est, dæmones non sunt exauditi? Illorum voluntas facta est, eius sanitas perfecta est.

2 Cor. xii. 9.

Job. 1. 12.

2 Cor. xii. 7.

Luc viii. 32.

Num. 8. Secundum hoc intelligere debemus, quia Deus etsi voluntati nostræ non dat, saluti dat. Quid si enim hoc petieris quod tibi obest, & medicus novit quia obest tibi? Non enim non te exaudit medicus, quando forte tu frigidam aquam petis, & si prodest, statim dat; si non prodest, non dat. Non exaudivit, an potius ad sanitatem exaudivit, quia voluntati contradixit? Sit ergo in vobis caritas, Fratres, sit in vobis; & securi estote: & quando non vobis datur quod petitis, exaudimini; sed nescitis. Multi dati sunt in manus suas malo suo: de quibus dicit Apostolus: *Tradidit eos Deus in desideria cordis eorum*. Petiit aliquis magnam pecuniam; accepit malo suo. Quando illam non habebat, parum timebat: habere illam cœpit, præda factus est potentiori. Nonne malo suo exauditus est, qui voluit habere unde a latrone quæreretur, quem pauperem nemo quærebat? Discite rogare Deum, ut medico committatis, quod ipse novit faciat. Tu morbum confitearis, ille medicamentum adhibeat. Tu tantum caritatem tene. Nam ille secare vult, urere vult: tu si clamas, & non exauditis in sectione, in ustione & tribulatione, novit ille quo usque putre est. Tu iam vis revocet manus, & ille vulneris sinum attendit: scit quo usque perveniat. Non te exaudit ad voluntatem, sed exaudit ad sanitatem.

Rom. 1. 24.

Certi ergo estote, Fratres mei, quia
Rom. VIII. 26. quud ait Apostolus verum est: *Quid enim
oremus sicut oportet nescimus, sed ipse
Spiritus interpellat gemitibus inenarra-
bilibus*, quia ipse interpellat pro sanctis.
Quid est, ipse Spiritus interpellat pro
sanctis, nisi ipsa caritas quæ in te per
Spiritum facta est? Iden enim dicit idem
Rom. v. 5. Apostolus: *Caritas Dei diffusa est in
cordibus nostris per Spiritum sanctum,
qui datus est nobis* Caritas ipsa gemit,
caritas ipsa orat: contra hanc aures clau-
dere non novit, qui illam dedit. Secu-
rus esto, caritas roget: & ibi sont au-
res Dei. Non fit quod vis, sed fit quod
1. Joan. III. 22. expedit. Ergo *quidquid postulaverimus*,
inquit, *accipiemus ab eo* Iam dixi, si
ad salutem intelligas, nulla quæstio est:
si non ad salutem, quæstio est, & ma-
gna, quæ te calumniatorem facit Paul-
lo Apostolo.

Vers. 3 *In Psal.* XXI. *enarr.* 2. *num.* 4.... *Per
diem & noctem clamavi, & non exau-
dies*. Multi enim clamant in tribolatio-
ne, & non exaudiuntur: sed ad salutem,
non ad insipientiam. Clamavit Paullus
ut auferretur ab eo stimulus carnis; &
non est exauditus, ut auferretur; & di-
2. Cor. 10. 9. ctum est ei: *Sufficit sibi gratia mea;
nam virtus in infirmitate perficitur*. Er-
go non est exauditus, sed non ad insi-
pientiam, sed ad sapientiam: ut intel-
ligat homo medicum esse Deum, & tri-
bulationem medicamentum esse ad sa-
lutem, non pœnam ad damnationem.
Sub medicamento positus ureris, seca-
ris, clamas: non audit medicus ad vo-
luntatem, sed audit ad sanitatem.

Vers. 4. *Num.* 5. *Tu autem in sancto habitat,
laus Israel*. In illis habitas; quos san-
ctificasti, & quos facis intelligere, quia
ad utilitatem quosdam non exaudis, &
ad damnationem quosdam exaudis. Ad
utilitatem non est exauditus Paullus,
ad damnationem exauditus est diabolus.
Petiit Iob ad tentandum, & concessum
Job. 1. 12. est. Dæmones petierunt se ire in porcos,
Matth. VIII. 31. & exauditi sunt Dæmones exaudiuntur,
Apostolus non exauditur: sed illi exau-
diuntur ad damnationem, Apostolus non
exauditur ad salutem: *Quia non ad in-
sipientiam mihi. Tu autem in sancto ha-
bitas, laus Israel*. Quare non exaudis &
tuos? Quare dico ista? Mementote sem-
per dici, Deo gratias;... omnibus dico,
quia in tribolatione positus Christianus
probatur, si non dereliquit Deum suum.
Nam quando bene est homini, desertus
est sibi Christianus. Ignis intrat in for- Pars III.
nacem, & fornax aurificis magni sacra- Sect. II.
menti res est. Ibi est aurum, ibi est Cap. I.
palam, ibi ignis in angusto operatur. §. 8.
Ignis ille non est diversus, & diversa
agit; paleam in cinerem vertit, auro
sordes tollit. In quibus autem habitat
Deus, utique in tribolatione meliores
fiunt tamquam aurum probati. Et si
forte petierit inimicus diabolus, & con-
cessum illi fuerit, sive aliquo dolore
corporis, sive aliquo damno, sive amis-
sione suorum, fixum cor habeat in illo
qui se non subtrahit; & si quasi sub-
trahit aurem ploranti, sed apponit mi-
sericordiam deprecanti.

In Psal. XXVI. *enar.* 2. *num.* 7. Habe-
mus enim hic felicitates diversas gene-
ris humani, & miser quisque dicitur
quando illi subtrahitur quod amat. A-
mant ergo homines diversas res; & quan-
do quisque quod amat habere videtur,
felix vocatur. Vere autem felix est, non
si id habeat quod amat; sed si id amet
quod amandum est. Multi enim miseri
magis habendo quod amant, quam ca-
rendo. Amando enim res noxias miseri,
habendo sunt miseriores. Et propitius
Deus, cum male amamus negat quod
amamus: iratus autem dat amanti quod
male amat. Habes evidenter dicentem
Apostolum: *Tradidit illos Deus in con-* Rom. 1. 24.
cupiscentiam cordis eorum. Dedit ergo
quod amabant, sed damnando. Habes
rursum negantem petitum. *Propter quod* 2. Cor. XII. 8. & 9.
ter Dominum rogavi, inquit, *ut aufer-
ret eum a me* (stimulum videlicet car-
nis) *& dixit mihi, Sufficit tibi gratia
mea; nam virtus in infirmitate perfici-
tur*. Ecce illos dedit in concupiscentiam
cordis eorum, Paullo Apostolo negavit
quod oravit: illis dedit ad damnationem,
huic negavit ad sanitatem. Cum autem
id amamus quod vult Deus ut amemus,
procoldubio daturus est nobis. Hæc est
illa una, quæ debet amari, ut *habite-* Ps. XXVI. 4.
*mus in domo Domini per omnes dies vi-
tæ nostræ*.

Num. 14. *Cantabo & Psallam Domino*. Vers. 6.
Securi erimus, & securi cantabimus, &
securi psallemus, cum contemplabimur
delectationem Domini, & protegemur
templum eius, in illa incorruptione;
Quando absorbebitur mors in victoriam... 1 Cor. XV. 54.
Modo quid? *Exaudi Domine vocem meam*, Vers. 7.
gemamus modo, oremus modo. Gemitus

Pars III. Sect. II. Cap. I. §. 8.

non est nisi miserorum, oratio non est nisi indigentium. Transiet oratio, succedet laudatio; transiet fletus, succedet gaudium. Interim modo, quando in diebus malorum nostrorum sumus, non cesset oratio nostra ad Deum, a quo unam illam petamus; & ab ipsa petitione non desinamus, donec ad eam, illo donante

Verſ. 8. ac perducente, perveniamus. *Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te; miserere mei, & exaudi me*. Unam illam petit, tam diu rogans, flens, gemens, non petit nisi unam. Finivit omnes cupiditates, remansit illa una quam petit.

Verſ. 8. *Num.* 15. Audi quia hanc petit: *Tibi dixit cor meum, Quesivi vultum tuum*, Hoc est ergo quod paullo ante dixit, ut contempler delectationem Domini. *Tibi dixit cor meum, Quesivi vultum tuum*. Si gaudium nostrum in isto sole esset, non cor nostrum diceret, *Quesivi vultum tuum*: sed. ·uli corporis nostri. Cor nostrum cu... *Quesivi vultum tuum*, nisi ei qui pertinet ad oculum cordis? Lucem istam quærunt oculi carnis, lucem illam quærunt oculi cordis. Sed vis illam lucem, quæ videtur oculis cordis, videre: quia ipsa lux Deus

1. Ioan. 1 5. est. *Deus enim lux est*, ait Ioannes, *& tenebræ in eo non sunt ullæ*,

Verſ. 9. *Num.* 16. *Tibi dixit cor meum, Quesivi vultum tuum, Domine vultum tuum requiram*. Unam petii a Dnmino, hanc requiram, vultum tuum. *Non avertas faciem tuam a me*. Quomodo se fixit in ista una petitione. Vis impetrare? Aliud noli petere, Uni suffice, quia una tibi sufficiet.

In Psalm xxxiii. *Enar.* 2. *num.* 20.

Verſ. 16. *Oculi Domini super iustos*. Noli ergo timere, labora: oculi Domini super te sunt. *Et aures eius ad preces eorum*. Quid vis amplius? Si murmurantem servum in domo magna non audiret paterfamilias, quereretur, & diceret, Quanta hic patimur, & nemo nos audit. Numquid dicis illud de Deo, Quanta patior, & nemo me audit? Si audiret me, forte dicis, tolleret mihi tribulationem: clamo, & tribulor. Tantum tu tene vias eius, & quando tribularis audit te. Sed medicus est, adhuc putre habes nescio quid. Clamas: sed adhuc secat; & non tollit manum, nisi secuerit quantum videtur. Etenim medicus crudelis est qui exaudit hominem, & parcit vulneri & putredini.... Sic & Deus noster plenus est caritate: sed ideo videtur non exaudire, ut sanet & parcat in sempiternum.

Enar. in Psal. lix. *num.* 7. *Ut eruantur dilecti tui: salvum me fac dextera tua, & exaudi me*. Dextera tua, Domine, salvum me fac: ita salvum me fac, ut ad dexteram stem: *Salvum me fac dextera tua*: non salutem temporalem peto, de hac fiat voluntas tua. Ad tempus quid nobis prosit, penitus ignoramus: *Quid enim oremus sicut oportet, nescimus*: sed *salvum me fac dextera tua*: ut & si in tempore isto tribulationes aliquas patiar, transacta nocte omnium tribulationum ad dexteram inveniar inter oves, non ad sinistram inter hœdos: *Salvum me fac dextera tua, & exaudi me*. Quia iam illud peto quod dare vis: non *verbis delictorum meorum clamo per diem, ut non exaudias, & nocte, ut non exaudias, & non ad insipientiam mihi*, sed utique ad commonitionem, addendo saporem de valle salinarum, ut in tribulatione noverim quid petam; peto autem vitam æternam; ergo exaudi me, quia dexteram tuam peto. Intelligat ergo caritas vestra, omnem fidelem habentem in corde verbum Dei cum timore, timentem iudicium futurum, viventem probabiliter, ne de illo blasphemetur nomen sanctum Domini eius, multa deprecari secundum seculum, & non exaudiri; ad vitam autem æternam semper exaudiri. Quis enim sanitatem non petat, cum ægrotat? Et tamen forte adhuc ægrotare ei utile est. Potest fieri ut hinc non exaudiaris: non tamen exaudiaris ad voluntatem, ut exaudiaris ad utilitatem. At vero cum illud pet s, ut det tibi vitam æternam Deus, ut det tibi regnum cælorum Deus, ut det tibi ad d xteram Filii sui stare, cum venerit iudicare terram; securus esto, accipies, si modo non accipis: non enim iam venit tempus ut accipias. Exaudiris, & nescis: quod petis agitur, etsi nescis in quo agitur. In radice res est, nondum in fructu. *Salvum me fac dextera tua, & exaudi me*.

Rom. viii. 26. Matth. xxv. 33. Pſ. xxi. 1. & 3.

Num. 8. *Deus loquutus est in sancto suo*. Quid times ne non fiat quod Deus loquutus est?... De Deo non est quod tu timeas; quia verax est, constat; quia omnipotens est, constat; fallere te non potest, habet unde faciat. Quid ergo Verſ. 8.

times ne decipiaris? Opus est ut tu te non decipias, & perseveres usque in finem, cum daturus est quod promisit.

Verſ. 15. *Enar. in Psalm.* CXLIV. *num.* 19. *Oculi omnium in te sperant, & tu das escam illis in opportunitate.* Prorsus tamquam reficiens ægrotum in opportunitate, quando debet accipere, tunc das; & quod debet, hoc das. Itaque aliquando desideratur ab illo, & non dat: novit horam dandi, qui curat. Quare ista dico, Fratres? Ne quis quando forte non fuerit exauditus aliquid iustum petens a Deo: nam quando iniustum aliquid petit, in pœnam suam exauditur: sed aliquid non iniustum petens, si forte non fuerit exauditus, non minuatur animo, non deficiat, exspectent oculi eius ad escam, quam ille dat in opportunitate. Quando non dat, ideo non dat ne obsit quod dat. Neque enim aliquid iniustum petebat Apostolus, quando rogabat ut auferretur ab eo stimulus carnis, angelus Satanæ a quo colaphizabatur: & tamen rogavit, & non accepit; quia tempus adhuc erat exercendæ infirmitatis,
2.Cor. XII. 9. non escæ opportunitatis: *Sufficit*, inquit, *tibi gratia mea, nam virtus in infirmi-*
Iob. I. 12. *tate perficitur*. Petiit Iob tentandum diabolus, & accepit. Adtendite, Fratres mei, magnum mysterium, discendum, repetendum, tenendum animo, numquam obliviscendum, propter abundantiam tentationum in isto seculo. Quid dicam? Revera comparandus Apostolus diabolo? Apostolus rogat, & non accipit; diabolus petit, & accipit. Sed non accepit Apostolus propter perfectionem suam, accepit diabolus ad damnationem suam. Denique ipse Iob accepit sanitatem in opportunitate. Dilatus tamen, ut probaretur, & diu sedit in vulnere, & multa dixit; & rogabat Deum ut auferrentur ab eo ista, & Deus non auferebat. Citius diabolum exaudivit ad eum tentandum, quam ipsum Iob ad sanandum. Discite ergo non murmurare adversus Deum, & quando non exaudimini, ne deficiat in vobis quod supra
Verſ. 2. scriptum est: *Per singulos dies benedicam te*. Ipse Filius, ipse unicus, pati utique venerat, solvere quod non debebat, mori in manibus peccatorum, sanguine suo delere chirographum mortis nostræ; ad hoc venerat; & tamen ut ti-
Phil. III. 21. bi ostenderet exemplum patientiæ: *Transfiguravit corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ*. *Pater*, inquit, *si fieri potest, transeat calix iste a me*. Et ut impleret, quamvis non acciperet quod peteret videbatur: *Per singulos dies benedicam te: Verum non quod ego volo*, ait, *sed quod tu vis, Pater*. *Oculi omnium in te sperant, & tu das escam illis in opportunitate*. Matth. XXVI. 39. verſ. 15.

PARS III. SECT. II. CAP. I. §. 8.

N. 20. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*. Etsi non das aliquando, das tamen opportunitate: differs, non aufers, & hoc in opportunitate. verſ. 16.

N. 21. *Iustus Dominus in omnibus viis suis*. Et quando cedit, & quando curat, iustus est; & apud eum iniquitas non est. Denique omnes sancti in tribulationibus constituti, prius iustitiam eius laudaverunt, & sic beneficia petiverunt. Prius dixerunt: Iustum est quod facis. Sic rogavit Daniel, sic alii sancti: Iusta sunt iudicia tua, bene passi sumus, recte passi sumus. Non dederunt Deo iniustitiam, non ei dederunt iniquitatem & insipientiam. Laudaverunt primo flagellantem, & sic senserunt cibantem. *Iustus Dominus in omnibus viis suis*. Nemo putet illum iniustum, quando mali aliquid forte patitur: sed ipsius iustitiam laudet, & suam iniustitiam accuset: *Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis*. verſ. 17. Dan. III. 27. & IX. 5. &c.

In Psalm. CXLIV. *n.* 4. & 22. *Vide supra §.* 5. *huiusce cap. litt.* (A)

Tract. 73. *in Ioan. n.* 1. & 4. *Vide supra huiusce cap. §.* 6 *litt.* (E)

Epist. 130. *alias* 121. *ad Probam, c.* 14. *n.* 25. & 26. *Vide supra huiusce cap. §* 2. *litt* (B)

Tract. 6. *in Epist.* 1. *Ioan. n.* 8. *Vide supra hocce §. litt.* (B)

S. LEO. *Serm.* 54. *de Pass. Dom.* 5. *c.* 2. Quia nos *quid oremus, sicut oportet, nescimus*; & utile nobis est, ut fiat plerumque quod volumus, Deus iustus & bonus, quando ea quæ nocitura sunt, petuntur, negando miseretur. Rom. VIII. 2

D. PRIMAS. Episc. *comment. in Epist. ad Corinth.* 2 *pag.* 207. *Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me*. Intelligimus etiam sanctos contraria aliqua postulasse: simul & discimus, quod importuna petitio vel responsum mereatur, si non meretur effectum. Nam quando quod non expedit, non dat Deus, tunc magis exaudit. 2.Cor. XII. 8.

PARS III. SECT. II. CAP. I. §. 9.

gratias Deo non minus in adversis quam in prosperis: multum enim adversa prosunt ad salutem ut plurimum.

2. Id a Deo enixe petendum est, ut deneget nobis quidquid noverit nobis esse impedimento ad salutem, quidquid præ cupiditate petierimus; nec concedat nisi quod utile nobis & necessarium esse iudicaverit (C).

§. 9. *Quo corporis habitu orandum.*

I. Quo corporis habitu orandum?

R. Hic interest inter orationem publicam & secretam.

Si publica oratio sit, nihil melius quam tenere corporis habitum, quem Clerus habet; adeo ut stetur stante Clero, flectantur genua Clero in genua provoluto, consideatur ubi sedet.

Si privatim fiat oratio, nulla lege tenemur certum aliquem corporis habitum præ alio inter orandum servare. Recte oratio fit, quocumque corporis situ fiat, ubi mens tendit & anhelat ad Deum enixe (A).

(C) S. Aug. *ubi supra & in Psal.* LIII. *num.* 5. *&* 10. *Vide supra* §. 6. *huiusce cap. litt.* (C)

vers. 2. *In Psal.* XXXIII. *Enar.* 2. *num.* 3... *Benedicam Dominum.* Quando *benedicam Dominum?* Quando tibi benefacit? Quando abondant secularia? Quando multum abundat frumensi, olei, vini, auri, argenti, mancipiorum, pecorum, salusque ista mortalis invulnerata, & incorrupta persistit, ea quæ nascontur crescunt omnia, nihil immatura morte subtrahitor, felicitas tota abundat in domo, circumfluunt omnia, tunc benedices Dominum? Non: sed in omni tempore. Ergo & tunc, & quando ista secundum tempus & secundum flagella Domini Dei nostri turbantur, auferuntur, minus nascuntur, iam nata dilabuntur. Fiunt enim hæc, & inde seqoitur penuria, egestas, labor, dolor & tentatio. Sed tu qui cantasti: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo*, & qoando ista dat, benedic; & quando ista tollit, benedic, quia ille dat, ille tollit: sed seipsum a benedicente se non tollit.

(A) S. August. *Lib.* 2. *de diver quæst. ad Simplician. quæst.* 4 Quod aotem quæris, quid sit quod scriptum est: *Intravit Rex David, & sedit ante Dominum:* quid aliud intelligendum est, nisi quia sedit in conspectu Domini; sive ubi erat arca testamenti, per quam sacratior & commendatior quædam præsentia Domini accipi potest; sive quia oraturus sedit, quod non fit recte nisi in conspectu Dei. hoc est in intimis cordis? Potest enim & sic accipi quod dictum est. *ante Dominum;* ubi nullus esset hominom qui audiret orantem. Sive ergo propter arcam testamenti, sive propter secretum locum semotum ab arbitris, sive propter intimum cordis ubi erat orantis affectus, convenienter dictum est, *sedit ante Dominum.* Nisi forte quod sedens oravit, hoc movet: cum & sanctus Elias hoc fecerit, quando pluviam orando impetravit. Quibus admonemur exemplis, non esse præscriptum quomodo corpos constituatur ad orandum dum animus Deo præsens peragat intentionem suam. Nam & stantes oramus, sicut scriptum est: *Publicanus autem de longinquo stabat:* & fixis genibus, sicot in Actibus Apostolorum legimus: & sedentes, sicut ecce David & Elias. Nisi autem etiam iacentes oraremus, noo scriptum esset in Psalmis: *Lavabo per singulas noctes lectum meum. in lacrimis meis stratum meum rigabo.* Cum enim quisque orationem qoærit, collocat membra, sicut ei occurrerit accommodata pro tempore positio corporis ad movendum animum. Cum autem non quæritur, sed infertur appetitus oraodi, hoc est, cum aliquid repente venit in mentem, quo supplicandi moveatur affectus gemitibus inenarrabilibus, quocumque modo invenerit hominem, non est utique differenda oratio, ut quæramus quo secedamus, aut ubi stemus, aut ubi prosternamor. Gignit enim sibi mentis intentio solitudinem: & sæpe etiam obliviscitur vel ad quam cæli partem, vel qua positione corporis membra illud tempus invenerit.

2. Reg. VII. 18.

Luc. XVIII. 13.

Act. VII. 59. & XX. 36.

Ps. VI. 7.

Expedit tamen orando, 1. genua flectere quotidie exemplo Apostoli (B).

2. Tempore Paschali & Dominicis diebus stando orare decet ex mente Ecclesiæ, etiam privatim; idque in memoriam Dominicæ Resurrectionis (C).

(B) Ephes. iii. 14 Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem.

3. Reg. viii 54. Factum est autem, cum complesset Salomon orans Dominum omnem orationem & deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini: utrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cælum.

Daniel vi. 10. *Vide infra hocce §. littera* (H)

Esdras x. 1. Sic ergo orante Esdra, & implorante eo, & flente, & iacente ante templum Dei.

(C) S. Aug. *Epist.* 55. *alias* 119. *ad inquisit. Ianuar. Lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 28. Dies quinquaginta ..... qui celebrantur post Domini resurrectionem, iam in figura non laboris, sed quietis & lætitiæ. Propter hoc & ieiunia relaxantur, & stantes oramus, quod est signum resurrectionis.

Cap. 17. *num.* 32. Ut autem stantes in illis diebus & omnibus Dominicis oremus, utrum ubique servetur ignoro.

S. Basil. *Lib. de Spirit. sanct. cap* 27. *num.* 66.. Erecti itidem perficimus deprecationes in una Sabbati, sed rationem non omnes novimus. Non enim solum quod veluti simul cum Christo resuscitati, quæ sursum sunt quærere debeamus, in die resurrectionis datæ nobis gratiæ stando precantes nosmetipsos commonefacimus, sed quod is dies videatur aliquo modo imago venturi seculi... Necessario igitur in hoc die Ecclesia suos alumnos docet, preces suas, stando absolvere ut assidua commonitione vitæ illius numquam desituræ, non negligamus ad eam demigrationem parare viaticum. Quin & totum illud quinquaginta dierum tempus admonitio est resurrectionis quam in altero seculo exspectamus. Nam unus ille, & primus dies septies multiplicatus, septem sacræ Pentechostes hebdomadas absolvit. A primo enim incipiens in eumdem desinit, per similes qui in medio intercedunt dies quinquagies evolutus. Unde & æternitatem similitudine refert, dum velut in motu circulari, ab iisdem orsus signis in eadem desinit. Quo in die corporis erecto habitu precari potius nos Ecclesiæ ritus docuerunt, nimirum per evidentem commonitionem quasi transferentes mentem nostram a præsentibus ad futura. Insuper & quoties genua flectimus, & rursus erigimur, ipso facto ostendimus quod ob peccatum in terram delapsi sumus, & per humanitatem eius qui creavit nos, in cælum revocati sumus.

Lib. 2. Constit. *quæ trib.* Apost. *cap.* 57. *Tom.* 1. *Concil. Lab. pag.* 362. Deinde cuncti pariter consurgentes & in Orientem spectantes, egressis catechumenis & pœnitentibus, precentur Deum, *qui ascendit super cælum cæli, idque ad Orientem...* Ps. LXVII. 34. Postea vero fiat sacrificium cuncto populo stante, & silentio precante.

Concil. Nicaen. Oecum. I. *can.* 20. *T.* 2. *Concil. Lab p.* 692. Quoniam sunt in die Dominica quidam ad orationem genua flectentes, & in diebus Pentechostes; propterea itaque statutum est a sancta Synodo, quoniam consona & conveniens per omnes Ecclesias custodienda consuetudo est, ut stantes ad orationem vota Domino reddamus.

Concil. Quinisext. in Trullo, *can.* 90. *T* xi. *Concil. Lab. p.* 982. Dominicis genu non flectere, a divinis nostris patribus, Christi resurrectionem honorantibus, canonice accepimus. Ne ergo huius observationis evidentiam ignoremus, fidelibus manifestum facimus, quod post vespertinum Sacerdotum ad altare sabbato ingressum, ex consuetudine quæ servatur, nemo genuflectat, usque ad sequentem vesperam in die Dominico; in qua post ingressum in completorio, genua rursus flectentes, Domino preces sic offerimus. Salvatoris enim nostri resurrectionis præcursorem noctem, quæ fuit post sabbatum, accipientes, hymnos ab ea spiritaliter incipimus, festum ex tenebris in lucem finientes, ut in perfecto & integro die ac nocte nos resurrectionem celebremus.

Digitized by Google

3. Aliquando humi prosternere se Christi exemplo maxime iuvat ad instantiam orationis (D).

4. Quin & sedendo orare licet exemplo Eliæ (E).

5. Manus & oculos ad cælum levare expedit exemplo Moysi, Davidis, Christi ipsius, & Apostoli verba sumendo ad litteram (F).

6. Non abs re fuerit quandoque faciem ad Orientem inter orandum convertere; quod prioribus seculis ex Apostolica traditione relligiose servabatur (G).

7. Sanctam est & maxime laudabile orare facie versa ad proximiorem Ecclesiam, in qua Christus in venerabili Sacramento asservatur: quemadmodum olim Iudæi ubicumque orarent vertebant se ad Templum Hierosolymitanum (H).

Sua est singulis hisce corporis habitibus utilitas, modo mens reipsa oret; & exteriori illo corporis motu excitentur in animo affectiones, quibus ferri ad Deum debemus, ut sit Deo accepta oratio (I).

I. Quid caussæ fuit cur prioribus

(D) Matth. xxvi. 39. Et progressus pusillum procidit in faciem suam, orans.

(E) 3. Reg. xviii. 42. .... Elias autem ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua.

(F) Exod. xvii. 11. Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel.

Psalm. cxx. 1. Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.

cxl. 2.... Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Ioan. xvii. 1.... Et (Iesus) sublevatis oculis in cælum, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum.

1. Timoth. ii. 8. Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira & disceptatione.

(G) Tertul. *Apolog.* c. 16. Alii plane humanius & verisimilius solem credunt Deum nostrum (Christianorum scilicet).. Inde suspicio, quod innotuerit nos ad Orientis regionem precari.

S. Basil. *Lib. de Spirit. sanct. c* 27. *n.* 66 ... Ut ad Orientem versi precemur, quæ nos docuit Scriptura? *Et cum ex Traditione id factum fuisse multis probavit, subiungit:* Hanc ob caussam omnes spectamus ad Orientem cum precamur: pauci tamen novimus, quod id facientes antiquam requirimus patriam, videlicet Paradisum, Gen. ii. 8. quem plantavit Deus in Eden ad Orientem.

S. Ioan. Damasc. *Orthod. fidei Lib* 4. *cap.* 13. *de adoratione ad Orientem:* Non simpliciter & fortuito ad Orientem adoramus, sed ... quia Deus est lux intelligibilis, & sol iustitiæ, & Oriens in Scripturis nominatur Christus: dedicandus illi Oriens est ad orationem ... Dicit autem divinus David: *Regna terræ cantate Deo, Psallite Domino, qui ascendit supra cælum cæli ad Orientem.* Ps. lxvii. 33. & 34. Et quia dicit Scriptura, plantavit Deus paradisum in Eden ad Orientem, ubi hominem quem plasmavit, posuit, quem transgredientem, exilio mulctavit, & e regione paradisi ipsum habitare fecit, ab Occidente videlicet. Antiquam igitur patriam requirentes, & ad ipsam suspirantes, Deum adoramus ... Verum etiam & Christus crucifixus ad Occidentem respiciebat & sic adoramus ad ipsum suspirantes. Et assumptus ad Orientem ferebatur, & sic ipsum Apostoli adoraverunt. Et sic veniet, quemadmodum intuebantur ipsum euntem in cælum. Ipsum igitur expectantes, ad Orientem adoramus. Non scripta autem est hæc Apostolorum traditio: nam multa sine scripto nobis tradita sunt.

(H) Daniel. vi. 10. ... (*Daniel*) fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo.

(I) S. August. *Lib. de cura pro mort. gerenda, cap.* 5. *num.* 7. .. Nam & orantes de membris sui corporis faciunt quod supplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam

Digitized by Google

seculis Christiani versa ad Orientem facie orarent?

R. Ut hoc exteriori signo testarentur esse se in terris hospites, peregrinos & exules; & anhelare se ad Christum, qui vocatur Oriens in Scripturis, & ad Orientem versus in cælum ascendit, ut pia traditio fert (K).

I. Num quid superstitionis est in illis observationibus?

R. Nihil prorsus: ubi enim legitima & pia ratio subest, nulla superstitio est. Cavendum tamen ne tanta relligione serventur illi corporis habitus, ut negligatur quod præcipuum est in oratione, nimirum fervor orationis & instantia: alioqui Iudæorum instar, non ut Christianos decet, oratio fieret.

I. Quid facto opus ut id caveatur?

R. Hoc sedula mente recolendum

Ioan. IV. 24. quod ait Christus: *In Spiritu & veritate adorare oportet.* Corde maxime & mente orandum est. Tunc iuvant illi exteriores corporis situs, cum signum sunt interioris affectus mentis, vel cum ad excitandas pias affectiones movent (L). Alioqui ficte & simulate totum hoc negotium agitur, & oratione Deus irritatur magis quam placatur (M). Quanto magis Divinam iracundiam provocant, qui habitu parum decenti, parum ad modestiam composito, profanis & turpibus signis & nutibus proximorum oculos offendunt? Væ illi ipso suo corporis habitu significant, se ad Ecclesiam non tam orationis quam irrisionis & ludibrii caussa convenire. *Intelligite hoc qui obliviscimini Deum* (N). *Ps. XLIX. 22.*

PARS III. SECT. II. CAP. I. §. 10.

§. 10. *Quo tempore, quibus diebus & horis præcipue orandum.*

I. Tenemurne certum aliquod tempus orationi impendere?

---

prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciunt; quamvis eorum invisibilis voluntas & cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus: sed hinc magis seipsum excitat homo ad orandum gemendumque humilius atque ferventius. Et nescio quomodo, cum hi motus corporis fieri nisi motu animi præcedente non possint, eisdem rursus exterius visibiliter factis, ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur: ac per hos cordis affectus, qui ut fierent ista præcessit, quia facta sunt, crescit. Verumtamen si eo modo quisque teneatur, vel etiam ligetur, ut hæc de suis membris facere nequeat, non ideo non orat interior homo, & ante oculos Dei in secretissimo cubili, ubi compungitur, sternitur.

(K) S. IOAN. DAMASC. *Orthod. fidei l.* 4. *cap.* 13. *Vide supra hocce §. litt.* (G)

S. AUGUST. *Lib.* 2. *de Serm. Dom. in monte, cap.* 5 *num.* 18 Cuius rei significandæ gratia, cum ad orationem stamus, ad Orientem convertimur, unde cælum surgit: non tamquam ibi habitet & Deus, quasi ceteras mundi partes deseruerit, qui ubique præsens est, non locorum spatiis, sed maiestatis potentia: sed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem se convertere, id est ad Deum, cum ipsum corpus eius quod est terrenum, ad corpus excellentius, id est ad corpus cæleste convertitur.

(L) S. AUG. *ubi supra, maxime vero lib.* 2 *ad Simplician. quæst* 4. *supra hocce §. litt.* (A) *& lib. de Cura pro mort. gerenda, cap.* 5. *num.* 7. *ibid. litt.* (I)

(M) ISAI. I. 15. Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis: & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.

(N) AMOS VI. 1. Væ qui opulenti estis in Sion... optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel (id est Templum.)

Pars III. Sect. II. Cap. I. §. 10.

R. Vel sumitur oratio latius pro interiori mentis affectu, quo fit ut amemus, desideremus, sitiamus Deum, omnia referamus ad eum, ipsi uni vivamus.

Vel sumitur strictius pro actuali elatione mentis ad Deum, quæ fit, ut diximus, adoratione, laude, gratiarum actione, petitione, vel oblatione. *§. 1. huiusce cap.*

Si priori modo sumatur, nullum vitæ tempus, nullum instans debet esse ab oratione vacuum; numquam enim vacare licet ab amore Dei. Atque hoc sensu impleri & potest & debet, ut diximus, præceptum orationis continuæ. *Ibid. §. 2.*

Cum autem nec per necessarias vitæ occupationes, nec per infirmitatem nobis liceat vacare semper orationi posteriori modo sumptæ, necessarium est huic saltem aliquod tempus quotidie impendere, idque multiplici de caussa.

1. Ut excitemur ad amandum Deum iugiter, & ad novos in dies progressus in Dei dilectione faciendos.

2. Ne torpeat sensim & extinguatur in nobis desiderium æternæ beatitudinis.

3. Ut renovemur spiritu mentis nostræ, & foveatur ignis Divinus, quo debet ardere continuo mens nostra, ne forte sopitus ignis & cineribus oppressus extinguatur tandem, ut fit, nisi suscitetur identidem.

4. Ut anima, quæ terrenis adhuc desideriis implicatur, ex intervallo saltem ad Divina respiret. *Ex Mand. præfix. Brev. Parif.*

5. Ne seducat nos & obscuret fascinatio nugacitatis: ne transvertat sensum nostrum inconstantia concupiscentiæ; ne infinitis propemodum tentationibus undique appetiti pereamus.

6. Ut quas per fragilitatem humanam admittimus quotidie culpas, eas & revocemus in memoriam, & expiemus oratione, qua fit ut Divinam misericordiam impetremus (A).

I. Quod maxime tempus dandum orationi?

R. Orandum præcipue illis diebus, qui ex institutione Dei vel Ecclesiæ destinantur specialius orationi: quales sunt Dominici dies & festivi.

Præterea multæ sunt occasiones quibus aliis etiam diebus orandum specialius.

1. Cum adest ægritudo, afflictio, tentatio, persequutio, periculum animæ vel corporis: uno verbo instante qualibet necessitate (B).

(A) S. Aug. *Epist. ad Probam, quæ est* 130. *alias* 121. *Vide supra* §. 2. *huiusce cap. litt.* (B)

In Ps. xxxvii. *num* 24. *Vide supra* §. 1. *cap.* 5. *sect.* 1. *huiusce partis, litt* (A)

(B) Psal. xlix. 15. Et invoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.

Iacob. v. 13. Tristatur aliquis vestrum? Oret. Æquo animo est? Psallat. Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum... Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus.

Tob. iii. 1. Tunc (*postquam percussit eum Dominus cæcitate*) Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrimis, dicens: Iustus es Domine, &c.

2. Tempore publicæ calamitatis & afflictionis & angustiæ (C).

3. Cum suscipitur vel finitur quæcumque res alicuius momenti; idque exemplo Christi (D).

4. Post acceptum a Deo singulare aliquod beneficium (E).

5. Tandem orandum instantius pro proximo quoties ob instantem necessitatem quamlibet specialioribus fidelium orationibus indiget.

Habes in Psalmis varias & multiplices & luculentissimas illas quidem orandi formulas, quas in supradictis occasionibus adhibere licet.

I. Numquid & quotidie certis quibusdam horis orationi vacandum?

R. Vacandum certe: & quidem ea ratione adimpletur aliquatenus, ex S. Augustino, quod præceptum est, ut sine intermissione oremus. Id, inquam, sanctissime fit cum nullo die orandi tempora intermittuntur (F).

(C) Iudith. iv. 8. *Vide supra huiusce cap.* §. 4 *litt.* (D) *ut &* 1. Machab. iii. 44. *huiusce capit.* §. 7. *litt.* (Z)

Osee vi. 1. In tribulatione sua mane consurgent ad me: Venite, & revertamur ad Dominum, quia ipse cœpit, & sanabit nos: percutiet & curabit nos.

(D) Luc. vi. 12 *Vide supra* §. 2. *huiusce cap. litt.* (G)

xxii. 17. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite & dividite inter vos

Iudith. xiii. 6. & 7. *Vide supra huiusce cap.* §. 4. *litt.* (D)

1. Machab. iii. 44. *Vide supra huiusce cap.* §. 7. *litt.* (Z)

iv. 30. Et viderunt exercitum fortem, & oravit, & dixit: Benedictus es Salvator Israel, qui contrivisti impetum potentis in manu servi tui David, & tradidisti castra alienigenarum in manum Ionathæ filii Saul, & armigeri eius. Conclude exercitum istum in manu populi tui Israel, & confundantur in exercitu suo & equitibus... Et commiserunt prælium.

(E) Exod. xv. 1. (*Post transmissum Populum per mare rubrum, & submersum Pharaonem & exercitum eius,*) Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem (eius) deiecit in mare, &c.

Iudic. v. 1. (*Occiso Sisara, & exercitu illius deleto*) Cecinerunt Debbora & Barac filius Abinoem in illo die, dicentes: Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino, &c.

1. Reg. i. 27. Pro puero isto (*Samuele ego Anna*) oravi, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum... Et oravit Anna, & ait:

ii. 1. Exultavit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo, &c.

Isai. xxxviii. 9. Scriptura Ezechiæ, regis Iuda, cum ægrotasset & convaluisset de infirmitate sua. Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi, &c.

Ionæ. ii. 2. Et oravit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis; & dixit: Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, & exaudivit me, &c.

Luc. i. 42. Et clamavit voce magna (Elisabet) & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui... Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum, &c.

Ibid 64. Apertum est autem illico os eius, (*Zachariæ*) & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum.... Et prophetavit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ, &c.

ii 28. Et ipse (*Simeon*) accepit eum (*Iesum*) in ulnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, &c.

(F) Luc. xviii 1. Oportet semper orare & non deficere.

Pars III. Sect. II. Cap. I. §. 10.

I. Quibus horis orationi vacandum quotidie?

R. Vacandum mane, vacandum & vespere. Præterea fieri nihil utilius potest quam si qualibet die oretur identidem per repetita frequentius intervalla. Septies in Dei laudem dicebat Domino David: præterea media nocte surgebat assidue ad confitendum Domino, nec propterea Regiis occupationibus deerat (G).

Huius exemplo statas singulis diebus & noctibus & discretas ab invicem horas indixit Ecclesia ad publicam orationem. Primum olim nocturnum reddebat circa noctis initium: ad secundum nocturnum surgebat media nocte: desinente nocte tertium nocturnum persolvebat: paullo ante Solis ortum canebat matutinas laudes: hora tertia post Solis ortum ad tertiam, ad sextam meridie, ad nonam hora post meridiem tertia, ad vesperas Sole cadente conveniebat. Sic septies in die & semel media nocte Davidis exemplo dicebantur Domino laudes. Succedente tempore, tribus nocturnis in unum officium iunctis, additum est mane ad Solis ortum officium Primæ, & post Solis occasum officium Completorii: sicque retinetur etiamnum mos vetus, repetitis septies in die vicibus & semel in nocte conveniendi ad publicam orationem (H). Psal. cxviii. 62. & 164.

Quotidie olim conveniebat fre-

S. August. *de Hæresib. ad Quodvult-Deum, Hæres.* 57. *cap* 57. Postremam ponit Epiphanius Massilianorum hæresim: quod nomen ex lingua Syra est: Græce autem dicuntur [illegible] ab orando sic appellati: Tantum enim orant, ut eis qui hoc de illis audiunt incredibile videatur. Nam cum Dominus dixerit: *Oportet semper orare, & non deficere:* & Apostolus: *Sine intermissione orate;* quod sanissime sic accipitur, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi: isti ita nimis hoc faciunt, ut hinc iudicarentur inter hæreticos nominandi. (Luc. xviii. 1. — 1. Thess. v. 17.)

(G) Psal. cxviii. 62. Media nocte surgebam ad confitendum tibi.

Ibid. 164. Septies in die laudem dixi tibi, super iudicia iustitiæ tuæ.

(H) S. Clemens, *sive* Auctor. *Constitut. Apostol. lib.* 8. *cap.* 34. *Tom.* 1. *Concil. Lab. pag.* 582. Precationes facite mane, tertia hora, ac sexta, & nona, & vespere, atque ad galli cantum: mane gratias agentes quod illuminarit nos nocte sublata, & reddito die: tertia, quod ea hora Pilatus iudicium adversus Dominum pronunciavit: sexta, quod ea hora in crucem actus est: nona, quod tum omnia muta, & tremefacta sunt Domino crucifixo, quia horrerent audaciam impiorum Iudæorum, & contumeliam Domini ferre non possent: vespere, quod noctem dederit ad requiescendum a diurnis laboribus: ad galli cantum, quod ea hora nunciet adventum diei ad facienda opera lucis.

S. Hieron. *Epist.* 57. *alias* 7. *ad Letam.* Præponatur ei probæ fidei, & morum ac pudicitiæ virgo veterana, quæ illam doceat, & assuescat exemplo ad orationes & psalmos nocte surgere; mane hymnos canere; tertia, sexta, nona hora stare in acie quasi bellatricem Christi, accensaque lucernacula reddere sacrificium vespertinum.

Epist. 18. *alias* 22. *ad Eustochium, aliquanto ante finem.* Post hæc quamquam Apostolus orare nos semper iubeat, & sanctis etiam ipse sit somnus oratio, tamen divisas orandi horas debemus habere: ut si forte aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque & vesperam nemo est qui nesciat. Nec cibi sumantur nisi oratione præmissa: nec recedatur a mensa, nisi referatur Creatori gratia. Noctibus bis terque surgendum, revolvenda quæ

Digitized by Google

de Scripturis memoritet retinemus. Egredienres de hospitio, armet oratio; regredientibus de platea, oratio occurrat antequam sessio: nec prius corpusculum requiescat, quam anima pascatur. Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat Domini crucem.

S. BASIL. *Regul. fusius disput. Inter.* 37. *num.* 3..... Idcirco non oportet precationum tempora in fratrum conventibus constituta negligere, quæ necessario delegimus, quod eorum quodlibet accepta a Deo beneficia singulari quodam modo in memoriam revocet. Matutinum quidem, ut animi ac mentis nostræ primi motus Deo consecrentur, & nihil aliud prius curandum suscipiamus, quam exhilarati fuerimus Dei cogitatione, sicut scriptum [Ps. xxxvi. 4.] est: *Memor fui Dei, & delectatus sum*: neque corpus ante admoveatur operi quam [Ps. v. 4. & 5.] effecerimus quod dictum est: *Ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam. Mane adstabo tibi, & videbo.* Rursus vero tertia hora surgatur ad precandum fratresque convocentur etiamsi divisi alii aliis operibus fuerint occupati; & ita Spiritus donum circa terriam horam Apostolis collatum in memoiiam redigentes, omnes uno, eodemque animo illum venerentur, ut ipsi quoque fiant digni quibus sanctitas confetatur, simulque petanr, ut Dux sit itineris, ac ea quæ utilia sunt, edoceat, iuxta eum, qui disit: [Ps. L. 12. & seq.] *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne proiicias me a facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu* [Ps. cxlii. 10.] *principali confirma me.* Et alibi: *Spiritus tuus bonus educet me in terram rectam;* sicque rursus incumbamus operibus.

Num. 4. Quod si forte aliqui propter operum aut locorum naturam longius abfuerint, illic sine ulla hæsitatione singula quæ communiter statuta sunt, exsequi necessario debent. Nam *si*, inquit [Matth. xviii. 20.] Dominus, *duo, vel tres sunt congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Sexta quoque hora necessariam esse precationem Sanctorum exemplo, iudicavi- [Ps. liv. 18.] mus: qui dicunt: *Vespere, & mane, & meridie narrabo & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.* Et ut liberemur ab incursu, & dæmonio meridiano, etiam eodem tempore recitetur nonagesimus psalmus. Nnnam autem horam ad orandum necessariam esse, Apostoli ipsi nobis prodidere in Actis: in quibus narrantur Petrus, & Ioannes ascendisse in templum *ad horam orationis nonam.* Iam completa die de iis quæ in ipsa data sunt nobis, aut recte a nobis gesta sunt, [Act. iii. 1.] persolvantur gratiæ, itemque ea quæ prætermissa sunt, confiteamur: quippe sive voluntarium, sive etiam latens peccatum admissum est, aut in verbis, aut in factis, aut in ipso corde, Deum de his omnibus per preces placamus. Prodest enim plurimum præterita considerare, ut ne rursus in similia delabamur. [Ps. iv. 5.] Quapropter inquit: *Quæ dicitis in cordibus vestris in cubilibus vestris compungimini.*

Num. 5. Ac rursus nocte incipiente petendum est, ut inoffensa & a visis libera requie fruamur: qua hora etiam nonagesimus Psalmus necessario dicatur. Mediam autem noctem nobis ad orandum necessariam esse tradiderunt Paullus & Silas: quemadmodum Actorum historia declarat, his verbis: [Act. xvi. 25.] *Media autem nocte Paullus & Silas laudabant Deum.* Et Psalmista cum ait: [Ps. cxviii. 62.] *Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicia iustitiæ tuæ.* Et rursus anteverte re diluculum par est, & ad precationem exsurgere, ne in somno ac cubili a die deprehendamur, iuxta eum, qui dixit: [Ibid. 148.] *Prævenerunt oculi mei diluculum, ut meditarer eloquia tua.* Ex quibus temporibus, nullum est negligendum ab iis qui diligenter ad Dei & Christi ipsius gloriam vivere instituerunt. Diversitatem autem atque varietatem in precibus & in Psalmodia, quæ statis horis fiunt, utilem esse arbitror, quod in æquabilitate quidem torpescat sæpe nescio quomodo animus, atque præsens absens est. Mutatis vero & variatis psalmodia & cantu per singulas horas, renovatur eius desiderium, & attentio instauratur.

R P. L. D. THOMASSINUS Cong. Orat. Gall. Sacerd. *Eccl. discipl. de benef. part.* 1. *lib.* 2. *cap* 71. *num.* 1.... Ita fidelibus præcipiunt Constitutiones Apostolicæ: [Lib. viii. c. 34.] *Precationes facite mane, tertia, sexta, nona, vespere, atque ad galli cantum.* Mane, ut patri luminum de ortu diei agantur gratiæ: tertia, quia ea hora sol iustitiæ Christus morti addictus est: sexta, quia circa meridiem affixus cruci, & splendidissime a terra exaltatus est: nona, quia tum immortalis vitæ parens mortali vita excessit: vespere, ut ei gratiæ agantur, qui eo tempore tumulatus, ve-

PARS. III. SECT. II. CAP. I. §. 10.

ræ quietis auspex nobis factus est. Ad galli cantum, quia Christo resurgente, rediviva immortalis lux, filios lucis ad laborem & ad opus æternæ salutis vocat. His horis congregabantur fideles ad Ecclesiam; id si per infideles minus liceret, conveniebant in domo aliqua. *Ibid.* *Si ad Ecclesiam prodire non licuerit propter infideles, congregabis, Episcope, in domo aliqua.* Et si nec in Ecclesia omnes, nec in domo aliqua convenire daretur, privatim quisque, vel duo, tresve simul hoc *Ibid.* pietatis munere fungebantur: *Quod si neque in domo, neque in Ecclesia congregari poterunt, psallat sibi unusquisque, legat, oret; vel duo simul, aut tres.* Ubi *Matth. VIII. 20.* enim fuerint, *inquit Dominus*, dun aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Num. 2. Paucissimis his verbis ea omnia continentur, quæ duobus tribusve sequentibus capitibus edisserere aggredimur. Ostendemus enim, 1. ab ipso exorientis Ecclesiæ primordio Divinum officium in usu fuisse, iisdem prope horis, Psalmis iisdem quibus nunc, ac Lectionibus contextum. 2. Decantatum illum aut recitatum publice in Ecclesia, aut oratoriis privatis, quamdiu ibi conventus agere licuit. 3. Ea lege obligatos potissimum fuisse Clericos, quippe qui cum Episcopo conventui & orationi publicæ præesse deberent. 4. Quin & laicos eadem lege comprehensos fuisse, cum ad omnes verba faciat indiscriminatim Apostolica constitutio. 5. Si convenire nec in Ecclesia liceret, nec in domo aliqua privatim, ab unoquoque fieri idem secreto oportuisse. Hæc sunt quibus illustrandis præcipuam dabimus operam, dum perpetuam sanctorum Patrum, Conciliorum, & Historicorum in idem conspirantium traditionem contexemus.

Num. 3.... Auctor est Socrates sancto Ignatio, tertio post Petrum Antiocheno Episcopo, visendos se exhibuisse Angelos, qui adorandæ Trinitatis laudes alternis choris concinerent; hunc deinceps canendi ritum tenuisse Antiochenam Ecclesiam, quam ceteræ deinceps omnes æmulatæ sint. Viri docti & emunctioris, quam Socrates fuerit, naris, non acquieverunt huic Socratis, ne dicam vulgi imperiti narratiunculæ, maluerunrque Augustino assentiri, qui ab Apostolis & ab ipso Christo initium & exemplum repetit, & legem: & ad id testimonio utitur sacrarum litterarum. En verba Augustini: *Maxime illud quod de Scripturis defendi potest, sicut de Hymnis & Psalmis canendis, cum & ipsius Domini, & Apostolorum habeamus documenta, & exempla & præcepta.* *Epist. 119. nunc 54. c. 18. num. 35.* Cum ergo Psalmos, & Hymnos cum Apostolis Christus decantaverit, & de spiritali Psalmorum cantu crebra sit apud Paullum mentio, & commendatio frequens; similius veri est hæc Ecclesiasticæ psalmodiæ primordia fuisse, primum in Ecclesia Palestinæ, ex Salomonis templo, eiusque concentibus, & tum deinde in Orientalibus Ecclesiis universis. Quam erat illud Socratis ludicrum & incertum, tam solidum istud est & inconcussum Ecclesiastici cantus fundamentum.

Idem porro alibi Augustinus affirmat concini quidem solitos in Ecclesia Alexandrina Psalmos, sed tam modico flexu vocis, ut lector idem esset qui cantor, & etiam tum cum caneret, legenti propior esset, quam canenti. *Quod de* *Conf. l. 10. c. 33.* *Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem Psalmi, ut pronuncianti vicinior esset, quam canenti.*

Num. 4. Constat ergo ab initio in morem Hierosolymitani templi, Psalmos in Ecclesia cani familiare prorsus fuisse. At unum tantum fuisse qui caneret; Clericos vero alios pariter cum laicis cecinisse spiritu, cecinisse mente, donec gravissimis de caussis, quæ infra explanabuntur, & Clero & plebi copia facta est una canendi. Tunc alternantibus choris cani cœptum est; utque relligiosissimæ cæremoniæ auctoritas accederet, antiquitatem quoque aliqui & cælestem originem accersere ei voluerunt, ab illa quam narrat Socrates Angelici cantus visione. In templo Salomonis præter cantores, quos ei rei David instituerat, aut eorum successores, canebat nemo: ita nec Christiana plebs in Ecclesia. Adde quod primis illis temporibus, ne Clerus quidem, nedum plebs poterat Psalterium edidicisse, ut omnes concinerent. Eusebius, quod de Essenorum conventu dixit, *Euseb. Hist. Eccles lib. 7. c. 30.* canente uno auscultare ceteros, id de Christianis dictum esse voluit. Unum volebat tantum Athanasius cantorem, qui seu caneret, seu legeret. In Epistola synodali Concilii Antiocheni, ubi damnatus Paullus Samosatensis est, legimus impurissimum illum atque audacissimum

hominem, sublatis qui ante in Ecclesia canebantur Psalmis, Hymnos cani iussisse in sui ipsius commendationem exaratus. Id facillime obtineri poterat, si vel unus cantoris officio in Ecclesia fungeretur, vel plures quidem, sed quorum unus alterum exciperet. Et hæc est quæ restituta cum ceteris ornamentis Ecclesiæ psalmodia est, ut vult Eusebius, postquam est a Constantino libertate donata.

Num. 5. Iustinus quidem Martyr de Psalmodia Ecclesiastica horarum canonicarum siluit in Apologia secunda, ubi Dominicam synaxin descripsit, eamque quæ tunc celebrabatur Missam, in qua & legi solitas Scripturas ait, & multas preces Deo fundi. Quamquam posset contendere non immerito quis, & in his precibus, & in illis Scripturarum lectionibus Psalmos comprehendi, qui recitarentur, aut etiam levissimo vocis flexu canerentur. Id si minus arrideat, at non negabis nequaquam in brevissima illa Apologia locum esse potuisse toti explicandæ Ecclesiarum disciplinæ. Canones Apostolici meminere Cantorum, quare & fuerit tum necesse est Divini officii decantatio, qualem supra ex constitutionibus Apostolicis accepisti. Vetat Concilium Antiochenum, ne quis in Ecclesia cantet, nisi legitimi constituti cantores: κανονικοὶ ψάλται. Ergo nondum canebat in Ecclesia populus, immo ne ceteri quidem Clerici, etsi vel plurimi adessent. Statuit eadem Synodus, ut cum libris aliis sacris legatur Evangelium die Sabbati. Scilicet is erat in Orientis Ecclesiis festus dies, sicut & dies Dominicus. Quem morem hactenus retinuimus. Solis enim festis diebus, & Dominicis Evangelia leguntur, ferialibus non leguntur. Statuit præterea eadem Synodus, ne perpetua sit Psalmorum decantatio; sed post singulos Psalmos fiat lectio, ut rerum varietas attentionem acuat. Ut Lectorum tantum erat legere, ita & cantare Cantorum, reliquo tum populo, tum Clero silente, auscultante, adorante. Mansit perstatque hactenus in universa Ecclesia & in canonicis horis is Psalmorum cantus, non perpetuus, sed Scripturarum lectione etiam nunc suavissime interpunctus. Statuit denique eadem Laodicena Synodus, ut ne Psalmi alii canantur, neu legantur libri alii in Ecclesia, nisi veteris ac novi Testamenti. Nondum ergo Hymni, nondum sanctorum vitæ aut gesta, nondum Sanctorum Patrum Homiliæ in officio Divino erant. Quam autem dicit Synodus liturgiam Nonæ, liturgiam Vesperæ, Missam ego crediderim, quæ ora nona nunc, ut in stationibus, seu semiieiuniis, nunc hora vespertina, ut ieiuniorum diebus celebraretur; si necdum usu receptum ibi erat, quod postea fuit, ut nullis ieiuniorum diebus Missa celebraretur.

PARS III. SECT. II. CAP. I. §. 10.

Num. 6. Monachorum disciplina sanctissima lucem non modicam asperget iis quæ de Ecclesiasticis officiis huc congeremus. Quod enim a matre acceperant non sine fenore filii reddidere. Discipuli quidem illi primum fuere Ecclesiæ, sed ii quos ipsa deinde compendiosum sibi atque honorificum sequi duxit & imitari. Refert in vita Pachomii, quam latinam fecit Dionysius Exiguus, sanctissimum virum obiecta sibi cælesti visione didicisse, Monachis suis præscribi oportere, ut per diem orarent duodecies, duodecies vespere, & nocte similiter. Cumque is precum numerus minor Pachomio videretur, respondisse Angelum, infirmiorum rationem haberi oportere; qui firmiores enim ac perfectiores essent eos sine intermissione orare, ac pace plenissima suavissimaque contemplatione sine ullo tumultu frui. Sozomenus ubi agit de Pachomii discipulis mille & trecentis, & Monachis aliis usque ad septem millia, asserit eos nocte Psalmos duodecim, mane totidem, totidemque vespere decantasse. Habet hodie feriale officium eumdem Psalmorum numerum ad nocturnam psalmodiam; eumdem habent minores horæ quatuor diurnæ, nec multum dissimilem Vesperæ cum completorio.

Hiſt. Eccl lib. 3. c. 13.

Sed audiendus hic Cassianus, qui rem totam enucleatissime persequitur. Cum enim dissentirent inter se Thebaidus & Ægypti Monachi de numero Psalmorum qui essent singulis canonicis horis assignandi, visendum se eorum oculis obiecit Angelus cælo allapsus, eorumque veste indutus. Is eo tempore quo auspicanda erant divina officia, undecim Psalmos cecinit, quorum singulis subiiciebatur brevis illa & cælesti igne tota deflagrans oratiuncula, quam Collectam vocant: his addidit & duodecimi Psalmi cantum, quo expleto adiectoque *Alleluia*, in cælos rursus evolavit. Non poterat illud dissidium aptius efficaciusque componi. Ipsa iam Cassiani verba promo, ex quibus multa alia scintillabunt

Caſſian. de can. noct. or. lib. 2. c. 5. & 6.

nec inutilia, nec iniucunda. *Unus in medium psalmos Domino cantaturus exsurgit. Cumque sedentibus cunctis, ut est moris nunc usque in Ægypti partibus, & in psallentis verba omni cordis intentione defixis, undecim Psalmos orationum interiectione distinctos contiguis versibus parili pronuntiatione cantasset, duodecimum sub* Alleluia *responsione consummans, quæstioni pariter & ceremoniis finem imposuit* Addit Cassianus exinde inolevisse morem duodecim Psalmos cantandi, tum ad nocturna officia, tum ad vespertina; *tam in vespertinis, quam in nocturnis conventibus*. In gratiam porro eorum, quibus cordi erant Scripturæ sacræ, additæ postea sunt lectiones duæ, una veteris, altera novi Testamenti, sed utraque libera, & pro voluntate recitanda. Die tamen Sabbati utraque e novo Testamento sumebatur, altera e Paulli Epistolis aut Apostolorum Actibus, altera ex Evangeliis: quod etiam nunc servatur a Pascha ad Pentecostem; quia qui interlabuntur dies pro Festis habebantur.

Num. 7. In verbis Cassiani illud sedulo observa, eius enim diligentiam in investigandis Monachorum Ægypti Orientisque moribus nihil effugerat: observa, inquam, eam apud illos fuisse consuetudinem, ut ex iis unus Psalmos caneret, ceteri vero silentio & attentione maxima orarent. Cum autem monastico instituto antiquior esset Ecclesia annis admodum trecentis, ut infra demonstrabitur: perspicuum est id ab Ecclesia sumpsisse Monachos; in qua cum unus psalleret, Clerici reliqui cum plebe non aliud quam taciti orabant, & tum omnes succinebant concinebantque simul sollemnem illam doxologiam, *Gloria Patri*. In Monasteriis vero sub finem singulorum Psalmorum, is qui erat Præpositus, collectam recitabat. Hoc enim docet Cassianus, expleto quolibet Psalmo omnes una surrexisse, spiritu paullisper orasse, tum rursum omnes in genua simul procidisse, ut adorarent Deum: surrexisse omnes denuo, & tum

Ibid. cap. 7

a Præposito Collectam recitatam. *Ante quam flectant genua, paullisper orant stantes: post hac puncto brevissimo procidentes humi velut adorantes tantum Divinam clementiam, summa velocitate consurgunt, ac rursus erecti expansis manibus*, &c. *Cum is qui orationem collecturus est, e terra surrexit, omnes pariter eriguntur*. Hinc collectæ nomen. Breviores fuisse mentales huiusmodi orationes notat Cassianus, ut esset & ferventior oratio, nec in diversa facile distraheretur. Addit & his brevissimis orationibus interrumpi solitos Psalmos qui longiores essent. Si quis vero e Cantoribus iunior adhuc, continuos versus paullo plures caneret, signo facto ab eo qui præerat, consurrexisse simul omnes, & spiritu orasse. Denique Psalmorum duodecim iam inter Monachos partitionem fuisse, ut unus caneret sex, totidem alter: aut canerent quatuor singuli tres, aut tres singuli quatuor; ut canerent semper nec pauciores quam duo, nec plures quam quatuor. *Quantalibet multitudo convenerit, numquam amplius psallant in synaxi, quam quatuor Fratres*.

Num. 8. Horum maxima pars viget etiam nunc. Nam officium nocturnum feriale duodecim Psalmorum est. In officio nunc sedemus, nunc stamus; vel alternatim stantibus aliis alii sedent. Diebus Festis aut Dominicis sumuntur Lectiones e novo Testamento. Psalmodiam & lectionem brevi prece mentali, aut genuflexu, aut oratione, sive collecta finimus & intercidimus. Denique Psalmos longiores interrupto cantu secamus in plures. Suspicari libet in locum orationis mentalis, cui fortasse minus idonea fæx vulgi esse videbatur, subrogatam esse alicubi orationem Dominicam, quæ & ipsa plerumque silentio dicitur, vel doxologiam, hoc est Trinitatis gloriam.

Neque vero illud prætereundum quod ait Cassianus, Monachos Ægypti, stante illo qui psalleret, idcirco *humillimis sedibus insidentes* fuisse, quia post diurnum opus ac laborem aliquantulum quiescere necesse esset; post completa denique officia, in suas singulos se recepisse cellulas; & ad exortum usque diei orasse, quo orationi labor manuum succederet. *Idem rursus orationum officium,* Ibid. c. 12. *velut peculiare sacrificium studiosius celebrant, donec nocturno operi ac meditationi operatio diurna succedat* Porro somnus quantuluscumque ille fuit, ante officium nocturnum capiebatur.

Num. 9. Ex eodem Cassiano Monachi Ægyptii nocturno tantum & vespertino tempore ad Divinam psalmodiam in Ecclesiam conveniebant, exceptis Sabbatis Dominicisque diebus, quibus hora præ-

Digitized by Google

terea tertia ad Missam & communionem congregabantur. Diebus ceteris nulla erat Horarum distinctio. Diem totum vacabant operi manuum, & inter operandum Psalmis, lectioni, meditationique Scripturæ operam dabant. Contra in Palæstina, in Mesopotamia, & in Oriente universo Horarum erat partitio in Tertiam, Sextam & Nonam, quibus singulis tres adsignabantur Psalmi, ut alternis labori manuum oratio, & orationi labor succederet. *Supradictarum horarum sollemnitates trinis Psalmis quotidie finiuntur, ita ut necessaria operationis officia spiritualibus obsequiis nullatenus valeant impediri.* Quod ad horam Primam attinet, auctor est Cassianus, suo illam ævo in Monasteriis Galliæ superadditam fuisse, adsignatis suis illi Psalmis tribus & Collectis: *Tribus Psalmis & orationibus celebratis.* Quæ nunc nobis Prima, illi *Matutina canonica functio dicitur.* Unde coniiceret quis has esse potius matutinas Laudes, quæ mane nobis canuntur: unde ille ait eam celebratam fuisse ante ortum solis: *Usque ad solis ortum, quo iam sine offensione vel lectio parari, vel opus manuum possit assumi.* His ille addit ea esse septem orandi tempora, quæ Regius vates, Divinorumque conditor Psalmorum his verbis indigitavit: *Septies in die laudem dixi tibi.* Non tamen facile constabit septenarius hic numerus, nisi vespertinum Officium facias bipartitum, ut aliud sit lucernarium, ut illi quidem appellitabant, aliud vespertinum ipsum officium, cui lucernarium præibat, ut infra docebimus.

Caſſian. de can. diurno orat. & Ps. modo, lib. 3. c. 2. 3. & 4.

Psal. cxviii. 164.

Num. 10. Attingendæ nunc nobis strictim sunt vigiliæ quæ semel hebdomadis singulis celebrabantur, ea nocte quæ Sabbatum inter & Dominicam fluit. Docet Cassianus hieme, quo tempore noctes sunt longiores, vigilias ad quartum usque galli cantum produci; tum Fratres horis duabus somnum capere, ut alacriores in iisdem pietatis officiis totum Dominicum diem possint exigere. Porro ut excitaretur animi attentio, nocturnum officium in tres partes secari solitum: tres Psalmos a stantibus & alternantibus choris decantatos fuisse: tum sedisse omnes, ut tres Psalmos alios a totidem Monachis cantandos auscultarent; his successisse tres Lectiones. *Eas vigilias tripartitis distinguunt officiis*, &c. *Nam cum stantes Antiphonas tres concinnerunt, humi post hac, vel humillimis sedibus insidentes, tres Psalmos uno modulante respondent: & his sub eadem quiete residentibus, ternas adiiciunt Lectiones.* Quæ proxime accedunt ad nocturnum nunc Dominicæ officium. Dividitur enim in Nocturna tria, Psalmos octodecim, & novem Lectiones. Matutinum appellamus, ex quo tempore matutinæ Laudes uno cum iis tenore canuntur. Observat Cassianus in Monasteriis Orientis sub finem nocturni officii eosdem fere solitos recitari Psalmos, quibus Laudes hodie constant matutinæ. Quamobrem non immerito dixeris, eam quoque officii Divini partem, cui nomen fecimus Laudes, iam tum usitatam fuisse Monachis; & nocturnis officiis, quæ pene ad diluculum protrahebantur, adiungi cœpisse. Observat denique mane Dominico die semel conveniri, quod Tertia & Sexta simul cum Missa iungerentur, uti etiam nunc mos habet.

Ibid. cap. 8.

PARS III. SECT. II. CAP. I. §. 10.

N. 11. Quantacumque autem rerum rituumque diversitas observari posset, erat tamen inter Ægypti, Thebaidis, Orientis & Palæstinæ Monasteria, mira quædam consensio & consonantia incredibilis, quæ utique aliunde proficisci non poterat, quam ex eo quod Monachi id in solitudine facerent, quod in Ecclesiis ante fieri ipsi vidissent. 2. Quod autem e Monachis non ii tantum officium Psalmosque decantarent, qui in sacris erant Ordinibus; sed & ad unum omnes, ne iis quidem exceptis, qui illitterati prorsus erant, & haberi poterant pro laicis: id ex eo factum est, quod in Ecclesia ipsa prioribus seculis laici fideles eo etiam fungerentur vel publice, vel privatim munere decantandi vel recitandi horas canonicas. Nam recitandi officii lege nulla speciali tenebantur, sive Monachi, sive Moniales, nec tale quidquam profitebantur; sed ad id quotidianum pensum eos adigebat vetustissima & generalis fidelium consuetudo, quæ etsi apud laicos forsan aliquos intepuisset, eam necesse erat in Monasteriis renovari ac recalescere. 3. Quas horas canonicas in Ecclesiam convenientes non canebant, eas privatim singuli suis in cellulis recitabant. Quod argumento est, idem inter fideles, maxime vero inter Clericos viguisse, ut privatim psallerent illas canonici pensi horas, quas in Ecclesiæ conventu per occupationes

quaslibet persolvere non licuisset. 4. Ideo & auctor est Ruffinus, cum Monachi Fratres in solitudine invisebant, diurnas nocturnasque horas eo fere tempore persolvere solitos, quo ipsa Munasteria. *Facto vespere orationes & Psalmos secundum consuetudinem compleverunt; similiter etiam & nocte fecerant*, &c. *Vespere ad luminaria addidit super consuetudinem alios Psalmos, & post completas orationes dixit eis*, &c. *Non possumus propter vos omnem Canonem psallere, ideoque repausate modicum, quia de itinere fatigati estis*. Hinc sane perspicis quo ex fonte manet vox illa Horarum *Canonicarum*, nempe ex Canone, sive regula & numero Psalmorum, cuique seorsum officio præfixorum, quo penso fungebantur etiam qui perlustrabant in eremo vastissima cellulas Fratrum, solatii spiritalis aliquid vel petituri, vel vicissim imperrituri. Hi, perinde ut & alii complures Monachorum mores, ab eorum vel Clericorum, vel laicorum fidelium imitatione descenderant, qui prima aureaque Ecclesiæ secula illustrabant.

Ruffin. de vitis Patrum, lib. 3. cap. 5.

Cap. 72. N. 1. Epiphanius circumspecte orationem a psalmodia secernens, docet in Ecclesia celebrari solere officia matutinæ & vesperrinæ psalmodiæ; at Monachos se totos impendere psalmodiæ, orationi, Scripturis lectitandis & memoriæ commendandis. *Matutinæ laudes in Ecclesia Catholica, matutinæque preces assidue celebrantur: Lucernales item Psalmi & orationes*, &c. *Magna vero ex parte Monachi in decantandis Psalmis ac perpetuis orationibus, & sacrarum litterarum lectionibus, & iisdem memoriter pronunciandis exercent*. Dixerat ante Clemens Alexandrinus, plerosque certas sibi orandi præfixisse horas, certa tempora, uti horam Tertiam, Sextam, Nonam: Gnosticum vero, & qui vere sit contemplator, eum sine intermissione orare, & sumendo cibo præmittere lectionem Scripturarum.

Exposit. fidei Catholic. c. 23.

Stromat. lib. 7.

N. 2. Dixit vero tam copiose Basilius in laudem psalmodiæ, ut non facile adiicere quidquam possis. Vel plebem enim affirmat ita Psalmorum cantu delinitam fuisse, ut domi, forisque & inter ipsa urbium compita psallerent. *Psalmorum eloquia & domi cantillant, & medio in foro secum circumferunt*. Agit alibi de horis septem, quæ Psalmis canendis in Monasteriis sunt dicatæ: nocte media, mane, hora tertia, sexta, nona, vespere; eamque orationem quæ meridiana est, in duas dividi observar, unam quæ cibum præcedat, alteram quæ sequatur: ut septenarius efficiatur horarum numerus. Multa multi deblaterarunt in Basilium, quasi in instituendis Monasteriis multa novasset, & psalmodiam priscam adulterasset. Ille autem in Epistola ad Clerum Neocæsariensem, has nænias diluens, ostendit non aliud agere se quam insistere in vestigia antiquissimorum Ægypti, Palæstinæque, & Mesopotamiæ Monasteriorum; eorum se instituta sin minus assequi, certe sequi: in iis enim omnibus psalmodiam religiosissime & sui ubique simillimam observari. *Quod propter psalmodias accusamur, qui iam obtinuerunt ritus omnibus Ecclesiis Dei concordes sunt & consoni*. Ait autem Basilius populos in Ecclesias ante diei exortum confluere, ibi primum genuflexo orare, tum surgere ad psalmodiam, Psalmos quandoque alternantibus decantari choris, quandoque unum canere, ceteros omnes succinere: ita per vices psalmodiam & orationem ad diem usque produci: denique ad ortum lucis, Psalmorum rursus resumi cantum; idque in tota factitari Ægypto, Libya, Thebaide, Palæstina, Arabia, Syria. *De nocte populus consurgeat domum precationis petit*, &c. *Tandem ab oratione surgentes, ad psalmodiam traducuntur. Et nunc quidem in duas partes divisi, alternis succinentes, psallant, nunc uni ex ipsis hoc muneris dato, ut quod canendum est prior ordiatur, reliqui succinant*, &c. *Ita psalmodiæ varietate, precibusque intersertis noctem superant. Illucescente vero iam die omnes pariter Psalmum confessionis offerunt Deo*. Ergo si ex Basilio fideles, si Monachi in divino officio tam assidui fuere, quanto magis Clerici, quorum erat illis propositum ad imitandum exemplum? Gregorius Nazianzenus Basilii encomium adornans, inter virtutes ceteras non omisit illius *in ieiuniis & orationibus assiduitatem, insuperabilem in vigiliis & psalmodiis vigorem*. Sed committendum non est, ut excidat nobis quod in Regula Monachis præcipit Basilius, ut privatim horas canonicas recitent, si quando non licuerit eas cum Fratribus in choro decantare. *Si enim corporaliter adesse cum ceteris non occurrat ad orationis locum, in quocumque loco inventus fuerit, quod devotionis est expleat*.

Basil. Hom. in Ps. 1.

Serm. de instit. Monach. & in Regul. fusius disp. cap. 37.

Epist. 63.

Orat. 21.

Regul. c. 107.

N. 3 Si Gregorium Nyssenum audis in vita Beatæ Macrinae sororis suæ, erat in Monasteriis sacrarum Deo Virginum *perpetuum precandi studium, & assidua Psalmorum decantatio, quæ nec die, nec nocte intermittebatur* Neque dubium ullum esse potest, quin ibi observarentur horæ canonicæ. Meminit enim infra vespertini officii, vel Missæ illius, quæ in vespertino officio celebrabatur, πρὸς τὰς ἐπιλυχνίους εὐχαριστίας ἐξετελεῖτο. Docet & noctes integras psallendo exactas in sollemnitatibus Martyrum. Quid autem pulcrius, quid disertius, quam quod habet Gregorius Nyssenus de suo in Arabiam itinere? Currus illi in Monasterium versus erat, quod ieiunio & psalmodiæ consecrarat, cum reliquis piæ peregrinationis comitibus. *Vehiculum nobis pro Ecclesia & Monasterio erat omnibus per totam viam simul psallentibus & ieiunantibus.* Habes hic horas canonicas, vel decantatas, vel recitatas saltem privatim, etiam dum iter facerent. Quis enim dubitet eos in Ecclesia illa gestatoria eamdem exercuisse psalmodiam, quæ notissima, quæ familiaris omnibus erat, & in Ecclesiasticis synaxibus a puero instillata animis?

N. 4. Chrysostomus non contentus id pervicisse, ut Clerici nocturnis officiis adessent omnes; laicos ipsos secularibusque implicatos occupationibus urgebat, ut si diem terrena sibi negotia intercipérent, Deo saltem noctes divinisque laudibus vendicarent. *Fideles quoque laicos exhortabatur, vigiliis nocturnis in Ecclesia insistere: uxores autem horum domi manere, interdiu orantes: ideo quod viris die otium non esset. Hæc omnia quosque negligentiores de Clero contristabant, totis noctibus dormire consuetos.* Quo expressius dici nihil, nihil efficacius potest, ut intelligas eam fuisse legem Clericis omnibus positam, ut diurnis & nocturnis in Ecclesia officiis adessent; cum sanctissimum Episcopum videas in id nervos omnes contendere, ut primævam fidelium pietatem excitet, & horis canonicis omnes diurnis feminas, viros nocturnis assidue velit interesse. Ad id quoque alibi idem Chrysostomus allicit, ut orationi psalmodiam, & vicissim contexant; utque Prophetarum lectioni præcipue incumbant. Exponit & alicubi cur in Ecclesia legantur Actus Apostolorum post Pascha, quod etiam nunc in usu est.

Pallad. in vit. S. Chrysost.

Homil. in Ps. xii.

Tom v. serm. 63.

N. 5. Instat idem vehementissime, ut quibus abundant opes, ii in villis Ecclesias sibi vel Oratoria construant, Presbyterumque ibi & Diaconum habeant, qui Dominico quoque die incruentam victimam immolent, & diebus singulis laudes concinant Divinas. *Educa Diaconum & sacerdotalem ordinem. Preces illic perpetuæ propter te; laudes & synaxes propter te, oblatio per singulos dies Dominicos, &c. Quanta res est, matutinis & vespertinis esse hymnis præsentem, &c. Purum est pro villa quotidie preces ad Deum fieri?* Quæ satis superque demonstrant, ab eiusmodi Ecclesiarum Ministris, tametsi ex ceteris Ecclesiis longe inferiores essent, diebus tamen singulis Psalmos decantari solitos fuisse. Hinc licet æstimes, quæ fuerit Clericorum aliorum ad orandum & ad psallendum lex, quæ obligatio, cum ii in ordinatione ipsa sua, personandæ Divinis laudibus Ecclesiæ sacrisque quibuslibet ministeriis excolendæ addicti essent omnes.

Hom. 18. in Act.

Quod autem alibi dicit Chrysostomus Missam in Oriente ter, aut quater tantum singulis celebrari hebdomadis; argumento est certas fuisse & præscriptas preces alias, quas diebus ceteris privatim recitarent Clerici; quemadmodum & pleraque factitabant Monasteria, ubi die Sabbati tantum & Dominico, aut ipso solo Dominico synaxis & Sacrificium agebatur; cum per singulos omnino dies ibidem stata celebraretur psalmodia.

Serm. 52. T. 5 in eos qui Pasch. ieiunant.

Denique si alibi sanctus Pater Monasteriis adscribit psalmodiam quotidianam, Nocturni temporis, Matutini, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Vesperarum, coniici quidem potest non in omnibus certe Ecclesiis eas omnes horas a Clericis decantatas fuisse: cum hæc omnes in omnibus Monasteriis decantarentur, ut supra dictum est. Sed ita existimari par est, ut a Monachis, ita & a Clericis privatim recitatas fuisse eas canonicas horas, quæ in Ecclesiis publice non canerentur. Addit enimvero Chrysostomus virtutes simillimas in Clero, atque in Monasteriis efflorescere ... Sed Palladius aliquanto disertius in Chrysostomi vita, cum ait quadraginta illos Episcopos in eius defensionem coniuratos, cum Ecclesiarum fores eis occluderentur, Paschæ vigilias & officia suis in diversoriis celebrasse. *Reversi Episcopi vigilias intra sua diversoria celebrarunt.* Tunc carceres ipsi pro Ecclesiis fuere. Adeo novum non erat,

In Ep. 1. ad Tim. Homil. 5.

C. 9. & 10.

Pars III Sect. II. Cap. I. §. 10

& synaxim & psalmodiam, quacumque occasione in Ecclesia non posset, intra privatas tunc domos celebrari. *Carceres in Ecclesiæ faciem transiere: Hymni & oblationes Mysteriorum in carceribus agebantur.*

N. 6. Ad Theodoretum festino, ut a quo multa & singularia & mira edocendi simus. Quorum primum illud esto, quod habet de ea apud Antiochiam institutione, ut Clero in duos choros partito, alternis Psalmi canerentur. Cum enim Ariani nihil non molirentur, ut eius Ecclesiæ quæ prima Christiani nominis parens fuit, fidei integritatem labefactarent: laici duo, Diodorus & Flavianus, hic Antiochenus postea, ille Tarsensis Episcopus creatus, pietate ambo insignes perditissimorum hominum conatibus fortissime & vigilantissime restitere; utque plebem in priscæ fidei constantia roborarent pietatis officio quopiam, quo etiam abstergeretur tristitia quædam ex adversariorum importunitate collecta, Psalmos alternis choris ab ipsa plebe cani debere persuaserunt: *Hi duo quamquam annumerati laicis, tamen noctu & interdiu ad pietatis studium omnes sedulo excitarunt. Hi psallentium choro in duas partes diviso, Hymnos Davidicos alternis canendos tradiderunt.* Addit Theodoretus eam inde consuetudinem irrepsisse, ac convolasse in alias omnes Ecclesias, etiam remotissimas: *Quæ res primum incæpta Antiochiæ, ubique pervasit, & ad ultimas orbis terræ partes pervagata est.* Hæc omnino veri sunt similiora, quam quæ refert Socrates de visione Ignatii. Constat enim donec istud Antiochiæ immutatum est, eos psallere tantum in Ecclesia solitos, qui erant ex officio Cantores: Clericos autem ceteros non concinuisse nisi ad finiendos Psalmos doxologia *Gloria Patri, Amen, Alleluia,* vel alia huiusmodi quapiam sacri concentus clausula. At præeunte Antiochenæ Ecclesiæ exemplo cœptum ubique illud est, ut populi ipsi Psalmos concinerent.

Theodoret. Hiſt. Eccleſ. lib. 1. c. 24.

Narrat Sozomenus Arianos Constantinopoli Ecclesiis omnibus eiectos, noctu in porticibus publicis convenisse, divisoque choro in partes duas cecinisse Psalmos & inter psallendum cantilenas quasdam, quæ hæreseos suæ summa continerent capita, interseruisse. Quo rescito Chrysostomos, ut Catholicæ plebis alacritatem acueret, alternis choris canere Psalmos addocuit: *Populum suum ad similem canendi modum excitavit.* Et infra: *Catholici ex hac caussa in hunc modum canere exorsi, in hunc usque diem ita perseverarunt.* Dicemus proximo capite, ut Ambrosius Mediolani non multum absimili occasione eumdem morem invexerit; unde is tandem in Occidentem omnem permanavit.

Sozomen. Hiſt. Eccleſ. lib. 8. c. 8.

Variarum præterea Horarum Ecclesiasticarum varii meminere; imprimis de his intelligi potest S. Ignatius Martyr *in Ep. ad Eph.* Festinate igitur crebrius convenire in gratiarum actionem Dei, & gloriam συνέρχεσθαι εἰς εὐχαριστίαν Θεοῦ καὶ εἰς δόξαν. Quum enim crebro in idipsum convenitis, destruuntur potentiæ satanæ; & solvitur perditio ipsius in concordia vestræ fidei.

S. Cyprian. *de Orat. Dominic.* In orationibus vero celebrandis invenimus observasse cum Daniele tres pueros in fide fortes, & in captivitate victores, horam tertiam, sextam, nonam, sacramento scilicet Trinitatis.... Quæ horarum spatia iampridem spiritaliter determinantes adoratores Dei, statutis & legitimis ad precem temporibus serviebant; & manifestata postmodum res est sacramenta olim fuisse; quod ante sic iusti precabantur. Nam super Discipulos hora tertia descendit Spiritus sanctus, qui gratiam Dominicæ repromissionis implevit. Item Petrus hora sexta in tectum superius ascendens, signo pariter & voce Dei monentis instructus est, ut omnes ad gratiam salutis admitteret, cum de emundandis gentilibus ante dubitaret. Et Dominus hora sexta crucifixus, ad nonam peccata nostra sanguine suo abluit, ut & redimere & vivificare nos posset; tunc victoriam suam passione perfecit. Sed nobis, Fratres dilectissimi, præter horas antiquitus observatas, orandi nunc & spatia & sacramenta creverunt. Nam & mane orandum est, ut resurrectio Domini matutina oratione celebretur. Quod olim Spiritus sanctus designabat in Psalmis dicens: *Rex meus & Deus meus, quoniam ad te orabo, Domine; mane exaudies vocem meam: mane assistam tibi, & contemplabor te.* Et iterum per Prophetam loquitur Dominus: *Diluculo vigilabunt ad me dicentes: Eamus & revertamur ad Dominum Deum nostrum.* Recedente item sole ac die cessante, necessario rursus orandum est. Nam quia Christus Sol verus,

Act. ii. 4. *Act. x. 9.* *Matth. xxvii. 45.* *Ps. v. 2.* *Oſee. vi. 1.*

quenter pia plebs in Ecclesiam ad matutinas laudes (I) ante Solis ortum; & ad vespertinas sub Solis occasum (K): ut sic omnis actio atque operatio a Deo semper inciperet, & per eum cœpta finiretur. Hinc ortus est mos ad hæc usque tempora sollemnius matutinas & vespertinas laudes quam cetera officia diurna vel nocturna cantare.

Hunc morem conveniendi in Ecclesiam ad matutinam vel vespertinam orationem iure ac merito commendant etiamnum Episcopi, & restituunt quantum fieri potest in singulis parœciis. Cui quidem piæ institutioni si minus licet singulis fidelibus sua accommodare opera & negotia hunc saltem exemplo Davidis teneant morem, ut septies in die & semel singulis noctibus, si non longas, at ferventes ad Deum preces habeant (L).

I. Quid agendum in oratione matutina?

R. 1. Adorandus Deus per Christum.

2. Agendæ gratiæ Deo pro acceptis ab eo beneficiis, maxime pro transacta feliciter nocte superiori.

3. Petenda venia peccatorum.

4. Prævidendæ & offerendæ Deo actiones & operationes omnes diurnæ.

5. Petendum ab eo auxilium, ut ne peccetur.

6. Ut fiant isthæc omnia facilius & efficacius, maxime expedit B. Mariæ, Angelorum Custodum, Sanctorumque omnium patrocinium & præsidium implorare.

I. Quid agendum in oratione vespertina?

R. Adorandus Deus per Christum.

2. Agendæ Deo gratiæ pro acceptis ab eo, maxime hac ipsa die, beneficiis,

3. Discutienda severius conscientia, ut revocentur in mentem pec-

---

& dies est verus, sole ac die seculi recedente, quando oramus & petimus ut super nos lux denuo veniat, Christi precamur adventum, lucis æternæ gratiam præbiturum.

S. Epiphan *in exposit. fidei Cathol. num.* 23. Matutinæ insuper laudes in Ecclesia Catholica, matutinæque preces assidue celebrantur, lucernales item Psalmi & orationes.

Acta S. Theod. Ancyr. *apud* Theod. Ruinart. *in Act. Mart. sincer. pag.* 359. Nec enim cibum sumere consueverat sanctus, nisi benedicente Presbytero. Cum ergo in vicum venissent qui missi erant, occurrerunt Presbytero egredienti ab Ecclesia post horam orationis sextam.

Ex Epist. S. Vigilii Episc. Trid. *ad Simplician. Episc. Mediol. de Martyr. SS. Sisinnii, Martyris & Alexandri apud* Theod Ruinart *in Act. Mart. sincer. pagina* 686. Levitis aliquantis in Ecclesia deprehensis, hymnum cantantibus matutinum, fit vasta depopulatio, sæva direptio: profanantur omnia tam secreta quam divina mysteria, fit postremo præda relligio.

(I) *Olim* Matutinæ laudes *dicebantur: Officium enim* nocturnum *veteres vocitabant, quod nunc* Matutinum, *seu* Matutinas *appellamus*.

(K) Lucernarium *a veteribus appellabatur: cum enim cadente die, ipso noctis initio celebraretur, ad illius recitationem accendebantur lampades, cerei aut lucernæ. E contra cum* Prima, Tertia, Sexta, & Nona, *lucente sole canerentur, nullæ ad hæc officia lucebant lampades aut cerei. Mos nullos ad has Horas cereos accendendi viget etiam nunc in Ecclesia Narbonensi, Parisiensi, & forsan aliis compluribus*.

(L) *Vide* S. Hieron. *Epist.* 18. *alias* 22. *ad Eustoch. supra hocce §. litt.* (H)

cata singula quæ hac die admissa sunt.

4. Horum ceterorumque omnium venia suppliciter a Deo petenda.

5. Incundum certum & stabile propositum non peccandi, & præterita peccata pœnitentiæ laboribus eluendi.

6. Orandus Deus ut servet & liberet nos ab omni malo, ab omni peccato, & ab insidiis diaboli, hac nocte potissimum.

7. Tandem, ut fiant isthæc omnia facilius & efficacius, maxime expedit, quemadmodum in oratione matutina, B. Mariæ, Angelorum Custodum & Sanctorum omnium præsidium implorare.

§. II. *Quo loco orandum. Quæ debeatur sacris Oratoriis & Templis reverentia.*

I. Quo loco orandum?

R. 1. Ubique implendum præceptum orationis continuæ. Nullibi quippe cessandum ab amore Dei: ubique Deo anhelare, Deum desiderare tenemur.

2. Oratio publica fieri debet vel in Ecclesia vel in aliis locis ad id specialiter destinatis.

3. Orationi privatæ locus nullus specialiter assignatur. Ubique locorum & potest & debet ferri anima frequenter ad Deum, & iaculatorias, ut vocant, orationes ad eum emittere, quas ipse solus audiat.

4. Nonnullæ tamen cautiones adhibendæ quoad locum orationis privatæ, ut fiat efficacius.

I. Quæ cautiones?

R. 1. Seligendus ad orationem locus quantum fieri potest ab hominum oculis & strepitu secretus, tum ut fiat oratio cum maiori libertate & attentione, tum ut præripiatur omnis occasio inanis gloriæ: iuxta illud Christi Domini: *Cum oratis non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: amen dico vobis receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Matth. vi. 5. & 6.

2. Optimum est ad Ecclesiam sæpius, etiam privatæ orationis caussa convenire. Tum quia illic Christi præsentia fidem auget: tum quia domus Dei domus orationis est, utpote ad id speciali consecratione destinata, in qua proinde plus habent orationes efficacitatis.

3. Cum oramus in Ecclesia, hoc maxime servare nos, præsertim peccatores insignes decet, exemplo Publicani Evangelici, ut ne propius ad altare maius accedamus, sed præ humilitate & reverentia locum a Sanctuario remotiorem seligamus (A).

I. Quo loco Ecclesiæ orandum dum divina celebrantur officia?

R. Clero sanctuarium & chorus; plebi navis, ut vocant, Ecclesiæ designatur.

(A) Luc. xviii. 13. Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos suos ad cælum levare.

I. Numquamne licet laicis in choro vel in sanctuario Ecclesiæ manere dum aguntur divina officia?

R. 1. In sanctuario manere non debent umquam, id vel ipsa loci reverentia postulat.

2. Mulieres in choro ne maneant & debita Christo eiusque Ministris reverentia, & leges Ecclesiæ vetant (B).

3. Quin & ipsi viri debent a chori ingressu prohiberi, dum sufficiens est Clericorum numerus ad omnia subsellia occupanda. Excipienda tamen sollemnia illa officia, in quibus more iam in Ecclesiis recepto, solent Magistratus in chori subselliis sedere.

4. Si quando ceteros laicos in chorum admitti ex indulgentia contingat, caveant illi sedulo ne quidquam importent confusionis in Officiorum celebratione, in cantu, in sacris ritibus.

I. In quo posita est debita sacris oratoriis & templis reverentia? PARS III. SECT. II. CAP. I. §. II.

R. Præter illa quæ mox dicta sunt toto hocce paragrapho, multa alia sunt quæ servari oporteat ad templorum reverentiam.

1. Præcipit Apostolus mulieres velatas orare in Ecclesiis (C). Quam longe aberrant ab hoc præcepto quæ ob id unum videntur ad Ecclesiam convenire, ut præbeant spectaculum vanitatis, exhibeantque se cum ornatu fere meretricio, a Christianæ modestiæ & simplicitatis norma perquam alieno.

2. Honesto semper & ad modestiam composito habitu corporis orandum, adeo ut adstantes ædificentur, ut Apostoli verbis utar.

3. Cavendum ab omni inani & præpostera confabulatione. Silendum ibi imprimis (D).

4. Diligendus decor domus Dei, & quod quisque potest id ad eius

---

(B) CONCIL. LAODIC. *post. an.* 300. *can.* 44. *Tom.* 2. *p.* 572. *Concil Lab.* Quod non oportet mulierem ad altare ingredi.

CONCIL. PARIS VI. *an.* 829. *cap.* 45. *T.* 14. *p.* 565. *Concil Lab....* Quod autem mulieres ingredi ad altare non debeant, & in Concilio Laodicensi capit. 44. & in Decretis Gelasii Papæ titulo 26. copiose invenitur.

(C) 1. COR. XI. 5. Omnis autem mulier orans.... non velato capite deturpat caput suum .... Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos: *Id est velum, quod est signum subiectionis suæ, propter Sacerdotes & Clericos.*

(D) S. IOAN. CHRYSOST. *Homil.* 1. *in verba Isaie*, Vidi Dominum, *num.* 3.... Sic oportet nos assistere, talem. Deo glorificationem offerentes, metuentes ac trementes, ac tamquam illum ipsum mentis oculis intuentes. Adest enim hic omnino, qui nullo loco circumscribitur, vocesque nostras recenset. Sic igitur contrito, & humiliato corde laudem depromentes reddamus eam acceptam, & velut incensum boni odoris ad cælum mittamus. *Cor* enim, inquit, *contritum & humiliatum Deus non despiciet.* Ps. L. 19. Verum Propheta, inquis, exhortatur ut cum iubilo glorificationem peragamus: *Iubilate*, inquit, *Domino omnis terra.* Ps. LXV. 1. At neque nos talem iubilationem prohibemus, sed vocem prohibemus nihil significantem. Neque prohibemus vocem laudis sed vocem absurditatis & inconditam, ac mutuas inter vos contentiones, manus incassum temereque sublatas in aerem, pedes supplaudentes, indecoros effeminatosque mores, quæ sunt eorum, qui in theatris ac circensibus ludis versantur, ludrica: illinc nobis perniciosa invehuntur exempla, illinc irreligiosæ vulgaresque voces, illinc manuum

ineptæ gesticulationes, contentiones, concertationes, ac mores incompositi.

Num. 4. . . . . . Verum etiam alius quidam gravis obambulat morbus. Quis tandem iste? Quod, qui proposuerunt cum Deo colloqui, eique gloriam referunt, mox hoc omisso suum quisque vicinum arripiunt, ordinantque res domesticas, quæque fiunt in foro, quæ in popolo, quæ in theatris, quæ in exercitu, & quomodo alia quidem sunt administrata, alia rursus neglecta, & quid in gerendis rebus plus satis fuerit, quid diminutum: in summa, de rebus omnibus vel publicis vel privatis hic colloquuntur. Et qua tandem venia digna sont ista? Atqui is qui cum Rege terreno colloquitur, de his tantum verba facit, de quibus ille voluerit audire, & de quibus Rex fuerit perconctatus. Quod si quis ausit aliquid iniicere secus quam ille velit, extremo supplicio afficietur. Tu vero cum Rege Regum colloquens, cui cum tremore serviunt Angeli, omisso cum illo cœpto sermone, de luto, de pulvere, de telis aranearum loqueris? nihil enim aliud sunt huius vitæ negotia. Et quomodo sustinebis istius contemptus pœnam?

Num. 6. . . . . . Sic itaque huc adveniens sua quisque examinet delicta, nec alium incuset, & præsentem glorificationem cum rito decenti emittat. Quod autem exigitur ad modestiam, hoc est primum, corde contrito accedere ad Deum; deinde cordis affectum ipso visibili habitu declarare, item standi modo, manuum decora compositione, placida demissaque voce: nam id facile est, & potest quisquis voluerit. Qui fiet igitur, ut omnes suo fungantur officio? Ponamus nobis ipsis legem, dicamusque: In publicam utilitatem lex prodita est, & huius utilitatis oportet nos omnes esse participes. Quapropter & indecoras voces premamus, manuumque gesticulationes corripiamus, has coniunctas exhibentes Deo, nec incompositis motibus attollantur. Odit enim hoc Deus & aversatur, sicut contra, compositum ac modestum amat expetitque: *Ad quem*, inquit, *respiciam, nisi ad mansuetum & quietum & trementem verba mea?* Dicamus aliis alii, Non vult Deus, ut simul cum ipso loquamur, & inter nos fabulemur, nec patitur ut ipsum alloqui intermittentes, præsentium confabulationes suscitemus, cœnoque margaritas contaminemus. Siquidem hoc suam contumeliam esse ducit, non glorificationem. Quod si quis voluerit hoc præceptum præterire, obturemus illi os, tamquam salutis insidiatorem expellamus, & Ecclesiæ sanctæ septis eiiciamus. Hoc si fecerimus, nostra quid m peccata superiora facile diluemus, ipsum autem Dominum habebimus in medio nostrum una cum sanctis Angelis choros agentem, & cuique modestiæ coronas distribuentem.

[margin: Isai. lxvi. 2.]

Homil. 73. *alias* 74 *in Matth. n.* 3..... Quomodo audes Ecclesias Dei frequentare, & sacra templa, cum intus tam execrandum fœtorem habeas? Nam si quis in regiam cadaver ferret & ibi defoderet, extremas daret pœnas, tu vero qui sacra septa adis, & tanto fœtore domum reples, cogita quantum lues supplicium. Imitare meretricem illam, quæ unguento unxit pedes Christi & bono odore totam domum implevit. Tu vero contrarium in domo Dei facis.... Primo autem audi quid psallendo dicas: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*: Cum ergo non incensum, sed a te & a gestis tuis male olens fumus ascendit quam non mereris ultionem? Quid est ille male olens fumus? Id multi sciunt, qui formas mulierum circumspiciunt, aliique qui puerorum speciem curiosius spectant. Annon miraris quomodo fulmina non iaciantur, nec omnia a fundamentis evertantur? Nam digna sunt illa fulminibus & gehenna. Sed Deus patiens & multæ misericordiæ, iram suam retinet, ut ad pœnitentiam, & emendationem te adducat. Quid facis, homo? Formam mulierum curiose respicis, & non horrescis tenta templum Dei afficiens contumelia? An prostibulum esse putas Ecclesiam, & foro ipso ignobiliorem? In foro erubescis, ne videaris mulierem curiose spectare: in templo autem Dei, dum Deus ipse tecum loquitur tibique circa rem hanc comminatur, fornicaris, & mœcharis, eodem tempore quo audis ab his esse abstinendum, neque horrescis, neque stupes.

[margin: Matth. xxvi 6. Ioan. xii. 3. Ps. cxl. 2.]

Homil. 36. *in primam ad Corinth. num.* 6.... Conveniebant olim omnes, & psallebant communiter, hoc nunc quoque facimus. Sed tunc quidem in omnibus una erat anima & cor unum; nunc autem ne in una quidem anima illam concordiam videris & consensum: sed ubique magnum est bellum. Pacem nunc

quoque precatur omnibus, is qui præest Ecclesiæ, ut qui in domum ingreditur paternam; sed huius pacis nomen quidem est frequens, res autem nusquam. Tunc etiam domus erant Ecclesiæ: nunc autem etiam Ecclesia est domus, vel potius quavis domo deterior. Nam in domo quidem bene constitutum videtis ordinem: domina quippe domus sedet in solio cum omni honestate, modestia & decore, & ancillæ texunt cum silentio, & singuli ex famulis in manibus habent id quod est eis mandatum. Hic autem multus est tumultus, magna confusio, & a caupona nihil nostra differunt, tantus est risus, tanta perturbatio, sicut in balneis, sicut in foro clamantibus omnibus & tumultuantibus: & hæc hic solum. Nam alibi ne propinquum quidem licet alloqui in Ecclesia, ne si amicum quidem longo tempore absentem exceperit; sed hæc foris fiant, & merito. Non enim Ecclesia est tonstrina, neque unguentaria officina, neque ulla alia opificum, qui sunt in foro, taberna, sed locus angelorum, locus archangelorum, regnum Dei, ipsum cælum. Quomodo ergo si quis te in cælum introduxisset, etiamsi patrem videres, etiamsi fratrem, ne auderes quidem loqui; ita hic non aliud loqui oporteret præter spiritualia. Nam hic quoque est cælum. Quod si non credis, aspice ad hanc mensam, recordare propter quam caussam, & quamobrem hic stet. Cogita quis sit qui huc procedat, obstupesce etiam ante tempus. Etenim siquis solum viderit regis solium, animo assurgit exspectans regis exitum. Et tu ergo etiam ante illud tempus stupendum venerare, & obstupesce, & assurge, antequam videas expansa aulæa, & præeuntem chorum angelorum, in ipsum cælum ascende.

N. 7... Quod de iis qui pauperes despiciunt & soli comedunt, dixit Paullus: *Annon habetis domos ad comedendum & bibendum? an Ecclesiam Dei contemnitis, et eos qui non habent pudore afficitis?* Mibi quoque concedite ut dicam de iis qui hic cient tumultus & loquuntur: Annon habetis domos ad nugandum? An Dei Ecclesiam despicitis, & eos etiam corrumpitis qui volunt esse modesti & quieti? At vobis est suave & iucundum alloqui eos qui sunt vobis noti; non hoc prohibeo, sed domi, sed in foro, sed in balneis fiat. Ecclesia enim non est colloquii locus, sed doctrinæ. Nunc autem nihil differt a foro: & si non sit dictu audacius, forte neque a scena: adeo iis. quæ illic scortantur, lascivius & impudicius ornantur quæ hic conveniunt. Ideo multos quoque impudicos hic attrahunt. Et si quis tentet, aut velit corrumpere mulierem, nullus, ut puto, ei videtur locus aptior ecclesia. Et si quid vendere aut emere oporteat, ecclesia videtur esse ad illud commodior, quam forum. Hic enim de iis plura colloquia miscent quam in ipsis officinis.

1. Cor. 11. 22.

Pars. III. Sect. II. Cap. I. §. 11.

Homil. 15 *in Epist. ad Hebr. num.* 4.... Res nostræ effectæ sunt risus, civilitas, & urbanitas. Nihil stabile, nihil grave. Non hoc solum dico viris huius vitae studio deditis, sed scio quos innuo. Risu enim impleta est Ecclesia, si quispiam urbanum quid dixerit, inter sedentes statim nascitur risus: & quod est mirabile, ne in ipso quidem precum tempore cessant multi ridere. Ubique choros ducit diabolus, omnes induit, in omnes dominatum obtinet. Christus contemtui habetur, extruditur; nihili ducitur Ecclesia ..... Stat Sacerdos Dei omnium offerens precationem: tu autem rides nihil veritus? Et ille quidem tremens pro te offert preces: tu autem despicis. Non audis Scripturam dicentem: *Væ vobis contemtores?* Non horrescis? Non teipsum contrahis? Et regiam quidem ingrediens, & habitu, & aspectu, & incessu, & omnibus aliis te ornas, & componis; hic autem ubi vere est regia, & plane hic sunt talia qualia cælestia, & rides? Atque scio quidem quod tu non vides; audi autem quod ubique adsunt Angeli, & maxime in domo Dei assistunt regi & omnia sunt impleta incorporeis illis potestatibus. Eadem a me ad mulieres quoque habetur oratio: quæ, cum adsunt quidem viri, non tam cito id audent facere; & si faciant non semper, sed tempore recreationis ac relaxationis: hic autem semper. Operis, dic mihi, caput, & rides, o mulier sedens in Ecclesia? Ingressa es ut peccata confitereris; ut Deo procideres, ut rogares & supplicares pro delictis quæ a te male sunt admissa, & cum risu hoc facis? Quomodo ergo eum poteris placare? Et quod malum est inquies risus? Non malum est risus, sed malum est id quod est præter modum, id quod est intempestivum.

Act. xiii. 41.

Pars III. Sect. II. Cap. I. §. II.

ornatum & cultum ultro conferendum est.

5. Insignia gentilitia in funeribus intus ad parietes Ecclesiæ ita adhibenda, ut ne affigantur sanctuario, & exsequiis post annum elapsum absolutis, absque parietum detrimento aut deturpatione facile tollantur; ut monet S. Carolus Borromæus in Synodo XI. diœcesana. Absit ut Christiani id quasi pro suo iure postulent quod vergat in Ecclesiæ Dei dedecus (E).

6. Cavendum item ne sacris indumentis insignia stemmatave familiarum, aliaque profana contexantur. Id monet ibidem S. Carolus. Et certe videtur is ritus nonnisi ad inanem ostentationem introductus (F).

Salvian. *Lib. 3. de Providentia.* Ecclesias vel potios templa atque altaria Dei minoris reverentiæ quidam habent, quam cuiuslibet minimi ac municipalis iudicii domum. Siquidem intra ianuas non modo illustrium po-tarum, sed etiam Præsidum aut Præpositorum non omnes passim intrare præsumunt, nisi quos aut Iudex vocaverit, aut negotium traxerit, aut ipsa honoris proprii dignitas introire permiserit; ita ut si quispiam ingressus insolenter fuerit, aot cædatur, aut propellatur, aut aliqoa verecundia, atque existimationis suæ labe mulctetur. In templa aotem, vel potius in altaria atque in sacraria Dei, passim omnes sordidi ac flagitiosi sine ulla penitos reverentia sacri honoris irrumpunt; non quia non omnes ad exorandum Deum currere debeant, sed quia qoi ingreditor ad placandum, non debet egredi ad exacerbandom: neque eiusdem officii est, indulgentiam poscere & iracundiam provocare. Novum siquidem monstri genus est, eadem pene omnes jugiter faciunt, quæ fecisse se plangunt. Et qui intrant Ecclesiasticam domum, ut mala antiqua defleant, exeunt; & quid dicn exeunt? in ipsis pene hæc orationibus suis ac supplicationibus moliuntur. Aliud qoippe ora hominum, aliud corda agunt; & dum verbis præterita mala plangunt, sensu futura meditantur: ac sic oratio eorum rixa est magis criminom, quam exoratrix, ut vere illa in eis Scripturæ maledictio compleatur, ut de oratione ipsa exeant condemnati: *Et oratio eorum fiat in peccatum.* (Ps. cviii. 7.) Denique si volt quispiam scire qoid in templo hoiusmodi homines cogitaverint, videat quid sequatur. Siquidem consummatis sollemnibus sacris, statim ad consuetudinaria omnium studia discurrunt, alii scilicet ut furentur, alii ut inebrientur, alii ut fornicentor, alii ut latrocinentur; ut evidenter appareat hoc ens esse meditatos, dum intra templum sunt, quod postqoam egressi fuerint, exsequuntur.

Concil. Mediolan. I. *sub* S. Carolo, *Tit. de Ecclesiis, & earum cultu, part. 2.* In Ecclesia, præsertim cum Divina celebrantur officia, vel verbum Dei prædicatur, nemo hæc audeat, deambulare, nugari, circulos habere, negotiis operam dare: cum mulieribus, de quibus suspicio esse possit, colloqui, Altaribus, fontibus Baptismi, vel aquæ benedictæ adhærere: in limine aut ante fores immorari: aversus ab Eucharistiæ sacramento irreverenter sedere, aut cum in Missa sustollitur, stare: aut quovis modo Divina officia perturbare, aut irreverenter in Ecclesia versari.

(E) S. Carol. *in Synod. Diœces.* XI. *Act. Eccles. Mediol. part* 2. *pag.* 323. Insignia familiarum, quæ in funere ad parietes Ecclesiæ adhibentur, ita affigantur, ut exsequiis de more absolutis, absque parietum detrimento aut deturpatione tollantur.

(F) Matth. vi. 1. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.

S. Carol. *in Synod. Diœces.* XI. *Act. Eccles. Mediol. par.* 2. *pag.* 323. Sacris indumentis & locis ne insignia stemmatave familiarum, aliaque profana appingantor, contexantur, aut scolpantur. Quæ vero contexta, apposita, pictaqoe septem ab hinc annis sunt, ea duorum

Digitized by Google

7. Cavendum ne contra parietes Ecclesiæ sordes fiant, vel coniiciantur.

8. Ecclesiarum atriis & cœmeteriis ea reverentia adhibenda, ut ne quid profanum in iis fieri sinatur (G).

CAPUT SECUNDUM.

De Oratione in specie: ac primum de oratione mentali.

§. 1. *Quid sit oratio mentalis: quæ eius necessitas, quæ facilitas.*

I. Quid est oratio mentalis?

R. Ea est quæ mente perficitur, nec prorumpit in voces.

I. Estne utilis eiusmodi oratio?

R. Utilissima, si recte fiat: eiusque exstant exempla multa in Scripturis (A).

PARS III. SECT. II. CAP. II. §. 1.

I. Estne plus in eiusmodi oratione difficultatis quam in oratione vocali?

R. Nequaquam. Cur enim difficilius erit orare Deum mente quam voce?

I. Necessariane est hæc oratio sicut & vocalis?

R. Necessaria omnino: & quidem magis aliquo sensu necessaria quam vocalis. Nam potest oratio recte fieri mente sine vocis sono; non potest recte fieri voce, quin simul & mente fiat.

I. Cur ergo mentalis oratio tantæ difficultatis esse vulgo creditur, ut pauci capaces illius esse dicantur?

R. Quia mentalis orationis falsam

---

mensium spatio amoveantur; iis tantummodo exceptis, quæ in sepulcrorum operimentis insculpta sunt, si modo non emineant.

(G) CONCIL. MEDIOLAN. I. *sub.* S. CAROLO *par.* 2. *tit de Eccles. & earum cultu* Ne clericus aut alius quivis in Ecclesiis, earumve cœmeterio, atrio, vestibulo, aut porticu, foribusve quidquam venale proponat, ne si ad usum quidem Sacrificii vel Ecclesiæ futurum sit. Nemini eum venaticis canibus, vel volucribus in Ecclesiam ingredi liceat; neque hastam, vel sclopetos, balistas, aliave eiusdem generis in eam inferre. Ne mendici eleemosynæ caussa in Ecclesiis vagentur, sed extra ianuam consistant.

CONCIL. SALGUNSTAD. Statuit etiam sancta Synodus, ut mala consuetudo, quæ apud omnes pene iam inolevit, omnino prohibeatur, hoc est, quod colloquia sua in atrio alicuius Ecclesiæ constituunt habenda, & tunc ea in ipsa maxime exercent Ecclesia, ubi orationes & Divina meatum fieri æquum est officia.

SYNOD. CAMERT. *Ann.* 1587. *cap.* 17. *de Eccles.* Quoniam domum Dei decet sanctitudo, &c. obambulationes, aut divagationes etiam mendicorum, quando Divina officia inibi celebrantur, strepitus, clamores, profanas imagines & picturas penitus inhibemus, sicuti & in earum vestibulis vel atriis ludos aliquos exerceri, aut venale quidquam proponi contra sacrorum Canonum, Apostolicarumque Constitutionum, & novissime Constitutionis Pii V. præscriptum.

Hæc fuse probat Doctissimus D. THIERS, *in sua Dissertatione de Atriis Basilicarum, Templorumque Porticibus*, Dissertation sur les Porches des Eglises, *in qua multa reperies scitu dignissima.*

(A) 1. REG. I. 13. Porro Anna loquebatur in corde suo.

3. REG. XVIII. 46. Elias autem ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua. *Cum Orationem eius Scriptura taceat, hinc mente tantum orasse Prophetam satis recte conicitur.*

Pars III Sect. II. Cap. II. §. I.

sibi ideam ut plurimum homines animo fingunt: aliud pro alio sumunt. In eo positam esse putant orationem huiusmodi, ut multa animo subtiliter & curiose cogitentur, & operoso subiiciantur examini & ratiocinio; quod quidem cum a paucis fieri possit, hinc colligunt paucorum esse mentalem orationem.

Næ errant illi vehementer. Neque enim oratio mentalis in cogitatione vel ratiocinio posita est, sed in mentis ad Deum affectu. Orat ergo mens recte, quoties ex intimo illo affectu fertur ad Deum, etiamsi nequeat multa subtiliter & curiose vel cogitare vel disceptare.

I. Quæ ergo recta methodus mentalis orationis faciendæ?

R. Quacumque tandem methodo id fiat, orat recte quisquis, sive loquatur sive sileat, ex intimo cordis affectu tendit in Deum, & suam sentit infirmitatem & indigentiam, & de peccatis dolet & pœnitentiam agere vult, & cogitat ineundæ novæ vitæ rationem, & minime ficto salutis æternæ desiderio tenetur, & auxilia ad id necessaria supplex a Deo petit, & de beneficiis iam acceptis gratias agit, & offert se Deo hostiam vivam, & posthabitis omnibus cupiditatibus & affectionibus legi Dei contrariis, se suaque omnia devovet Deo.

I. Ut isthæc omnia fiant numquid utile est saltem pias inter orandum cogitationes cum attentione mentis adhibere?

R. Id necessarium prorsus, nedum utile. Neque enim fertur & movetur voluntas nisi in bonum iam cognitum. Ut ergo excitemur ad dolorem de peccatis, ad amorem veritatis & iustitiæ, ad gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, &c. necesse est haberi prius cogitationem & cognitionem peccatorum, veritatis, iustitiæ, beneficiorum Dei; necesse est isthæc omnia obversari animo, & attenta mente complecti.

I. Dixisti superius orationem mentalem non positam esse in cogitatione & ratiocinio: iam ais cogitationem & ratiocinium ad orationem omnino requiri: loqueris ergo inter se pugnantia?

R. Nequaquam hæc inter se pugnant. Oratio, ut diximus, est cordis ad Deum ascensus. Non ascendit quidem; non fertur ad Deum voluntas nisi mentis cogitatio præcesserit: sed cave ne putes propterea orationem esse in ipsa cogitatione positam. Non potes orare quin cogites prius, sed quantumlibet cogitaveris de Deo, nisi desiderium & gemitus cordis ad cogitationem accesserit, non orasti (B).

I. Fateberis saltem inhabiles esse

(B) S. August. *Enar. in Psal.* III. *num.* 4. *Voce mea ad Dominum clamavi;* (*Vers.* 5.) id est, non corporis voce, quæ cum strepitu verberati aeris promitur, sed voce cordis, quæ hominibus silet, Deo autem sicut clamor sonat. Qua voce Susanna exaudita est: & de qua voce ipse Dominus præcipit, ut in cubiculis clausis, id est in secretis cordis sine strepitu oretur. Nec facile quisquam dixerit hac voce minus orari, si nullus verborum sonus reddatur ex corpore: quoniam & (*Dan.* XIII. 14. *Matth.* VI. 6.)

Digitized by Google

silentes cum in cordibus oramus, si alienæ ab affectu orantis cogitationes intercurrant, nondum dici potest, *voce mea ad Dominum clamavi*. Neque hoc recte dicitur, nisi cum sola anima, nihil carnis, nihilque carnalium intentionum in oratione adtrahens, loquitur Domino, ubi solus audit. Clamor autem etiam iste dicitur, propter vim ipsius intentionis.

Verſ. 2. *In Psal.* v. *num.* 2.... *Intellige clamorem meum*. Bene ostendit quis iste sit clamor, quam interior de cordis cubili sine strepitu corporis perveniat ad Deum: quandoquidem vox corporalis auditur, spiritalis autem intelligitur. Quamquam hoc sit etiam exaudire Dei, non aure carnali, sed maiestatis præsentia.

In Psal. xxx. *Enarr.* 4. *num.* 10..... Clamor ad Deum non est voce, sed corde. Multi silentes labiis, corde clamaverunt: multi ore strepentes, corde averso nihil impetrare potuerunt. Si ergo clamas, clama intus, ubi audit Deus.

Verſ. 10. *In Psal.* xxxvii. *num.* 14.... *Et ante te est omne desiderium meum*. Non enim ante homines, qui cor videre non possunt: sed *ante te est omne desiderium meum*. Sit desiderium tuum ante illum;

Matth. vi. 6 & *Pater qui videt in occulto, reddet tibi*. Ipsum enim desiderium tuum, oratio tua est: & si continuum desiderium, continua oratio. Non enim frustra dixit Apo-

1. Theſſ. v. 17. stolus, *sine intermissione orantes*. Numquid sine intermissione genuflectimus, corpus prosternimus, aut manus levamus, ut dicat: *sine intermissione orate?* Aut si sic dicimus nos orare, hoc puto sine intermissione non possumus facere. Est alia interior sine intermissione oratio, quæ est desiderium. Quidquid aliud agas, si desideras illud Sabbatum, non intermittis orare. Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum, continua vox tua est. Tacebis, si amare destiteris. Qui tacuerunt? De quibus dictum

Matth. xxiv. 12. est, *quoniam abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum*. Frigus caritatis, silentium cordis est; flagrantia caritatis, clamor cordis est. Si semper manet caritas, semper clamas: si semper clamas, semper desideras; si desideras, requiem recordaris.

Verſ. 4. *In Psalm.* lxxvi. *num.* 6.... *Memor fui Dei, & delectatus sum*. Prædicandus igitur est Deus, cuius iste memor factus delectatus est, & consolatus in quadam tristitia, & quodam modo salute desperata recreatus: prædicandus est Deus. Pars III. Sect. II.

Num. 8..... *Cogitavi dies antiquos*. Cap. II. Bene est illi, videte quæ cogitat, rogo §. I. vos. Intus est, apud se cogitat dies antiquos.... Dicat nobis in ipso interiore cubiculo suo quid egerit, quo pervenerit, quid transilierit, ubi manserit: *Cogitavi dies antiquos, & annorum æternorum memor fui*. Qui sunt anni æterni? Magna cogitatio. Videte si vult ista cogitatio, nisi magnum silentium. Ab omni forinsecus strepitu, ab omni rerum humanarum tumultu intus requiescat, qui cogitare vult annos istos æternos.... Anni æterni cogitandi sunt, anni qui stant, qui non venientibus & abeuntibus diebus peraguntur; anni, de quibus alio loco Scriptura dicit Deo: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non* Pſ. ci. 28. *deficient*. Hos annos, iste transiliens, non in garrulitate forinsecus, sed in silentio cogitavit. *Et annorum æternorum memor fui*.

Num. 9. *Et meditatus sum nocte cum* Verſ. 7. *corde meo.... Garriebam, & scrutabar spiritum meum*. Si scrutaretur iste terram, ut venas auri inveniret, nemo eum desipere diceret; immo sapientem multi dicerent, qui vellet ad aurum pervenire: quanta homo habet intus, & non fodit? Scrutabatur iste spiritum suum, & cum ipso spiritu suo loquebatur, & in ipsa loquutione garriebat. Seipsum interrogabat, seipsum examinabat, in se iudex erat. Et sequitur: *Scrutabar spiritum meum*. Timendum ne in ipso spiritu suo remaneat.

Num. 10.... Angustatus in hac vita vehementer, multum de vita alia cogitavit, ubi ista non sit tentatio.

Num. 12. *Et dixi*. Iam seipsum tran- Verſ. 11. siliens, quid dixit?.... *Nunc cœpi*. Hic iam nullum periculum est: nam & in meipso remanere periculum fuit. *Et dixi, Nunc cœpi: hæc est immutatio dexteræ Excelsi*. Modo me cœpit mutare Excelsus; modo cœpi aliquid ubi securus sim; modo intravi aliquam aulam gaudiorum, ubi nullus timeatur inimicus: modo cœpi esse in ea regione, ubi non antecipent vigilias omnes inimici mei. *Nunc cœpi: hæc est immutatio dexteræ Excelsi*.

Num. 13. *Memor fui operum Domini*. Verſ. 12. Iam videte illum spatiari in operibus

Digitized by Google

Domini. Garriebat enim foris, & contristatus inde defecit spiritus eius: garrivit intus cum corde suo, & cum spiritu suo, & perscrutatus eumdem spiritum suum, memor fuit annorum æternorum, memor fuit misericordiæ Domini, quia non repellet Dominus in æternum; & cœpit iam in eius operibus securus gaudere, securus exsultare. Audiamus iam opera ipsa, & exsultemus & nos. Sed affectibus etiam non transiliamus, nec ad temporalia gaudeamus. Habemus enim & nos cubile nostrum. Quare non illuc intramus? quare non in silentio agimus? quare non spiritum nostrum perscrutamur? quare annos æternos non cogitamus? quare in operibus Dei non lætamur? Sic nunc audiamus, & ipso dicente delectemur, ut etiam cum hinc abierimus, faciamus quod ipso loquente faciebamus; si tamen facimus cœptum ipsius quod dixit: *Nunc cœpi*. Gaudere in operibus Dei, est oblivisci & te, si potes illo solo delectari. Quid enim melius illo? Non vides, quia cum ad te redis, in deteriorem redis? *Memor fui operum Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum*.

Vers. 13. *Num.* 14. *Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in affectionibus tuis garriam*. Ecce tertium garrire. Garrivit foris, quando defecit; garrivit in spiritu suo intus, quando profecit; garrivit in operibus Dei, quando pervenit quo profecit. *Et in affectionibus tuis garriam*: non in affectionibus meis. Quis vivit sine affectionibus? Et putatis, Fratres, quia qui Deum timent, Deum colunt, Deum diligunt, nullas habent affectiones? Vere hoc putabis, & putare audebis, quod affectiones habeat tabula, theatrum, venatio, aucupium, piscatus, & non habeant opera Dei, & non habeat meditatio Dei interiores affectiones quasdam suas, cum inspicitur mundus, & ponitur ante oculos spectaculum naturæ rerum, & in his quæritur artifex, & invenitur nusquam displicens & super omnia placens?

Vers. 14. *Num.* 15. *Deus in sancto via tua*. Inspicit iam opera misericordiæ Dei circa nos, ex his garrit, & in his affectionibus exsultat. Primo inde cœpit: *In sancto via tua*. Quæ via tua in sancto? Ioan. XIV. 6. *Ego sum*, inquit, *via*, *veritas*, *& vita*. Redite ergo homines ab affectionibus vestris. Quo itis? quo curritis? quo non solum a Deo, sed etiam a vobis fugitis? *Redite prævaricatores ad cor*: scrutamini spiritum vestrum, recolite annos æternos, invenite misericordiam Dei circa vos, adtendite opera misericordiæ eius: *In sancto via eius*. *Filii hominum* Ps. IV. 3. *usquequo graves corde*? Quid quæritis in affectionibus vestris? *ut quid diligitis* Ibid. 4. *vanitatem, & quæritis mendacium? Et scitote quoniam magnificavit Dominus sanctum suum*. *In sancto via tua*. Ad ipsum ergo adtendamus, Christum adtendamus, ibi via eius. *Deus in sancto via tua*. Vers. 14. *Quis Deus magnus, sicut Deus noster?*

In Psal. CXVIII. *Serm.* 19. *num* 4.... Vers. 17. *Lex*, inquit, *tua meditatio mea est*. Hæc meditatio nisi esset in fide, quæ per di- Galat. V. 6. lectionem operatur, numquam propter eam posset ad illam vitam quispiam pervenire. Hoc dicendum putavi, ne quisquam, cum totam legem memoriæ mandaverit, eamque creberrima recordatione cantaverit, non tacens quod præcipit, nec tamen vivens ut præcipit, arbitretur se fecisse quod legit.... Hæc meditatio amantis est cogitatio, & tantum amantis, ut caritas non frigescat Matth. XXIV. 12. huius meditationis suæ, quantalibet abundantia constipetur iniquitatis alienæ.

Enar. in Ps. CXIX. *num.* 9.... Quam multi enim sonant voce, & corde muti sunt? Et quam multi tacent labiis, & clamant affectu? Quia ad cor hominis aures Dei: sicut aures corporis ad os hominis, sic cor hominis ad aures Dei. Multi clauso ore exaudiuntur, & multi in magnis clamoribus non exaudiuntur. Affectibus orare debemus.

In Ps. CXL. *num.* 5..... Oratio ergo pure directa de corde fideli, tamquam de ara sancta surgit incensum. Nihil est delectabilius odore Domini.

In Ps. CXLI. *num.* 2. *Voce mea ad Do-* Vers. 2. *minum clamavi*. Sufficeret, *voce ad Dominum clamavi*: forte non frustra additum est, *mea*. Multi enim clamant ad Dominum, non voce sua, sed voce corporis sui. Homo ergo interior, in quo Ephes. III. 17. cœpit habitare Christus per fidem, voce sua, non in strepitu labiorum, sed in affectu cordis clamet ad Dominum? Non ubi homo audit, ibi Deus audit: nisi voce pulmonum & laterum & linguæ clames, homo te non audit; cogitatio tua clamor est ad Dominum.

Num. 3. *Effundam ante eum precem* Vers. 3. *meam*. Quid est *ante eum?* In conspe-

ad orationem mentalem eos qui inhabiles sunt ad eiusmodi cogitationes, & quorum animus ferre talem contentionem nequit?

R. Fateor quidem: sed simul adverte neminem esse suæ mentis & rationis compotem, qui talem ferre facile non possit animi contentionem, qui sit inhabilis eiusmodi cogitationibus, adeoque orationi mentali. Res patebit liquidius ex hoc uno exemplo quod ex multis seligo, hominis peccatoris qui tactus dolore cordis intrinsecus petit a Deo supplex veniam peccatorum.

Concil. Trid. Seſſ. 14. c. 4. *Contritio nihil aliud est quam animi dolor, & detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.* Agnoscis hic verba

Huiuſce par. Sect. 1. c. 5. §. 3. Concilii Tridentini a nobis superius allata. Ut autem habeatur ille dolor, illud propositum, necesse est ut cognoscamus quæ sint Dei præcepta, quæ res pugnent contra legem Dei; examinandum numquid contra legem Dei peccatum sit, quæ caussa peccati fuerit, qua via pateat reditus ad Deum, qua ratione superanda impedimenta salutis, quæ sint occasiones peccatorum fugiendæ, quid noceat, quid prosit. Id fieri sine mentis cogitatione, sine animi contentione nequit. Ergo cogitatio & mentis contentio quædam requiruntur prorsus ad orationem. Iam vero quis suæ mentis compos, quis ad peccandum habilis, dici queat inhabilis ad cogitationes eiusmodi? Quis tantillam ferre contentionem animi non potest? Potestne alioqui rite suscipi pœnitentiæ sacramentum a quoquam? Tanta vis est in hoc uno exemplo ad demostrandum quod dixi, ut alia proferre superfluum prorsus esse videatur.

Pars III. Sect. II. Cap. II. §. 2.

I. Cur ergo passim homines existimant aliquid subesse in oratione mentali facienda mysterii, multum esse difficultatis?

R. Quia plerumque fit ut homines verbis pascantur, non rebus, & ad aliquid amplectendum vel fugiendum non ratione, sed anticipata per errorem vel pravum animi affectum opinione moveantur.

§. 2. *De Meditatione.*

I. Quid hoc rei est meditari?

R. Meditari idem est quod attente cogitare rem aliquam. Si quis cum caussam sit acturus secum ipse

---

ctu eius. Quid est, in conspectu eius? Ubi videt. Ubi autem non videt? Ita enim dicimus, ubi videt, quasi alicubi non videat. Sed in isto cœtu rerum corporalium vident & homines, vident & animalia: ille autem videt & ubi homo non videt. Nam cogitationem tuam nullus hominum videt, Deus autem videt. Ibi ergo effunde precem tuam, ubi solus ille videt, qui remunerat. Nam in abscondito te Dominus Iesus Christus iussit orare: sed si agnoscas cubiculum tuum, & mundes, ibi rogas Deum. *Cum autem oratis*, inquit, *nolite esse sicut hypocritæ, qui stant in plateis & vicis orantes, ut videantur ab hominibus. Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum & claude ostium, & deprecare Deum tuum in occulto: & qui vides in occulto, reddet tibi.* Si homines reddituri sunt, effunde ante homines precem tuam; si Deus redditurus est, effunde ante eum precem tuam, & claude ostium, ne tentator ingrediatur. *Matth. VI. 5. & 6.*

meditetur, aut si quid aliud attente cogitet, non reprehenditur, inquit Tullius.

I. Quid tenemur præcipue meditari?

R. Tenemur maxime legem Dei meditari. Nihil est quod frequentius & maiori studio nobis & Scriptura sacra & sancti Patres commendent (A).

(A) DEUTER. VI. 6. *& Psal.* I. 1. *Vide in seq. Respons.*

PSAL. XXXIII. 2. Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo. In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, & lætentur. Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen eius in idipsum. Exquisivi Dominum, & exaudivit me & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur.... Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus: Beatus vir, qui sperat in eo.

Ps. XXXVI. 4. Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui. Revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet. Et educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tamquam meridiem. Subditus esto Domino & ora eum .... Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius.

PSAL. LXXII. 23. Ut iumentum factus sum apud te: & ego semper tecum .... Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam: ut annuntiem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion.

PSAL. LXXVI. 4. Memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum: & defecit spiritus meus. Anticipaverunt vigilias oculi mei: turbatus sum, & non sum loquutus. Cogitavi dies antiquos: & annos æternos in mente habui. Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.... Memor fui operum Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum. Et meditabor in omnibus operibus tuis; & in adinventionibus tuis exercebor.

PSAL. CXVIII. 2. Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum, &c. *Lege hunc Psalmum integrum; quippe nihil aliud clamat, quam Dei legem esse meditandam.*

PROV. IV 21. Ne recedant ab oculis tuis (eloquia mea), custodi ea in medio cordis tui.

VI. 21. Liga ea in corde tuo iugiter, & circumda gutturi tuo. Cum ambulaveris, gradiantur tecum; cum dormieris, custodiant te, & evigilans loquere cum eis.

VIII. 34. Beatus homo, qui audit me (sapientiam,) & qui vigilat ad fores meas quotidie & observat ad postes ostii mei.

ECCLES. IV. 17. Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua ut audias.

ECCLIS. VI. 28. Investiga illam, (sapientiam) & manifestabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam: In novissimis enim invenies requiem in ea, & convertetur tibi in oblectationem.... Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maxime assiduus esto: & ipse dabit tibi cor, & concupiscentia sapientiæ dabitur tibi.

S. AMBROS. *Lib.* 2. *de Cain & Abel, cap.* 6. *num.* 19. ... Nova igitur fides renovatorum, valida, pubescens, incrementum virtutis acquirens, non remissa, nôn fessa, non senio quodam marcida, & vigore ignava, apta sacrificio est, quæ pullulet quodam virenti germine sapientiæ, & iuvenili divinæ cognitionis fervore pubescat; habeat tamen succum doctrinæ veteris ... Cibus nobis sit cognitio Patriarcharum, epuletur animus in Prophetarum oraculis: tali sagina mens pascatur interior. Sed iam non species agni sit, at veritas corporis Christi. Non umbra legis perstringat oculos: sed aperte Dominicæ gratia passionis, & splendor resurrectionis aciem mentis illuminet.

Num 20 Si autem offeres Sacrificium de primitivis ovibus, frixum in igne, frixum pingue.... Quod significat fidem tuam, velut igni probatam esse debere, & sancto fervere Spiritu.... Uratur igitur verbo Domini sicut igne virtus animæ tuæ.... Sermo igitur plurimus Scri-

prurarum animam confirmat, & quodam spiritalis gratiæ colorat vapore; rationabilia quoque inventa corroborat, dissolvitque omnem vim irrationabilium passionum.

Num. 21. Oblationem aotem atque orationem oportet non confusam esse, sed competenti divisione distinctam.... Redoleat igitur oratio tua prudentiam erga cognitionem Dei, & veritatem fidei: redoleat temperantiam, quam etiam a coniugibus exigendam puravit Apostolus, dicens: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Et lex castificaros ante hesternom, & nudiustertianom diem ad sacrificium accedere iobet. Fortirudinem teneat oratio, ut nullo interpoletor metu, nolla lassitudine deficiat. Tunc enim debet esse intentio ad precandum robustior, cum urgemor adversis. Iustitiam custodiat precatio, quam si tenuisset Iudas, non in peccatum facta esset eius oratio. Quando enim magis ab iniustis operibus ac pravis studiis abstinere debemus, quam tunc quando Dei iustitiam deprecamur?

1. Cor. vii. 5.

Ex. xix. 10.

Num 22. Superest ut de continua & iugi oratione dicamus, quod immorari nos & vacare orationi oportet. Pernoctabat Dominus in oratione, non ut sibimet prodesset, sed ut nos doceret. Frequens enim oratio quamdam operatur disciplinam orandi; quia ipse usus docibiles Dei facit, indocibiles negligentia. Bona igitur exercitatio. Denique corporis virtus exercitatione augetur frequenti; at inexercitata minuitur & labitur. Plurimi enim exercitii dissuetudine etiam naturalem dissolvere virtutem. Similiter animæ fortitudo exercitationis assiduitate solidatur; ut labor ipse disciplinæ sit non oneri futurus, sed usui. Hunc cibum menti nostræ deferamos, qui multa adtritus meditatione ac politus, cor hominis sicut illud cæleste manna confirmet. Quod non otiose tritum ac politum accipimus; eo qund cælestiom Scripturarum alloquia diu terere ac polire debemus, toto animo & corde versantes; ut succus ille spiritalis cibi in omnes se venas animæ diffundat.... Tunc fit illud pingue, & tamquam adipale precationis genus, de quo dicit Scriptura: *Impinguasti in oleo caput meum.* Sicut enim agni multo lacte pinguescunt, & sicut oves bene pastæ adipe nitent, ita Apostolico succo pasta fidelium pinguescit oratio.

Ps. xxii. 5.

S. Basil. *Reg. fusius disputat Interrog.* 37. *n.* 2. ... Precationi, & Psalmodiæ, sicut & pluribus aliis rebus nullum non tempus idoneum esse, ita ut interea dum admovemus manus ad opera, modo quidem ipsa lingua, (quando id fieri potest, aot conducit potius ad fidei ædificationem), sin minus, corde in Psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus Deum collaudemus, uti scriptum est, & ita inter operandum precationem expleamus, gratias quidem agentes ei qui & manuum vires ad conficienda opera, & mentis sollertiam ad cognitionem comparandam suppeditavit; quique materiam largitus est, tam eam quæ in instrumentis, quam eam quæ in exsculptis a nobis artibus adhibetur, precantes vero, ut huc spectent manuum nostrarum opera, ut Deo placeamus.

Pars III. Sect. II. Cap. II. §. 2.

Coloss. iii. 16.

Num. 3. Hoc modo etiam mentem a vanis cogitationibus avocamus, cum in qualibet actione a Deo exposcimus & felicem operis successum, & ei, qui vim agendi impertivit, rependimus gratias, cumque, uti antea dictum, propositum ei placendi custodimus. Etenim nisi hæc ita se habeant, qui fieri potest, ut cohæreant inter se quæ ab Apostolo dicta sunt? & illud videlicet: *Sine intermissione orate*; & illud: *Nocte & die operantes.*

1. Thess. v. 17.
2. Thess. iii. 8.

Constit. Monast. cap. 1. *num.* 1.... Tu igitur aliquo ipsius aut dicto, aut facto auditis, cave oscitanter simpliciterque, ac temere audias; sed descende ad imas contemplationes: efficiare eorum, quæ mystice tradita sunt, particeps. Martha quidem Dominum excipit; Maria vero ad illius pedes assidet. Bonum est in utraque sorore studium. Sed tamen distingue res ipsas. Nam Martha in ministerio occupata, apparabat, quæ hospitis corpori futura erant necessaria; Maria vero, assidens ad illius pedes, sermones ipsius audiebat. Altera igitur reficiebat visibile, invisibili serviebat altera. Vere enim qui aderat, is & homo erat & Deus, idem Dominus utriusque mulieris studiom approbabat.

Num. 2..... Primus tamen est spiritoalis sermo, reliqua omnia sunt posteriora. *Maria* enim, inquit, *bonam partem elegit.* Si igitur & tu Christi cupis esse mystes, assideas ad ipsius pedes,

Luc. x. 42.

suscipias ipsius Evangelium, ibi derelinques rotam rem familiarem, & vacuus ab omni sollicitudine deges, immo etiam obliviscere tui ipsius corporis, & ita demum poteris speculando cum ipso colloqui ut imiteris Mariam, ac gloriam supremam consequare. Cum autem oras, cave alia pro aliis exposcas, & Dominum irrites, non pecunias, non humanam gloriam, non potentiam, non aliud quidquam rerum fluxarum, sed pete regnum Dei, & cunctas res corpori necessarias tibi ille suppeditaturus est, quemadmodum ipse Dominus ait: *Quærite Regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* (Matth. vi. 33) Duplex est autem, Carissime, orandi modus: alter quidem situs est in glorificatione, cum humilitate: alter vero, qui huic inferior est, in petitione. Cum ergo oras, nolito confestim ad petitionem accedere: sin aliter, in tuam voluntatem id criminis infers, quod necessitate adactus preces Deo adhibeas. Cum igitur ingrederis precari, relinque teipsum, uxorem, liberos; desere terram, transcende cælum; derelinque omnem visibilem, ac invisibilem creaturam, & incipe a glorificatione conditoris universorum & ubi ipsi dederis gloriam ne vagare mente huc, & illuc neque Græcorum more enarres fabulas, sed carpe de sanctis Scripturis, & dic: Domine benedico tibi clementi, & toleranti malorum, qui me quotidie peccantem fers patienter, & omnibus nobis pœnitentiæ agendæ facultatem præbes. Idcirco enim taces, ac nos sustines, Domine, ut tibi generis nostri salutem moderanti tribuamus gloriam: qui modo terrendo, modo admonendo, modo per prophetas; postremum per adventum Christi tui nos visitasti. Tu enim finxisti nos, non autem ipsi nos, tu es Deus noster.

S. Aug. *Confess. lib.* 11. *cap.* 2. *num.* 2. Quando autem sufficio lingua calami enuntiare omnia hortamenta tua, & omnes terrores tuos, & consolationes, & gubernationes, quibus me perduxisti prædicare verbum, & sacramentum tuum dispensare populo tuo? Et si sufficio hæc enuntiare ex ordine, caro mihi valent stillæ temporum. Et olim inardesco meditari in lege tua, & in ea tibi confiteri scientiam & imperitiam meam, primordia illuminationis tuæ & relliquias tenebrarum mearum, quousque devoretur a fortitudine infirmitas. Et nolo in aliud horæ diffluant, quas invenio liberas a necessitatibus reficiendi corporis, & intentionis animi, & servitutis quam debemus hominibus, & quam non debemus, & tamen reddimus.

Num. 3. Domine Deus meus, intende orationi meæ, & misericordia tua exaudiat desiderium meum, quoniam non mihi soli æstuat, sed usui vult esse fraternæ caritati: & vides in corde meo quia sic est. Sacrificem tibi famulatum cogitationis & linguæ meæ; & da quod offeram tibi. Inops enim & pauper sum; tu dives in omnes invocantes te, qui securus curam nostri geris. Circumcide ab omni temeritate omnique mendacio interiora & exteriora labia mea. Sint castæ deliciæ meæ Scripturæ tuæ, nec fallar in eis, nec fallam ex eis. Domine attende, & miserere, Domine Deus meus, lux cæcorum & virtus infirmorum, statimque lux videntium & virtus fortium, attende animam meam, & audi clamantem de profundo. Nam nisi adsint & in profundo aures tuæ, quo ibimus? quo clamabimus? *Tuus est dies, & tua est nox*, ad nutum tuum momenta transvolant. Largire inde spatium meditationibus nostris in abdita legis tuæ, neque adversus pulsantes claudas eam. Neque enim frustra scribi voluisti tot paginarum opaca secreta. Aut non habent illæ silvæ cervos suos recipientes se in eas, & resumentes, ambulantes, & pascentes, recumbentes, & ruminantes? O Domine, perfice me, & revela mihi eas. Ecce vox tua gaudium meum, vox tua super affluentiam voluptatum. Da quod amo: amo enim, & hoc tu dedisti. Ne dona tua deseras, nec herbam tuam spernas sitientem. Confitear tibi quidquid invenero in libris tuis, & audiam vocem laudis, & te bibam, & considerem mirabilia de lege tua, ab usque principio, in quo fecisti cælum & terram, usque ad regnum tecum perpetuum sanctæ civitatis tuæ.

Num. 4. Domine, miserere mei, & exaudi desiderium meum. Puto enim quod non sit de terra, non de auro & argento, & de lapidibus, aut decoris vestibus, aut honoribus & potestatibus, aut voluptatibus carnis, neque de necessariis corpori, & huic vitæ peregrinationis nostræ; quæ omnia nobis apponuntur quærentibus regnum & iustitiam tuam. Vide, Domine Deus meus, unde sit desiderium me-

Ps. cxviii. 85. um. *Narraverunt mihi iniusti delectationes, sed non sicut lex tua, Domine:* Ecce unde est desiderium meum. Vide, Pater, aspice, & vide, & approba, & placeat in conspectu misericordiæ tuæ invenire me gratiam ante te, ut aperiantur pulsanti mihi interiora sermonum tuorum. Obsecro per Dominum nostrum *Ps.* lxxix. 18. Iesum Christum Filium tuum, *virum dexteræ tuæ, filium hominis, quem confirmasti tibi* mediatorem tuum & nostrum, per quem nos quæsisti non quærentes te, quæsisti autem ut quæreremus te; Verbum tuum, per quod fecisti omnia, in quibus & me; Unicum tuum, per quem vocasti in adoptionem populum credentium, in quo & me: per eum te obsecro, qui sedet ad dexteram tuam, & te in- *Coloss.* ii, 3. terpellat pro nobis, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*. Ipsum quæro in libris tuis Moyses de illo scripsit: hoc ipse ait: hoc Veritas ait.

In Ps. xxxii *Enarrat.* 3. *num.* 25. Spectemus nos mente ea quæ dicuntur in sensibus divinarum Scripturarum, & gaudeamus tali spectaculo.

Enarrat. in Psalm xxxvi. *Serm.* 1. *num.* 3. ... Vides hic male viventes felices, rerum istarum copia circumfluere, sanos esse, superbis dignitatibus eminere, incolumem habere domum, gaudia suorum, obsequia clientium, excellentissimas potentias, nihil triste interpellare vitam ipsorum; mores nequissimos vides, facultates copiosissimas perspicis; & dicit cor tuum, nullum esse divinum iudicium, omnia casibus ferri & fortuitis motibus ventilari. Nam si Deus, inquis, res humanas respiceret, floreret illius iniquitas, & mea innocentia laboraret? Omnis morbus animi habet in Scripturis medicamentum suum: qui ergo sic ægrotat, ut ista dicat in corde suo bibat potionem Psalmi huius. Quid est? Iterum inspiciamus quid dicebas? Quid dicebam, inquis, nisi quod vides? Mali florent, boni laborant: quomodo ista videt Deus? Accipe, bibe: ipse tibi hanc, de quo ista murmuras, temperavit potionem: tantum ne recuses saluberrimum poculum; accommoda per aurem os cordis & bibe *vers.* 1. quod audis. *Noli æmulari in malignantibus, neque æmuleris facientes iniquita-* *vers.* 2. *tem. Quoniam tamquam fenum cito arescent, & sicut olera prati cito cadent*, Quod tibi longum videtur, cito est Deo: subiunge te Deo, & cito tibi erit.

Enarrat in Ps. xxxviii. *num.* 2. Succensa igni sunt, quæ facit male ardens cupiditas: & effossa sunt, quæ facit male iacens timiditas. Hinc enim peccata omnia, aut cupiendo, aut timendo. Transiliat ergo iste omnia, quibus teneri posset in terra: erigat scalas suas, exserat pennas suas, videat utrum quisquam agnoscat hic se: immo vero in Domini gratia multi se agnoscunt, qui forte iam vilem habentes mundum, & omnia quæ delectant in mundo, eligunt recte vivere, dum hic vivunt in gaudiis quibusdam spiritalibus. Et hæc unde erunt adhuc ambulantibus super terram, nisi ex divinis eloquiis, ex verbo Dei, ex parabola aliqua Scripturarum scrutata & investigata, ex dulcedine inventionis, quam præcessit labor inquisitionis? Sunt quædam deliciæ sanctæ & bonæ in libris.

PARS III. SECT. II. CAP. II. §. 2.

Enarrat. in Ps. lxxvi. *num* 6. ... *Memor fui Dei, & delectatus sum*.... Prædicandus igitur & Deus, cuius iste memor factus delectatus est, & consolatus in quadam tristitia, & quodam modo salute desperata recreatus: prædicandus est Deus.

Enarrat. in Psal. xciii. *num.* 6. ... *Fui-* *Ephes.* v. 8. *stis enim*, inquit, *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, sicut filii lucis ambulate. Lux*, inquit, *in Domino, non in vobis*. Cor ergo in libro: si cor in libro; cor in firmamento cæli. Si ibi est cor, inde luceat, & non movebitur iniquitatibus subterpositis: non quia ibi est in cælo per carnem, sed quia ibi est per conversationem; secundum quod dictum est: *No-* *Philipp.* iii. 20. *stra autem conversatio in cælis est*. Non potes cogitare illam civitatem, quia nondum vides: Vis cogitare Cælum? Librum Dei cogita. Audi Psalmum; *Et in lege* *Psal.* 1. 2. *eius meditabitur die ac nocte*. Et ibi beatus dictus est, *qui non abiit in consilio* *Ibid.* 1. *impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit, sed in lege Domini fuit voluntas eius*. Vide luminare in cælo: *Et in lege eius meditabitur die ac nocte*. Vult patienter ferre omnia? Non descendat de cælo, & in lege eius meditetur die ac nocte. Ergo in cælo cor eius: si in cælo cor eius, omnes iniquitates quæ fiunt in terra ad tempus, omnes felicitates malorum hominum, omnes labores iustorum, meditan-

Pars III. Sect. II Cap. II. §. 2.

I. Quo tempore tenemur legem Dei meditari?

Deut. vi. 6. & 7.

R. Die ac nocte. *Erunt*, inquit Deus in libro Deuteronomii, *verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo... Et meditaberis in eis sedens in domo tua & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens.* *Beatus vir*, inquit Regius Psaltes, *qui in lege Dei meditabitur die ac nocte.*

Ps. i. 1 & 2.

I. Qui fieri potest, ut actu cogitemus legem dei die ac nocte, etiam inter dormiendum?

R. Id fieri nequit; neque id quoque his verbis præcipitur. Horum sensus est, oportere nos legem Dei scriptam gerere iugiter in cordibus & sic agere, ut *lucerna sit* indesinenter *pedibus nostris verbum Dei, & lumen semitis nostris*. Debet lex Dei continuo ob oculos nostros poni, adeo ut agamus nihil nisi ex eius norma & beneplacito. Illud autem ut fiat, necesse est nos actu meditari in lege Dei tam frequenter, ut aliquatenus dici possit nos in ea meditari die ac nocte.

Ps. cxviii. 105.

I. Quod maxime tempus seligendum est ad actualem legis Dei meditationem?

R. Mane adstandum Domino exemplo Davidis, & videndum ut in lege Domini ambulemus tota die. Vespere examinandum in quibus contra legem Dei peccatum sit. Meridie dandum & aliquid temporis huic meditationi (B).

I. Litterarum rudes & imperiti possuntne legem Dei meditari, quam ne legere quidem sciunt?

R. Et ipsi legem Dei meditari possunt & debent. Nemo enim est tam rudis & imperitus, quin teneatur scire præcepta Dei & Ecclesiæ. Deinde possunt imperiti & rudes legem Dei ex Pastorum & magistrorum ore vel lectione percipere. Adde quod ex occurrentibus rerum eventibus, ex piorum & impiorum exemplis, possunt abunde sumere sibi quod meditentur (C).

---

ti die ac nocte legem Dei, nulli sunt; & patienter tolerat omnia, & erit beatus eruditus a Deo. Et quomodo in firmamento cæli? Quia lex firmamentum est. *Beatus vir quem tu erudieris, Domine, & ex lege tua docueris eum: ut mitiges eum a diebus malignis, donec fodiatur peccatori fovea.*

vers. 12. & 13.

In Psal. cxviii. *serm.* 24. *num.* 5.... Non vis confundi ab expectatione tua? Non intermittas meditari iustificationes meas. Sentiens istam meditationem plerumque animæ languoribus impediri; *Adiuva me*, inquit. *& salvus ero, & meditabor in iustificationibus tuis semper.*

vers. 117.

Enarrat. in Psal. 123. *num.* 3. In hoc Psalmo vox nostra est. Sic audite, tamquam vos ipsos audiatis: sic audite, tamquam in speculo Scripturarum vos ipsos adtendatis. Cum enim tamquam speculum adtendis Scripturas, exhilaratur facies tua; cum similem te invenies exsultatione spei membris quibusdam Christi, quæ membra ista cantarunt; eris & tu in ipsis membris, & cantabis ista.

(B) Psal. v. 5. Mane adstabo tibi, & videbo; quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Psal. liv 18. Vespere, & mane, & meridie narrabo & annuntiabo: & exaudiet vocem meam.

Psal. lxii. 2. Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea... Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te.

S. Joan. Chrysost. *Homil.* 2. *in Psal.* 1. *Vide supra huiusce partis sect.* 1. c. 5. §. 8 *litt.* (A)

(C) S. August. *Enarrat.* 2. *in Psalm.* xxvi. *num.* 12.... *Circumivi*, inquit, &

I. Ergo necessarium est omnibus hoc meditationis genus?

R. Ita: necessarium est, ut nihil supra. *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde*, inquit Deus apud Ieremiam (D).

Ierem. XII. 11.

I. Quid in lege Dei meditari potissimum debemus?

R. Quæ futura sunt hominis no-

Pars III. Sect. II. Cap. II. §. 2.

---

immolavi in tabernaculo eius hostiam iubilationis. Circumeat animus tuus per universam creaturam: undique tibi clamabit creatura, Deus me fecit. Quidquid te delectarit in arte, artificem commendat; magisque si circumeas universa, consideratio concipit artificis laudem. Vides cælos, magna opera Dei sunt. Vides terram, Deus fecit seminum numeros, diversitates germinum, multitudinem animalium. Circumi adhuc cælos usque ad terram, nibil relinquas: undique omnia tibi resunant Conditorem; & ipsæ species creaturarum, voces sunt quædam creatorem laudantium. Quis autem explicet universam creaturam? quis illam explicet laudibus? quis digne laudet cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt? Et ista quidem visibilia. Quis digne laudet Angelos, sedes, dominationes, principatus, & potestates? quis digne laudet hoc ipsum, quod in nobis viget, vegetans corpus, movens membra, sensus exserens, & memoria tam multa complectens, intellectu tam multa discernens, quis digne laudet? At si in istis creaturis Dei sic laborat humanus sermo, in Creatore quid agat, nisi sola restet sermone deficiente iubilatio? *Circumivi, & immolavi in tabernaculo eius hostiam iubilationis*.

(D) Isai. LVII. 1. Iustus perit. & non est qui recogitet in corde suo: & viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat.

Aggæi I. 5. Et nunc hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti: & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. Hæc dicit Dominus exercituum: ponite corda vestra super vias vestras.

Deut. XXVIII. 36. Mich. VI. 15.

II. 14. Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, numquid contaminabitur? Et responderunt Sacerdotes, & dixerunt: Contaminabitur. Et respondit Aggæus, & dixit: Sic populus iste, & sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, & sic omne opus manuum eorum: & omnia quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt. Et nunc ponite corda vestra a die hac supra... Percussi vos vento urente, & aurugine, & grandine omnia opera manuum vestrarum: & non fuit in vobis, qui reverteretur ad me, dicit Dominus. Ponite corda vestra ex die ista, & in futurum... Ponite super cor vestrum.

S. Bernard. Abbas *de considerat. lib.* I. *cap.* 1. Invitus, ni fallor, avelleris a tuæ Rachelis amplexibus; & quoties id pati contigerit, toties dolor tuus renovetur necesse est. At quando non contingit? Quoties vis, & incassum? quoties moves, nec promoves? quoties conaris, & non datur ultra? eniteris & non paris? tentas, & abriperis: & ubi incipis, ibi deficis; & dum adhuc ordiris, succidunt te? *Venerunt filii usque ad partum*, ait Propheta, *& vires non habet parturiens*. Nosti hoc? Nemo te melius. Attritæ frontis es, & instar vitulæ Ephraim doctus diligere trituram, si pace tua, sic se habent res tuæ: Absit: hæc est pars illius, qui datus est in reprobum sensum. Ab his sane cupio tibi pacem, non cum his. Nihil plus metuo tibi pace ista. Miraris, si umquam possit accidere? Etiam dico tibi, si res, ut assolet, per consuetudinem in incuriam venerit.

4. Reg. XIX. 3. Osee X. 11.

Cap. 2. *num.* 2. Quid non invertat consuetudo? quid non assiduitate duretur? quid non usui cedat? Quantis quod præ amaritudine prius exhorrebant, usu ipso male in dulce conversum est? audi iustum quid lamentetur super huiuscemodi: *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt*. Primum tibi importabile videbitur aliquid: processu temporis, si assuescas, iudicabis non adeo grave, paullo post & leve senties, paullo post nec senties; paullo post etiam delectabit. Ita paullatim in cordis duritiam itur, & ex illa in

Iob VI. 7.

vissima, mortem, iudicium, damnationem, vel vitam æternam. Hinc convertendus animus ad intelligenda penitius præcepta Dei, & varia peccatorum genera, & quæ spectant ad Christianæ vitæ rationem.

Sed non sistendum in sterili speculatione; veniendum ad praxim; videndum quomodo intus affecti simus circa varia hæc præcepta, quæ subiiciuntur oculis, vel auribus; quid in iis placeat & delectet, quid displiceat. Sentiendum pondus propriæ infirmitatis & corruptionis & miseriæ. Hinc excitandi interiores in corde gemitus. Hinc implorandum Dei auxilium. Hinc proponendum sibi quid facto opus sit. Hinc tandem vigilandum, ne a suscepto semel vitæ Christianæ proposito recedatur. Isthæc omnia qui faxit, huius meditationem & orationem optimam fuisse dixerim.

I. Tenenturne omnes omnino Christiani hac ratione vacare meditationi & orationi?

R. Ex mox dictis constat, neminem suæ mentis compotem ab hac meditationis & orationis lege eximi. Id autem facile est demonstrare liquidius, adeo ut nullus superesse possit ambigendi locus. Nemo est quin teneatur legem Dei intus in corde gerere, ad huius legis lancem omnia sua dicta factaque perpendere, de peccatis quibus illa violatur dolere & gemere, horum veniam a Deo petere, inire vitæ novæ propositum & rationem, vigilare ut nova illa vitæ ratio semel suscepta teneatur. Isthæc autem omnia agere, quid aliud est, quam vacare meditationi & orationi?

I. Estne multum difficultatis in eo meditationis & orationis genere?

R. Nihil in eo difficultatis est amanti, & vitam æternam deside-

---

aversionem. Sic gravis & continuus dolor, citum, ut dixi, habiturus est exitum, aut sanitatem profecto, aut Insensibilitatem.

Num. 3 Hinc prorsus, hinc tibi timui semper, & timeo, ne dilato remedio, dolorem non sustinens, periculo te irrevocabiliter desperatus immergas. Vereor, inquam, ne in mediis occupationibus, quoniam multæ sunt, dum diffidis finem, frontem dures, & ita sensim te ipsum quodammodo sensu prives iusti utilisque doloris. Multo prudentius te illis subtrahas vel ad tempus, quam patiere trahi ab ipsis, & duci certe paullatim quo tu non vis. Quæris quo? Ad cor durum. Nec pergas quærere, quid illud sit: si non expavisti, tuum hoc est. Solum est cor durum, quod simetipsum non exhorret, quia nec sentit. Quid me interrogas? Interroga Pharaonem. Nemo duri cordis salutem umquam adeptus est, nisi quem

Ezec. XXXVI. 26. forte miserans Deus, abstulit ab eo, iuxta Prophetam, cor lapideum, & dedit cor carneum. Quid ergo cor durum? Ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad iudicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium in divina, præteritorum obliviscens, præsentia negligens, futura non providens. Ipsum est, cui præteritorum, præter solas iniurias, nihil omnino non præterit; præsentium nihil non perit; futurorom nulla, nisi forte ad ulciscendum, prospectio seu præparatio est. Et ut brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reveretur. En quo trahere te habent hæ occupationes maledictæ: si tamen pergis, ut cœpisti, ita dare te totum illis, nil tui tibi relinquens. Perdis tempus: si licet nunc al-

ranti. Si vero frigido loquor, nescit quod loquor. Qui volunt vitam agere in deliciis, in peccatis, his omnia difficilia. Illi fere numquam orant ut par est, fere numquam cogitant Deum: semper extra se rapiuntur (E).

Exod. xviii. 18. terum me tibi exhibere Iethro, tu quoque in his stulto labore consumeris, quæ non sont nisi afflictio spiritus, evisceratio mentis, evacuatio gratiæ.

Cap. 3. *num.* 4. Nolo dissimules servitutem, in quam certe in dies, dum nescis, redigeris. Hebetati cordis indicium est, propriam non sentire continuam vexationem *Vexatio dat intellectum auditui*, ait quidam. *Is. xxviii. 19.* Verum est; sed si nimia non fuerit. Nam si sit, non plane intellectom dat sed contemptum. Denique *impius cum in profundum malorum venerit, contemnit.* *Prov. xviii. 3.* Expergiscere ergo, & pessimæ servitutis iugum iam iamque imminens, immo iam non modice premens, non tantom cave, sed horre.

Cap 4 *n.* 5. *Pretio empti estis, nolite effici servi hominum.* *1. Cor. vii. 23.* Qoid servilius indigniusque, præsertim summo Pontifici, quam, non dico omni die, sed pene omni hora, insudare talibus rebus & pro talibus? Denique quando oramus? quando docemus populos? quando ædificamus Ecclesiam? quando meditamur in lege? Et quidem quotidie perstrepunt in palatio leges, sed Iustiniani, non Domini. Iustene etiam istud? Tu videris. Nam certe *lex Domini immaculata, convertens animas.* *Ps. xviii. 8.* Hæ autem non tam leges quam lites sunt, & cavillationes, subvertentes iodicium. Tu ergo Pastor & Episcopus animarum, qua mente, obsecro, sustines coram te semper silere illam, garrire istas? Fallor, si non movet tibi scrupulum perversitas hæc. Puto quod & interdum compellat clamare ad Dominum cum Propheta: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* *Ps. cxviii. 75.* I ergo, & te aude liberum profiteri sub tam gravi mole inconvenientiæ huius, & cui fas non sit cervicem subducere. Nam si potes & non vis, multo magis servus es huius ipsius tam perversæ voluntatis tuæ.

Cap. 7. *n* 8 Nunc aotem quoniam dies mali sunt, *Ephes. v. 16.* sufficit interim admonitum esse, non totum te, nec semper dare actioni: sed considerationi aliquid tui & cordis & temporis sequestrare. Hoc aotem dico necessitatem intuens, non æqoitatem, quamquam non sit præter æquum, necessitati cedere. Nam si liceret quod deceret, absolute per omnia & in omnibus præferendam, & vel solam, vel maxime colendam eam, quæ ad omnia valet, id est pietatem, prorsus irrefragabilis ratio demonstrat. Quid sit pietas quæris? Vacare considerationi.... Quid tam pertinens ad cultum Dei, quam quod ipse hortator in psalmo: *Vacate & videte quoniam ego sum Deus?* *Ps. xlv. 12.* quod sane in partibus considerationis præcipuum est. Quid denique tam valens ad omnia quam quæ ipsius quoque actionis partes, benigna quadam præsumptione suas facit, præagendo quodammodo, & præordinando quæ agenda sunt? Necessario sane; ne forte quæ & prævisa & præmeditata poterant esse proficua, præcipitata magis periculo fiant. Quod tibimet, si recordaris in ipsis actionibus caussarom, & in magnis quibusqoe negociis, magnarumve consiliis rerum frequenter accidisse non ambigo. Et primum quidem ipsum fontem suum, id est, mentem, de qua oritur, purificat consideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat; postremo divinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. Hæc est qoæ confusa determinat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat, aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc est quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit: quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ est.

Cap. 8. *num.* 11. Hæc dixerim hortans ad vacandum considerationi, cuius beneficio hæc & similia advertuntor. Cum tam pio, tamque utili otio, nullam in vita operam dare, nonne vitam perdere est?

(E) *Hæc copiosius pertractata qui legere volet, adeat* D. NICOLE *librum perutilem de Oratione mentali, Gallice scriptum hoc titulo:* Traitè de l'Oraison, *in* 8.

PARS III. SECT. II. CAP. III.

CAPUT TERTIUM

De Oratione vocali in genere.

I. Quid est vocalis oratio?

R. Ea est, ut diximus, quæ voce promitur.

I. Utilisne est vocalis oratio?

R. Eius utilitas constat ex Psalmis, ex Canticis, ex omnibus Ecclesiæ precibus. *Implemini Spiritu sancto*, inquit Apostolus, *loquentes vobismetipsis in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus; cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino; gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & Patri* (A). Eph. v. 18. 19. 20.

I. Estne oratio vocalis necessaria?

R. Necessaria prorsus ad Psalmos, ad hymnos, ad cantica, ad officia publica Ecclesiæ, quibus adesse tenemur. Tenemur insuper laudare voce, sicut & mente Deum: tenemur recitare quotidie formulam orationis, quam Christus ipse tradidit. Hinc patet evidenter necessitas orationis vocalis.

I. Quæ conditiones ad orationem vocalem requiruntur, ut recte & utiliter fiat?

Brief. sess. Cap. I. §. 7. *R.* Eædem, quas supra diximus ad omne genus orationis requiri. Sive mente, sive voce fiat oratio, orandum. 1. In nomine Christi: 2. In spiritu & veritate: 3. Cum humilitate & compunctione cordis: 4. Cum attentione mentis: 5. Cum fiducia: 6. Cum perseverantia.

I. Possuntne utiliter recitari variæ precationum formulæ, quæ passim in libris editis sparsæ sunt?

R. Modo preces illæ nihil habeant sanæ religioni & pietati contrarium, probenturque ab Episcopis & vitentur abusus, qui solent in vocalium precum recitatione subrepere, possunt illæ cum ingenti fructu recitari. Habes in oratione Dominica, in Psalmis, in Canticis ceterisque Ecclesiæ precibus eximias orandi formulas. Eduntur passim in orbe Christiano libri, quibus preces plurimæ continentur luculentissimæ illæ quidem, partim ex Scripturis, partim ex SS. PP. collectæ. Talis est, quem typis ab annis aliquot mandari iussit Eminentissimus Cardinalis de Noailles librum precum horariarum; & alii plures, qui fidelium manibus cum maximo fructu teruntur.

I. Quinam abusus solent in vocalium precum recitatione subrepere?

R. 1. Recitantur sæpius illæ preces ore tenus, cor autem longe est a Deo, mens longe aberrat ab oratione (B).

(A) COLOSS. III. 16. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes, & commonentes vosmetipsos in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.

(B) ISAI. XXIX. 13. Eo quod appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est a me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis.

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. III.

2. Id sibi inducunt in animum sæpissime Christiani ad amorem Dei, ad contritionem, ad gratiarum actionem &c. sufficere, si recitentur attente actus amoris, contritionis, gratiarum actionis, qui passim in libris editi reperiuntur.

3. Putant in multiloquio se facilius exaudiendos, quod quidem Christus arguit (C).

I. Quid facto opus, ut caveatur ab illis erroribus?

R. 1. Mens & voluntas cum lingua consonent.

2. Excitandi, quantum fieri potest, in voluntate affectus, qui in formulis actuum amoris, contritionis, gratiarum actionis exprimuntur. Nec propterea existimandum hos affectus sequi necessario ex attenta recitatione harum orationis formularum; sed orandus Deus, ut dignetur ipse affectus illos in cor nostrum misericorditer infundere.

3. Sive longæ, sive breves fundantur orationes, id animo statuendum, haberi a Deo rationem fervoris & fidei, non brevitatis aut diuturnitatis in exaudiendis precibus. Cum cor silet, nec ad Deum movetur, nimia est oratio vel brevissima; diuturnior e contra brevis est, cum cor ad Deum tendit, & illum alloquitur (D).

(C) Matth. vi. 7 Orantes autem, nolite multum loqui, sicut Ethnici. Putant enim quod in multiloquio suo audiantur. Nolite ergo assimilari eis.

(D) S. August. *Lib.* 2. *de Sermone Domini in monte*, *cap.* 3. *n.* 10. *Et cum oratis*, inquit, *non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus*. Neque hic videri ab hominibus nefas est; sed ideo hæc agere, ut videaris ab hominibus ..... Adiungit similiter, *amen dico vobis, perceperunt mercedem suam:* hinc ostendens id se prohibere, ne ea merces appetatur, qua stulti gaudent, cum laudantur ab hominibus. (Matth. vi. 5.)

N. 11. *Vos autem cum oratis*, inquit, *introite in cubicula vestra*. Quæ sunt ista cubicula, nisi ipsa corda, quæ in Psalmo etiam significantur, cum dicitur: *Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini?* Et, *Claudentes ostia orate*, ait, *Patrem vestrum in abscondito*. Parum est intrare in cubicula, si ostium pateat importunis, per quod ostium ea quæ foris sunt improbe se immergunt, & interiora nostra appetunt. Foris autem diximus esse omnia temporalia & visibilia, quæ per ostium, id est per carnalem sensum in cogitationes nostras penetrant, & turba vanorum phantasmatum orantibus obstrepunt. Claudendum est ergo ostium, id est carnali sensui resistendum est, ut oratio spiritalis dirigatur ad Patrem, quæ fit in intimis cordis, ubi oratur Pater in abscondito. *Et Pater*, inquit, *vester, qui videt in abscondito, reddet vobis*. (Ibid. 6. — Psal. iv. 5 — Matth. vi. 6. — Id. ibid.)

N. 12. *Orantes autem nolite*, ait, *multum loqui, sicut Ethnici: arbitrantur enim quod in multiloquio suo exaudiantur*. Sicut hypocritarum est præbere se spectandos in oratione, quorum fructus est placere hominibus; ita Ethnicorum, id est Gentilium in multiloquio se putare exaudiri ... *Nolite itaque similes illis esse*, dicit unus & verus magister: *scit enim Pater vester quid vobis necessarium sit, antequam petatis ab eo*. Si enim verba multa ad id proferuntur, ut instruatur, & doceatur ignarus, quid eis opus est ad rerum omnium cognitorem, cui omnia quæ sunt, eo ipso quo sunt, loquuntur, seseque indicant facta: & ea quæ futura sunt, eius artem sapientiamque non latent, in qua sunt, & quæ transierunt, & quæ transitura sunt, omnia præsentia, & non transeuntia? (Ibid. 7. — Ibid. 8.)

N. 13. Sed quoniam, quamvis pauca, tamen verba & ipse dicturus est, quibus nos doceat orare, quæri potest cur vel his verbis paucis opus sit ad eum qui scit omnia antequam fiant, & novit, ut dictum est, quid nobis sit necessarium,

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. III.

I. Qua lingua recitandæ sunt orationes vocales?

R. Si de privatis precibus quæstio sit, rectius orat, qui intelligit quod loquitur. Si quis enim oret ignota lingua, *Spiritus* quidem eius *orat, mens autem* eius *sine fructu est:* qui autem orat noto sibi idiomate *orat spiritu, orat & mente, psallit spiritu, psallit & mente.* (1. Cor. xiv. 14. & 15.)

Si autem de publicis orationibus agatur, orandum omnino ea lingua qua utitur Ecclesia. Id plane demonstrabimus infra: simulque ostendemus idem omnino sentire Ecclesiam ea de re cum Apostolo. (Huius Sect Cap. 6. §. 1.)

CAPUT QUARTUM

De Oratione Dominica.

§. 1. *De oratione Dominica in genere. Explicatur eius proœmium.*

I. Quænam oratio omnium excellentissima?

R. Oratio, quam Dominicam ideo dicimus, quia illius auctor est Christus (A).

Hæc autem ceteris omnibus antecellit, tum quia eam Christus ipse tradidit, tum quia paucis verbis illa complectitur quæcumque petere a Deo debemus, & quo ordine petenda sunt (B).

---

antequam petamus ab eo? Hic primo respondetur non verbis nos agere debere apud Deum, ut impetremus quod volumus, sed rebus quas animo gerimus, & intentione cogitationis, cum dilectione pura & simplici affectu: sed res ipsas verbis nos docuisse Dominum nostrum, quibus memoriæ mandatis eas ad tempus orandi recordemur.

N. 14. Sed rursus quæri potest, sive rebus, sive verbis orandum sit, quid opus sit ipsa oratione, si Deus iam novit quid nobis necessarium sit: nisi quia ipsa orationis intentio cor nostrum serenat & purgat, capaciusque efficit ad excipienda divina munera, quæ spiritaliter nobis infunduntur. Non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui semper paratus est dare suam lucem nobis, non visibilem, sed intelligibilem & spiritalem: sed nos non semper parati sumus accipere, cum inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate tenebratum (*forsan* tenebramur). Fit ergo in oratione conversio cordis ad eum, qui semper dare paratus est si nos capiamus quod dederit: & in ipsa conversione purgatin interioris oculi, cum excluduotur ea quæ temporaliter cupiebantur, ut acies cordis simplicis ferre possit simplicem lucem, divinitus sine ullo occasu aut immutatione fulgentem: nec solum ferre, sed etiam manere in illa non tantum sine molestia, sed etiam cum ineffabili gaudio quo vere ac sinceriter beata vita perficitur.

S. Ambros. *Lib* 2. *de Cain & Abel, c.* 6. *num.* 23. Si quis debitum solvat, & in referendo iniuriam faciat creditori, intolerabilius est utique, quam non reddidisse quod debebat. Non ergo quantitas solutionis, sed animus reddentis, & qualitas consideratur & affectus.

(A) Matth. vi. 9. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, &c

Luc. xi 2. Cum oratis dicite: Pater, &c. *Vide etiam litt seq.*

(B) S. Cyprian *de Oratione Dominica, Edit. Oxonii in fol. an* 1700. *pag.* 99. Evangelica præcepta, Fratres dilectissimi, nihil sunt aliud, quam magisteria divina, fundamenta ædificandæ spei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fovendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præsidia obtinendæ salutis: quæ dum dociles credentium mentes in terris instruunt, ad cælestia regna perducunt. Multa & per Prophetas servos suos dici Deus voluit, & audiri; sed quanto maiora sunt, quæ Filius loquitur, quæ Dei sermo, qui in Prophe-

Digitized by Google

tis fuit, propria voce testatur: non iam
mandans, ut pararetur venienti via, sed
ipse veniens & viam nobis aperiens &
ostendens; ut qui in tenebris mortis errantes improvidi & cœci prius fuimus,
luce gratiæ illuminati, iter vitæ duce &
rectore Domino teneremus. Qui inter cetera salutaria sua monita, & præcepta divina, quibus populo suo consuluit ad
salutem, etiam orandi ipse formam dedit, ipse quid precaremur monuit & instruxit. Qui fecit vivere, docuit & orare, benignitate ea scilicet, qua & cetera dare, & conferre dignatus est; ut dum
prece & oratione, quam Filius docuit,
apud Patrem loquimur, facilius audiamur. Iam prædixerat horam venire,
Ioan. IV. 24. quando veri adoratores adorarent Patrem
in spiritu & veritate, & implevit quod
ante promisit; ut qui Spiritum, & veritatem de eius satisfactione percepimus,
de traditione quoque eius vere & spiritaliter adoremus. Quæ enim potest esse
magis spiritalis oratio, quam quæ a
Christo nobis data est, a quo nobis &
Spiritus sanctus missus est? Quæ vera
magis apud Patrem precatio, quam quæ
a Filio, qui est veritas, de eius ore
prolata est, ut aliter orare, quam docuit, non ignorantia sola sit, sed & culpa, quando ipse posuerit, & dixerit:
Ioan. XIV. 6 *Marc.* VI. 8. *Reiicitis mandatum Dei, ut traditionem
vestram statuatis*. Oremus itaque, fratres dilectissimi, sicut magister Deus
docuit. Amica & familiaris oratio est
Deum de suo rogare; ad aures eius ascendere Christi oratione. Agnoscit Pater
Filii sui verba. Cum precem facimus,
qui habitat intus in pectore, ipse sit &
Ioan. II. 1. in voce. Et cum ipsum habeamus apud
Patrem advocatum pro peccatis nostris;
quando peccatores pro delictis nostris petimus, advocati nostri verba promamus.
Ioan. XVI. 23. Nam cum dicat, quia, *quodcumque petierimus a Patre in nomine eius; dabit
nobis*, quanto efficacius impetramus quod
petimus in Christi nomine, si petamus
ipsius oratione?

Sit autem orantibus sermo, & precatio cum disciplina, quietem continens &
pudorem. Cogitemus nos sub conspectu
Dei stare: placendum est divinis oculis,
& habitu corporis & modo vocis; nam
ut impudentis est clamoribus strepere,
ita contra congruit verecundo modestis
Matth. VI. 6 precibus orare. Denique magisterio suo
Dominus secreto orare nos præcepit, in
abditis, & semotis locis, in cubilibus
ipsis, quod magis convenit fidei, ut sciamus Deum ubique esse præsentem, audire omnes & videre, & maiestatis suæ *Pars* III. *Sect.* II. *Cap.* IV. §. I
plenitudine in abdita quoque & occulta
penetrare, sicut scriptum est: *Ego Deus *Ierem.* XXIII. 23.
approximans, & non Deus de longinquo.
Si absconditus fuerit homo in absconditis,
ego ergo non videbo eum? Nonne cælum &
terram ego impleo?* Et iterum: *In omni* *Prov.* XV. 3.
loco oculi Dei speculantur bonos & malos. Et quando in unum cum fratribus
convenimus, & sacrificia divina cum Dei
Sacerdote celebramus, verecundiæ & disciplinæ memores esse debemus; non
passim ventilare preces nostras incònditis vocibus; nec petitionem commendandam modeste Deo, tumultuosa loquacitate iactare. Quia Deus non vocis, sed
cordis auditor est: nec admonendus est
clamoribus, qui cogitationes hominum
videt, probante Domino & dicente: *Quid* *Luc.* V. 22.
cogitatis nequam in cordibus vestris? &
alio loco: *Et scient omnes Ecclesiæ, quia* *Apocal.* II. 23.
ego sum scrutator renis & cordis. Quod
Anna in primo Regnorum libro, Ecclesiæ typum portans, custodit & servat,
quæ Dominum non clamosa petitione,
sed tacite & modeste intra ipsas pectoris
latebras precabatur. Loquebatur prece
occulta, sed manifesta fide; loquebatur
non voce, sed corde: quia sic Deum sciebat audire; & impetravit efficaciter quod
petiit, quia fideliter postulavit. Declarat hoc Scriptura divina, quæ dicit: *Lo-* *1. Reg.* I. 13.
*quebatur in corde suo, & labia eius movebantur, & vox eius non audiebatur;
& exaudivit eam Deus*. Item legimus in
Psalmis: *Dicite in cordibus vestris, &* *Ps.* IV. 5.
in stratis vestris, & compungimini.
Per Ieremiam quoque hæc eadem Spiritus sanctus suggerit & docet, dicens: *In* *Bar.* VI. 5.
sensu autem tibi debet adorari Deus.
Adorans autem, fratres dilectissimi, nec
illud ignoret, quemadmodum in templo
cum Pharisæo Publicanus oraverit, non
allevatis in cælum impudenter oculis,
nec manibus insolenter erectis; sed pectus suum pulsans, & peccata intus inclusa contestans divinæ misericordiæ implorabat auxilium. Et cum sibi Pharisæus placeret, sanctificari hic magis meruit, qui sic rogavit, qui spem salutis
non in fiducia innocentiæ suæ posuit,
cum innocens nemo sit; sed peccata
confessus humiliter oravit; & exaudivit
orantem, qui semper humilibus igno-

Digitized by Google

PARS III. SECT. II. CAP. IV. §. I.

scit... Qualia autem sunt, Fratres dilectissimi, orationis Dominicæ sacramenta, quam multa, quam magna, breviter in sermone collecta; sed in virtute spiritaliter copiosa ut nihil omnino prætermissum sit, quod non in precibus atque orationibus nostris cælestis doctrinæ comprehendatur.

S. AUG. *Epist.* 130. *alias* 121. *ad Probam cap.* 11. *num.* 21. Nobis ergo verba necessaria sunt, quibus commoneamur & inspiciamus quid petamus, non quibus Dominum, seu docendum, seu flectendum esse credamus. Cum ergo dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*, nos ipsos

Matth. VI. 9. *Luc.* XI. 2. *& seq.*

admonemus desiderare, ut nomen eius, quod semper sanctum est, etiam apud homines sanctum habeatur, hoc est non contemnatur; quod non Deo sed hominibus prodest; & in eo quod dicimus: *Adveniat regnum tuum*, quod seu velimus, seu nolimus utique veniet, desiderium nostrum ad illud regnum excitamus ut nobis veniat, atque nos in eo regnare mereamur. Cum dicimus: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, nobis ab illo precamur ipsam obedientiam, ut sic a nobis fiat voluntas eius, quemadmodum fit in cælestibus ab Angelis eius. Cum dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; per id quod dicitur, *hodie*, significatur hoc tempore, ubi vel illam sufficientiam petimus, a parte quæ excellit, id est nomine panis totam significantes; vel sacramentum fidelium, quod in hoc tempore necessarium est, non tamen ad huius temporis, sed ad illam æternam felicitatem assequendam. Cum dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut nos dimittimus debitoribus nostris*, nos admonemus & quid petamus, & quid faciamus; ut accipere mereamur. Cum dicimus: *Ne nos inferas in tentationem*; nos admonemus hoc petere, ne deserti eius adiutorio alicui tentationi vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti. Cum dicimus: *Libera nos a malo*, nos admonemus cogitare, nondum nos esse in eo bono, ubi nullum patiemur malum. Et hoc quidem ultimum, quod in Dominica oratione positum est, tam late patet, ut homo Christianus in qualibet tribulatione constitutus in hoc gemitus edat, in hoc lacrimas fundat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem. His enim verbis res ipsas memoriæ nostræ commendari oporrebat.

Cap. 12. *num.* 22. Nam quælibet alia verba dicamus, quæ affectus orantis, vel præcedendo format, ut clareat; vel consequendo attendit, ut crescat; nihil aliud dicimus quam quod in ista Dominica oratione positum est, si recte & congruenter oramus. Quisquis autem id dicit, quod ad istam Evangelicam precem pertinere non possit, etiamsi non illicite orat, carnaliter orat: quod nescio quemadmodum non dicatur illicite quandoquidem Spiritu renatos, non nisi spiritaliter decet orare. Qui enim dicit verbi gratia: *Clarificare in omnibus gen-*

Eccli. XXXVI. 4.

tibus, sicut clarificatus es in nobis: &: *Prophetæ tui fideles inveniantur*, quid

Ibid. 18.

aliud dicit, quam, *sanctificetur nomen tuum*? Qui dicit: *Deus virtutum converte*

Ps. LXXIX. 4.

nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus quid aliud dicit, quam, *veniat regnum tuum*? Qui dicit: *Itinera mea*

Ps. CXVIII. 133.

dirige secundum verbum tuum, & ne dominetur mei omnis iniquitas, quid aliud dicit, quam, *fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*? Qui dicit: *Pauperta-*

Prov. XXX. 8.

tatem, & divitias ne dederis mihi, quid aliud dicit, quam, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*? Qui dicit: *Me-*

Ps. CXXXI. 1.

mento Domine David, & omnis mansuetudinis eius, aut: *Domine si feci istud,*

Ps. VII. 4. & 5.

si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala; quid aliud dicit, quam, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*? Qui dicit: *Aufer a me ventris con-*

Eccli. XXIII. 6.

cupiscentias, & desiderium concubitus ne apprehendat me, quid aliud dicit, quam, *Ne nos inferas in tentationem*? Qui dicit: *Erue me ab inimicis meis Deus, &*

Ps. LVIII. 2.

ab insurgentibus super me libera me, quid aliud dicit, quam, *libera nos a malo*? Et si per omnia precationum sanctarum verba discurras, quantum existimo nihil invenies, quod in ista Dominica non contineatur & concludatur oratione. Unde liberum est aliis atque aliis verbis, eadem tandem in orando dicere, sed non debet esse liberum alia dicere.

Ante hos, TERTUL. *lib. de Oratione paullo post initium*. Brevitas ista (*istius Dom. orationis*)... quantum substringitur verbis, tantum diffunditur sensibus. Neque enim propria tantum orationis officia complexa est, venerationem Dei, aut hominis petitionem, sed omnem pe-

Hæc præfatiunculam habet & petitiones septem (C).

Præfatiuncula hæc est:

Pater noster, qui es in cælis.

Iam septem petitiones sequuntur:

1. *Sanctificetur nomen tuum.*

ne sermonem Domini, omnem commemorationem disciplinæ, ut revera in oratione breviarium totius Evangelii comprehendatur. Incipit a testimonio Dei, & merito fidei, cum dicimus, *Pater qui in cælis es*. Nam & Deum oramus, & fidem commendamus, cuius meritum est
Ioan. I. 12. hæc appellatio. Scriptum est: *Qui in eum crediderint, dedit eis potestatem ut filii Dei vocentur*. Quam frequentissime Dominus Patrem nobis pronunciavit
Matth. xxiii 9. Deum; immo & præcepit, ne quem in terris patrem vocemus, nisi quem habemus in cælis. Itaque sic adorantes etiam præceptum obimus. Felices qui patrem agnoscunt.... Dicendo autem patrem, Deum quoque cognominamus. Appellatio ista & pietatis & potestatis est. Item in Patre Filius invocatur. *Ego* enim,
Ioan. x. 30. inquit, *& Pater unum sumus*. Ne mater quidem Ecclesia præteritur: siquidem in Filio & Patre mater recognoscitur, de qua constat & patris & filii nomen.

(C) S. Aug. *Enchir cap.* 114. *num.* 30. Ex ista fidei confessione, quæ breviter symbolo continetur, & carnaliter cogitata lac parvulorum est, spiritaliter autem considerata atque tractata cibus est fortium, nascitur spes bona fidelium, cui caritas sancta comitatur. Sed de iis omnibus, quæ fideliter sunt credenda, ea tantum ad spem pertinent, quæ ora-
Ierem. xvii. 5. tione Dominica continentur. *Maledictus enim omnis*, sicut divina testantur eloquia, *qui spem ponit in homine:* ac per hoc & in se ipso qui spem ponit, huius maledicti vinculo innectitur. Ideo non nisi a Domino Deo petere debemus, quidquid speramus nos vel bene operaturos, vel pro bonis operibus adepturos.

Cap. 115. Proinde apud Evangelistam Matthæum, septem petitiones continere Dominica videtur oratio: quarum tribus æterna poscuntur, reliquis quatuor temporalia, quæ tamen propter æterna consequenda sunt necessaria. Nam quod
Matth. vi. 9. & seq. dicimus: *Sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, (quod non absurde quidam intellexerunt, in spiritu & corpore,) omnino sine fine retinenda sunt: & hic inchoata, quantumcumque proficimus, augentur in nobis; perfecta vero, quod in alia vita sperandum est, semper possidebuntur. Quod vero dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a malo*, quis non videat ad præsentis vitæ indigentiam pertinere? In illa itaque vita æterna, ubi nos semper speramus futuros, & nominis Dei sanctificatio, & regnum eius, & voluntas eius in nostro spiritu & corpore perfecte atque immortaliter permanebunt. Panis vero quotidianus ideo dictus est, quia hic est necessarius, quantus animæ carnique tribuendus est, sive spiritaliter, sive carnaliter, sive utroque intelligatur modo. Hic est etiam quam poscimus remissio ubi est commissio peccatorum; hic tentationes, quæ nos ad peccandum vel alliciunt, vel impellunt; hic denique malum unde cupimus liberari: illic autem nihil istorum est.

Cap. 116. Evangelista vero Lucas in oratione Dominica petitiones non septem, sed quinque complexus est: nec ab isto utique discrepavit; sed quomodo ista septem sint intelligendæ, ipsa sua brevitate commonuit. Nomen quippe Dei sanctificatur in spiritu. Dei autem regnum in carnis resurrectione venturum est. Ostendens ergo Lucas tertiam petitionem, duarum superiorum esse quodammodo repetitionem, magis eam prætermittendo facit intelligi. Deinde tres alias adiungit, de pane quotidiano, de remissione peccatorum, de tentatione vitanda. At vero quod ille (Matthæus) in ultimo posuit, *sed libera nos a malo;* iste non posuit, ut intelligeremus ad illud superius, quod de tentatione dictum est, pertinere. Ideo quippe ait, *sed libera:* non ait, & libera, tamquam unam petitionem esse demonstrans: (noli hoc, sed hoc:) ut sciat unusquisque in eo se liberari a malo, quod non infertur in tentationem.

Pars III. Sect. II. Cap. IV. §. I.

2. *Adveniat regnum tuum.*

3. *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.*

4. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

5. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

6. *Et ne nos inducas in tentationem.*

7. *Sed libera nos a malo. Amen.*

Circa septem illas petitiones adverte tres priores ad Deum, quatuor

---

Lib. 2. de Sermon. Domini in monte, cap. 4. num 15. Sed iam considerandum est, quæ nos orare ille præceperit, per quem & discimus quid oremus, & con-
Matth.vi.9. sequimur quod oramus. *Sic itaque orate vos*, inquit, *Pater noster*, &c.... Cum in omni deprecatione benevolentia conciliandæ sit eius, quem deprecamur, deinde dicendum quid deprecemur; laude illius ad quem oratio dirigitur, solet benevolentia conciliari, & hoc in orationis principio poni solet; in quo Dominus noster nihil aliud nos dicere iussit, nisi *Pater noster qui es in cælis*. Multa enim dicta sunt in laudem Dei, quæ per omnes sanctas Scripturas varie, lateque diffusa poterit quisque considerare, cum legit: nusquam tamen invenitur præceptum populo Israel, ut diceret, *Pater noster*, aut ut oraret Patrem Deum; sed Dominus eis insinuatus est, tamquam servientibus, id est, secundum carnem adhuc viventibus. Hoc autem dico, cum mandata legis acceperint, quæ observare iubebantur: nam Prophetæ sæpe ostendunt eumdem Dominum nostrum, etiam Patrem eorum esse potuisse, si ab eius mandatis non aberrarent:
Isai. I. 2. sicuti est illud: *Filios genui, & exaltavi; ipsi autem spreverunt me:* & illud:
Ps. LXXXI. 6. *Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes:*
Malach. I. 6. & illud: *Si Dominus sum, ubi est timor meus? & si pater sum, ubi est honor meus?* Et alia permulta, ubi arguuntur Iudæi, quia filii esse peccando noluerunt: exceptis eis quæ in Prophetia dicuntur de futuro populo Christiano, quod Patrem Deum esset habiturus, secundum illud
Ioan. I. 12. Evangelicum: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri:* Apostolus autem Paullus dicit:
Galat. IV. I. *Quamdiu heres parvulus est, nihil distat a servo:* & spiritum adoptionis nos accepisse commemorat, *in quo clamamus, Abba Pater*.

Num. 16 Et quoniam quod vocamur ad æternam hereditatem, ut simus Christi coheredes, & in adoptionem filiorum veniamus, non est meritorum nostrorum, sed gratiæ Dei; eamdem ipsam gratiam in orationis principio ponimus, cum dicimus, *Pater noster*. Quo nomine & caritas excitatur; quid enim carius filiis esse debet quam pater? & supplex affectus, cum homines dicunt Deo, *Pater noster*; & quædam impetrandi præsumptio, quæ petituri sumus; cum priusquam aliquid peteremus iam magnum donum accepimus ut sinamur dicere, *Pater noster*, Deo. Quid enim iam non det filiis petentibus, cum hoc ipsum ante dederit, ut filii essent? Postremo quanta cura animum tangit, ut qui dicit, *Pater noster*, tanto Patre non sit indignus. Si enim quisquam plebeius Senatorem grandioris ætatis ab eo ipso patrem vocare permittatur, sine dubio trepidabit: nec facile audebit, cogitans humilitatem generis sui, & opum indigentiam, & plebeiæ personæ vilitatem: quanto ergo magis trepidandum est appellare Patrem Deum, si tanta est labes tantæque sordes in moribus, ut multo iustius eas a sua coniunctione Deus expellat, quam ille Senator cuiusvis mendici egestatem. Quandoquidem ille hoc contemnit in mendico, quo & ipse potest rerum humanarum fragilitate devenire: Deus autem in sordidos mores numquam cadit. Et gratias misericordiæ ipsius, qui hoc a nobis exigit, ut Pater noster sit: quod nullo sumtu, sed sola bona voluntate comparari potest. Admonentur etiam hic divites, vel genere nobiles secundum seculum, cum Christiani facti fuerint, non superbire adversus pauperes & ignobiles; quoniam simul dicunt Deo, *Pater noster*: quod non possunt vere ac pie dicere, nisi se fratres esse cognoscant.

Digitized by Google

posteriores ad nos pertinere (D). Quamquam si proprie loquamur, nulla ex iis est, quæ ad nostram utilitatem non referatur, & ad gloriam Dei, ut dicemus infra fusius, ubi singulæ illæ petitiones explicabuntur.

Huiusce cap. §. 2.

I. Quandonam orationem illam recitare expedit?

R. Quotidie recitandam esse con-

(D) S. Aug. *Serm.* 56. *alias de diversis* 48. *in Matth. cap.* vi. *de oratione Dom. cap.* 14. *num.* 19.... *Sanctificetur nomen tuum, veniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Tres istæ petitiones sunt propter vitam humanam: semper enim sanctificatum in nobis debet esse nomen Dei, semper in regno eius esse debemus, semper voluntatem eius facere debemus. Hoc in æternum erit. Panis quotidianus modo est necessarius. Iam ab hoc articulo cetera quæ oramus, ad præsentis vitæ necessitatem pertinent, Panis quotidianus in hac vita necessarius est: dimitti debita nostra in hac vita necessarium est. Nam cum ad illam veniemus, debita finimus. In hac terra tentatio est, in hac terra periculose navigatur, in hac terra per rimas fragilitatum subintrat aliquid, quod debeat sentinari. Cum autem facti fuerimus æquales Angelis Dei, absit ut dicamus, absit ut rogemus Deum, ut dimittat debita nostra, quæ nulla erunt. Hic ergo panis quotidianus, hic ut debita dimittantur, hic ut non intremus in tentationem; quia in illa vita tentatio non intrat: hic ut liberemur a malo; quia in illa vita malum nullum, sed bonum sempiternum permanebit.

Serm. 58. *alias* 42. *inter homil.* 50. *in Matth. cap.* vi. *de orat. Dom. cap.* 10 *num.* 12. Tres ergo petitiones superiores, *Sanctificetur nomen tuum; veniat regnum tuum; fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra*, æternæ sunt. Quatuor autem sequentes ad istam vitam pertinent. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Numquid quotidie petituri sumus panem quotidianum, quando ad illam satietatem venerimus? *Dimitte nobis debita nostra*: numquid in illo regno dicemus, quando debita non habebimus? *Ne nos inferas in tentationem*: Numquid tunc dicere poterimus, quando nulla erit tentatio? *Libera nos a malo*: numquid dicemus, quando nullum erit unde liberemur? Quatuor ergo ista propter vitam nostram quotidianam nobis necessaria sunt, tria vero illa propter æternam. Sed omnia petamus, ut ad illam perveniamus; & hic rogemus, ne ab illa separemur.

De Serm. Dom. in monte sec. Matth. Lib. 2. *cap.* 10. *num.* 36. Sed harum septem petitionum consideranda, & commendanda distinctio est. Nam cum vita nostra temporaliter nunc agatur, atque speretur æterna, & cum æterna priora sint dignitate, quamvis temporalibus prius actis ad illa transeatur; trium primarum petitionum impetrationes quamquam in hac vita, quæ isto seculo agitur, exordium capiant: (nam & sanctificatio nominis Dei ab ipso humilitatis Domini adventu agi cœpit; & adventus regni eius, quo in claritate venturus est, non iam finito seculo, sed in fine seculi manifestabitur; & perfectio voluntatis eius, sicut in cælo, & in terra, sive iustos & peccatores cælum & terram intelligas, sive spiritum, & carnem, sive Dominum & Ecclesiam, sive omnia simul, ipsa perfectione nostræ beatitudinis, & ideo seculi terminatione complebitur). Tamen omnia tria in æternum manebunt: nam & sanctificatio nominis Dei sempiterna erit, & regni eius nullus est finis, & perfectæ nostræ beatitudini æterna vita promittitur. Permanebunt ergo ista tria consummata atque cumulata in illa vita, quæ nobis promittitur.

Num. 37. Reliqua vero quatuor quæ petimus, ad temporalem istam vitam pertinere mihi videntur. Quorum primum est, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hoc ipso enim quod dictus est quotidianus panis, sive spiritalis significetur, sive in sacramento, aut in victu isto visibilis, ad hoc tempus pertinet quod appellavit hodie: non quia spiritalis cibus non est sempiternus; sed quia iste qui quotidianus dictus est in Scripturis, sive in strepitu sermonis, sive quibusque temporalibus signis exhibetur animæ: quæ omnia tunc utique non erunt, cum *omnes erunt docibiles Deo*, *Isai.* LIV. 13. *Ioan.* VI. 45.

stat ex ipso illius contextu. Petimus enim a Deo, ut det nobis hodie panem nostrum quotidianum. Et vocat eam S. August. quotidianam contra peccata quotidiana medicinam (1.).

I. Cur vocamus Deum, *Patrem nostrum*, initio huius orationis?

& ipsam ineffabilem lucem veritatis, non motu corporum significantes, sed puritate mentis haurientes. Nam fortasse & propterea panis dictus est, non potus, quia panis frangendo atque mandendo, in alimentum convertitur; sicut Scripturæ aperiendo, & disserendo animam pascunt: potus vero paratus, sicuti est, transit in corpus: ut isto tempore panis sit veritas, cum quotidianus panis dicitur: tunc autem potus, cum nullo labore disputandi, & sermocinandi, quasi frangendi atque mandendi, opus erit, sed solo haustu sinceræ & perspicuæ veritatis. Et peccata nunc nobis dimittuntur, & nunc dimittimus; quæ harum quatuor reliquarum secunda petitio est: tunc autem nulla erit venia peccatorum; quia nulla peccata. Et tentationes temporalem istam vitam infestant: non autem erunt, cum
Ps. xxx. 21. perfectum erit quod dictum est: *Abscondes eos in abscondito vultus tui*. Et malum a quo liberari optamus, & ipsa liberatio a malo ad hanc utique vitam pertinet, quam & iustitia Dei mortalem meruimus, & unde ipsius misericordia liberamur.

(E) S. Aug. *Serm.* 17. *alias* 28. *ex homil.* 50. *cap.* 5. *num.* 5. Propter ipsa peccata humana, & tolerabilia, & tanto crebriora, quanto minora, constituit Deus in Ecclesia tempore misericordiæ prærogandæ quotidianam medicinam, ut di-
Matth. vi. 12. camus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: ut his verbis lota facie ad altare accedamus, & his verbis lota facie corpore Christi & sanguine communicemus.

Serm. 181. *alias* 29. *de verbis Apost. cap.* 6. *num.* 8...., Mortifera peccata, quæ uno ictu perimunt. Talia non facit bonæ fidei, & bonæ spei Christianus: sed illa sola, quæ quotidiano orationis penicillo terguntur. Humiles & devoti di-
Ibid. camus quotidie: *Dimitte nobis debita nostra*: sed si faciamus quod sequitur, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Sponsio hæc cum Deo, vera sponsio & fixa conditio est.... Prorsus oremus, ut Deus dimittat: sed faciamus quod dicitur, dimittamus & nos debitoribus nostris. Cum dimittimus, & dimittitur nobis. Quotidie dicimus hoc, & quotidie facimus, & quotidie fit in nobis. Non hic sumus sine peccato, sed exibimus hinc sine peccato.

Serm. 213. *alias de tempore* 191. *in tradit. Symboli* 2. *c.* 8 *num.* 8.... Quoniam victuri sumus in isto seculo, ubi quis non vivit sine peccato, ideo remissio peccatorum non est in sola ablutione sacri baptismatis, sed etiam in oratione Dominica & quotidiana, quam post octo dies accepturi estis. In illa invenietis quasi quotidianum baptismum vestrum, ut agatis Deo gratias, qui donavit hoc munus Ecclesiæ suæ, quod confitemur in Symbolo: ut cum diximus, *Sanctam Ecclesiam*, adiungamus, *remissionem peccatorum*. *Hæc alibi passim*. *In Symbol. Apost.*

Enchirid. cap. 71. *num* 19. De quotidianis autem brevibus levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum est enim dicere, *Pater noster qui* *Matth. vi. 9.*
es in cælis, qui iam Patri tali regenerati sunt ex aqua & Spiritu. Delet omnino hæc oratio minima, & quotidiana peccata: delet & illa, a quibus vita fidelium etiam scelerate gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit: si quemadmodum veraciter dicitur, *Dimitte nobis* *Ibid. 12.*
debita nostra, quoniam non desunt quæ dimittantur; ita veraciter dicatur, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: id est, si fiat quod dicitur; quia & ipsa eleemosyna est, veniam petenti homini ignoscere.

Cap. 78. *num* 21. *versus finem* Propter hæc atque huiusmodi peccata, & alia, licet iis minora, quæ fiunt verborum & cogitationum offensionibus, Apostolo Iacobo confitente ac dicente: *In multis e-* *Iacob III. 2.*
nim offendimus omnes: oportet, ut quotidie crebroque oremus Dominum, atque dicamus, *dimitte nobis debita nostra*: nec *Matth. vi. 12.*
in eo quod sequitur mentiamur, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*,

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. IV. §. I.

R. 1. Ut benevolentiam Dei nobis conciliemus, invocantes Deum, non ut dominum servi, sed ut patrem filii.

2 Ut ipsa consideratio adoptionis divinæ, cuius participes sumus per gratiam, moveat nos ad orandum cum fiducia, & ad reddendam paterno erga nos amori mutuam grati animi vicem. Ne quid faciamus indignum tali ac tanta caritate Dei nostri (F).

(F) S. Cyprian. *De arat. Domin. pag.* 100 *versus finem.* Ante omnia pacis doctor atque unitatis magister, singillatim noluit & privatim precem fieri, ut quis cum precatur, pro se tantum precetur. Non enim dicimus, Pater meus qui es in cælis; nec Panem meum da mihi hodie; nec dimitti sibi tantum unusquisque debitum postulat; aut ut in tentationem non inducatur, atque a malo liberetur, pro se solo rogat. Publica est nobis, & communis oratio; & quando oramus, non pro uno, sed pro toto populo oramus; quia totus populus unum sumus. Deus pacis & concordiæ magister qui docuit unitatem, sic orare unum pro omnibus voluit, quomodo in uno omnes ipse portavit. Hanc orationis legem servaverunt tres pueri in camino ignis inclusi; consonantes in prece, & spiritus consensione concordes. Quod declarat Scripturæ divinæ fides, & dum docet quomodo oraverint tales, dat exemplum quod imitari in precibus debeamus, ut tales esse possimus. Daniel. III. 51. *Tunc illi tres*, inquit *quasi ex uno ore hymnum canebant, & benedicebant Dominum.* Loquebantur quasi ex uno ore, & nondum illos Christus in carne visus docuerat orare, & idcirco orantibus fuit impetrabilis & efficax sermo; quia promerebatur Dominum pacifica, & simplex, & spiritalis oratio. Sic & Apostolos cum discipulis post ascensum Act. I. 14. Domini invenimus orasse. *Erant*, inquit, *perseverantes omnes unanimes in oratione cum mulieribus, & Maria, quæ fuit Mater Iesu, & fratribus eius.* Perseverabant in oratione unanimes; orationis suæ & instantiam simul & concordiam de- Ps. LXVII. 7. clarantes. Quia Deus, *qui inhabitare facit unanimes in domo*, non admittit in divinam, & æternam domum, nisi eos Matth. VI. 9. apud quos est unanimis oratio *Sic*, ait, *orate: Pater noster qui es in cælis.* Homo novus, renatus & Deo suo per eius gratiam restitutus, *Pater*, primo in loco Ioann. I. 11. & 12. dicit, quia filius esse iam cœpit: *In sua*, inquit, *propria venit & sui eum non receperunt. Quotquot autem eum receperunt, dedit illis potestatem, ut filii Dei fierent, his qui credunt in nomine eius.* Qui ergo credidit in nomine eius, & factus est Dei filius, hinc debet incipere, ut & gratias agat, & profiteatur se Dei filium, dum nominat Patrem sibi esse in cælis Deum. Contestetur quoque inter prima nativitatis suæ verba renunciasse se terreno & carnali patri, & Patrem solum nosse se & habere cœpisse qui sit in cælis, sicut scriptum est: Deut. XXXIII. 6. *Qui dicunt patri & matri, Non novi te, & filios suos non agnoverunt: Hi custodierunt præcepta tua, & testamentum tuum servaverunt.* Item Dominus in Evangelio suo præcepit, ne vocemus nobis patrem in terra, quod sit scilicet nobis Matth. XXIII. 9. *unus Pater qui est in cælis*, & discipulo qui mentionem defuncti patris fecerat, Matth. VIII. 22. Luc. IX. 60. respondit: *Sine, mortui mortuos suos sepeliant.* Dixerat enim patrem suum mortuum, cum sit credentium Pater vivus. Nec hoc solum, fratres dilectissimi, animadvertere, & intelligere debemus, quod appellemus Patrem, qui sit in cælis; sed coniungimus & dicimus, *Pater noster*, id est, eorum qui credunt, eorum qui per eum sanctificati, & gratiæ spiritalis nativitate reparati, filii Dei esse cœperunt. Quæ vox Iudæos etiam perstringit & percutit, qui Christum sibi per Prophetas annunciatum & ad se prius missum, non tantum infideliter spreverunt, sed &. crudeliter necaverunt: qui iam non possunt Patrem Deum vocare, cum Dominus eos confundat & redarguat, dicens: Ioan. VIII. 44. *Vos de diabolo patre nati estis, & concupiscentias patris vestri facere vultis. Ille enim homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit, quia veritas non est in illo.* Et per Isaiam Prophetam Deus clamat indignans: Isai. I. 2. & seq. *Filios genera vi & exaltavi: ipsi autem me spreverunt. Agnovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israel autem me non cognovit, & populus meus me non intellexit. Væ gens peccatrix, populus plenus*

Digitized by Google

I. Cur dicimus *Pater noster*, non *Pater mi*, etiam cum privatim recitamus illam orationem?

R. 1. Ut intelligamus nos, quod in illa oratione petimus, non pro nobis solis, sed pro universa Ecclesia petere, cuius omnes membra sumus (G).

2. Ut hinc nobis constet, qua caritate diligendus sit proximus, cuius necessitates non secus ac nostras debemus offerre Deo, ut dignetur & ipsis opem ferre.

3. Ut vel ditissimus quisque Christianorum advertat habere se Patrem eumdem cum pauperibus, & ignobilibus; atque ita moveatur ad ferendam ipsis ceu fratribus opem (H).

I. Cur addidit Christus hæc verba, *Qui es in cælis*, cum Deum ubique esse certissimum sit?

R. 1. Quia cælum, utpote pars nobilior universi, sedes Dei dicitur in Scripturis. Deus enim suam ibi gloriam, suas perfectiones magnificentius ostendit.

2. Ut discamus ipsi sursum in cælis habere cor, illucque toto mentis desiderio ferri, ubi habitat Pater noster, & dat suis filiis hereditatem & mirabilia operatur in sanctis suis (I).

---

peccatis, semen nequam, filii scelesti. Dereliquistis Dominum, & in indignationem misistis illum sanctum Israel. In quorum exprobrationem Christiani quando oramus, *Pater noster* dicimus; quia noster esse cœpit, & Iudæorum, qui eum reliquerunt, esse desiit: nec peccator populus potest esse filius; sed quibus remissa peccatorum datur, eis filiorum nomen adscribitur; eis & æternitas repromittitur, Domino ipso dicente: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati: servus autem non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum.* Quanta autem Domini indulgentia, quanta circa nos dignationis eius & bonitatis ubertas; qui sic nos voluerit orationem celebrare in conspectu Dei, ut Deum Patrem vocemus, & ut est Christus Dei Filius, sic & nos Dei filii nuncupemur? Quod nomen nemo nostrum in oratione auderet attingere, nisi ipse nobis sic permisisset orare. Meminisse itaque, fratres dilectissimi, & scire debemus, quia quando Patrem Deum dicimus, quasi filii Dei agere debemus, ut quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, sic sibi placeat & ille de nobis. Conversemur quasi Dei templa, ut Deum in nobis constet habitare. Nec sit degener actus noster a Spiritu, ut qui cælestes ac spiritales esse cœpimus, non nisi spiritalia & cælestia cogitemus, & agamus quia & ipse Dominus Deus dixit: *Eos qui clarificant me, clarificabo, & qui me spernit, spernetur.* Beatus quoque Apostolus Paullus in Epistola sua posuit: *Non estis vestri; empti enim estis pretio magno: clarificate & portate Deum in corpore vestro.*

Ioan. VIII. 34. & 35.

1. Reg II. 30.

1. Cor. VI. 20.

S. Aug. *Supra huiusce §. litt.* (B) & (C)

(G) Tertull. *supra huiusce §. litt.* (B) S. Cyprian & S Aug. *Ibidem.*

(H) *Vide ibidem, litt* (C) S. Aug. *lib.* 2. *de Serm. Domini in monte, cap.* 4. *num.* 16.

(I) S. Aug *Lib.* 2 *de Serm. Domini in monte, cap.* 5. *num.* 17. Utatur ergo voce novi Testamenti populus novus, ad æternam hereditatem vocatus, & dicat: *Pater noster qui es in cælis*: id est, in sanctis & iustis Non enim spatio locorum continetur Deus: sunt enim cæli excellentia quidem mundi corpora, sed tamen corpora, quæ non possunt esse nisi in loco: sed si in cælis tamquam in superioribus locus Dei esse creditur, melioris meriti sunt aves, quorum vita est Deo vicinior. Non autem scriptum est: Prope est Dominus excelsis hominibus, aut eis qui in montibus habitant; sed scriptum est: *Prope est Dominus obtritis corde:* quod magis pertinet ad humilitatem. Sed quemadmodum terra appellatus est peccator, cum ei dictum est,

Ps. XXXIII. 19.

§. 2. *Explicantur singulæ petitiones orationis Dominicæ*

I. PETITIO. *Sanctificetur nomen tuum.*

I. His verbis, *Sanctificetur nomen tuum* petimusne accedere nomini Dei novum aliquem gradum sanctitatis?

R. Nequaquam; Deus enim & sanctitatem & ceteras omnes perfectiones in summo gradu complectitur, nec quidquam de integro habere potest. Hoc ergo petimus, ut nomen Dei cognoscatur, honoretur, colatur ab omnibus hominibus, sicut in cælo colitur ab angelis (A).

Hinc sequitur his verbis petere nos a Deo:

Gen. III. 19. *Terra es, & in terram ibis:* sic cælom iustos e contrario dici potest. Iustis e-
1.Cor. III. 17. nim dicitur: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Quanropter si in templo suo habitat Deus, & Sancti Templum eius sunt; recte dicitur, *qui es in cælis*, qui es in Sanctis. Et accommodatissima ista similitudo est, ut spiritaliter tantum interesse videatur inter iustos & peccatores, quantum corporaliter inter cælum & terram.

Num. 18 ... Et ideo qui visibilibus adhuc pulcritudinibus dediti sunt, nec possunt aliquid incorporeum cogitare; quoniam necesse est cælum præferant terræ; tolerabilior est opinio eorum, si Deom, quem adhuc corporaliter cogitant, in cælo potius credant esse qoam in terra: ut cum aliquando cognoverint dignitatem animæ celeste etiam corpos excedere, magis eum quærant in anima, quam in corpore etiam cælesti; & cum cognoverint quantum distet inter peccatorum animas & iustorum, sicut non audebant, cum adhuc carnaliter saperent, eum in terra collocare, sed in cælo; sic postea, meliori fide vel intelligentia magis eum in animis iustorum, quam in peccatorum requirant. Recte ergo intelligitur, quod dictum est: *Pater noster qui es in cælis*, in cordibus iustorum esse dictum, tamquam in templo sancto suo. Simul etiam ut qoi orat, in se quoque ipso velit habitare quem invocat: & cum hoc affectat teneat iustitiam; quo munere invitatur ad inhabitandum animum Deus.

(A) TERTUL. *de orat Dom. Cap* 3. (*Nomen Dei*) *ut sanctificetur* postulamus: non quod deceat homines bene Deo optare, quasi sit & alius de quo ci possit optari; aut laboret nisi optemus. Plane benedici Deum omni loco ac tempore condecet ob debitam semper memoriam beneficiorum eius ab omni homine: sed & hoc benedictionis vice fungitur. Ceterum quando non sanctum & sanctificatum est per semetipsum nomen Dei, cum ceteros sanctificet ex semetipso? Cui illa Angelorum circumstantia non cessant dicere, *sanctus, sanctus, sanctus*. Proinde igitur & nos Angelorum si meminerimus, candidati iam hinc cælestem illam in Deum vocem, & officium futuræ claritatis ediscimus. Hoc quantum ad gloriam Dei. Alioquin quantum ad nostram petitionem, cum dicimus, *sanctificetur nomen tuum*, id petimus, ut sanctificetur in nobis, qui in illo somos: simul & in ceteris, quos adhuc gratia Dei exspectat, ut & huic præcepto pareamos, orando pro omnibus, etiam pro inimicis nostris. Ideoque suspensa enuntiatione non dicentes, Sanctificetur in nobis, in omnibus dicimus.

S. AUG. *Lib.* 2. *de serm. Dom. in monte, cap* 5 *num* 19. Iam videamus, quæ sint petenda. Dictum est enim quis sit qui petitur, & ubi habitet. Primum autem omnium quæ petuntur hoc est, *sanctificetur nomen tuum*. Quod non sic petitur, quasi non sit sanctum nomen Dei, sed ut sanctum habeatur ab hominibus; id est, ita illis innotescat Deus, ut non existiment aliquid sanctius, quod magis offendere timeant. Neque enim, quia dictum est: *Notus in Iudæa Deus, in* Ps. LXXV. 2.
Israel magnum nomen eius; sic intelligendum est, quasi alibi minor sit Deus, alibi maior: sed ibi magnum est nomen eius, ubi pro suæ maiestatis magnitudine nominatur. Ita ibi dicitur sanctum

PARS III. SECT. II. CAP. IV. §. 2.

1. Ut omnes fidei lumine destituti adducantur ad cognitionem veritatis, & convertantur ad Deum.

2. Ut hæreses omnes extinguantur, & schismata comprimantur, & ad unitatem Ecclesiæ redeant omnes hæretici, & schismatici.

3. Ut deleantur prorsus omnia crimina, quibus nomen Dei polluitur, & ignominia afficitur inter homines.

4. Ut peccatores omnes ex animo pœnitentiam agant.

5. Ut studium virtutis homines omnes amplectantur.

6. Ut nos ipsi nihil loquamur, agamus nihil, quod indignum sit adoptione filiorum Dei, cuius iam primitias accepimus, & consummationem exspectamus.

7. Ut omnes omnino Christiani novos in dies progressus faciant in via sanctitatis, & tandem usque in finem perseverent (B).

I. Cur petimus a Deo ut sanctificetur nomen eius?

---

nomen eius, ubi cum veneratione & offensionis timore nominatur.

Epist. 130. *alias* 121. *ad Probam cap.* 11. *num.* 11. *Vide superius §.* 1. *huiusce capitis litt.* (B)

Serm. 58. *alias Homil* 42. *ex homiliis* 50. *cap.* 2. *num.* 3. *Sanctificetur nomen tuum*, dicimus, *veniat regnum tuum*, Sanctificatio nominis Dei est, qua efficimur nos sancti: nam nomen ejus semper est sanctum.

Serm. 56. *alius* 48. *de diversis*, *cap.* 4. *num.* 4. Verba ergo quæ Dominus noster Iesus Christus in oratione docuit, forma est desideriorum. Non tibi licet petere aliud, quam quod ibi scriptum est.

Matth. VI. 9. *Num.* 5. *Vos ergo*, inquit, *dicite*, *Pater noster qui es in cælis*. Ubi vos (videtis) Deum Patrem habere cœpistis. Sed habebitis, cum nati fueritis. Quamquam & modo antequam nascamini, illius semine concepti estis, tamquam utero Ecclesiæ in fonte pariendi. *Pater noster, qui es in cælis*. Mementote vos Patrem habere in cælis. Mementote vos de patre Adam natos in mortem, de Patre Deo regenerandos ad vitam. Quæ & dicitis, in cordibus vestris dicite. Sit orantis affectus, & erit exaudientis effectus. *Sanctificetur nomen tuum* Quid rogas, ut sanctificetur nomen Dei? Sanctum est. Quid rogas, quod iam sanctum est? Deinde cum rogas, ut sanctificetur nomen ipsius, nonne quasi pro illo illum rogas, & non pro te? Intellige, & pro te rogas, Hoc enim rogas, ut quod semper sanctum est in se, sanctificetur in te. Quid est *sanctificetur*? Sanctum habeatur, non contemnatur. Ergo vides, quia cum optas, tibi bonum optas. Tibi enim malum est, si contemseris nomen Dei, non Deo.

Serm. 57. *alius* 9. *de diversis*, *cap.* 4. *num.* 4. Ideo *Sanctificetur nomen tuum*, dictum est. Hoc etiam ab illo petimus, ut sanctificetur nomen eius in nobis: nam semper est sanctum. Quomodo autem sanctificatur nomen eius in nobis, nisi dum nos efficit sanctos? Nos enim fuimus non sancti, & per nomen eius efficimur sancti; ipse autem semper sanctus, & nomen ipsius semper sanctum. Pro nobis rogamus, non pro Deo. Non enim bene optamus Deo, cui nihil mali potest aliquando evenire: sed optamus nobis bonum, ut sanctificetur sanctum nomen eius: quod semper sanctum est, sanctificetur in nobis,

Lib 3. *Locut. de Levit. num.* 54. *Et sanctificabor in medio filiorum Israel*, quod est, sanctus habebor: neque enim Dominus, etiam præter filios Israel non est sanctus. Eo sensu dictum est & in oratione Dominica, *sanctificetur nomen tuum*, id est, sanctum habeatur ab hominibus. Levit. XXII. 32.

(B) S. CYPRIANUS *de orat. Dominica*, *pag.* 102..... Dicimus *sanctificetur nomen tuum*. Non quod optemus Deo, ut sanctificetur orationibus nostris; sed quod petamus ab eo, ut nomen eius sanctificetur in nobis. Ceterum a quo Deus san- Matth. VI. 9.

ctificetur, qui ipse sanctificat? Sed quia *Levit. xx. 7.* ipse dixit: *Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum*, id petimus & rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus perseveremus, & hoc quotidie deprecamur. Opus est enim nobis quotidiana sanctificatione; ut qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus. Quæ autem sit sanctificatio, quæ nobis de Dei dignatione confertur, Apostolus prædi- *1. Cor. vi. 9. 10. & 11.* cat dicens: *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum appetitores, neque fures, neque fraudatores, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores, regnum Dei consequentur. Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed iustificati estis in nomine Domini Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Sanctificatos nos dicit in nomine Domini Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri. Hæc sanctificatio, ut in nobis permaneat oramus: & quia Dominus & iudex noster sanato a se & iustificato *Ioan. v. 14.* comminatur iam non delinquere, ne quid ei deterius fiat, hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus postulamus, ut sanctificatio & vivificatio, quæ de Dei gratia sumitur, ipsius protectione servetur.

S. Aug. *de correptione & gratia, cap. 6. num. 10....* Nos negare quidem non possumus, etiam perseverantiam in bono proficientem usque in finem, magnum esse Dei munus: nec esse nisi ab illo, de *Iac. i. 17.* quo scriptum est: *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Sed non ideo est eius qui non perseveraverit, negligenda correptio, ne forte det illi Deus pœnitentiam, & resipiscat de diaboli laqueis. Correptionis quippe utilitati hanc sententiam subiunxit Apostolus, dicens, *2. Tim. ii. 25.* sicut supra commemoravi: *Cum modestia corripientem diversa sentientes, ne quando det illis Deus pœnitentiam.* Nam si dixerimus istam perseverantiam tam laudabilem, tamque felicem sic esse hominis, ut ei non sit ex Deo, illud primitus evacuamus, quod ait Dominus *Luc. xxii. 32.* Petro: *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* Quid enim ei rogavit, nisi perseverantiam usque in finem? Quæ profecto si ab homine homini esset, a Deo poscenda non esset. Deinde cum dicit *2. Cor. xiii. 7.* Apostolus: *Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali*; procul dubio perseverantiam eis orat ad Deum. Neque enim nihil mali facit, qui bonum deserit; & a quo declinare debet, inclinatur in malum, non perseverans in bono. Illo etiam loco, ubi dicit: *Gratias ago Deo meo in* *Philip. i. 3. & seq.* *omni memoria vestri semper in omni prece mea pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens, super communione vestra in Evangelio a prima die usque nunc: confidens hoc ipsum, quoniam qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu:* quid aliud eis quam perseverantiam in bono usque in finem, de Dei miseratione promittit? Itemque ubi dicit: *Salutat vos Epaphras, qui ex* *Coloss. iv. 12.* *vobis est, servus Christi Iesu, semper certans pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei*; quid est, *ut stetis*, nisi ut perseveretis? Unde dictum est de diabolo, *in veritate* *Ioan. viii. 44.* *non stetit*; quia fuit ibi, sed non permansit. Non utique isti in fide iam stabant. Nec aliud oramus, cum oramus, ut qui stat stet, nisi ut perseveret. Item Iudas Apostolus, cum dicit: *Est autem* *Iud. 24.* *qui potens est conservare vos sine offensione, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in lætitia*: nonne apertissime ostendit donum Dei esse, in bono perseverare usque in finem? Quid enim aliud donat, qui conservat sine offensione, ut constituat ante conspectum gloriæ suæ, immaculatos in lætitia, nisi perseverantiam bonam? Quid est etiam quod in Apostolorum Actibus legimus: *Audientes autem gentes gavisæ sunt, &* *Act. xiii. 48.* *exceperunt verbum Domini, & crediderunt quotquot erant ordinati in vitam æternam!* Quis in vitam æternam potuit ordinari, nisi perseverantiæ dono! Quandoquidem *qui perseveraverit usque in fi-* *Matth. x. 22.* *nem, hic salvus erit.* Qua salute, nisi æterna? Cum vero in oratione Dominica Deo Patri dicimus, *sanctificetur nomen* *Ibid. vi. 9.* *tuum*, quid aliud dicimus, quam ut nomen eius sanctificetur in nobis? Quod cum iam per lavacrum regenerationis effectum sit, quare quotidie a fidelibus poscitur, nisi ut in eo quod factum est in nobis, perseveretur a nobis? Nam & beatus Cyprianus hoc sic intelligit: exponens quippe hanc eamdem orationem, *Dicimus*, inquit, &c..... Ecce gloriosis- *V. de supra baicelius.(B)* simus Martyr hoc sentit, quod in his verbis quotidie fideles Christi petunt, ut perseverent in eo quod esse cœperunt. Nullo autem dubitante, quisquis a Do-

Pars III. Sect. II. Cap. IV. §. 2.

R. Petitionis huius sicut & ceterarum omnium quibus constat oratio Dominica, principium est fides cui si accedat *Caritas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta*, longe perfectior est petitio. Cum enim inest in homine caritas eiusmodi, 1. Deum perfectius diligit, adeoque peroptat illum ab omnibus cognosci, coli, amari. 2. Seipsum diligit, ut par est; adeoque vult omnino Deum cognoscere, colere, adorare. 3. Proximum diligit sicut seipsum; adeoque idem vult & peroptat proximo, quod sibi.

I. Qui ergo blasphemiis, imprecationibus aliisque criminibus nomen Dei afficiunt iniuria & dedecore, illi non possunt hanc primam orationis Dominicæ petitionem pronunciare?

R. Si sine ullo pœnitentiæ ac religionis sensu petitionem illam pronuncient, videant ne ipsi ex ore suo iudicentur. Aliud enim agunt, aliud orant, aliud loquuntur. Ipsa sua oratione profitentur velle se nomen Dei coli & sanctificari ab omnibus; & tamen illud ipsum nomen ipsi polluere non verentur, nec pudet.

I. Quid ergo facto opus, ut ex animo fieri possit hæc petitio, *Sanctificetur nomen tuum?*

R. Id exprimendum opere quod voce. Id agendum ut & nos ipsi colamus, & veneremur sanctum Dei

---

mino ut in bono perseveret precatur, donum eius esse talem perseverantiam confitetur.

De dono perseverantiæ, ad Prosper. & Hilar. cap. 2. *num.* 2. Videamus utrum hæc perseverantia, de qua dictum est:
Matth. x. 22. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, donum sit Dei. Quod si non sit, quomodo verum est, quod Apostolus ait:
Philip. 1. 29. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo:* Horum quippe unum pertinet ad initium, alterum ad finem: utrumque tamen est Dei donum, quia utrumque dictum est donatum.

Num. 3. Cur autem perseverantia ista poscitur a Deo, si non datur a Deo? An & ista irrisoria petitio est?.... O homo non verborum tuorum tantom, verum etiam cogitationom testis est Deus: si aliquid a tanto divite veraciter ac fideliter poscis; ab illo, a quo poscis, te accipere crede quod poscis. Noli eum labiis honorare, & super eum corde te extollere, credens a te ipso tibi esse, quod ab illo te fingis orare. An ab illo perseverantia ista forte non poscitur? Iam hoc qui dicit, non meis disputationibus refellendus, sed sanctorum orationibus onerandus est. An vero quisquam eorum est, qui non sibi poscat a Deo, ut perseveret in eo, cum ipsa oratione, quæ Dominica nuncupatur, quia eam Dominus docuit, quando oratur a sanctis, nihil pene aliud quam perseverantia posci intelligatur?

Num. 4. *Postquam supra allata S. Cypriani verba exscripsit, ex his infert:* In sanctificatione igitur perseverantiam, hoc est, ut in sanctificatione perseveremus, nos ab eo petere iste doctor intelligit, cum sanctificati dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*. Quid est enim aliud petere quod accepimus, nisi ut id quoque nobis præstetur, ne habere desinamus? Sicut ergo sanctus, cum Deum rogat, ut sanctus sit, id utique rogat, ut sanctus esse permaneat: ita utique & castus, cum rogat ut castus sit; continens, ut continens sit; iustus, ut iustus: pius, ut pius; & cetera quæ contra Pelagianos dona Dei esse defendimus, hoc sine dubio petunt, ut in eis perseverent bonis, quæ se accepisse noverunt. Quod si accipiunt, profecto, & ipsam perseverantiam magnum Dei donum, quo cetera dona eius conservantur, accipiunt.

nomen dictis & factis, & ceteri, quantum in nobis est, dictis & factis colant & venerentur.

II. Petitio. *Adveniat regnum tuum.*

I. Quid petimus a Deo his verbis, *Adveniat Regnum tuum?*

R. Id petimus ut regnet Deus in nobis, & in ceteris hominibus, quemadmodum in Angelis regnat.

Hinc sequitur id nos petere his verbis:

1. Ut summum Dei imperium omnes omnino homines agnoscant ipsique ex animo subiiciantur.

2. Ut omnes iusti paternam Dei erga se providentiam & protectionem experiantur; & confundantur vel convertantur omnes, qui persequuntur eos iniuste.

3. Ut Ecclesia Dei per totum orbem effundatur, & destructo imperio dæmonis & peccati, absorbeatur mors in victoria Christi.

4. Ut Christus solus regnet in nostris & omnium hominum cordibus; & hoc agat per gratiam suam ut regnet in nobis iustitia, & pax, & sanctitas.

5. Ut dignetur vocare nos olim in consortium regni sui in patria cælesti.

6. Ut veniat dies in qua Christus iudicaturus est vivos & mortuos, & palam triumphaturus, postquam posuerit inimicos suos scabellum pedum suorum, ut dicitur in Scripturis (C).

(C) Psal. cix. 1. Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Tertull. *De orat. cap. 5. Veniat quoque regnum tuum*, ad id pertinet, quod & *Fiat voluntas tua*, in nobis scilicet. Nam Deus quando non regnat, in cuius manu cor omnium regum est? Sed quidquid nobis optamus, in illum auguramur; & illi deputamus, quod ab illo exspectamus. Itaque si ad Dei voluntatem, & ad nostram suspensionem pertinet regni Dominici repræsentatio, quomodo quidam protractum quemdam seculo postulant; cum regnum Dei, quod ut adveniat oramus, ad consummationem seculi tendat? Optamus maturius regnare, & non diutius servire. Etiamsi præfinitum in oratione non esset de postulando regni adventu, ultro eam vocem protulissemus festinantes ad spei nostræ complexum. Clamant ad Dominum invidia animæ Martyrum sub altari: *Quoniam usque non ulcisceris, Domine, sanguinem nostrum, de incolis terræ?* (Apocal. vi. 10) Nam utique ultio illorum a seculi fine dirigitur. Immo quam celeriter veniat, Domine, regnum tuum, votum Christianorum, confusio nationum, exsultatio Angelorum, propter quod conflictamur, immo potius propter quod oramus.

S. Cypr. *De orat. Dom.* Sequitur in oratione: *Adveniat regnum tuum.* Regnum etiam Dei repræsentari nobis petimus; sicuti & nomen eius ut in nobis sanctificetur postulamus. Nam Deus quando non regnat? aut apud eum quando incipit, quod & semper fuit, & esse non desinit? Nostrum regnum petimus advenire a Deo nobis repromissum, Christi sanguine & passione quæsitum; ut qui in seculo ante servivimus, postmodum Christo dominante regnemus, sicut ipse pollicetur, & dicit: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* (Matth. xxv. 34.) Potest vero, fratres dilectissimi, & ipse Christus esse regnum Dei, quem venire quotidie cupimus, cuius adventus, ut cito nobis repræsentetur, optamus. Nam cum resurrectio ipse nostra sit, quia in ipso resurgemus: sic & regnum Dei potest ipse intelligi, quia in illo regnaturi sumus. Bene autem regnum Dei petimus, id est, regnum cæleste, quia est & terrestre regnum. Sed qui renunciavit iam

seculo; maior est & honoribus eius, & regno; & ideo qui se Deo & Christu dedicat, non terrena, sed cælestia regna desiderat. Continua autem oratione & prece opus est, ne excidamus a regno cælesti, sicut Iudæi, quibus hoc prius promissum fuerat, exciderunt, Domino manifestante, & probante: *Multi*, inquit, *venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum; Filii autem regni expellentur in tenebras exteriores: illic erit ploratio & stridor dentium.* (Matth. viii. 11. & 12.) Ostendit quia ante filii regni Iudæi erant, quando & filii Dei esse perseverabant: Postquam cessavit circa illos nomen paternum, cessavit & regnum. Et ideo Christiani, qui in oratione appellare Patrem Deum cœpimus, nos & ut regnum Dei nobis veniat, oramus.

S. Augustin. *de Serm. Dom. in monte, lib. 2. cap. 6. num.* 20. Deinde sequitur *Adveniat regnum tuum.* (Ibid. vi. 10.) Sicut ipse Dominus in Evangelio docet, tunc futurum esse iudicii diem, cum Evangelium prædicatum fuerit in omnibus gentibus: quæ res pertinet ad sanctificationem nominis Dei. Non enim & hic ita dictum est, *Adveniat regnum tuum*, quasi nunc Deus non regnet. Sed forte quis dicat, *adveniat* dictum esse in terram. Quasi vero non etiam ipse nunc regnet in terra, semperque in ea regnaverit a constitutione mundi. *Adveniat* ergo accipiendum est, manifestetur hominibus. Quemadmodum enim etiam præsens lux absens est cæcis, & eis qui oculos claudunt: ita Dei regnum, quamvis numquam discedat de terris, tamen absens est ignorantibus. Nulli autem licebit ignorare regnum Dei, cum eius Unigenitus non solum intelligibiliter, sed etiam visibiliter in homine Dominico (*Lege* Deo *ex* 1. *Retractat. cap* 19. *num.* 5.) de cælo venerit iudicaturus vivos & mortuos. Post quod iudicium, id est, cum discretio & separatio iustorum ab iniustis facta fuerit, ita inhabitabit iustos Deus, ut non opus sit quemquam doceri per hominem, sed sint omnes, ut scriptum est: *Docibiles Deo.* (Isai. liv. 13. Joan. vi. 45.) Deinde beata vita omni ex parte perficietur in sanctis in æternum, sicuti nunc cælestes Angeli sanctissimi atque beatissimi, solo Deo illustrante, sapientes & beati sunt: quia & hoc promisit Dominus suis: *In resurrectione erunt*, inquit, *sicut Angeli in cælis.* (Matth. xxii. 30.)

Lib. de Dono perseverantiæ, cap. 2. num. 5. Quid cum dicimus, *veniat regnum tuum* (Ibid. vi. 10.), num aliud poscimus, nisi ut veniat & nobis, quod esse venturum non dubitamus omnibus sanctis? Ergo & hic, qui iam sancti sunt, quid orant nisi ut in ea sanctitate, quæ illis data est, perseverent? Neque enim aliter eis veniet regnum Dei, quod non aliis, sed his qui perseverant usque in finem, certum est esse venturum.

Serm. 56. alias de diversis 48. in Matth. vi. de orat. Dom. cap. 4. num. 6. Veniat regnum tuum. (Vers. 10.) Cui dicimus? Et si non petamus, non est venturum regnum Dei? De illo enim regno dicitur, quod erit post finem seculi. Nam regnum semper habet Deus, & numquam est sine regno, cui servit universa creatura. Sed quod regnum optas? De quo scriptum est in Evangelio: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio seculi.* (Ibid. xxv. 34.) Ecce de quo dicimus, *veniat regnum tuum*: ut in nobis veniat, optamus; ut in illo inveniamur, optamus. Nam ecce veniet: sed quid tibi prodest, si ad sinistram te invenerit? Ergo & hic tibi bene optas, pro te oras. Hoc desideras, hoc cupis orando, ut sic vivas, quomodo ad regnum Dei, quod est omnibus sanctis dandum, pertineas. Ergo, ut bene vivas, tibi oras, cum dicis, *veniat regnum tuum*. Pertineamus ad regnum tuum: veniat & nobis quod venturum est sanctis & iustis tuis.

Serm 57. alias de diversis 9. in Matth. vi. de orat. Dom cap. 5 num. 5. *Veniat regnum tuum.* Petamus, non petamus, venire habet. Habet quidem regnum Deus sempiternum. Quando enim non regnavit? Quando regnare cœpit? Quando regnum eius initium non habet, nec finem habebit. Sed ut sciatis, quia & hoc pro nobis oramus, non pro Deo: (non enim sic dicimus, *veniat regnum tuum*, quasi optantes, ut regnet Deus:) regnum ipsius nos erimus, si in illum credentes in eo profecerimus. Omnes fideles redempti sanguine Unici ipsius, erunt regnum ipsius. Venturum est autem ipsum regnum, cum facta fuerit resurrectio mortuorum: tunc enim veniet ipse. Et cum resurrexerint mortui, dividet eos, sicut ipse dicit, & ponet alios ad dexteram, alios ad sinistram. Dicet eis, qui ad dexteram erunt: *Ve-* (Matth. xxv. 34.)

nite benedicti Patris mei, percipite regnum. Hinc est, quod optamus & rogamus, quando dicimus, *veniat regnum tuum*, ut nobis veniat. Nam si nos reprobi fuerimus, illud regnum aliis venturum est, non nobis: si autem in eo numero fuerimus, qui pertinent ad membra unigeniti Filii eius, nobis veniet regnum eius; & non tardabit. Numquid enim secula tanta restant, quanta transierunt? Apostolus Ioannes dixit: *Filioli, novissima hora est*. Sed pro ipso die magno longa est hora: & ipsa hora novissima videte quot annos ducat. Tamen sic vobis sit quasi qui vigilet, dormiat, surgat, & regnet. Modo vigilemus, morte dormiemus, in fine resurgemus, sine fine regnabimus.

(Ibid. 41. — I. Ioan. II. 18.)

Serm. 58. alias 42. inter hom. 50. in Matth. VI. de orat. Dom. cap. 2. num 3. Dicimus *veniat regnum tuum*.... Optamus etiam venire regnum eius: veniet etsi nolumus; sed optare & orare, ut veniat regnum eius, nihil est aliud, quam optare ab illo, ut dignos nos faciat regno suo, ne forte, quod absit, veniat, & non nobis veniat. Multis enim non est venturum, quod tamen venturum est. Eis enim venturum est, quibus dicetur: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*: illis non veniet, quibus dicetur: *Discedite a me maledicti in ignem æternum*. Cum ergo dicimus, *veniat regnum tuum*; oramus ut nobis veniat. Quid est ut nobis veniat? Ut bonos nos inveniat. Hoc ergo oramus, ut bonos nos faciat: tunc enim nobis veniet regnum eius.

(Vers. 10. — Matth. XXV. 34. — Ibid. 41.)

In Epist. Ioan. cap. 4. Tract. 9. num. 2..... Cœpit aliquis credere diem iudicii: si cœpit credere, cœpit & timere. Sed quia timet adhuc, nondum habet fiduciam in die iudicii, nondum est in illo perfecta caritas. Numquid tamen desperandum est? In quo vides initium, cur desperas finem? Quod initium video, inquis? Ipsum timorem. Audi Scripturam: *Initium sapientiæ timor Domini*. Cœpit ergo timere diem iudicii: timendo corrigat se; vigilet adversus hostes suos, id est adversus peccata sua; incipiat reviviscere interius; & mortificare membra sua, quæ sunt super terram, sicut Apostolus dicit: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram*. Spiritalia nequitiæ dicit membra super terram: nam sequitur & exponit, *avaritiam, immunditiam*, & cetera, quæ illic exsequitur. Quantum autem mortificat iste, qui timere cœpit diem iudicii, membra sua super terram tantum surgunt, & corroborantur membra cælestia. Membra autem cælestia, omnia opera bona. Surgentibus cælestibus membris, incipit desiderare quod timebat. Timebat enim ne veniret Christus, & inveniret impium, quem damnaret: desiderat ut veniat, quia inventurus est pium, quem coronet. Iam cum cœperit desiderare venientem Christum casta anima, quæ desiderat amplexus sponsi, renuntiat adultero; sit virgo interius ipsa fide, spe, & caritate. Habet iam fiduciam in die iudicii: non contra se pugnat quando orat, & dicit: *Adveniat regnum tuum*. Qui enim timet ne veniat regnum Dei, timet ne exaudiatur. Quomodo orat qui timet ne exaudiatur? Qui autem orat cum fiducia caritatis, optat iam ut veniat. De ipso desiderio dicebat quidam in Psalmo: *Et tu Domine usquequo? Convertere, Domine, & erue animam meam*. Gemebat se differri. Sunt enim homines, qui cum patientia moriuntur: sunt autem quidam perfecti, qui cum patientia vivunt. Quid dixi? Qui adhuc desiderat istam vitam, quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem: luctatur adversum se, ut sequatur voluntatem Dei; & hoc potius agit animo, quod elegit Deus, non quod eligit voluntas humana; & ex desiderio vitæ præsentis fit lucta cum morte; & adhibet patientiam & fortitudinem ut æquo animo moriatur: iste patienter moritur. Qui autem desiderat, sicut dicit Apostolus, *dissolvi & esse cum Christo*, non patienter moritur; sed patienter vivit, delectabiliter moritur. Vide Apostolum patienter viventem, id est, cum patientia hic non amare vitam sed tolerare. *Dissolvi*, inquit, *& esse cum Christo multo magis optimum; manere autem in carne necessarium propter vos*. Ergo, Fratres, date operam, intus agite vobiscum, ut desideretis diem iudicii. Aliter non probatur perfecta caritas, nisi cum cœperit ille dies desiderari. Illo autem eum desiderat, qui fiduciam habet in illo: ille autem fiduciam habet in illo, cuius conscientia non trepidat in caritate perfecta atque sincera.

(Eccli 1. 16. — Coloss. III. 5. — Matth. VI. 10. — Ps. VI. 4. & 5. — Philip. I. 23.)

Epist. 130. alias 121. ad Probam cap. 11. num. 21. Vide superius §. 1. huiusce cap. litt. (B)

Pars III Sect. II. Cap. IV. §. 2.

I. Qua fronte ergo peccatores, quos peccati nullatenus pudet, nec pœnitet, hoc audent petere a Deo ut adveniat regnum Christi & Dei, cum ipsi nihil aliud agant, quam ut regnet in ipsis cupiditas,& totis viribus obnitantur ne Christus regnet in suis ceterorumque hominum cordibus?

R. Næ illos sua ipsa oratio condemnat. Orant voce tenus, ut adveniat regnum Dei in se: agunt omnino ne adveniat.

I. Cur priori petitioni, ut sanctificetur nomen Dei, hanc alteram subiicimus, ut adveniat regnum eius?

R. Quia regnum Christi in nobis, sive per gratiam in præsenti vita, sive per gloriam in futura, finis est petitionis, qua rogamus, ut nomen Dei tum in nobis, tum in aliis sanctificetur.

III. Petitio. *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra.*

I. Quid petimus a Deo his verbis, *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra?*

R. Petimus hoc a Deo nobis tribui, ut quemadmodum angeli ceterique beati, Deo in cælis adhærentes, divinam eius adimplent voluntatem; ita & nos in terris Deo ex animo constanter adhærendo, eamdem voluntatem impleamus.

I. Voluntatis Dei nomine quid intelligis?

R. Illud intelligo, 1. quod vult Deus a nobis fieri.

2. Quod Deus ineffabili sua providentia disponit circa varios rerum eventus, sive illi ad nos spectent, sive ad alios.

I. Quid vult Deus a nobis fieri?

R. Hæc est voluntas Dei, 1. ut fugiamus eius,quæ in mundo est,concupiscentiæ corruptionem; ut ne sequamur desideria carnis; ut vincamus omni ex parte libidines.

2. Ut abstineamus ab omni peccato, & de præteritis agamus pœnitentiam.

3. Ut sectemur omne bonum; & virtutes omnes amplectamur.

4. Ut ad quod nos vocat Deus vitæ genus & institutum, id suscipiamus, ubi non obscura divinæ vocationis argumenta nobis innotuerint.

5. Ut in qua vocatione vocati sumus, in ea permaneamus, eiusque rite obeamus munera & officia.

6. Ut exemplis, precibus, adhortationibus adducamus, quantum in nobis est, proximum, ad faciendam Dei voluntatem.

Uno verbo hæc est voluntas Dei sanctificatio nostra; ut Deum & proximum diligendo salvemur, & alios, quod in nobis est, adiuvemus ad salutem consequendam (D).

Hac ergo explicatione præhabita, iam liquido constat his verbis, *Fiat voluntas tua*, hanc nobis & proximo nostro gratiam postulari, ut Deo in omnibus obsequentes aptemur ad omne opus bonum, & sancte impleamus omnia Christianæ vitæ præcepta, sive illa quæ ad omnes omnino, sive illa quæ ad quosdam *Hebr. xiii. 21.*

(D) 1. Thessal. iv. 4. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra.

solum, habita ratione conditionis, pertinent, sive illa quæ singularia dici possunt. De his omnibus iam supra egimus. *2. Part. Sect. 1. Cap. 2. §. ult.*

I. Iam alteram expende huius petitionis partem, quam superius dixisti in eo positam esse, ut subiiciamur voluntati Dei in iis, quæ spectant ad varios rerum eventus, qui divina providentia diriguntur?

R. Quidquid accidit in rerum natura, id Deo iubente vel permittente fieri certissima fide constat, ut iam alibi probavimus.

His ergo verbis *Fiat voluntas tua*, id petimus, ut circa illa quæ varie accidunt id volimus, id & proximus velit, quod divina providentia ordinaverit.

Quæ autem varie accidunt, ea vel prospera nobis sunt, vel adversa.

In prosperis, huius orationis, *Fiat voluntas tua*, is sensus est, ut agamus gratias Deo, simulque ab eo supplices petamus, ut si nobis id noxium fore indicaverit quod nobis arridet, hoc propitius a nobis avertat. Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio nostra. Quidquid ergo obest saluti, id & voluntati Dei adversatur. Cum ergo petimus ut fiat voluntas Dei, id consequenter petimus ut avertat Deus a nobis quidquid alienum fore a salute nostra iudicaverit.

In adversis, huius orationis, *Fiat voluntas tua*, is sensus est. PARS III. SECT. II. CAP. IV. §. 2.

1. Nos subiici Deo exemplo Christi dicentis Patri: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* *Matth. XXVI. 39.*

2. Nos gratias agere Deo semper & in omnibus, etiam in adversis, agnoscentes in iis amicam manum Patris sævientis ad filiorum correctionem (E).

3. Nos id supplices a Deo petere ut his flagellis temporalibus eruditi *a noxiis quoque vitiis abstinentes*, & a terrenarum rerum cupiditatibus abstracti *facilius cœlestia capiamus*.

I. Cur petimus a Deo hanc gratiam, ut illius voluntati subiiciamur in omnibus?

R. Quia habemus in membris nostris legem repugnantem legi Dei, ut ait Apostolus; nec liberari possumus a servitute legis illius, quæ est in membris nostris, nisi per gratiam Christi. Eo usque sumus infirmi & fragiles, ut nisi Deo adiuvante nec possimus subiici legi Dei, nec in ea subiectione perseverare. *Rom. VII. 23.*

I. Cur postquam diximus Deo, *Adveniat regnum tuum*, statim nec prius subiicimus ista, *Fiat voluntas tua*, &c.?

R. Quia, ut Christus regnet in nobis, & nos consortes efficiat regni sui, necesse est nos ipsius subiectos esse imperio, ipsius fecisse in omnibus voluntatem.

(E) HEBRAE. XII. 5..... Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseverate. Tamquam filiis vobis offert se Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filii estis. Deinde patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, & vivemus? *Prov. III. 11. Apoc. III. 19*

Pars III Sect. II Cap. IV. §. 2.

I. Est ergo nexus aliquis inter tres illas priores orationis Dominicæ petitiones?

R. Patet illa connexio evidenter ex dictis. Petimus 1. sanctificari a nobis nomen Dei, Ut id fiat, petimus 2. venire in nos regnum Dei. Ut autem regnare possit Deus in cordibus nostris, hoc tertio loco petimus, ut voluntati Divinæ subiiciamur in omnibus (F).

(F) Tert. *de orat. cap.* 4. Secundum hanc formam subiungimus, *fiat voluntas tua in cælo & in terra*: (Matt. vi. 10.) non quod aliquis obsistat quominus voluntas Dei fiat, & ei successum voluntatis suæ oremus; sed in omnibus petimus fieri voluntatem eius. Ex interpretatione enim figurata carnis & spiritus, nos sumus cælum & terra. Quamquam etsi simpliciter intelligendum est, idem tamen est sensus petitionis, ut in nobis fiat voluntas Dei in terris, ut possit scilicet fieri & in cælis. Quid autem Deus vult, quam incedere nos secundum suam disciplinam? Petimus ergo substantiam & facultatem voluntatis suæ subministret nobis, ut salvi simus & in cælis & in terris; quia summa est voluntatis eius, salus eorum quos adoptavit. Est & illa Dei voluntas, quam Dominus administravit prædicando, operando, sustinendo. Sic enim (Ioan. vi. 38.) ipse pronuntiavit, non suam, sed Patris facere se voluntatem. Sine dubio quæ faciebat, ea erant voluntas Patris, ad quæ nunc nos velut ad exemplaria provocamur, ut & prædicemus, & operemur, & sustineamus ad mortem usque. Quæ ut implere possimus, opus est Dei voluntate. Item dicentes: *Fiat voluntas tua*, vel eo nobis bene optamus, quod nihil mali sit in Dei voluntate, etiamsi quid pro meritis cuiusque secus inrogatur. Iam hoc dicto ad sufferentiam nosmetipsos præmonemus. Dominus quoque cum sub instantiam passionis infirmitatem carnis demonstrare iam in sua carne voluisset, (Marc. xiv. 36. Luc. xxii. 42.) *Pater*, inquit, *transfer poculum istud*. Et recordatus, *nisi quod mea non, sed tua fiat voluntas*. Ipse erat voluntas & potestas Patris, & tamen ad demonstrationem sufferentiæ debitæ voluntati se Patris tradidit.

S. Cypr. *de orat. Dom.* Addimus quoque & dicimus: (Matth. vi. 10.) *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, non ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit, quominus quod velit faciat? Sed quia nobis a diabolo obsistitur, quominus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur; oramus & petimus, ut fiat in nobis voluntas Dei: quæ ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est ope eius & protectione; quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia & misericordia tutus est. Denique & Dominus infirmitatem hominis, quem portabat ostendens, ait: *Pater si fieri potest, transeat a me Calix iste*. (Matth. xxvi 39.) Et exemplum Discipulis suis tribuens, ut non voluntatem suam, sed Dei faciant, addit dicens: *Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu*. (Ibid.) Et alio loco dicit: *Non descendi de cælo ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me*. (Ioan. vi. 38.) Quod si filius obaudivit, ut faceret Patris voluntatem: quanto magis servus obaudire debet, ut faciat Domini voluntatem. Sicut in Epistola sua Ioannes quoque ad faciendam Dei voluntatem hortatur & instruit dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis dilexerit mundum, non est caritas Patris in illo. Quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi, quæ non est a Patre, sed ex concupiscentia mundi: & mundus transibit, & concupiscentia eius. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in eternum*, (1. Ioan. ii. 15. & 16.) quomodo & Deus manet in æternum. Qui in æternum manere volumus, Dei qui æternus est, voluntatem facere debemus. Voluntas autem Dei est, quam Christus & fecit & docuit: Humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis: in factis iustitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina; iniuriam facere non nosse, & factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod Pater est, timere quod Deus est; Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis quidquam ille præposuit; caritati eius inseparabiliter adhærere, cruci eius fortiter ac fidenter adsistere; quando de eius nomine & honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, qua confitemur;

Digitized by Google

in quæstione fiduciam, qua congredimur; in morte patientiam, qua coronamur: hoc est coheredem Christi esse velle, hoc est præceptum Dei facere, hoc est voluntatem Patris adimplere. Fieri autem petimus voluntatem Dei ut in cælo & in terra; quod utrumque ad consummationem nostræ incolumitatis pertinet & salutis. Nam cum corpus e terra, & spiritum possideamus e cælo, ipsi terra & cælum sumus; & in utroque, id est, & corpore, & spiritu, ut Dei voluntas fiat, oramus. Est enim inter carnem & spiritum colluctatio, & discordantibus adversus se invicem quotidiana congressio; ut non quæ volumus ipsa faciamus, dum spiritus cælestia & divina quærit, caro terrena & secularia concupiscit: & ideo petimus impense inter duo ista, ope & auxilio Dei concordiam fieri: ut dum & in spiritu & in carne voluntas Dei geritur, quæ per eum renata est anima servetur. Quod aperte atque manifeste Apostolus Paulus sua voce de-
Galat. v. 17. & seq. clarat: *Caro*, inquit, *concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem: hæc enim invicem adversantur sibi, ut non quæ vultis ipsa faciatis. Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt adulteria, fornicationes, immunditiæ, spurcitiæ, idololatriæ, veneficia, homicidia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, provocationes, simultates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax, magnanimitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas.* Et idcirco quotidianis, immo continuis orationibus hoc precamur, & in cælo & in terra voluntatem circa nos Dei fieri: quia hæc est voluntas Dei, ut terrena cælestibus cedant, spiritalia & divina prævaleant.

Potest & sic intelligi, Fratres dilectis-
Matth. v. 44. simi, ut quoniam mandat & monet Dominus etiam inimicos diligere, & pro iis quoque qui nos persequuntur orare; petamus & pro illis qui adhuc terra sunt, & necdum cælestes esse cœperunt, ut & circa illos voluntas Dei fiat, quam Christus hominem conservando & redintegrando perfecit. Nam cum Discipuli ab eo non jam terra appellentur, sed
Ibid. 13. *sal terræ*; & Apostolus primum hominem vocet de terræ limo, secundum vero de cælo; merito & nos qui esse debemus Patri Deo similes, (*qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos,*) sic Christo monente oramus & petimus, ut precem pro omnium salute faciamus; ut quomodo in 1 Cor. xv. 47. Matth. v. 45.
cælo, id est in nobis per fidem nostram voluntas Dei facta est, ut essemus e cælo; ita & in terra, hoc est, in illis non credentibus fiat voluntas Dei, ut qui adhuc sunt prima nativitate terreni, incipiant esse cælestes, ex aqua & Spiritu nati.

S. AUGUST. *De serm. Dom. in monte, Lib. 2 cap. 6. num. 21.* Post illam petitionem, qua dicimus: *Adveniat regnum tuum*, sequitur: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*; id est, Sicut est in Angelis, qui sunt in cælis, voluntas tua ut omnimodo tibi adhæreant, teque perfruantur, nullo errore obnubilante sapientiam eorum, nulla miseria impediente beatitudinem eorum, ita fiat in sanctis tuis, qui in terra sunt, & de terra, quod ad corpus attinet, facti sunt, & quamvis in cælestem habitationem atque immutationem, tamen de terra assumendi sunt. Ad hoc respicit etiam illa Angelorum prædicatio: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: ut cum præcesserit bona voluntas nostra, quæ vocantem sequitur, perficiatur in nobis voluntas Dei, sicuti est in cælestibus Angelis; ut nulla adversitas resistat nostræ beatitudini, quod est pax. Item *Fiat voluntas tua*, recte intelligitur, obediatur præceptis tuis; *Sicut in cælo & in terra*, id est, sicut ab Angelis, ita ab hominibus. Nam fieri voluntatem Dei, cum obtemperatur præceptis ejus, ipse Dominus dicit, cum ait: *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus, qui me misit*; & sæpe: *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit*: & cum ait: *Ecce mater mea, & ecce fratres mei.* & : *Quicumque fecerit voluntatem Dei, hic mihi est frater, & mater, & soror.* Qui ergo faciunt voluntatem Dei, in illis utique fit voluntas Dei: non quia ipsi faciunt ut velit Deus; sed quia faciunt quod ille vult, id est, faciunt secundum voluntatem ejus. Luc. II. 14. Joan. IV. 34. Joan. VI. 38. Matth. XII. 49 & 50.

Num. 22. Est etiam ille intellectus: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, sicut in sanctis & justis, ita etiam

PARS III. SECT. II. CAP. IV. §. 2.

in peccatoribus. Quod adhuc duobus modis accipi potest; sive ut oremus etiam pro inimicis nostris: (quid enim sunt aliud habendi, contra quorum voluntatem christianum & catholicum nomen augetur:) ita ut dictum sit: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, tamquam si diceretur: Faciant voluntatem tuam sicut iusti, ita etiam peccatores, ut ad te convertantur. Sive ita: *Fiat voluntas tua sicut in celo & in terra*, ut sua cuique tribuatur: quod fiet extremo iudicio, ut iustis præmium, peccatoribus damnatio retribuatur, cum agni ab hœdis separabuntur. Matth. xxv. 33.

Num. 23. Ille etiam non absurdus, immo & fidei & spei nostræ convenientissimus intellectus est, ut cælum & terram accipiamus, spiritum & carnem. Et quoniam dicit Apostolus: *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati*; Rom. vii. 25. videmus factam voluntatem Dei in mente, id est in spiritu: *Cum autem absorpta fuerit mors in victoriam, & mortale hoc induerit immortalitatem*, quod fiet carnis resurrectione, atque illa immutatione quæ promittitur iustis, secundum eiusdem Apostoli prædicationem; fiat voluntas Dei & in terra, sicut in cælo; id est, ut quemadmodum spiritus non resistit Deo, sequens & faciens voluntatem eius; ita & corpus non resistat spiritui vel animæ, quæ nunc corporis infirmitate vexatur, & in carnalem consuetudinem prona est: quod erit summæ pacis in vita æterna, ut non solum velle adiaceat nobis, sed etiam perficere bonum, *Nunc enim velle*, inquit, *adiacet mihi, perficere autem bonum, non*: quia nondum in terra sicut in cælo, id est, nondum in carne sicut in spiritu facta est voluntas Dei. Nam & in miseria nostra fit voluntas Dei, cum ea patimur per carnem quæ nobis mortalitatis iure debentur, quam peccando meruit nostra natura: sed id orandum est, ut sicut in cælo, ita & in terra fiat voluntas Dei; id est ut quemadmodum corde condelectamur legi secundum interiorem hominem, ita etiam corporis immutatione facta, huic nostræ delectationi nulla pars nostra terrenis doloribus seu voluptatibus adversetur.

1. Cor. xv. 54.

Rom. vii. 18.

Ibid. 22.

Num. 24. Nec illud a veritate abhorret, ut accipiamus: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, sicut in ipso Domino nostro Iesu Christo, ita & in Ecclesia; tamquam in viro qui Patris voluntatem implevit, ita & in femina quæ illi desponsata est. Cælum enim & terra convenienter intelligitur, quasi vir & femina; quoniam terra cælo fecundante fructifera est.

De dono perseverantiæ cap. 3. num. 6. Matth. vi. 10.
Tertia petitio est: *Fiat voluntas tua in cælo & in terra*, vel quod in plerisque codicibus legitur, magisque ab orantibus frequentatur: *Sicut in cælo & in terra*: quod plerique intelligunt, sicut sancti Angeli, & nos faciamus voluntatem tuam. Vult autem ille Doctor & Martyr, cælum & terram intelligi spiritum & carnem; & hoc nos orare, ut voluntatem Dei te utraque concordante faciamus. Vidit in his verbis & alterum sensum sanissimæ fidei congruentem.... ut scilicet pro infidelibus, qui sunt adhuc in terra, terrenum tantum hominem prima nativitate portantes, orare intelligantur fideles; qui cælesti homine induti, non immerito cæli nomine nuncupantur. Ubi evidenter ostendit, & initium fidei esse donum Dei, quando non tantum pro fidelibus ut augeatur in eis vel perseveret fides, verum etiam pro infidelibus, ut habere incipiant eam quam penitus non habebant, & contra quam corda insuper inimica gestabant, sancta orat Ecclesia. Verum nunc non de initio fidei.... sed de illa quæ habenda est usque in finem perseverantia disputamus, quam petunt utique etiam sancti, qui faciunt voluntatem Dei, dicentes in oratione: *Fiat voluntas tua*. Cum enim iam facta sit in eis, cur ut fiat adhuc petunt, nisi ut perseverent in eo quod esse cœperunt? Quamvis hic dici possit, non petere sanctos, ut voluntas Dei fiat in cælo, sed ut fiat in terra sicut in cælo, ut terra scilicet imitetur cælum, id est, ut homo Angelum, vel infidelis fidelem: ac per hoc id sanctos poscere, ut sit quod nondum est, non ut perseveret quod est. Quantalibet enim homines sanctitate præpolleant, nondum sunt æquales Angelis Dei: nondum ergo sicut in cælo in eis fit voluntas Dei. Quod si ita est, in ea quidem parte qua optamus, ut homines ex infidelibus fiant fideles, non perseverantia, sed initium videtur orari; in ea vero qua optamus, ut homines in faciendа voluntate Dei æquentur Angelis Dei, cum hoc orant sancti, perseveran-

S. Cyprian.

tiam demonſtrantur orare; quoniam nemo pervenit ad illam ſummam, quæ in regno eſt, beatitudinem, niſi in ea ſanctitate quam ſumſit in terra, perſeveraverit uſque in finem.

Verſ. 10. *Serm.* 56. *alias de diverſis* 48. *in Matth.* VI. *de orat. Dom. cap.* 5. *num.* 7. *Fiat voluntas tua.* Si non illud tu dicas, non faciet Deus voluntatem ſuam? Memento quod in Symbolo reddidiſti: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Si omnipotens eſt, cur oras, ut fiat voluntas eius? Quid eſt ergo: *Fiat voluntas tua?* Fiat in me, ut non reſiſtam voluntati tuæ. Ergo & hic pro te oras, & non pro Deo. Fiet enim voluntas Dei in te, etſi non fit a te. Nam & quibus dicturus eſt:
Matth. XXV. 34. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi*, fiet in illis voluntas Dei, ut iuſti & ſancti accipiant regnum: & quibus
Ibid. 41. dicturus eſt: *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius*, fiet in illis voluntas Dei, ut mali damnentur in ignem ſempiternum. Aliud eſt, ut fiat a te. Ut ergo fiat in te non ſine cauſſa oras, niſi ut bene ſit tibi. Sive ergo bene ſit tibi, ſive male ſit tibi, fiet in te: ſed fiat & a te. Quare ergo dico: *Fiat voluntas tua in cælo & in terra;* & non dico: Fiat voluntas tua a cælo & a terra? Quia quod fit a te, ipſe facit in te. Numquam fit a *te*, quod non ipſe facit in te, ſed aliquando facit in te, quod non fit a te: numquam autem aliquid fit a te, ſi non facit in te.

Num. 8. Quid eſt autem: *In cælo & in terra*, vel, *ſicut in cælo & in terra?* Faciunt Angeli voluntatem tuam, faciamus & nos. *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra:* Mens cælum eſt, caro terra eſt. Quando dicis, ſi tamen dicis, quod
Rom. VII. 25. ait Apoſtolus: *Mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati;* fit voluntas Dei, in cælo, ſed nondum in terra. Cum
1. Cor. XV. 54. vero menti conſenſerit, *& abſorpta fuerit mors in victoriam*, ut nulla deſideria carnalia remaneant cum quibus mens confligat, cum tranſierit rixa in terra, cum tranſierit bellum cordis, cum tranſ-
Gal. V. 7. ierit quod dictum eſt: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem: hæc enim invicem adverſantur, ut non ea quæ vultis faciatis.* Cum ergo hoc bellum tranſierit, omniſque concupiſcentia in caritatem fuerit commutata, nihil in corpore remanebit quod ſpiritui reſiſtat, nihil quod dometur, nihil quod frenetur, nihil quod calcetur; ſed totum per concordiam perget ad iuſtitiam, fiet voluntas Dei in cælo & in terra. *Fiat voluntas tua in cælo & in terra.* Perfectionem optamus, quando hoc oramus. Item: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra.* In Eccleſia ſpiritales cælum ſunt, carnales terra ſunt. *Fiat* ergo *voluntas tua, ſicut in cælo & in terra*, ut quomodo tibi ſerviunt ſpiritales, ſic tibi mutati in melius ſerviant & carnales. *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra.* Eſt & alius ſenſus pius valde. Moniti enim ſumus orare pro inimicis noſtris. Eccleſia, cælum eſt; inimici Eccleſiæ, terra ſunt. Quid eſt ergo: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra?* Credant inimici noſtri, quomodo & nos in te credimus: fiant amici, finiant inimicitias. Terra ſunt, ideo nobis adverſantur: cælum fiant, & nobiſcum erunt.

PARS III. SECT. II. CAP. IV. §. 2.

Serm. 57. *alias de diverſis* 9. *in Matth.* VI. *de Orat. Dom. c.* 6. *num.* 6.... Tertio petimus: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, ita & in terra.* Et hoc nobis bene optamus. Nam voluntas Dei neceſſe eſt ut fiat. Voluntas Dei eſt, ut regnent boni, damnentur mali. Numquid poteſt iſta voluntas non fieri? Sed quid nobis bene optamus, quando dicimus: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, ita & in terra?* *Verſ.* 10. Audite. Multis enim modis hæc petitio intelligi poteſt, & multa ſunt cogitanda in iſta petitione: quando rogamus Deum: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, ita & in terra:* Quomodo te non offendunt Angeli tui, ſic te non offendamus & nos. Iterum quomodo intelligitur, *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, ita & in terra?* Sancti omnes Patriarchæ, omnes Prophetæ, omnes Apoſtoli, ſpiritales omnes tamquam cælum ſunt Deo: nos autem in comparatione ipſorum terra ſumus: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, ita & in terra;* ſicut in illis, ita & in nobis. Item: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo ita & in terra:* Eccleſia Dei cælum eſt, inimici eius terra ſunt. Bene optamus inimicis noſtris, ut credant & ipſi, & fiant Chriſtiani: & fiat voluntas Dei, ſicut in cælo, ita & in terra. Item: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, ita & in terra:* Spiritus noſter cælum eſt, caro terra. Quomodo innovatur ſpiritus noſter credendo,

sic caro innovetur resurgendo: & fiat voluntas Dei, sicut in cælo, ita & in terra. Item mens nostra, qua videmus veritatem, & condelectamur ipsi veritati, cælum est. Ecce cælum: *Condelector legi* (Rom. vii. 22.) *Dei secundum interiorem hominem*. Quid est terra? *Video aliam legem in membris* (Ibid. 23.) *meis, repugnantem legi mentis meæ*. Quando ista pugna transierit, & concordia plena carnis & spiritus facta fuerit, fiet voluntas Dei, sicut in cælo ita & in terra. Quando petitionem istam dicimus, omnia ista cogitemus, & omnia ista a Patre petamus. Omnia autem ista, carissimi, tria quæ diximus, tres petitiones istæ ad vitam æternam pertinent. Quod enim sanctificatur in nobis nomen Dei nostri, æternum erit. Quod regnum ipsius veniet, ubi semper vivemus, æternum erit. Quod voluntas eius fit, sicut in cælo, ita & in terra, omnibus modis, quos exposui, æternum erit.

Serm. 58. *alias* 42. *inter homil.* 50. *in Matth.* vi. *de Orat. Dom. c.* 3 *num.* 4. (verſ. 10.) Addimus; *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, ita & in terra*. Serviunt tibi Angeli in cælo, nos serviamus tibi in terra. Non te offendunt Angeli in cælo, non te offendamus in terra. Quomodo illi faciunt voluntatem tuam, sic faciamus & nos. Et hic quid oramus, nisi ut boni simus? Quando enim facimus voluntatem Dei, (nam ipse sine dubio facit suam,) tunc fit voluntas eius in nobis. Et aliter bene intelligimus: *Fiat voluntas tua sicut in cælo, ita & in terra*. Accipimus præceptum Dei, & placet nobis, placet menti nostræ. (Rom. vii. 22.) *Condelectamur* enim *legi Dei secundum interiorem hominem*. Tunc fit voluntas eius in cælo. Cælo enim comparatur spiritus noster, terræ autem caro nostra. Quid est ergo: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, ita & in terra?* Ut quomodo menti nostræ placet tua iussio, sic ei consentiat caro nostra; & tollatur rixa illa de medio, quæ describitur ab Apostolo: (Galat. v. 7.) *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem*. Quando contra carnem concupiscit spiritus, iam facta est voluntas eius in cælo: quando contra spiritum non concupiscit caro, iam facta est voluntas eius in terra. Erit autem plena concordia, quando ipse voluerit: sit modo pugna, ut possit esse victoria. Etiam sic bene intelligi potest: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, ita & in terra:* ut cælum ponamus Ecclesiam, quia portat Deum; terram autem infideles, quibus dictum est, *Terra es, & in terram ibis*. (Gen. iii. 19.) Quando ergo oramus pro inimicis nostris, inimicis Ecclesiæ, inimicis nomini Christiano, hoc oramus, ut fiat voluntas eius, *sicut in cælo, ita & in terra*; id est, sicut in tuis fidelibus, sic & in tuis blasphematoribus; ut omnes cælum fiant.

Lib. 2. *contra Maximinum Arianum, alias* 3. *cap.* 20. *num.* 3. Non ergo voluntatem suam fecit; quia peccatum non fecit: sed voluntatem fecit illius qui eum misit. Tunc enim facit homo voluntatem Dei, quando facit iustitiam, quæ ex Deo est.

In Psal. xxxi. *Enarrat.* 2. *num.* 26 *& ultimo*. Ecce tu volebas vivere, non volebas tibi aliquid accidere; sed Deus aliud voluit: duæ voluntates sunt; sed voluntas tua corrigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei detorqueatur ad tuam. Prava est enim tua, regula est illa: stet regula ut quod pravum est, ad regulam corrigatur. Videte quomodo hoc docet Dominus Iesus Christus: *Tristis* (Matth. xxvi. 38 & 39.) *est anima mea usque ad mortem*: & : *Pater si fieri potest, transeat a me calix iste*. Ecce ostendit humanam voluntatem: sed vide rectum cor: *Verum non non quod ego volo sed quod tu vis, Pater*. Hoc ergo fac, gaudeos in his quæ tibi accidunt: & si venerit dies ille ultimus, gaude; aut si surripit humanæ cuiusdam voluntatis fragilitas, cito dirigatur in Deum; ut sis in eis quibus dicitur, *gloriamini omnes recti corde*. (verſ. 12.)

Enarrat. in Ps. xxxv. *num* 16 Illi sunt recti corde qui sequuntur in hac vita voluntatem Dei. Voluntas Dei est aliquando ut sanus sis, aliquando ut ægrotes: si quando sanus es, dulcis est voluntas Dei, & quando ægrotas, amara est voluntas Dei; non recto corde es. Quare? Quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, sed Dei vis curvare ad tuam. Illa recta est, sed tu curvus: voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curvanda est ad te: & rectum habebis cor. Bene est in hoc seculo, benedicatur Deus, qui consolatur; laboratur in seculo, benedicatur Deus, quia emendat & probat, & eris recto corde, dicens: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo*. (Ps. xxxiii. 2.)

Enarrat. in Ps. xliv. *vers.* 7. *num.* 17. *Virga directionis, virga regni tui*. Directionis

Digitized by Google

IV. Petitio. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

I. Quid petimus a Deo his versibus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?* Matth. vi 11.

R. Petimus a Deo, ut det nobis quotidie, quod necesse est ad salutem animæ & corporis.

---

virga est, quæ dirigit homines. Curvi erant, distorti erant: sibi regnare cupiebant, se amabant, facta sua mala diligebant; non voluntatem suam Deo subdebant; sed voluntatem Dei ad suas concupiscentias flectere volebant. Ita enim peccator & iniquus plerumque Deo, quia non placet; & non vult sibi Deum irasci, quia fluit. Et ad hoc propemodum sedent quotidie homines, ut disputent contra Deum: Hoc facere debuit, hoc non bene fecit. Tu videlicet vides quid facias, ille nescit? Distortus tu es, ille rectus est. Distortum ad rectum quando coniungis? Collineari non potest. Tamquam si in pavimento æquali ponas lignum curvum; non adiungitur, non cohæret, non coaptatur pavimento; pavimentum ubique æquale est: sed illud curvum est, non coaptatur æquali. Ergo Dei voluntas æqualis est, tua curva est: propterea tibi curva videtur illa, quia tu illi coaptari non potes: dirige ad illam te, ne illam velis curvare ad te; quia non potes, frustra conaris: illa semper directa est. Vis illi hærere? Corrigere. Erit virga ipsius qui te regit, virga directionis.

Enarrat. in Ps. LXIII *vers* 11. *n.* 18.. Qui sunt recti corde? Qui omnia quæcumque in hac vita patiuntur, non ea tribuunt insipientiæ, sed consilio Dei ad medicinam suam, nec præsumunt de iustitia sua, ut putent se iniuste pati quod patiuntur, aut ideo esse Deum iniustum, quia non plura patitur qui plus peccat. Videte fratres... Aliquid sentis, sive secundum corpus, sive secundum dispendium rei familiaris, sive per orbitatem aliquam carissimorum tuorum: noli respicere eos quos nosti iniquiores te.... ut displiceat tibi consilium Dei.... Sine curare: novit quid agat, qui vulnus novit. Patere ergo quidquid pateris recto corde: novit Deus quid tibi donet, quid tibi subtrahat. Quod tibi donat, ad consolationem valeat, non ad corruptionem: & quod tibi subtrahit, ad tolerantiam valeat, non ad blasphemiam. Si autem blasphemas, & displicet tibi Deus & tu tibi places, perverso corde & distorto es: & hoc peius, quia cor Dei vis corrigere ad cor tuum, ut hoc ille faciat quod tu vis, cum tu debeas facere quod ille vult. Quid ergo? Vis detorquere cor Dei, quod semper rectum est, ad pravitatem cordis tui? Quanto melius ad rectitudinem Dei corrigis cor tuum? Nonne hoc te docuit Dominus tuus, de cuius passione modo loquebamur? Nonne infirmitatem tuam portabat, quando dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem?* Matth. xxvi. 38. Nonne te ipsum in se figurabat, cum dicebat: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste?* ibid. 39. Non enim duo corda & diversa Patris & Filii: sed in forma servi portavit cor tuum, ut doceret illud exemplo suo... Non consentit Deus cordi tuo, consenti tu cordi Dei. Audi vocem ipsius: *Verum non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater.* Ibid.

S. Hilarius *in Ps.* cxxxiv. *num.* 22. *Domine, nomen tuum in seculum* vers. 13. Numquid a nobis optandum hoc Deo est, aut æterna virtus eget voto nostro, ut maneat in æternum? Ut in nobis potius maneat, optandum est. Sicuti cum dicimus: *Adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra;* Matth. vi. 10. non utique hæc Deo proveniant optamus: ut sanctificetur, qui sanctus est: ut voluntas sua fiat, cuius factum in voluntate est. Nostræ hæc potius rei vota sunt, ut per egregia fidei nostræ opera nomen eius sanctificetur in nobis: Ait enim: *Estote sancti, quoniam ego sanctus sum:* Levit. xi. 44. ut in nos regnum eius adveniat. & digni æterno regno per indultam nobis æternitatis substantiam simus: quia spes vitæ est confiteri regnum eius; & dicenti sibi latroni: *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum*, respondit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso:* Luc. xxiii. 42 & 43. ut sicuti voluntati eius in cælis ab indefessis & cælestibus virtutibus paretur, ita & a nobis in terra pareatur, ne corpora-

I. Cur illud *Panis* nomine significatur?

R. 1. Cum nihil sit magis ad vitam necessarium quam panis, hoc nomine Deus intelligi voluit quidquid ad vitam tum animæ tum corporis necesse est (G).

2. Hoc verbo significare voluit Christus, optanda & petenda esse necessaria, non superflua (H).

I. Cur additur ea vox, *Hodie?*

Matth. VI. 34.

R. Ut intelligamus, 1. quod ait Christus, *Nolite solliciti esse in crastinum; crastinus dies sollicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua.* Adeoque quotidie petendum, quod ad hanc diem sufficiat.

2. Vel ditissimo cuique petendum esse a Deo panem suum quotidianum, ad vitæ etiam temporalis sustentationem, non secus ac pauperioribus. Quo enim largiente divitiæ habentur, eodem Deo iubente possunt amitti: nec rarum est homines vel ditissimos ad extremam paupertatem devenire (I).

---

lis nos infirmitas ab exsequenda eius voluntate deflectat... ut nobis quoque nihil aliud in opere sit, per quod sanctificatur nomen eius; nihil aliud in spe, per quod & in nos regnum eius speramus; nihil aliud in voluntate, per quod ei æternæ a nobis laudes sunt deferendæ. Profectus hic voti nostri indigentiæ res est, ut nobiscum nomen eius maneat in æternum.

(G) GENES. III. 19. In sudore vultus tui vesceris pane, donec reverraris in terram, de qua sumptus es.

XVIII. 5. Ponamque buccellam panis, & confortate cor vestrum.

XXVIII. 20.... Si fuerit Deus mecum,... & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum:.. erit mihi Dominus in Deum.

PSALM. XIII. 4. Qui devorant plebem meam sicut escam panis?

XLI. 4. Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte.

LII. 5... Qui devorant plebem meam, ut cibum panis?

ISAI III. 7.... Non sum mendicus, & in domo mea non est panis.

IV. 1..., Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur

PROV. IX. 5. Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.

(H) PROV. XXX. 8.... Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria.

(I) 1. REG. II. 5. Repleti prius, pro panibus se locaverunt; & famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios infirmata est. Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat. Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem: ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ.

Deut. XXXII. 39. Tob. XIII. 2. Sap. XVI. 13.

IOB. I. 14. Nuntius venit ad Iob, qui diceret: Boves arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percusserunt gladio, & evasi ego solus ut nuntiarem tibi. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit: Ignis Dei cecidit e cælo, & tactas oves puerosque consumpsit, & effugi ego solus ut nuntiarem tibi. Sed & illo adhuc loquente, venit alius, & dixit: Caldæi fecerunt tres turmas, & invaserunt camelos & tulerunt eos, nec non pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus ut nuntiarem tibi. Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intravit, & dixit: Filiis tuis & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris tui primogeniti, repente ventus vehemens irruit a regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit quatuor liberos tuos, & mortui sunt; & effugi ego solus ut nuntiarem tibi.

BARONIUS *ad ann Christi* 561. *Tom.* 7. *pag* 473. *Edit. in fol. Rom. ann.* 1596. Hoc anno, trigesimo quinto Imperatoris Iustiniani mense novembri structas fuisse insidias ad occidendum ipsum Iusti-

3. Neminem ne perfectissimum quidem immunem esse a necessitate petendi panem quotidianum ad sustentationem animæ non secus ac peccatores vel flagitiosissimos.

4. Ut horum omnium intuitu humiliemur sub potenti manu Dei; & divinæ providentiæ nos omniaque nostra permittamus.

I. Cur vetuit Christus, ne solliciti simus in crastinum?

R. Ut subditi divinæ providentiæ, deponamus omnem anxiam curam circa temporalia.

I. Prohibeturne hoc Christi præcepto omnis cura & sollicitudo circa vitæ necessaria?

R. Non omnis cura & labor, sed sollicitudo solum anxia, & immodica ex diffidentia erga Deum profecta prohibetur. Quod ergo homines carnales & fide destituti agunt cum anxietate, & sollicitudine nimia, quia non ex fide, id Christiani debent agere cum fide, servato in omnibus ordine caritatis & iustitiæ, sine ulla perturbatione animi, omnem sollicitudinem proiicientes in Deum, quia ipsi cura est de nobis.

I. Quænam petimus a Deo sub *Panis* nomine necessaria corpori? Pars III. Sect. II. Cap. IV. §. 2.

R. Quidquid necesse est ad victum, ad vestitum & tectum.

I. Licet ergo isthæc desiderare & petere?

R. Licet, modo tamen ne excedantur limites necessitatis & iustitiæ; & sic ista petamus a Deo ut parati simus ad ferendam ultro horum privationem, si Deus voluerit. Et hæc quidem ratio est, cur non petamus a Deo panem nostrum quotidianum, nisi postquam præmisimus hanc petitionem, *Fiat voluntas tua*. *Matth.* vi. 10.

I. Cur Deus denegat quandoque servis suis necessaria corpori?

R 1. Ut probet eorum fidem. 2. Ut eos a mundi cupiditatibus abstrahat, & doceat cælestia sapere, non terrena. 3. Ut hac temporali inopia peccata eorum expientur, & deleantur. 4. Ut det locum exercendæ eorum patientiæ. 5. Ut coronentur magnificentius. Uno verbo, in hæc Deus paternam suam erga suos dilectionem exserit, maiorique eorum consulit bono (K).

---

nianum Augustum habet Miscellæ auctor. Cum, re detecta, in crimen adductus Belisarius pœnas dedit, bonis & dignitate exutus. Porro sequenti anno mense Martio dimissum fuisse Belisarium ea de caussa detentum, atque suis dignitatibus restitutum idem auctor affirmat: quem & post biennium Bizantii mortuum esse, Cedrenus tradit. Sed allucinantur Latini nonnulli, qui eum excæcatum, exutumque omnibus dignitatibus atque divitiis mendicare stipem fuisse coactum asserunt... Accipé de his imprimis Ioannis Græci auctoris Iambos.

Iste Belisarius Imperator magnus,
Iustinianeis exsistens temporibus Imperator:
Ad omnem quadrantem terræ cum explicuisset victorias,
Postea invidia excæcatus (o fortunam instabilem!
Poculum ligneum detinens clamabat plebi in stadio:
Belisario obulum date Imperatori
Quem fortuna quid.m cl.rum f[illegible] cæcavit invidia.

(K) S. Ioan. Chrysost. *ad* [illegible] *Demone vexatum lib.* 1. [illegible]

Pars III. Sect. II. Cap. IV §. 2.

dores (*Deus*) illi a dicere & labores (Adamo post peccatum) nihilominus otio & quieti natam est, quam hominis natura. Si enim his addicti, ne sic quidem peccare desistimus; quo scelerum progressa non esset audacia nostra si præter delicias otium nobis concessisset Deus? Omnia enim, inquit, *mala otiositas docuit*. (Eccli. xxxiii. 29.) Attendantur autem nostræ huic rationi & quæ quotidie fiunt, & quæ majoribus nostris contigerunt. *Sedit*, inquit, (Exod. xxxii. 6. Deut. xxxii. 15.) *populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*. Ac rursum; *Incrassatus est & impinguatus; & recalcitravit dilectus*. Consona his quoque beatus David loquitur, dicens: (Ps. lxxvii. 34.) *Cum occideret eos, tunc exquirebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum*. Ad Iudæos autem quoque per Ieremiam loquitur Deus: (Ier. vi. 8.) *Per omnia erudire, Ierusalem, ne recedat anima mea a te*. Quod autem non solum malis, verum & bonis humiliari atque incurvari salutare sit, rursum significat Propheta, cum dicit: (Ps. cxviii. 71.) *Bonum mihi Domine, quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas*. Post hunc & Ieremias hæc eadem, sed non eisdem verbis exclamat: (Thren. iii. 27. & 8.) *Bonum*, inquiens, *viro, cum portaverit iugum grave a iuventute sua: sedebit solitarius, & tacebit*. Et de se ipso Deum obsecrat dicens: (Ierem. xvii. 17.) *Non sis tu mihi parcens in alienationem in die mala*. Beatus item Paullus, qui tanta maiore gratiæ effulsit, tantumque naturam excessit humanam, boni tamen huius utilitate indigebat, quocirca dicebat: (2. Cor. xii. 7.) *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ qui me colaphizet ut ne extollar. Propter quod ter Dominum rogavi: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*. Poterat certe sine persequutionibus, & pressuris laboribusque & sudoribus prædicatio perfici: sed tamen id noluit Christus, prædicantibus parcens. Quocirca dicebat illis: (Ioan. xvi. 33.) *In mundo pressuram habebitis*. Cupientibusque cæleste regnum ingredi, angustam viam arripiendam iubet, quasi (Matth. vii. 13.) non aliter intrare liceat: ideo pressuræ & tentationes, & quæcumque nobis tristia contingunt, non minus Dei providentiam indicant, quam læta & iucunda.

Num. 4 ... Profecto enim multo convenientius est iustis occasiones suppeditari, quibus voluntatem ostendant suam: eos vero qui non sunt huiusmodi, ex propria puniri negligentia, quam istorum caussa illis etiam damnum afferri.

Num. 6. ... Quæ enim promissa sunt nobis, regnum cælorum, & vita æterna, & incorruptio, & infinita sunt bona: quæ autem interim contingunt, valde ab his remota, atque aliena sunt: mors scilicet & corruptio, pœna & supplicium, & tentationes variæ, ac frequentes. Cuius ergo rei gratia hoc facit Deus, permittitque contraria promissis advenire? Nimirum ut ex hoc dum maxima bona eliciat, exaltatio certissimum potentiæ ipsius argumentum præbens, quod scilicet possit desperatissima promissa sua, & spe atque opinione melius perficere: ex altero autem nostros animos erudiens, ut in cunctis ipsi credamus, etsi dictis facta contraria videantur emergere. Nam spei virtus eiusmodi est, ut eum qui sincere illi adhæreat, numquam confundi permittat. Si enim ii, qui promissa in hoc seculo acceperunt, ita insigniter affecti sunt: multo magis id nos facere necesse est, qui non in præsenti vita, sed in aliis seculis bonorum exitum exspectamus. In hoc enim seculo pressuras nobis angustiasque promisit. Quid ergo est quod te perturbet? Qua ratione suspecta tibi sunt promissa Dei? .... Sed sunt qui seculi negotiis deliciis quiete vivunt. Et istud quoque prædixit Christus: *Amen, amen dico*, inquit, *vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit*. (Ioan. xvi. 20.) Sed & in prioribus generationibus Babylonii cum Deum ignorarent, opibus, potentia & gloria nitebant: Iudæi vero captivitate, servitute, extremisque calamitatibus premebantur. Et Lazarus ille, qui regno cælesti dignus, ulceribus plenus canum linguis erat expositus, atque perpetuo cum fame pugnabat: dives vero in honore ac frequenti satellitio, & requie, & deliciis vitam ducebat. Verum ut huic nihil ad inferos illa omnia profuere: ita nec Lazaro fames, aut ulcera, quo minus probe viveret obstiterunt: sed veluti quidam athleta fortis in æstu gravissimo & algore luctans, & vicit, & coronatus est. Quo circa vir quidam sapiens aiebat: *Fili si accedas ad servitutem Domini præpara animam tuam ad tentationem, dirige cor tuum & sustine, & ne festines in tempore inductionis*. (Eccli. ii. 1.) Et post pauca: *Quoniam*, inquit, *igne probatur aurum, homines vero acceptabiles in fornace humiliationis*. Rur-

Prov. III. 11. sumque alio loco scriptum est: *Fili noli negligere disciplinam Dei, neque deficias cum ab eo corriperis*. Qui enim aurum in fornacem mittit, novit quatenus illud incendi & quando ex igne oporteat educi. Ideoque hic quidem ait: *Ne festines in tempore inductionis*: Salomon autem hoc ipsum docens, *Neque deficias*, inquit, *cum ab eo corriperis*. Magnum quid revera, magnum inquam pressura est ad virum spectabilem efficiendum atque ad docendum patientiæ virtutem. Quid ergo, inquies, si illius nos magnitudo ever-
1. Cor. X. 13. tat, atque deiiciat? *Fidelis Deus qui non patietur nos tentari supra quam possumus, sed faciet cum tentatione exitum, ut possimus sustinere*. Nam si ex dilectione correptio, ex odio vero derelictio est: neque eiusdem est quempiam simul & amare & odisse, neque corripere simul & derelinquere.... Cur ergo, inquies, non omnes, qui eamdem elegere vitam, eisdem etiam laboribus certare fecit? Quia non una apud Deum est exercitationis species, neque omnes eisdem opus habent, etiamsi in eodem vitæ genere sint: quippe & plurimi cum eisdem morborum incommodis laborent, non eisdem tamen indigent medicamentis, sed alia quidem istis, alia illis apponuntur. Atque adeo & flagellorum modi varii sunt atque differentes, & alius quidem morbo diuturno probatur, alius gravissima inopia, vi atque iniuria alius: hunc iuges atque perpetuæ liberorum propinquorumque ceterorum mortes excruciant, hicque ab omnibus abiicitur, nulliusque rei dignus æstimatur: ille quod de iis accusetur, quorum nihil sit sibi conscius, malæque famæ pondus ferat: atque alius aliter affligitur. Neque enim possibile est omnia nunc adamussim numerare. Videntur autem tibi horum singula, si tuis ærumnis conferantur, levia ac nulla esse. Verum tu si hæc expertus esses, addisceres profecto id, quod nunc te angit, his omnibus tolerabilius esse. Sed & si qui sunt, quorum sit levior quam nostra castigatio, non ideo perturbemur. Nam adiectio laborum, incrementum præmiorum est, ac firmissimum munimen nostrum, quo fieri numquam sive sponte, sive etiam inviti corruamus. Namque tumorem comprimit, negligentiam avertit, prudentioresque ac religiosiores efficit. Sane si quis omnia enumerare velit, plurima tentationum emolumenta reperiet: nullusque umquam ex iis qui Deo acceptabiles fuerunt, sine pressuris vixit etiamsi non ita nobis videatur. Nam si beatus Paullus tantum negotii sustinuit, nullus vero Paullo maior est aut etiam æqualis: qua tandem ratione illi credantur huiusmodi auxilio non indiguisse? Pars III. Sect. II. Cap. IV. §. 2.

Id deinde SS. Veteris ac novi Testamenti exemplis fuse confirmat duobus libris sequentibus, quos adire potes.

De Fato & Providentia, Orat. 5. Qua de caussa, inquies, ille qui meretrices alit, & parasitos & adulatores, & qui alienis nocumentum affert, qui frigidam hanc & solutam docit vitam, divitias habet ceu ex fontibus affluentes; alius autem æquitatem, temperantiam, iustitiam, ceterasque colens virtutes, ne quidem necessarium victum habet: cum hic bonus sit & laboriosam virtutis elegerit viam, hic autem improbus, ac diffluentem dissolutamque nequitiæ viam susceperit? Cur ergo improbus ille ditescit, hic vero probus, pauper est? Ut & hic maiorem accipiat coronam, si ista perferat, & patientia utatur; ille vero maius supplicium atque pœnam, nisi vitam mutaverit, nisi melior fuerit, nisi Dominum suum agnoverit. Dilatio enim a Deo data, eos qui in nequitia manent, magis deprimit, atque rerum copia iis data, qui illa ut par est non utuntur, accessio culpæ efficitur. Sic & ærumnæ & angustiæ proborum, sunt coronarum accessio, etiamsi interdum labantur.

S. August. *de Civit. Dei, lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 1.... Patientia Dei ad pœnitentiam invitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos. Itemque misericordia Dei fovendos amplectitur bonos, sicut severitas Dei puniendos corripit malos. Placuit quippe divinæ Providentiæ præparare in posterum bona iustis, quibus non fruentur iniusti: & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Ista vero temporalia bona & mala utrisque voluit esse communia: ut nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur: nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur.

Num. 2. Interest autem plurimum, qualis sit usus, vel earum rerum quæ prosperæ, vel earum, quæ dicuntur adversæ. Nam bonus temporalibus nec bonis extollitur, nec malis frangitur; ma-

lus autem ideo huiuscemodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur. Ostendit tamen Deus sæpe etiam in his distribuendis evidentius operationem suam. Nam si nunc omne peccatum manifesta plecteret pœna, nihil ultimo iudicio servari putaretur: rursus si nullum peccatum nunc puniret aperte Divinitas, nulla esse providentia divina crederetur. Similiter in rebus secundis; si non eas Deus quibusdam petentibus evidentissima largitate concederet, non ad eum ista pertinere diceremus: Itemque si omnibus eas petentibus daret, non nisi propter talia præmia serviendum illi esse arbitraremur; nec pios nos faceret talis servitus, sed potius cupidos & avaros. Hæc cum ita sint, quicumque boni & mali pariter afflicti sunt, non ideo ipsi distincti non sunt, quia distinctum non est quod utrique perpessi sunt. Manet enim dissimilitudo passorum etiam in similitudine passionum; & licet sub eodem tormento, non est idem virtus & vitium. Nam sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat; & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur; nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem preli pondere exprimitur: ita una eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat; malos damnat, vastat, exterminat. Unde in eadem afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant; boni autem precantur & laudant. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur. Nam pari motu exagitatum & exhalat horribiliter cœnum, & suaviter fragat unguentum.

Cap. 9. num. 1. Quid igitur in illa rerum vastitate Christiani passi sunt, quod non eis magis fideliter ista considerantibus ad profectum valeret? Primo, quod ipsa peccata, quibus Deus indignatus, implevit tantis calamitatibus mundum, humiliter cogitantes, quamvis longe absint a facinorosis, flagitiosis atque impiis, tamen non usque adeo se a delictis deputant alienos, ut nec temporalia pro eis mala perpeti se iudicent dignos. Excepto enim quod unusquisque, quamlibet laudabiliter vivens, cedit in quibusdam carnali concupiscentiæ, etsi non ad facinorum immanitatem & gurgitem flagitiorum atque impietatis abominationem, ad aliqua tamen peccata vel rara, vel tanto crebriora, quanto minora: hoc ergo excepto, quis tandem facile reperitur, qui eosdem ipsos, propter quorum horrendam superbiam, luxuriam, & avaritiam, atque execrabiles iniquitates & impietates, Deus, sicut minando prædixit, conterit terras, sic habeat, ut habendi sunt? sic cum eis vivat, ut cum talibus est vivendum? Plerumque enim ab eis docendis, admonendis, aliquando etiam obiurgandis & corripiendis male dissimulatur; vel cum laboris piget, vel cum eorum os coram verecundamur offendere; vel cum inimicitias devitamus, ne impediant & noceant in istis temporalibus rebus, sive quas adipisci adhuc appetit nostra cupiditas, sive quas amittere formidat infirmitas: ita ut quamvis bonis vita malorum displiceat, & ideo cum eis non incidant in illam damnationem, quæ post hanc vitam talibus præparatur, tamen quia propterea peccatis eorum damnabilibus parcunt, dum eos in suis licet levibus & venialibus metuunt, iure cum eis temporaliter flagellentur, quamvis in æternum minime puniantur. Iure istam vitam quando divinitus affliguntur cum eis, amaram sentiunt, cuius amando dulcedinem peccantibus eis amari esse noluerunt.

Num. 3. Non mihi itaque videtur hæc parva esse caussa, quare cum malis flagellentur & boni, quando Deo placet perditos mores etiam temporalium pœnarum afflictione punire. Flagellantur enim simul, non quia simul agunt malam vitam, sed quia simul amant temporalem vitam; non quidem æqualiter, sed tamen simul; quam boni contemnere deberent, ut illi correpti atque correcti consequerentur æternam... Deinde habent aliam caussam boni, quare temporalibus affligantur malis; qualem habuit Iob: ut sibi ipse humanus animus sit probatus & cognitus, quanta virtute pietatis gratis Deum diligat.

Enarrat. in Ps. xxxvi. *Serm.* 1. *num.* 8.... Sed mercedem nondum accipis, forte quia capere nondum potes. Iam enim ille potest dare, sed tu non potes accipere. Exercere operibus, labora in vinea: finito die pete mercedem: fidelis est qui te adduxit ad vineam. *Subditus esto Domino, & obsecra eum.* *Matth.* xx. 8. *vers.* 8.

Num. 9. Ecce facio, subditus sum Domino, & obsecro eum. Sed quid tibi videtur? Vicinus ille nequam, male agens & florens est; furta eius, adulteria eius,

rapinas eius ego novi; in omnibus ela-
tus, superbus, per iniquitatem excitatus
non me dignatur agnoscere: in his quo-
modo durabo? Morbus ille est, bibe
Ibid. contra. *Ne subæmuleris eum qui prospe-*
ratur in via sua. Prosperatur, sed in via
sua: laboras, sed in via Dei. Illi prospe-
ritas in via est, in perventione infelici-
tas: tibi labor in via, in perventione fe-
licitas; quoniam iter impiorum peribit.
Ps. 1. 6. *Novit Dominus vias iustorum, & iter im-*
piorum peribit. Has vias ambulas, quas
novit Dominus; & si laboras in eis, non
te fallunt: Via vero impiorum felicitas
transitoria: finita via, peracta est felici-
Matth. VII. 13. tas. Quare? Quia via illa lata est, finis
eius in profundum inferni perducit. Via
vero tua angusta est, & pauci ingrediun-
tur per eam; sed ad quam latitudinem
perveniant debes cogitare... Credidisti
in Christum, quare credidisti? Quid tibi
promisit? Si felicitatem seculi huius tibi
promisit Christus, murmura adversus
Christum, murmura adversus illum,
quando vides infidelem felicem. Quid
tibi promisit felicitatis? Quid, nisi in
resurrectione mortuorum? Quid autem in
hac vita? Quod ipse: quod ipse, inquam.
An dedignaris, serve, discipule, quod
Dominus, quod magister? Nonne ab ipso
Ioan. XIII. 16. audis; *Non est servus maior domino suo,*
& non est discipulus super magistrum?
Ille pro te dolores, flagella, opprobria,
crucem, mortem passus est. Et quid ho-
rum iusto debebatur? Quid non tibi pec-
catori debebatur? Ergo tene directum
oculum tuum, ne turbetur præ ira.

Num. 11.... De peccatore fecit Deus
flagellum, dedit ei & honorem, dedit ei
& potestatem. Aliquando enim facit hoc,
dat peccatori potestatem, flagellantur in-
de res humanæ, emendantur inde pii. Pec-
catori illi hoc reddetur quod debetur; &
tamen factum est de illo unde proficiat
pius unde deficiat impius.

Enarrat. in Ps. XCIII *num.* 16..... La-
bor iustorum flagellum est Patris, & fe-
licitas peccatorum fovea ipsorum est.

Enarrat. in Ps. CXXII *num.* 10.... Quare
illi qui bene vivunt, ista patiuntur? Sed
illi propterea patiuntur, ut probentur,
ut tentationibus exerceantur, ut flagel-
Hebr. XII. 6. lis proficiant: quia *flagellat Deus omnem*
filium quem recipit.

Enarrat. in Psal. CXXXVI. *num.* 9.....
Cæduntur iniquitates, ut exstirpata cu-
piditate plantetur caritas Ierusalem; quia
miscentur amaritudines vitæ temporali,

ut æterna desideretur; quia erudiuntur
in flagellis homines, paternam acci-
pientes disciplinam, ne iudiciariam in-
veniant sententiam.... Priora tempora
respicis, & quasi lætiora tibi videntur
fuisse tempora pristina, quæ sic erant
tamquam olivæ pendentes in arbore, du-
centibus ventis, quasi quadam libertate
auræ perfruentes vago quodam desiderio
suo. Ventum est ut oliva mitteretur in
torcular.... In arbore libertas, in tor-
culari pressura. Cum enim res humanæ
conteruntur & premuntur, attendis quia
crescit avaritia; attende quia crescit &
continentia. Quare tam cœcus es, ut
amurcam fluentem per plateas videas,
oleum in gemellaria non videas? Et hoc
non sine caussa. Qui enim male versan-
tur, publice noti sunt; qui autem se con-
vertunt ad Deum, & a sordibus mala-
rum cupiditatum purgantur, occulti sunt:
quia & in ipso vel ex ipso torculari amurca
aperte fluit, oleum occulte eliquatur.

S. GREG. MAGN *Moral. lib.* 18. *in cap.*
XXVIII. *Beati Iob cap.* 22. *num.* 35. *Emittet* *Iob. XXVII. 22.*
super eum, & non parcet. Peccatorem
Deus quoties feriendo corrigit, ad hoc
flagellum emittit, ut parcat. Cum vero
eius vitam in peccato permanentem fe-
riendo concludit, flagellum emittit, sed
nequaquam parcit. Qui enim flagellum
emisit ut parceret, ad hoc emittit quan-
doque ne parcat. In hac namque vita
Dominus tanto magis studet ut parcat,
quanto magis exspectando flagellat; sicut
ipse voce Angeli ad Ioannem ait: *Ego* *Apoc. III. 19.*
quos amo arguo & castigo. Et sicut alias
dicitur: *Quem diligit Dominus, castigat;* *Heb. XII. 6.*
flagellat autem omnem filium quem reci-
pit. E contra autem de flagello damna-
tionis scriptum est: *In operibus manuum* *Ps. 12. 17.*
suarum comprehensus est peccator. De
quo per Ieremiam Dominus dicit, dum
incorrigibiliter delinquentes populos vi-
det, quos non iam sub disciplina filios,
sed sub districta percussione intuetur ut
hostes: *Plaga inimici percussi te, casti-* *Ier. XXX 14.*
gatione crudeli. Et quod hic dicitur,
non parcet, ibi quoque verbis aliis de-
claratur: *Quid clamas super contritione* *Ibid. 15.*
tua? insanabilis est dolor tuus. Unde
hoc semper electi provident; ut ante ad
iustitiam redeant, quam sese ira iudicis
inextinguibiliter accendat, ne ultimo
flagello deprehensi, simul eis finiatur vi-
ta cum culpa.

Pars III. Sect. II. Cap. IV. §. 2.

I. Quænam petimus a Deo sub *Panis* nomine necessaria animæ?

R. Quidquid ad salutem animæ confert. Illud autem ad tria capita reducitur: huius panis nomine intelligitur, 1. verbum Dei, 2. gratia Dei, 3. sacro-sancta Eucharistia.

I. Cur panis ille sive spiritualis, sive corporeus quotidianus dicitur?

R. Quia eo quotidie indigemus.

Id per se patet de victu, vestitu, & tecto, qui panis corporeus dicitur.

Nec minus id constat de pane spirituali.

De verbo Dei id conceptis verbis affirmat Christus: *Non in solo pane vivit homo*, inquit, *sed & in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. (Matth. IV. 4.)

Quantæ necessitatis sit non singulis solum diebus, sed & singulis fere momentis gratia Dei, patet ex his Christi verbis: *Sine me nihil potestis facere*. (Ioan. XV. 5.)

Tandem sacro-sanctam Eucharistiam panem nostrum quotidianum dici posse constat ex SS. Patribus. Ad hoc enim institutum est augustissimum hoc Sacramentum, ut sit quotidianus cibus. Sic nobis vivendum esset ut illum possemus quotidie sumere; quod si nondum nobis id per vitæ sanctitatem licet, ad hoc tendere debet omnis nostra actio atque operatio, ut ad hanc tandem vitæ puritatem perveniamus, ut nobis quotidie liceat sacrosancto Domini corpori communicare. Hic fuit in huius Sacramenti institutione Christi scopus, ea mens est Ecclesiæ. Ideoque offertur quotidie Sacrificium, ut si qui ceteris sanctiores sunt, iis ad quotidianum convivium pateat aditus, ceterique communicent saltem mente & spiritu huic sacrosancto convivio. Et ne vacaret ullus dies a sacrosancti corporis Dominici communione, hoc olim fuit in more positum, ut quibus die-

---

vers. 3. *Lib.* 21. *in cap.* XXXI. *Beati Iob. Numquid non perditio est iniquo, & alienatio operantibus iniquitatem?*

Cap. 4. *num.* 8 Festina consolatio bonorum, est consideratus finis malorum. Dum enim ex eorum interitu malum conspiciunt quod evadunt, leve existimant quidquid adversi in hac vita patiuntur. Eant ergo nunc reprobi, & delectationum suarum desideria compleant: in finis sui damnatione sensuri sunt, quia mortem male viventes amaverunt. Transitorio autem verbere affliguntur electi, ut a pravitate flagella corrigant quos paterna pietas ad hereditatem servat. Nunc etenim flagellatur iustus, & verbere disciplinæ corrigitur: quia ad æternæ hereditatis patrimonium præparatur. In suis autem voluptatibus relaxatur iniustus, quia tanto ei temporalia bona suppetunt, quanto æterna denegantur. Iniustus ad debitam mortem currens, effrenatis voluptatibus utitur; quia & vituli qui mactandi sunt, in liberis pastibus relinquuntur. At contra iustus a delectationis transitoriæ iucunditate restringitur, quia & nimirum vitulus ad laboris usum vitæ deputatus, sub iugo retinetur. Negantur electis in hac vita bona terrena: quia & ægris, quibus spes vivendi est, nequaquam a medico cuncta quæ appetunt, conceduntur. Dantur autem reprobis bona, quæ in hac vita appetunt: quia & desperatis ægris omne quod desiderant, non negatur. Perpendant igitur iusti quæ sint mala, quæ iniquos manent, & nequaquam eorum felicitati invideant, quæ percurrit. Quid est enim quod de eorum gaudiis admirentur, quando & ipsi per iter asperum ad salutis patriam, & illi quasi per amœna prata ad foveam tendunt.

Digitized by Google

bus agebatur Miſſa præſanctificatorum, ut fit apud nos feria sexta maioris hebdomadæ, his diebus & laici communicarent.

I. Quæ connexio est huius quartæ petitionis cum superioribus?

R. Facilis connexio, ut cuique vel paullulum attendenti per se patet.

Petimus a Deo panem quotidianum, idest auxilia omnia necessaria animæ & corpori ad faciendam eius voluntatem, ut huic subiecti regnet & habitet in nobis, atque ita sanctificetur in nobis, & per nos nomen eius (L).

Pars III. Sect. II. Cap. IV. §. 2.

(L) Tertull. *de orat.* Sed quam eleganter divina sapientia ordinem orationis instruxit; ut post cælestia, id est post Dei nomen, Dei voluntatem, & Dei regnum, terrenis quoque necessitatibus petitioni locum faceret? Nam & Matth. vi. 33. edixerat Dominus: *Quærite prius regnum, & tunc vobis etiam hæc adiicientur.* Quamquam Luc. xii. 31. *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, spiritaliter potius intelligamus. Christus enim panis noster est, quia vita Christus, & vita panis. Joan vi. 35. *Ego sum*, inquit, *panis vitæ.* Et paullo supra: Ibid. 33. *Panis est sermo Dei vivi, qui descendit de cælis.* Tum quod & corpus Matth. xxvi. 26. eius in pane censetur: *Hoc est Corpus meum.* Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo, & individuitatem a corpore eius. Sed & quia carnaliter admittitur ista vox, non sine religione potest fieri & spiritalis disciplinæ. Panem enim peti mandat, quod solum fidelibus necessarium est: Matth. vi. 32. *Cetera enim nationes requirunt.* Ita & exemplis inculcat, & parabolis retractat, cum dicit: Matth. xv. 26. *Numquid panem filiis pater aufert, & canibus tradit?* Item: Matth. vii. 9. *Numquid filio panem poscenti lapidem tradit?* Ostendit enim quid a patre filii expectent. Luc. xi. 5. Sed & nocturnus ille pulsator panem poscebat. Merito autem adiecit, *Da nobis hodie*; ut qui præmiserat, Matth. vi. 34. *Nolite de crastino cogitare quid edatis.* Cui rei parabolam quoque commodavit illius hominis, qui provenientibus fructibus ampliationem horreorum & Luc. xii. 16. & seq. longæ securitatis spatia cogitavit, is ipsa nocte moritur.

S. Cypr. *De orat. Dom.* Procedente Matth. vi. 11. oratione postulamus & dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quod potest & spiritaliter & simpliciter intelligi: quia & uterque intellectus utilitate divina proficit ad salutem. Nam panis vitæ Christus est, & panis hic omnium non est, sed noster est; & quomodo dicimus, *Pater noster*, quia intelligentium & credentium pater est; sic & panem nostrum vocamus, quia Christus, noster (qui corpus eius contingimus) panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti & non communicantes a cælesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur; ipso prædicante & monente: *Ego sum* Joan. vi. 51. & 52. *panis vitæ, qui de cælo descendi. Si quis ederit de meo pane, vivet in æternum. Panis autem quem ego dedero, caro mea est pro seculi vita.* Quando ergo dicit in æternum vivere, si quis ederit de eius pane, ut manifestum est eos vivere, qui corpus eius attingunt, & Eucharistiam iure communicationis accipiunt: ita contra timendum est & orandum, ne dum quis abstentus separatur a Christi corpore, procul remaneat a salute; comminante ipso & dicente: Ibid. 54. *Nisi ederitis carnem filii hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.* Et ideo panem nostrum, id est, Christum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus & vivimus, a sanctificatione eius & corpore non recedamus.

Potest vero & sic intelligi, ut qui seculo renunciavimus, & divitias eius & pompas fide gratiæ Spiritalis abiecimus, cibum nobis tantum petamus & victum; quando instruat Dominus & dicat: Luc. xiv. 33. *Qui non renunciat omnibus quæ sunt eius, non potest meus discipulus esse.* Qui autem Christi cœpit esse discipulus, secundum magistri sui vocem renuncians omnibus, diurnum debet cibum petere, nec in longum desideria petitionis extendere; ipso iterum Do-

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. IV. §. 2.

mino præscribente, & dicente: *Nolite in crastinum cogitare, crastinus enim dies ipse cogitabit sibi. Sufficit diei malitia sua*. Merito ergo Christi Discipulus victum sibi in diem postulat; qui de crastino cogitare prohibetur: quia & contrarium sibi sit & repugnans, ut quæramus in seculo diu vivere, qui petimus regnum Dei velociter advenire. Sic beatus Apostolus monet, formans & corroborans spei nostræ ac fidei firmitatem. *Nihil*, inquit, *intulimus in hunc mundum, verum nec auferre possumus. Habentes itaque exhibitionem & tegumentum, his contenti simus. Qui autem volunt divites fieri incidunt in tentationem, & muscipulam, & desideria multa & nocentia, quæ mergunt hominem in perditionem & in interitum. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes naufragaverunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis*. Docet non tantum contemnendas, sed & periculosas esse divitias, illic esse radicem malorum blandientium, cœcitatem mentis humanæ occulta deceptione fallentium. Unde & divitem stultum seculares copias cogitantem, & se exuberantium fructuum largitate iactantem redarguit Deus, dicens: *Stulte, hac nocte expostulatur anima tua: quæ ergo parasti cuius erunt?* Lætabatur stultus in fructibus ipsa nocte moriturus, & cui vita iam deerat, victus abundantiam cogitabat. Contra autem Dominus perfectum & consummatum docet fieri, qui omnibus suis venditis, atque in usum pauperum distributis, thesaurum sibi condat in cælo. Eum dicit posse se sequi, & gloriam Dominicæ passionis imitari, qui expeditus, & succinctus nullis laqueis rei familiaris involvitur, sed solutus ac liber facultates suas ad Deum ante præmissas, ipse quoque comitatur. Ad quod ut possit quisque nostrum parare se, sic discat orare, & de orationis lege qualis esse debeat noscere. Neque enim deesse quotidianus cibus potest iusto, cum scriptum sit: *Non occidit Dominus fame animam iusti*. Et iterum: *Iunior fui & senui, & non vidi iustum derelictum, neque semen eius quærens panem*. Item Dominus promittat, & dicat: *Nolite cogitare dicentes; Quid edemus, aut quid bibemus, aut quid vestiemur? Hæc enim nationes quærunt. Scit autem Pater vester, quia horum omnium indigetis. Quærite primo regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis*. Quærentibus regnum & iustitiam Dei, omnia promittit apponi. Nam cum Dei sint omnia, habenti Deum nihil deerit: si Deo ipse non desit. Sic Danieli in leonum lacu iussu Regis incluso, prandium divinitus procuratur; & inter feras esurientes & parcentes, homo Dei pascitur. Sic alitur Helias in fuga: & in solitudine corvis ministrantibus, & volucribus cibum sibi apportantibus in persequutione nutritur. Atque, o humanæ malitiæ detestanda crudelitas! feræ parcunt, aves pascunt, & homines insidiantur & sæviunt.

(Matth. vi. 34. — 1. Tim. vi. 7. & seq. — 10. — Luc. xii. 20. — Matth. xix. 21. — Prov. x. 3. — Ps. xxxvi. 25. — Matth. vi. 31. & seq. — Daniel. xiv. 30. — 3. Reg. xvii. 6.)

S. Aug. *Lib. II. De Serm. Dom. in monte, capit. 7. num. 25.* Quarta petitio est, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Panis quotidianus aut pro iis omnibus dictus est, quæ huius vitæ necessitatem sustentant, de quo cum præciperet; ait: *Nolite cogitare de crastino*; ut ideo sit additum, *da nobis hodie*: aut pro Sacramento Corporis Christi, quod quotidie accipimus, aut pro spiritali cibo, de quo idem Dominus dicit: *Operamini escam quæ non corrumpitur*: & illud: *Ego sum panis vitæ, qui de cælo descendi*. Sed horum trium quid sit probabilius, considerari potest. Nam forte quispiam moveatur, cur oremus pro his adipiscendis quæ huic vitæ sunt necessaria, veluti est victus & tegumentum, cum ipse Dominus dicat, *Nolite solliciti esse quid edatis, vel quid induamini*. An potest quisque de ea re, pro qua adipiscenda orat, non esse sollicitus; cum tanta intentione animi oratio dirigenda sit, ut ad hoc totum illud referatur, quod de claudendis cubiculis dictum est? Et illud quod ait: *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius; & hæc omnia apponentur vobis?* Non ait utique; Quærite primum regnum Dei, & deinde ista quærite: sed, *hæc omnia*, inquit, *apponentur vobis*, scilicet etiam non quærentibus. Quomodo autem recte dicatur non quærere aliquis quod ut accipiat intensissime Deum deprecatur, nescio utrum inveniri queat.

(Matth. vi. 11. — Ibid. 34. — Ioan. vi. 27. — Ibid. 41. — Matth. vi. 31. — Luc. xii. 1 — Matth. vi. 3. — Luc. xii. 31.)

Num. 26. De Sacramento autem Corporis Domini ut illi non moveant quæstionem, qui plurimi in Orientalibus partibus, non quotidie cœnæ Dominicæ communicant, cum iste panis quotidianus dictus sit... Illud certe debet oc-

currere cogitantibus, regulam nos orandi a Domino accepisse, quam transgredi non oportet vel addendo aliquid, vel prætereundo. Quod cum ita sit, quis est qui audeat dicere, semel tantum nos orare debere orationem Dominicam; aut certe etiamsi iterum vel tertio, usque ad eam tantum horam qua corpori Domini communicamus, postea vero non sic orandum per reliquas partes diei? Non enim iam dicere poterimus, *da nobis hodie*, quod iam accepimus, aut poterit quisque cogere, ut etiam ultima diei parte sacramentum illud celebremus.

Num. 27 Restat igitur ut quotidianum panem accipiamus spiritalem, præcepta scilicet divina, quæ quotidie oportet meditari, & operari. Nam de
Ioan. vi. 27. ipsis Dominus dicit: *Operamini escam quæ non corrumpitur*. Quotidianus autem iste cibus nunc dicitur, quamdiu ista vita temporalis per dies decedentes succedentesque peragitur. Et revera quamdiu nunc in superiora, nunc in inferiora, id est nunc in spiritalia, nunc in carnalia animi affectus alternat, tamquam ei qui aliquando pascitur cibo, aliquando famem patitur, quotidie panis necessarius est, quo reficiatur esuriens, & relabens erigatur. Sicut itaque corpus nostrum in hac vita, ante illam scilicet immutationem, cibo reficitur, quia sentit dispendium: sic & animus, quoniam temporalibus affectibus quasi dispendium ab intentione Dei patitur, præceptorum cibo reficiatur. *Da nobis hodie* autem dictum est, quamdiu dicitur hodie, id est, in hac temporali vita. Sic enim cibo spiritali post hanc vitam saturabimur in æternum, ut non tunc dicatur quotidianus panis: quia ibi temporis volubilitas, quæ diebus dies succedere facit, unde appelletur quotidie, nulla erit. Ut autem
Ps. xciv. 8. dictum est: *Hodie si vocem eius audieritis*; quod interpretatur Apostolus in Epistola quæ est ad Hebræos, Quamdiu di-
Heb. iii. 13. citur *hodie*: ita & hic accipiendum est, *da nobis hodie*. Si quis etiam de victu corporis necessario, vel de sacramento Dominici corporis istam sententiam vult accipere, oportet ut coniuncte accipiantur omnia tria, ut scilicet quotidianum panem simul petamus, & necessarium corpori, & sacratum visibilem, & invisibilem verbi Dei.

De dono Persever. c. 4. num. 7 Quarta
Matth. vi. 11. petitio est, *Panem nostrum quotidianum* *da nobis hodie*. Ubi beatus Cyprianus ostendit quomodo & hic intelligatur perseverantia postulari. Ait quippe inter cetera: *Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti & non communicantes a cælesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur.* Hæc verba sancti hominis Dei, perseverantiam prorsus a Domino sanctos indicant poscere, quando hac intentione dicunt: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, ne a Christi corpore separentur, sed in ea sanctitate permaneant, qua nullum, quo inde separari mereantur, crimen admittant.

Pars III. Sect. II. Cap. IV § 2.

Cypr. de or. Dom. sup. litt. (L)

In Psal. xxxvi. *serm.* 3. *num.* 1.... Ecce unusquisque in vobis, qui forte iam senuit, respiciens cursus ætatis suæ iam peractos sibi, ubi cogitatione versatus fuerit in his quos novit, forte non ei occurrit iustus quærens panem, aut filius iusti quærens panem; sed, tamen respicit ad Scripturas divinas, & invenit an- Gen. xii. 10.
gustatum Abraham iustum, & famem passum in regione sua, mutasse aliam regionem; invenit & filium ipsius Isaac Gen. xxvi. 1.
eiusdem famis caussa in alias isse regiones quærentem panem. Et quomodo erit verum: *Numquam vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem?* Et si ve- Ps. xxxvi. 25.
rum hoc invenit in spatio vitæ suæ; aliter tamen invenit in lectione divina, quæ fidelior est, quam vita hominum.

Num 2. Quid ergo facimus? Adiuvent nos pia studia vestra, ut inspiciamus in his versibus Psalmi voluntatem Dei, quid nos intelligere velit. Metus est enim, ne unusquisque infirmus, non capiens spiritaliter intelligere Scripturas, eat in exempla humana, videatque aliquando bonos servos Dei esse in necessitate aliqua & inopia quærendi panis; maxime & Paullum Apostolum cogitet, qui dicit: *In fame & siti, in frigore & nuditate*: 2. Cor. xi. 27.
& scandalizetur apud se ipsum, dicens, Certe ne verum est quod cantavi, certe verum est quod in Ecclesia stans tam devota voce personui; *Numquam vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem?* Fallunt nos Scripturæ, dicat apud se: & dissolvantur omnia eius membra ab opere bono? quibus membris intrinsecus, quod est gravius, & in interiore homine resolutis, iam desistat ab opere bono,

Digitized by Google

& dicat sibi: Ut quid bene operor? Utquid panem meum frango esurienti, & nudum vestio, & sine tecto induco in domum meam, attendens ad id quod scriptum est: *Numquam vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem*: cum videam tot homines bene viventes, plerumque fame laborantes? Sed si forte erro ego, ut tam illum qui bene vivit, quam illum qui male vivit, putem bene vivere, & aliter illum novit Deus, id est iniquum esse, , quem ego iustum puto; quid facio de Abraham, quem iustum ipsa Scriptura commendat? Quid facio
1. Cor. IV. 16. de ipso Apostolo Paullo, qui dicit: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi?* An ut etiam ego sim in malis, qualia
2. Cor. XI. 27. ille pertulit *in fame & siti, in frigore, & nuditate?*

Num. 5.... Panis est enim verbum Dei, quod numquam ab ore iusti discedit. Nam & in capite suo iustus ipse tentatus, hoc respondit. Quando enim ipsi Domino esurienti, & famem patienti diabolus ait: *Dic lapidibus istis ut panes fiant*: respondit:
Matth. IV. 3. & 4. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei*. Deinde, Fratres mei, adtendite quando non faciat iustus voluntatem Dei. Semper enim facit, & secundum voluntatem eius vivit. Voluntas Dei de corde eius non recedit: quia voluntas Dei, ipsa est lex Dei. Et quid dictum est
Psal. I. 2. de tali? *Et in lege eius meditabitur die ac nocte*. Panem istum manducas una hora, & dimittis; panem illum verbi die ac nocte. Quando enim audis, aut quando legis, manducas; quando inde cogi-
Lev. XI. 2. & 3. tas, ruminas ut sis animal mundum, non immundum. Quod significat etiam Sapien-
Prov. XXI. 20. tia per Salomonem dicens: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, vir autem stultus glutit illum*. Qui enim glutit, ut non in illo appareat quod voravit, oblitus est quod audivit. Qui autem non est oblitus, cogitat, & cogitando ruminat, ruminando delectatur. Unde
Prov. II. 11. dicitur: *Cogitatio sancta servabit te*. Et ecce si servat te in ruminatione panis huius sancti cogitatio, *numquam vidisti iustum derelictum, nec semen eius quærens panem*.

Serm. 56. *alias de divertis* 48. *in Mat* VI.
verſ. 11. *de orat. Dom. cap.* 6. *num* 9. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Et hic jam manifestum est, quod pro nobis oramus. Quando dicis: *Sanctificetur nomen tuum*, exponendum est tibi, quia pro te oras, non pro Deo. Quando dicis: *Fiat voluntas tua*: & hoc exponendum tibi est, ne putes quod Deo bene optas, ut fiat voluntas ipsius, & non potius pro te oras. Quando dicis: *Veniat regnum tuum*, & hoc exponendum est, ne putes quia Deo bene optas, ut regnet. Ab isto autem loco & deinceps usque in finem orationis, apparet quia pro nobis rogamus Deum. Quando dicis: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, profiteris te mendicum Dei. Sed noli erubescere: quantumlibet quis sit dives in terra, mendicus Dei est. Stat mendicus ante domum divitis: sed & ipse dives stat ante domum magni divitis. Petitur ab illo, & petit. Si non egeret, aures Dei oratione non pulsaret. Et quid eget dives? Audeo dicere, ipso pane quotidiano eget dives. Quare enim abundant illi omnia? Unde, nisi quia Deus dedit? Quid habebit, si Deus subtrahat manum suam? Nonne multi dormierunt divites, & surrexerunt pauperes? Et quod illi non deest, misericordiæ Dei est, non potentiæ ipsius.

N. 10. Sed istum panem, Carissimi, quo venter impletur, quo caro quotidie reficitur; istum ergo panem videtis Deum dare, non solum laudatoribus suis, sed etiam blasphematoribus. *Qui facit solem* Matth. V. 45.
suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Laudas, pascit te: blasphemas, pascit te. Ut pœnitentiam agas, exspectat te: sed si non te mutaveris, damnat te. Quia ergo panem istum accipiunt a Deo, & boni & mali, putas non est aliquis panis quem petunt filii, de quo dicebat Dominus in Evangelio: *Non est bonum tollere panem filio-* Matth. XV. 26.
rum & mittere canibus? Est plane. Quis est iste panis? & quare dicitur quotidianus? Et iste necessarius est: etenim sine illo vivere non possumus; sine pane non possumus. Impudentia est, ut a Deo petas divitias: non est impudentia, ut petas panem quotidianum. Aliud est unde superbias, aliud est unde vivas. Tamen quia iste panis visibilis & tractabilis datur & bonis & malis; est panis quotidianus, quem petunt filii. Ipse est sermo Dei, qui nobis quotidie erogatur. Panis noster quotidianus est: inde vivunt non ventres, sed mentes. Necessarius est nobis etiam nunc operariis in vinea, cibus est non merces. Operario enim duas res debet, qui illum conducit ad vineam, cibum, ne deficiat; & mercedem, unde

Digitized by Google

gaudeat. Cibus noster quotidianus in hac terra sermo Dei est, qui semper erogatur Ecclesiis: merces nostra post laborem, vita æterna nominatur. Iterum in isto pane nostro quotidiano si intelligas quod fideles accipiunt, quod accepturi estis baptizati; bene rogamus & dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, ut sic vivamus, ne ab illo altari separemur.

Serm. 57. *alias de diversis* 9. *in Matth.* vi. *de orat. Dom. cap.* 7. *num.* 7. Restant petitiones pro ista vita peregrinationis
verſ. 11. nostræ: ideo sequitur: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Da æterna, da temporalia. Promisisti regnum, noli negare subsidium. Dabis apud te sempiternum ornamentum, da in terra temporale alimentum. Ideo *quotidie*, ideo *hodie*, id est, hoc tempore. Cum transierit vita ista, numquid petemus panem quotidianum? Tunc enim non vocabitur *quotidie*, sed *hodie*. Nunc vocatur *quotidie*, quando transit dies, & venit alius dies. Numquid vocabitur *quotidie*, quando erit æternus unus dies? Sane duobus modis intelligenda est ista petitio de pane quotidiano: sive pro necessitate carnalis victus, sive etiam pro necessitate spiritalis alimoniæ. Carnalis cibi necessitas, propter quotidianum victum, sine quo vivere non possumus. Victus est & tegumentum, sed a parte totum intelligitur. Quando panem petimus, ibi omnia accipimus. Norunt etiam spiritalem alimoniam fideles, quam & vos scituri estis, accepturi de altare Dei. Panis erit & ipse quotidianus, huic vitæ necessarius. Numquid enim Eucharistiam accepturi sumus, cum ad ipsum Christum venerimus, & cum illo in æternum regnare cœperimus? Ergo Eucharistia panis noster quotidianus est: sed sic accipiamus illum, ut non solum ventre, sed & mente reficiamur. Virtus enim ipsa quæ ibi intelligitur, unitas est, ut redacti in corpus eius, effecti membra eius, simus quod accipimus. Tunc erit vere panis noster quotidianus. Et quod vobis tracto, panis quotidianus est: & quod in Ecclesia lectiones quotidie auditis, panis quotidianus est: & quod hymnos auditis & dicitis, panis quotidianus est. Hæc enim sunt necessaria peregrinationi nostræ. Numquid illuc quando venerimus, codicem sumus audituri? Ipsum Verbum visuri, ipsum Verbum audituri, ipsum manducaturi, ipsum bibituri, quomodo Angeli modo. Numquid Angelis codices sunt Pars III.
necessarii, aut disputatores, aut lecto- Sect. II.
res? Absit. Videndo legunt: vident e- Cap. IV.
nim ipsam veritatem, & illo fonte satian- §. 2.
tur, unde nos irroramur. Dictum est ergo de pane quotidiano; quia in ista vita nobis est necessaria hæc petitio.

Serm. 58. *alias* 42. *inter homilias* 50. *in Matth.* vi. *de orat. Dom. cap.* 4. *n.* 5.
Sequitur: *Panem nostrum quotidianum da* verſ. 11.
nobis hodie. Potest simpliciter accipi, orationem istam nos fundere pro victu quotidiano, ut abundet nobis; & si non abundat, non desit nobis. *Quotidianum* autem dixit, quamdiu *hodie* vocatur.
Quotidie vivimus, quotidie surgimus, Hebr. iii. 13.
quotidie saturamur, quotidie esurimus. Det nobis panem quotidianum. Quare non dixit & tegumentum? Victus enim noster in cibo est & potu, tegumentum in vestitu & tecto. Nihil homo plus desideret. Quandoquidem dicit Apostolus:
Nihil intulimus in hunc mundum; sed nec 1. Tim. vi. 7 & 8.
auferre aliquid possumus: victum & tegumentum habentes, his contenti simus. Pereat avaritia, & dives est natura. Ergo si ad quotidianum victum pertinet, quia & hoc bene intelligitur, quod dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; non miremur, si nominato pane, & cetera necessaria intelligantur. Quomodo quando Ioseph invitavit fratres
suos: *Homines illi*, inquit, *hodie mecum* Gen. xliii.
manducabunt panem. Quare panem solum 16.
manducaturi erant? Sed a solo pane intellecta sunt cetera. Sic quando rogamus panem quotidianum, quidquid nobis propter carnem nostram in terra necessarium est, postulamus. Sed quid ait
Dominus Iesus? *Quærite primum regnum* Matth. vi.
Dei & iustitiam, & hæc omnia apponen- 33.
tur vobis. Intelligitur etiam hoc valde bene. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: Eucharistiam tuam, quotidianum cibum. Norunt enim fideles quid accipiant, & bonum est eis accipere panem quotidianum huic tempori necessarium. Pro se rogant, ut boni fiant, ut in bonitate & fide & vita bona perseverent. Hoc optant, hoc orant; quia si non perseveraverint in vita bona, separabuntur ab illo pane. Ergo, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, quid est? sic vivamus, ut ab altari tuo non separemur. Et verbum Dei, quod quotidie vobis aperitur, & quodammodo frangitur,

Pars. III. Sect. II. Cap. IV. §. 2.

V. Petitio. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

I. Quid petimus a Deo his verbis, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?*

R. 1. Ut condonet nobis quod adversus ipsum peccavimus & deliquimus, sicut aliis & nos ea condonamus quæ ipsi in nos peccarunt & deliquerunt.

2. Ut quemadmodum sumus misericordes in eos qui nobis aliquid debent, ita & suam ipse in nos,

---

panis quotidianus est. Et quomodo illum panem ventres, sic istum esuriunt mentes. Et hunc ergo petimus simpliciter, & quidquid animæ nostræ & carni nostræ in hac vita necessarium est, quotidiano pane concluditur.

Contra Adimantum cap. 24. De eo quod
Prov. vi. 6. & 8. scriptum est apud Salomonem: *Imitare formicam, & intuere diligentiam eius, quia ab æstatis tempore usque ad hiemem colligit sibi alimonias.* Neque hoc intelligunt Manichæi spiritaliter esse accipiendum.... Et ideo illud Adimantus ex Evangelio dicit adversum esse huic sententiæ, ubi Dominus ait: *Nolite cogitare de crastino.* Sed neque hoc intelligunt ad id pertinere, ut temporalia non amemus, neque timeamus ne nobis desint necessaria, & propter ipsa conquirenda vel Deo vel hominibus serviamus.... Sed tamen illud de formica ita positum est, ut quemadmodum illa æstate colligit unde in hieme pascatur, sic unusquisque Christianus in rerum tranquillitate, quam significat æstas, colligat verbum Dei, ut in adversitate & tribulationibus, quæ hiemis nomine significantur, habeat unde spiritaliter vivat: Non enim *in pane solo vivit homo, sed in omni verbo Dei.*

S. Ambros. *Exposit. Evang. sec. Luc. lib.* 8. *n.* 15 ... *Convertentur ad vesperum, & famem patientur ut canes.* Quod agnovit Chananitis illa mysterium, cui dici-
Matth. xv. 26. tur: *Nemo tollit panem filiorum, & mittit canibus.* Agnovit hunc panem non panem esse qui videtur, sed illum qui intelligitur,
Ibid. 27. & ideo respondit: *Utique, Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Micæ istæ de illo pane sunt. Et quia panis verbum est, & fides verbis est, micæ velut quædam dogmata fidei sunt. Unde respondit Do-
Ibid. 28. minus, ut ostenderet fideliter dictum: *o mulier magna est fides tua!*

Num. 16.... O uberes micæ, quæ repellitis ieiunium sempiternum, quæ colligentem pauperem æternis expletis alimentis! Abiiciebat vos de mensa sua Archisynagogus, cum propheticarum Scripturarum, & legis interna mysteria refutaret: micæ enim sermones sunt Scri-
pturarum, de quibus dicitur: *Et proiecisti sermones meos post te.* Abiiciebat Ps. xlix. 17.
vos Scriba, sed Paullus diligentissime colligebat.

S. Hieronym. *in cap.* vi. *Matth. lib.* 1. *pag.* 21. *edit. novæ, tom.* 4. *Panem no-* Matth. vi. 11. & 12.
strum supersubstantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. . Quod nos supersubstantialem expressimus, in Græco habetur ἐπιούσιον: quod verbum 70. Interpretes περιούσιον frequentissime transferunt. Consideravimus ergo in Hebræo, & ubicumque illi περιούσιον expresserunt, nos invenimus Sgolla, סגולה quod Symmachus ἐξαίρετον id est *præcipuum*, vel *egregium*, transtulit; licet in quodam loco *peculiare* interpretatus sit. Quando ergo petimus, ut peculiarem vel præcipuum nobis Deus tribuat panem, illum
petimus qui dicit: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.* In Evangelio, quod Ioan. vi. 51.
appellatur secundum Hebræos, pro *supersubstantiali* pane reperi Mahar מחר quod dicitur *crastinum*; ut sit sensus, *panem nostrum crastinum*, id est, *futurum da nobis hodie.* Possumus supersubstantialem panem, & aliter intelligere, qui super omnes substantias sit, & universas superet creaturas. Alii simpliciter putant secundum Apostoli sermonem
dicentis: *Habentes victum & vestitum, his* 1. Tim. vi. 8.
contenti sumus, de præsenti tantum cibo sanctos curam agere. Unde & in poste-
rioribus sit præceptum, *Nolite cogitare* Matth. vi. 34.
de crastino.

debitores utique suos, misericordiam exerceat.

Audiendus est ea de re S. Augustinus, cuius verba totum id luculenter explicant.

Lib. 2. de Serm. Dom. in monte c. 8. „ Debita, *inquit*, peccata dici „ manifestum est, vel illo quod ait Matth. v. 26. „ Dominus: *Non exies inde donec* „ *reddas novissimum quadrantem*; „ vel illo quo debitores appellavit, Luc. XIII. 4. „ qui ei nuntiati sunt extincti, vel „ in ruina turris, vel quorum san- Ibid. 1. „ guinem Herodes sacrificio mi- „ scuit. Dixit enim putare homi- „ nes quod illi ultra modum debi- „ tores essent, id est peccatores; Ibid. 5. „ & addidit: *Amen dico vobis, ni-* „ *si pœnitentiam egeritis, similiter* „ *moriemini*. Non hic ergo quisque „ urgetur pecuniam dimittere de- „ bitoribus, sed quæcumque in eum „ alius peccaverit. Nam pecuniam „ dimittere illo potius iubemur præ- „ cepto quod superius dictum est: Matth. v. 40. „ *Si quis tibi tunicam tollere volue-* „ *rit, & iudicio tecum contendere,* „ *remitte ei & vestimentum*. Nec „ ibi necesse est omni pecuniario „ debitori dimittere debitum sed „ ei qui reddere noluerit, in tan- 2. Tim. II. 24. „ tum ut velit etiam litigare; *ser-* „ *vum autem Domini*, ut ait Apo- „ stolus, *non oportet litigare*. Qui „ ergo vel sponte vel conventus pe- „ cuniam debitam reddere noluerit, „ dimittenda illi est. Duas enim „ ob res nollet reddere, vel quod „ non habeat, vel quod avarus sit, „ reique alienæ cupidus: utrumque „ autem pertinet ad inopiam: nam „ illa inopia est rei familiaris, hæc „ animi. Quisquis itaque tali dimit- „ tit debitum, inopi dimittit, opus- „ que Christianum operatur, ma- „ nente illa regula, ut in animo pa- „ ratus sit amittere quod sibi de- „ betur. Nam si modeste ac leni- „ ter omni modo egerit, ut sibi „ restituatur, non tam intendens „ fructum pecuniæ, quam ut homi- „ nem corrigat, cui sine dubio per- „ niciosum est habere unde reddat, „ & non reddere; non solum non „ peccabit, sed proderit etiam plu- „ rimum, ne ille dum alienam pe- „ cuniam lucrum facere vult, da- „ mnum fidei patiatur; quod tanto „ est gravius, ut nulla sit compa- „ ratio. Ex quo intelligitur etiam „ in ista quinta petitione, qua di- „ cimus, *Dimitte nobis debita no-* Matth. VI. 12. „ *stra*, non de pecunia quidem di- „ ci, sed de omnibus quæ in nos „ quisque peccat; ac per hoc etiam „ de pecunia. Peccat namque in „ te, qui tibi pecuniam debitam, „ cum habeat unde reddat, recusat „ reddere. Quod peccatum si non „ dimiseris, non poteris dicere: „ *Dimitte nobis sicut & nos dimit-* „ *timus*; si autem ignoveris, vides „ etiam de pecunia dimittenda ad- „ moneri eum, cui tali prece orare „ præcipitur. „

I. Cur peccata intelliguntur in hac oratione nomine debitorum?

R. Quia per peccata debitores sumus iustitiæ Divinæ, quæ reipsa vult peccata omnia, sive in hoc seculo sive in futuro, pœnis expiari, ita ut nulla inulta abeant.

In hoc seculo quidem expiantur vel morbis, doloribus, afflictionibus, contradictionibus, adversita-

Digitized by Google

tibus, calamitatibus tum privatis, tum publicis; vel voluntaria pœnitentia, & caſtigatione peccatorum.

In futuro autem ſeculo vel ſuppliciis æternis, ſi de peccatis mortalibus quæſtio ſit; vel pœnis temporalibus & purgatoriis, ſi de venialibus, vel etiam de mortalibus quorum reatus in hoc ſeculo remiſſus ſit, nondum ſoluta congruenti ſatisfactione.

I. Qui nullius ſibi peccati conſcii ſunt, tenenturne ſicut & ceteri petere a Deo veniam peccatorum?

R. Tenentur omnino. 1. Enim
1. Cor. iv. 4. hoc ait Apoſtolus: *Nihil mihi conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum; qui autem iudicat me, Dominus eſt*, qui ſcrutatur corda hominum & renes, & ante cuius conſpectum nemo innocens. Nam *ſi* Ps. cxxix. 3.
iniquitates obſervaveris, Domine, Domine quis ſuſtinebit? Et aliæ ſunt cogitationes Dei a cogitationibus hominum.

2. *Si dixerimus quia peccatum* 1. Ioan. 1. 8.
non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, inquit Ioannes Apoſtolus. *Non enim eſt* 3. Reg. viii. 46.
homo qui non peccet, inquit Salomon; excepto tamen Chriſto, qui, cum & Deus ſit, prorſus impeccabilis eſt; *excepta quoque ſancta vir-* Lib. de nat. & grat. c. 36. n. 42.
gine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæſtionem, inquit S. Auguſtinus (M).

I. Quicumque recitant hanc ora-

(M) S. Aug. *de peccat. merit. & remiſs. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 12. Non igitur con-
1. Ioan. iii. 9. trarium teſtimonium eſt, *Qui natus eſt*
Ibid. 1. 8. *ex Deo, non peccat*, ei teſtimonio quo iam natis ex Deo dicitur: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt*. Quamdiu enim homo, quamvis totus ſpe iam, & iam in re ex parte regeneratione ſpiritali renovatus, adhuc tamen portat corpus quod corrumpitur, & aggravat animam; quid quo pertineat, & quid unde dicatur, etiam in uno homine diſtinguendum eſt. Nam, ut ego arbitror, non facile cuiquam Scriptura Dei tam magnum iuſtitiæ perhibet teſtimonium, quam tribus famulis eius Noe, Daniel, & Iob,
Ezech. xiv. 14. quos Ezechiel Propheta dicit ab imminente quadam iracundia Dei ſolos poſſe liberari ... Nec ideo quiſquam ſobrius dixerit ebrietatem non eſſe peccatum, quæ tamen ſubrepſit tanto viro: nam
Gen. ix. 21. Noe, ſicut legimus, fuit aliquando ebrius; quamvis abſit ut fuerit ebrioſus.

Num. 13. Daniel vero poſt orationem
Dan. ix. 20. quam fudit Deo, de ſe ipſe dicit: *Cum orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo meo*.

Num. 14. Iob autem poſt tam magnum de illo iuſtitiæ teſtimonium Dei, quid dicat ipſe videamus... *Dinumeraſti*, in- Iob. xiv. 16. & 17.
quit, *omnes neceſſitudines meas, & nihil te latuit de peccatis meis: ſignaſti peccata mea in folliculo, & annotaſti ſi quid invitus commiſi*. Ecce & Iob confitetur peccata ſua, & in veritate ſe dicit ſcire, quia non eſt iuſtus quiſquam ante Dominum. Et ideo iſte hoc in veritate
ſcit, quia: *Si nos dixerimus non habere pec-* 1. Ioan. 1. 8.
catum, ipſa veritas in nobis non eſt. Proinde ſecundum modum converſationis humanæ, perhibet ei Deus tam magnum iuſtitiæ teſtimonium.

Cap. 13 *num.* 18 Sunt ergo in terra iuſti, ſunt magni, fortes, prudentes, continentes, patientes, pii, miſericordes, temporalia mala omnia propter iuſtitiam æquo animo tolerantes. Sed ſi verum
eſt, immo quia verum eſt: *Si dixerimus* 1. Ioan. 1. 8.
quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus; &, *Non iuſtificabitur in con-* Ps. cxlii. 2.
ſpectu tuo omnis vivens; non ſunt ſine peccato; nec quiſquam eorum tam arroganter inſanit, ut non ſibi pro ſuis qualibuſcumque peccatis Dominica oratione opus eſſe arbitretur.

Cap. 14. *num.* 21. Sic itaque omnes, quicumque in hac vita divinarum Scripturarum teſtimoniis in bona voluntate atque actibus iuſtitiæ prædicati ſunt, &

quicumque tales vel post eos fuerunt, quamvis non eisdem testimoniis prædicari atque laudari, vel nunc usque etiam sunt, vel postea quoque futuri sunt, omnes magni, omnes iusti, omnes veraciter laudabiles sunt, sed sine peccato aliquo non sunt: quoniam Scripturarum testimoniis, quibus de illorum laudibus credimus, hoc etiam credimus, non iustificari in conspectu Dei omnem viventem; ideo rogari, ne intret in iudicium cum servis suis; & non tantum universaliter fidelibus omnibus, verum etiam singulis esse orationem Dominicam necessariam, quam tradidit discipulis suis.

De perfect. iust. hom. cap. 11. *n.* 24.... Aliud est, esse sine peccato, quod de solo in hac vita Unigenito dictum est; aliud, esse sine querela, quod de multis iustis etiam in hac vita dici potuit: quoniam est quidam modus bonæ vitæ, de quo etiam in ista humana conversatione iusta querela esse non possit. Quis enim iuste queritur de homine qui nemini male vult, & quibus potest fideliter consulit, nec contra cuiusquam iniurias tenet libidinem vindicandi, ut veraciter dicat: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris* Et tamen eo ipso quod verum dicit: *Dimitte sicut & nos dimittimus*, sine peccato se non esse declarat.

Matth. vi. 12.

Cap. 12. *num.* 29. ... Abstinet se autem ab omni re mala, qui peccato, sine quo non est, vel numquam omnino consentit, vel si aliquando premitur, non opprimitur .... Legitur sane homo sine crimine, legitur sine querela: at non legitur sine peccato, nisi Filius hominis, unus idemque Dei Filius unicus.

Cap. 21. *num.* 44. Quisquis ergo fuisse vel esse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat, excepto uno Mediatore Dei, & hominum, quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est divinæ Scripturæ, ubi Apostolus ait: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors; & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* Et necesse est ut impia contentione asserat, esse posse homines, qui sine mediatore Christo liberante atque salvante sint liberi salvique a peccato; cum ille dixerit: *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus: non veni vocare iustos, sed peccatores* Quisquis autem dicit, post acceptam remissionem peccatorum ita quemquam hominem iuste vixisse in hac carne, vel vivere, ut nullum habeat omnino peccatum, contradicit Apostolo Ioanni, qui ait: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*. Non enim ait, habuimus; sed habemus. Quod si quisquam asserit de illo peccato esse dictum, quod habitat in carne mortali nostra secundum vitium quod peccantis primi hominis voluntate contractum est, cuius peccati desideriis ne obediamus Paullus Apostolus præcipit; non autem peccare, qui eidem peccato, quamvis in carne habitanti, ad nullum opus malum omnino consentit, vel facti, vel dicti, vel cogitati, quamvis ipsa concupiscentia moveatur, quæ alio modo peccati nomen accepit, quod ei consentire peccare sit, nobisque moveatur invitis: subtiliter quidem ista discernit, sed videat quid agatur de Dominica oratione, ubi dicimus: *Dimitte nobis debita nostra:* quod, nisi fallor, non opus esset dicere, si numquam vel in lapsu linguæ, vel in oblectanda cogitatione, eiusdem peccati desideriis aliquantulum consentiremus; sed tantummodo dicendum esset: *Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a malo*. Nec Iacobus Apostolus diceret: *In multis offendimus omnes*. Non enim offendit, nisi cui mala concupiscentia contra iustitiæ rationem appetendo seu vitando, faciendum vel dicendum vel cogitandum aliquid quod non debuit, sive fallens, sive prævalens persuadet. Postremo, si excepto illo capite nostro, sui corporis Salvatore, asseruntur vel fuisse vel esse in hac vita aliqui homines iusti sine aliquo peccato, sive numquam consentiendo desideriis eius, sive quia pro nullo peccato habendum est, quod tantum est, ut hoc pietati non imputet Deus, (quamvis aliter sit beatus sine peccato, aliter autem beatus *cui non imputat Dominus peccatum*,) non nimis existimo reluctandum. Scio enim quibusdam esse visum, quorum de hac re sententiam non audeo reprehendere, quamquam nec defendere valeam. Sed plane quisquis negat, nos orare debere ne intremus in tentationem: (negat autem hoc qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adiutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta humanam sufficere voluntatem,) ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathemandum esse non dubito.

Rom. v. 12. — *Matth. ix. 12. & 13.* — *1. Ioan. 1. 8.* — *Rom. vi. 12.* — *Matth. vi. 12.* — *Ibid. 13.* — *Iacob. iii. 2.* — *Ps. xxxi. 2.* — *Lib. de nat. & grat. c. 36.*

Contra Epist. Parmen. lib. 2. *cap.* 7. *num.* 14. Qui autem rectissime sapiunt,

tionis formulam, obtineatne remissionem peccatorum?

R. Non obtinent quicumque recitant eam sine contritione, sine proposito non peccandi, & satisfaciendi. Deum enim videtur irridere, qui veniam & remissionem petit huius peccati, cuius nec pudeat, nec tædeat, & quod iterum committere velit.

Quod si adsit contritio, & non peccandi propositum, impetrat hæc oratio remissionem peccatorum, si venialia illa sint.

Si vero mortalia, impetrat saltem hæc oratio gratiam necessariam ad suscipienda rite Sacramenta, quibus peccata mortalia delentur (N).

I. Cur huic orationi Christus addi voluit hanc clausulam, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?*

R. 1. Ut moveatur Deus ad con-

---

intelligunt quemlibet hominum, quamvis pro iam consortio societatis humanæ non absurde dici possit iustissime vivere, non posse tamen esse sine aliquo vitio, quam-
Galat. v. 17 diu *caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem.* Et, *Qui*
1. Ioan. III. 9. *natus est ex Deo, non peccat:* &, *Si di-*
Ibid. I. 8. *xerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quamvis enim in quantum ex Deo nati sumus, non peccemus, inest tamen adhuc etiam quod ex Adam nati
1. Cor. XV. 54. sumus, quia nondum absorpta est mors in victoriam, quod etiam in corporum resurrectione promittitur, ut omnino beati & immaculati & incorrupti simus; qui iam secundum fidem filii Dei sumus, sed secundum speciem nondum apparuit quod erimus.

S. Hieron. *Epist.* 43. *ad Ctesiphont advers. Pelag. pag* 475. Neque nunc mihi necesse est ire per singulos Sanctorum, & quasi in corpore pulcherrimo nevos quosdam & maculas demonstrare; quod plerique nostrorum simpliciter faciunt, quum paucis sententiolis Scripturarum possint Hæreticorum, & per eos Philosophorum argumenta convinci. Quid enim
Rom. XI. 32. dicit vas electionis? *Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur.* Et in
Ibid. III. 23. alio loco: *Omnes enim peccaverunt, & indigent gloria Dei.* Ecclesiastes quoque, per quem se cecinit ipsa Sapientia, libere protestatur, & dicit: *Non est enim*
Eccles. VII. 21. *homo iustus super terram qui faciat bonum & non peccet.* Et iterum: *Si pec-*
3. Reg. VIII. 46. *caverit populus tuus, non est enim homo*
Prov. XX. 9. *qui non peccet.* Et: *Quis gloriabitur ca-*
Iob. XIV. 4. *stum se habere cor?* Et: *Non est mundus a sorde, nec si unius diei fuerit super terram vita eius.* Unde & David dicit: Ps. L. 7.
Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis concepit me mater mea. Et Ps. CXLII. 2.
in alio Psalmo: *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Quod testimonium sub nomine pietatis nova argumentatione deludunt. Aiunt enim ad comparationem Dei nullum esse perfectum, quasi Scriptura hoc dixerit. Neque enim ait: *Non iustificatur ad comparationem tui omnis vivens;* sed: *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Quando enim dicit: *In conspectu tuo*, hoc intelligi vult, quod etiam qui hominibus sancti videntur, Dei scientiæ atque notitiæ nequaquam sancti sint.

Lib 3 *Dialog advers. Pelag. pag.* 539. Qui non potest suis viribus & labore venire ad Iesum, quomodo potest omnia simul peccata vitare? & vitare in perpetuum, & Dei sibi potentiæ nomen assumere? Si enim ille ἀναμάρτητος, & ego ἀναμάρτητος, quæ inter me & Deum erit distantia?

Concil. Tridentin *Sess.* 6. *can.* 23. Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, nec gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur & peccat, numquam vere fuisse iustificatum; aut contra posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata virgine Maria tenet Ecclesia; anathema sit.

(N) S. August. *Enchirid. cap.* 71. *num.* 19 *Vide supra* §. 1. *huiusce cap. litt.* (E) *ut & alias auctoritates ibid. allatas.*

Lib. 21. *de Civit. Dei, cap.* 27. *num.* 2 *&c. Vide etiam cap. huiusce operis part.* 2. *sect.* 1. *cap.* 1. §. 2. *litt.* (E)

Digitized by Google

donanda nobis debita nostra facilius, ex eo quod & ipsi condonaverimus ultro debitoribus nostris.

2. Ut intelligamus non posse quemquam impetrare remissionem peccatorum, nisi remiserit & ipse fratri suo acceptam ab eo iniuriam qualemcumque (O).

I. Qui ergo recitant orationem Dominicam, nondum deposita of-

---

(O) Tertull. *de orat. cap.* 7. Consequens erat ut observata Dei liberalitate, etiam clementiam eius precaremur. Quid enim alimenta proderunt, si illi reputamur revera quasi taurus ad victimam? Sciebat Dominus se solum sine delicto esse. Docet itaque, petamus dimitti nobis debita nostra. Exomologesis est petitio veniæ, quia qui petit veniam, delictum confitetur. Sic & pœnitentia demonstratur acceptabilis Deo quia vult eam quam mortem peccatoris. Debitum autem in Scripturis delicti figura est, quod perinde Iudicio debeatur, & ab eo exigatur, nec evadat iustitiam exactionis: nisi donetur exactio, sicut illi servo Dominus debitum remisit. Huc enim spectat exemplum parabolæ totius. Nam & quod idem [*Matth.* XVIII. 27. & seq.] servus a domino liberatus, non perinde parcit debitori suo, ac propterea delatus penes Dominum, tortori delegatur ad solvendum novissimum quadrantem, id est, modicum usque delictum, eo competit, quod remittere nos quoque profitemur debitoribus nostris. Iam & alibi ex hac specie orationis: *Remittite*, inquit, *& remittetur vobis.* [*Marc.* XI. 25.] Et cum interrogasset Petrus, si septies remittendum esset fratri: *Immo*, inquit, *septuagies septies*; [*Matth.* XVIII. 21. & 22.] ut legem in melius reformaret, quod in Genesi de Cain septies, de Lamech autem septuagies septies ultio reputata est. [*Gen.* IV. 24.]

S. Cyprian. *de orat. Dom.* Post hæc & pro peccatis nostris deprecamur dicentes: *Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.* [*Matth.* VI. 12.] Post subsidium cibi petitur & venia delicti: ut qui a Deo pascitur, in Deo vivat: nec tantum præsenti & temporali vitæ, sed & æternæ consulatur, ad quam veniri potest, si peccata donentur: quæ debita Dominus appellat, sicut in Evangelio suo dicit: *Dimisi tibi omne debitum, quia me rogasti.* [*Ibid.* XVIII. 32.] Quam necessarie autem, quam providenter & salutariter admonemur, quod peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, ut dum indulgentia de Deo petitur, conscientiæ suæ animus recordetur. Ne quis sibi quasi innocens placeat, cum innocens nemo sit, & se extollendo plus pereat; instruitur & docetur peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis iubetur orare. Sic denique & Ioannes in Epistola sua monet dicens: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis & iustus est Dominus, qui nobis peccata dimittat.* [1. *Ioan.* I. 8.] In Epistola sua utrumque complexus est, quod & rogare pro peccatis debeamus, & impetremus indulgentiam cum rogamus. Ideo & fidelem dixit Dominum ad dimittenda peccata, fidem pollicitationis suæ reservantem. Quia qui orare nos pro debitis & peccatis docuit, paternam misericordiam promisit, & veniam sequuturam. Adiunxit plane & addidit legem, certa nos conditione & sponsione constringens, ut sic nobis dimitti debita postulemus, secundum quod & ipsi debitoribus nostris dimittimus: scientes impetrari non posse quod pro peccatis petimus, nisi & ipsi circa debitores nostros paria fecerimus. Idcirco & alio in loco dicit: *In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis.* [*Matth.* VII. 2.] Et servus qui post dimissum sibi a domino omne debitum, conservo suo noluit ipse dimittere, in carcerem relegatur. [*Ibid.* XVIII. 34.] Quia indulgere conservo suo noluit, quod sibi a Domino indultum fuerat, amisit. Quæ adhuc fortius Christus in præceptis suis maiore censuræ suæ vigore proponit: *Cum steteritis*, inquit, *ad orationem, remittite si quid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester qui in cælis est, remittat peccata vestra vobis: si autem vos non remiseritis, neque Pater vester qui in cælis est remittet vobis peccata vestra.* [*Marc.* XI. 25. & 26.] Excusatio tibi nulla in die iudicii superest, cum secundum tuam sententiam iudiceris, & quod feceris, hoc ipse patiaris. Pacificos enim & concordes atque unanimes esse in domo sua Deus præcepit: & quales nos fecit secunda nativitate, tales vult renatos perseverare; ut qui filii Dei esse cœpimus in Dei pace manea-

Digitized by Google

mus; & quibus Spiritus unus est, unus sit
& animus & sensus. Sic nec sacrificium
Deus recipit dissidentis, & ab altari rever-
tentem prius fratri reconciliari iubet, ut
pacificis precibus & Deus possit esse pa-
Matth. v. 24. catus. Sacrificium Deo maius est pax no-
stra & fraterna concordia & de unitate
Patris & Filii & Spiritus Sancti plebs a-
dunata. Neque enim in sacrificiis quæ
Gen. iv. 24. Abel & Cain primi obtulerunt, munera
eorum Deus, sed corda intuebatur, ut
ille placeret in munere, qui placebat in
corde. Abel pacificus & iustus dum Deo
sacrificat innocenter, docuit & ceteros
quando ad altare munus offerunt, sic ve-
nire cum Dei timore, cum simplici cor-
de, cum lege iustitiæ, cum concordiæ
pace. Merito ille dum in sacrificio Dei
talis est, ipse postmodum sacrificium Deo
factus est, ut martyrium primus osten-
dens, initiaret sanguinis sui gloria Do-
minicam Passionem; qui & iustitiam Do-
mini habuerat & pacem. Tales denique
a Domino coronantur: tales in die iudi-
cii cum Domino vindicabuntur. Ceterum
discordans & dissidens, & pacem cum fra-
tribus non habens, secundum quod bea-
1. Cor. xiii. 3. tus Apostolus & Scriptura sancta testa-
tur, nec si pro nomine Christi occisus
fuerit, crimen dissensionis fraternæ pot-
erit evadere; quia sicut scriptum est:
1. Ioan. iii. 15. *Qui fratrem suum odit, homicida est*, nec
ad regnum cælorum pervenit, aut cum Deo
vivit homicida. Non potest esse cum Chri-
sto, qui imitator Iudæ maluit esse, quam
Christi. Quale delictum est, quod nec
baptismo sanguinis potest ablui? Quale
crimen est, quod martyrio non potest
expiari?

S. August. *Serm.* 56. *alias de diversis*
Matth. vi. 12. 48. *cap.* 7. *num* 11. *Et dimitte nobis de-
bita nostra, sicut & nos dimittimus de-
bitoribus nostris.* Et ista petitio non est
exponenda, quia pro nobis petimus. No-
bis enim debita dimitti postulamus. De-
bitores enim sumus, non pecuniarum,
sed peccatorum. Dicis modo forte; Et
vos? Respondemus, Et nos Et vos Epi-
scopi sancti, debitores estis? Et nos de-
bitores sumus. Et vos? Absit, Domine;
noli tibi facere iniuriam. Non iniuriam
mihi facio, sed verum dico: debitores
1. Ioan. i. 8. sumus. *Si dixerimus quia peccatum non
habemus, nos ipsos decipimus, & veritas
in nobis non est.* Et baptizati sumus, &
debitores sumus. Non quia aliquid re-
mansit, quod nobis in baptismo non di-
missum fuerit: sed quia vivendo contra-
himus quod quotidie dimittatur. Qui ba-
ptizantur & exeunt, sine debito ascen-
dunt, sine debito pergunt. Qui autem
baptizantur & tenentur in hac vita de
fragilitate mortali contrahunt aliquid,
unde etsi non naufragatur, tamen oportet
ut sentinetur. Quia si non sentinatur,
paullatim ingreditur unde tota navis mer-
gatur. Et hoc orare, sentinare est.

Cap. 8 *num.* 12. Dimissis ergo pecca-
tis omnibus per lavacrum regenerationis,
in magnas angustias contrusi fuerimus,
si non nobis daretur quotidiana munda-
tio sanctæ orationis. Eleemosynæ & ora-
tiones mundant peccata; tantum ne ta-
lia committantur, unde necesse sit se-
parari nos a pane quotidiano: vitantes
debita, quibus debetur certa & severa
damnatio Nolite vos iustos dicere, qua-
si non habeatis unde dicatis: *Dimitte* Matth. vi.
nobis debita nostra, sicut & nos dimit- 12.
timus debitoribus nostris.

Cap 9. *num.* 13. Quotidie ergo dicamus
& corde vero dicamus, & quod dicimus
faciamus: *Dimitte nobis debita nostra,
sicut & nos dimittimus debitoribus no-
stris.* Sponsionem fecimus cum Deo, pa-
ctum & placitum. Hoc tibi dicit Domi-
nus Deus tuus: Dimitte, & dimitto. Non
dimisisti: tu contra te tenes, non ego.

Cap 10. *n.* 14 Iam propter illa quo-
tidiana peccata, de quibus loquutus sum,
quia necessarium est nobis dicere, velut
quotidiana mundatione ista. *Dimitte no-
bis debita nostra, sicut & nos dimitti-
mus debitoribus nostris*: quid facietis?
Habetis inimicos. Quis enim vivat in
hac terra non habens inimicum? Inten-
dite vobis, diligite illos. Nullo modo
tibi potest nocere sæviens inimicus,
quantum tibi noces, si non diligis ini-
micum. Ille enim nocere potest aut vil-
læ tuæ, aut pecori tuo, aut domui tuæ,
aut servo tuo, aut ancillæ tuæ, aut fi-
lio tuo, aut coniugi tuæ; aut, ut mul-
tum, si illi data fuerit potestas, carni
tuæ. Numquid, quomodo tu, animæ tuæ?
Extendite vos ad istam perfectionem,
carissimi, exhortor vos. Sed numquid
ego illud donavi vobis? Ille vobis dona-
vit, cui dicitis: *Fiat voluntas tua sicut* Matth. vi.
in cælo, ita & in terra. Tamen non vo- 10.
bis videatur impossibile: ego scio, ego
novi, ego probavi esse homines Chri-
stianos, qui diligunt inimicos suos. Si
vobis impossibile visum fuerit, non fa-

ciatis. Primo credite, posse fieri; & orate, ut fiat in vobis voluntas Dei. Quid enim tibi prodest malum inimici tui? Si malum nullum haberet; nec inimicus tuus esset. Bonum illi opta, finiat mala, & non erit tibi inimicus. Non enim inimica est tibi in illo natura humana, sed culpa. Numquid ideo tibi est inimicus, quod habet animam & carnem? Hoc est quod tu: animam habes, animam habet; carnem habes, carnem habet. Consubstantialis tuus est; simili de terra facti estis: a Domino animati estis. Hoc est ille quod tu, respice fratrem tuum. Primi duo parentes nostri erant, Adam & Eva; ille pater, illa mater: ergo nos fratres. Omittamus originem primam: Deus pater, Ecclesia mater: ergo nos fratres. Sed inimicus meus Paganus est, Iudæus est, Hæreticus est; & unde iamdudum dixi: *Fiat voluntas tua sicut in cælo, ita & in terra*. O Ecclesia, inimicus tuus est Paganus, Iudæus, hæreticus: terra est. Si cælum es, invoca Patrem, qui est in cælis, & pro inimicis tuis ora: quia & Saulus inimicus erat Ecclesiæ; sic oratum est pro illo, factus est amicus. Non solum destitit esse persequutor, sed laboravit ut esset adiutor, & si verum quæras, oratum est contra illum; sed contra eius malitiam, non naturam. Ora & tu contra malitiam inimici tui: illa moriatur, & ille vivat. Si enim mortuus fuerit inimicus tuus, quasi inimico caruisti, sed nec amicum invenisti. Si autem mortua fuerit malitia eius, & inimicum amisisti, & amicum invenisti. Matth. VI. 10.

Cap. 11. *n.* 15. Adhuc dicitis, Quis potest, quis illud fecit? Deus illud faciat, in cordibus vestris. Et ego scio, pauci illud faciunt, magni sunt qui faciunt, spiritales faciunt. Numquid tales sunt omnes in Ecclesia fideles ad altare accedentes, corpus & sanguinem Christi sumentes? Numquid tales sunt omnes? Et tamen omnes dicunt: *Dimitte nobis debita nostra; sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Si respondeat illis Deus, Quid a me petitis ut faciam quod promisi, quando vos non facitis quod præcepi? Quid promisi? dimittere debita vestra. Quid præcepi? ut & vos dimittatis debitoribus vestris. Quomodo potestis hoc facere, si non diligatis inimicos? Quid ergo facturi sumus, Fratres? Ad tantam paucitatem redigitur grex Christi? Si soli illi debent dicere: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, qui diligunt inimicos; nescio quid faciam, nescio quid dicam. Dicturus enim vobis sum, Si non diligitis inimicos vestros, nolite orare? Non audeo: immo ut diligatis, orate. Sed numquid vobis dicturus sum, Si non diligitis inimicos vestros, nolite in oratione Dominica dicere: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*? Puta quia dico, Nolite dicere: si non dixeritis, non dimittuntur: si dixeritis, & non feceritis, non dimittuntur. Ergo dicendum est & faciendum, ut dimittantur. Matth. VI. 12.

Cap. 12. *num.* 16. .... Dilige inimicos. Si non potes diligere sævientem, dilige vel petentem. Dilige hominem qui tibi dicit, Frater, peccavi, ignosce mihi. Tunc si non ignoveris, non dico, Dele orationem de corde tuo; sed, Deleberis de libro Dei.

Cap. 13. *num.* 17. .... Si non dimiseris, non illi noces, sed tibi. Nam ille scit quid est facturus. Non vis tu dimittere conservus conservo tuo: ibit ad Dominum vestrum, & dicet ei, Domine, rogavi conservum meum, ut dimitteret mihi, & noluit dimittere: tu mihi dimitte. Numquid non licet Domino debita relaxare servi sui? Ille accepta venia a Domino recedit absolutus, tu remanes obligatus. Quomodo obligatus? Venturum est tempus orationis, venturum est ut dicas: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: respondebit tibi Dominus: *Serve nequam, cum tanta mihi deberes, rogasti me, & dimisi tibi; Nonne oportebat & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?* De Evangelio sunt verba ista, non de corde meo. Si autem rogatus dimiseris veniam postulanti, iam potes dicere orationem istam. Matth. XVIII. 32. & 33.

Serm. 58. *alias* 42. *inter Homil.* 50. *cap.* 5. *n.* 6 *Dimitte nobis debita nostra*, dicimus, & dicamus; quia verum dicimus. Quis enim hic vivit in carne, & non habet debita? Quis est homo sic vivens, ut ei non sit ista oratio necessaria? Inflare se potest, iustificare non potest. Bonum est illi, ut imitetur Publicanum, nec tumescat sicut Pharisæus, qui ascendit in templum, & iactavit merita sua, texit vulnera sua. Ille autem scivit quare ascenderit, qui dicebat: *Domine propitius esto mihi peccatori*. Hoc Dominus Iesus, considerate, Fratres mei, Hoc Dominus Iesus orare Matth. VI. 12. Luc. XVIII. 10. &c. Ibid. 13.

Pars III Sect. II. Cap. IV. §. 2.

fenſione & malevolentia, illi incaſſum orant?

R. Non ſolum orant fruſtra; ſed & ſuum ipſi ſibi iudicium dicunt. Qui enim ais Deo, *Dimitte nobis ſicut & nos dimittimus*, Deum oras ut agat tecum eo plane modo quo tu agis cum proximo. Non dimittis proximo debenti tibi, oras ergo ut nec Deus dimittat tibi quod peccaſti; ergo proprio te ore iudicas, & condemnas (P).

I. Quis cenſetur acceptas iniurias vere & ex animo condonaſſe?

R. Qui depoſita omni offenſione diligit proximum, etiam inimicum, ſicut ſeipſum.

Part. 2. ſect. 2. cap. 4. §. 2. De condonatione iniuriarum iam fuſe egimus.

I. Quæ eſt connexio huius petitionis cum ſuperioribus?

R. Hoc nobis in animo eſſe debet, ut glorificetur per nos Deus, & regnet in nobis. Ut id fiat, neceſſe eſt eius nos voluntati ſubiici: ut autem eius voluntati ſubiiciamur, duo plane neceſſaria ſunt; primum, ut det nobis quod neceſſe eſt animæ & corpori; alterum, ut dimittat peccata noſtra, ne illa obſint gratiæ Dei.

VI. Petitio. *Ne nos inducas in tentationem.*

I. Quis ſenſus eſt huius petitionis, *Ne nos inducas in tentationem?*

R. Antequam huic quæſtioni reſpondeam, neceſſe eſt noſſe prius quid *tentationis* nomine deſignetur; item quid ſibi velint hæc verba; *inducere aliquem in tentationem.*

I. Quid ergo ſignificat ea vox *tentatio*, *tentare?*

R. Tentatio ſumitur in genere pro experimento & periculo. Cum alicuius rei periculum & experimentum facimus, id tentare dicimus, ut patet ex his exemplis e Cicerone petitis: *Tento te quo animo accipias. Homines in præliis belli fortunam tentare & periclitari ſolent. Experiar & tentabo omnia.* Cicero orat. [illegible] in Verr. [illegible] Ep. 10 ad Ciceř.

Tentamus autem ut plurimum, ut faciamus periculum rei ignotæ. Hoc ſenſu Deus tentat neminem, tentat nihil. *Omnia enim nuda & aperta ſunt oculis eius:* & ipſe corda hominum novit. Hebr. IV. 13

Tentamus quoque ad eruditionem & exercitationem, non noſtram, ſed alterius. Sic tentat præceptor diſcipulum, ut cum erudiat, ut eius doctrinam probet, & manifeſtam faciat ceteris auditoribus. Sic Deus tentare homines ſæpius dicitur in Scripturis, ut det locum illis exercendæ virtutis, ut virtus eorum innoteſcat, & ſit exemplo ceteris, ut ampliori mercede & præmio donetur. Tentaſſe Deus Abrahamum dicitur, cum dedit illi præ-

---

docuit Diſcipulos ſuos, illos magnos primos Apoſtolos ſuos, arietes noſtros. Si ergo pro peccatis ſuis dimittendis arietes orant, agni quid debent facere: de quibus dictum eſt: *Afferte Domino filios arietum?* Hoc ergo ſcitis vos in Symbolo reddidiſſe, quia inter cetera nominaſtis remiſſionem peccatorum. Remiſſio peccatorum una eſt, quæ ſemel datur; alia, quæ quotidie datur Remiſſio peccatorum una eſt, quæ ſemel datur in ſancto Baptiſmate; alia quæ quamdiu vivimus hic datur in Dominica oratione. Propter quod dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra.* Pſ. XXVIII. 1.

(P) Matth. VI. 15. Si autem non dimi-

ceptum immolandi filii (Q). Tentat nos Deus quotidie adversitatibus, morbis, pauperie, &c. His fides nostra & virtus probantur sicut aurum in fornace. Probationes illæ solent in Scripturis tentationes appellari (R).

Tandem tentatio sumitur in malam partem, pro deceptione & impulsione ad peccatum. Quo sensu Deus tentat neminem, sed unusquisque tentatur vel a dæmone, qui ideo satanas, id est, tentator dicitur, vel ab eis qui agunt instigante diabolo, vel a propria concupiscentia (S).

I. Iam dic quæso quid significent hæc verba, *inducere aliquem in tentationem?*

R. His verbis non una subiecta notio est.

Primo enim idem sonant quod suggerere alicui peccatum, impellere aliquem ad peccandum: & hæc quidem notio ceteris usitatior. Hoc modo Deus neminem inducit in tentationem. Quis ferre possit hanc Deo fieri contumeliam, ut dicatur auctor, suasor, & impulsor peccati?

Unusquisque autem in tentationem eo modo inducitur vel a satana, vel a mundo, vel a propria concupiscentia. Inducit ad peccandum diabolus suggerendo malitiam, aliasque adhibendo quas habet mille nocendi artes. Inducit ad peccandum mundus suis terroribus, erroribus, amoribus, ut ait S. Augustinus. Fallit erroribus, exemplis, allicit blanditiis & voluptatibus, terret persequutionibus. Tandem propria nos ad peccandum inducit concupiscentia pravis affectionibus (T).

Pars III. Secr. II. Cap. IV. §. 2.

Lib. de corr. & grat. cap. 12. n. 35.

De triplici illo tentationum genere iam egimus in prima parte huius operis satis superque.

Sect. 1 Cap. 3. §. 8. & 11.

2. Inducere in tentationem dicitur, qui cum possit, non impedit tamen, ne homo a tentatione superetur & peccet.

Hoc modo dici potest Deus inducere hominem in tentationem; (quamquam non ita proprie:) potest enim Deus si velit vel amovere tentationem, vel sic adiuvare hominem, ne a tentatione superetur & peccet. Multos tamen Deus oc-

seritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.

S. Aug. *Serm.* 56. *alias de divers.* 48. *Vide litt. preced.*

(Q) Genes. xxii. 1. Quæ posquam gesta sunt, tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit: Adsum. Ait illi: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium quem monstravero tibi.

(R) Deuteron. xiii. 3. Non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum an non, in toto corde, & in tota anima vestra. *Ait Deus loquens de falsis Prophetis.*

Tob. xii. 13. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.

Proverb. xvii. 3. Sicut igne probatur argentum, & aurum camino: ita corda probat Dominus.

Eccli. ii. 5. Quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis.

(S) Matth. iv. 3. Et accedens tentator, dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant, &c.

(T) Iacob. i. 13. Nemo cum tentatur dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est; ipse autem neminem tentat. Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus.

culto sed æquissimo iudicio sic relinquit in manu consilii sui ut sinat eos a tentatione superari.

3. Hominem in tentationem inducere dicitur, qui cum possit eum a peccandi periculo removere vel avocare, cum tamen vel ponit vel sinit esse in illo concursu rerum, in quo habita ratione fragilitatis & pravæ affectionis aut indolis, adest ipsi præsens occasio peccandi, cui succumbit.

Et hoc modo dici potest Deus homines in tentationem inducere. Rom. I. 28. *Tradit* enim sæpissime *Deus eos in desideria cordis eorum, ut faciant ea quæ non conveniunt*, inquit Apostolus. Divitias, honores, aliaque bona temporalia concedit, tametsi noverit illis homines esse male usuros.

In eo suam Deus exerit vel iustitiam vel misericordiam.

Iustitiam quidem; neque enim deserit quemquam Deus, nisi prius ab ipso desertus fuerit; nec tradit quemquam in prava cordis desideria, nisi in pœnam præcedentis peccati.

Misericordiam autem: cum scilicet suos deserit ad tempus, ut tentatione superati, in superbiæ vel negligentiæ pœnam, surgant cautiores, vel ut ait S. August. doctiores & humiliores (V). Lib. de corr. & grat. c. 9. n. 24.

(V) S. August. *Serm. 57. alias 9. de diversis cap. 9. num. 9. Ne nos inferas in tentationem* .... In Sancti Iob libro legimus: Iob. VII. 1. *Numquid non tentatio est vita humana super terram?* Quid ergo rogamus? Quid, audite. Apostolus Iacobus dicit: Iacob. I. 13. *Nemo cum tentatur dicat quod a Deo tentatur*. Tentationem istam malam dixit, qua quisque decipitur, & Diabolo subiugatur, ipsam dixit tentationem. Est enim alia tentatio, quæ appellatur probatio: Deut. XIII. 3. de ipsa tentatione scriptum est: *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum*. Quid est, *ut sciat?* Ut scire vos faciat: nam ipse novit. In illa tentatione qua quisque decipitur & seducitur, neminem tentat Deus: sed plane iudicio suo alto & occulto quosdam deserit. Cum ille deseruerit, invenit quid faciat tentator. Non enim invenit adversus se luctatorem, sed continuo illi se exhibet possessorem, si deserat Deus. Ne deserat ergo nos, ideo dicimus: Matth. VI. 13. *Ne nos inferas in tentationem*. *Unusquisque enim tentatur*, ait idem Apostolus Iacobus, Iacob. I. 14. & 15. *a concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum autem cum consummatum fuerit, generat mortem*. Quid nos docuit? ut pugnemus contra concupiscentias nostras. Etenim in Baptismo sancto peccata dimissuri estis: concupiscentiæ remanebunt, cum quibus regenerati pugnetis. Restat enim conflictus in vobis ipsis. Nullus hostis metuatur extrinsecus: te vince, & mundus est victus. Quid tibi facturus est tentator extraneus, sive diabolus, sive minister diaboli? Quicumque homo proponit lucrum, ut seducat, avaritiam in te non inveniat: quid facit propositor lucri? Si autem avaritia in te inventa fuerit, viso lucro inardescis, vitinsæ escæ caperis laqueo. Si autem in te non invenerit avaritiam, remansit frustra extenta muscipula. Proponit tibi tentator pulcherrimam feminam: adsit intus castitas, victa est foris iniquitas. Ut ergo non te capiat proposita pulcritudine mulieris alienæ, cum tua libidine intus pugna. Non sentis hostem tuum, sed sentis concupiscentiam tuam. Diabolum non vides, sed quid te delectet vides. Vince intus quod tu sentis. Pugna, pugna: quia qui te regeneravit, iudex est: proposuit luctam, parat coronam. Sed quia sine dubio vinceris, si illum adiutorem non habueris, si te deseruerit: ideo ponis in oratione: *Ne nos inferas in tentationem*. Ita iudicis donavit quosdam concupiscentiis suis: & dicit illud Apostolus: *Tradidit illos Deus in concupiscentiam cordis illorum*. Rom. I. 24. Quomodo tradidit? Non cogendo, sed deserendo.

Lib. de correption. & grat. capite 8. num. 18. Mirandum est quidem, mul-

Digitized by Google

tamque mirandum, qund filiis suis quibusdam Deus quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam; cum filiis alienis scelera tanta dimittat, atque impertita gratia faciat filios suos..... Certe hic iudicia Dei, quoniam iusta & alta sunt, nec vituperari possunt, nec penetrari.... De utrisque ergo exclamemus: [Rom. xi. 33.] *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientia Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius!*

Cap. 9. *num.* 23. Apostolus cum dixisset: [Rom. viii. 28.] *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum:* Sciens nonnullos diligere Deum, & in eo bono usque in finem non permanere, mox addidit: [Ibid.] *His qui secundum propositum vocati sunt*. Hi enim in eo quod diligunt Deum, permanent usque in finem; & qui ad tempus inde deviant, revertuntur, ut usque in finem perducant, quod in bono esse cœperunt.

Num. 24. Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperator in bonum; usque adeo prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores. Discunt enim in ipsa via iusta cum tremore se exsultare debere, non sibi arrogando tamquam de sua virtute fiduciam permanendi, nec dicendo in abundantia sua: [Ps. xxix. 7.] *Non movebimur in æternum*. [Ps. ii. 11.] Propter quod eis dicitur: *Servite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore, nequando irascatur Dominus & pereatis de via iusta*. Neque enim ait, Et non veniatis ad viam iustam; sed, *ne pereatis*, inquit, *de via iusta*; quod ostendens, nisi eos esse commonitos, qui iam ambulant in via iusta, ut in timore Deo serviant, id est: [Rom. xi. 20.] *Non altum sapiant, sed timeant*... Non enim habebat hunc timorem & tremorem, qui dicebat in abundantia sua: [Ps. xxix. 7.] *Non movebor in æternum*. Sed quia filius erat promissionis, non perditionis, expertus, Deo paullolum deserente, quid esset ipse: [Ibid. 8.] *Domine*, inquit, *in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; avertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus*. Ecce doctior, & ob hoc etiam humilior, tenuit viam, iam videns & confitens, in voluntate sua Deum decori eius præstitisse virtutem: quod sibi ipse tribuens, & de se præsumens in tali abundantia quam præstiterat Deus, non de illo qui eam præstiterat, dicebat: *Non movebor in æternum*. Factus est ergo conturbatus, ut se inveniret, & humiliter sapiens, non solum æternæ vitæ, verum etiam in hac vita piæ conversationis, & perseverantiæ, in quo spes habenda esset, addisceret. Hæc vox & Apostoli Petri esse potuit: dixerat quippe & ipse in abundantia sua: [Ioan. xiii. 37.] *Animam meam pro te ponam*: sibi festinando tribuens, quod ei fuerat a Domino postea largiendum. Avertit autem ab illo faciem Dominus, & factus est conturbatus; ita ut eum, mori pro illo metuens, ter negaret. Sed rursus convertit ad eum faciem suam Dominus, & culpam lacrimis diluit. Quid est enim aliud, [Luc. xxii. 61.] *Respexit eum*, nisi faciem, quam paullulum ab illo averterat, revocavit ad eum? Factus ergo fuerat conturbatus; sed quia didicit non de se ipso fidere, etiam hoc ei profecit in bonum, faciente illo qui diligentibus eum omnia cooperatur in bonum; qoia secundum propositum vocatus erat, ut nemo eum posset eripere de manu Christi, cui datus erat.

Num. 25. Nemo ergo dicat, non esse corripiendum qoi exorbitat de via iusta, sed ei reditum & perseverantiam a Domino tantum esse poscendam: nemo prudens & fidelis hoc dicat. Si enim secundum propositom vocatus est iste, proculdubio illi, etiam quod corripitur, Deus cooperatur in bonum. Utrum autem ita sit vocatus, quoniam qui corripit nescit; faciat ipse cum caritate quod scit esse faciendum: scit enim talem corripiendum; facturo Deo aut misericordiam aut iudicium: misericordiam quidem, si a massa perditionis ille qui corripitur, gratiæ largitate discretus est, & non est inter vasa iræ quæ perfecta [Rom. ix. 22.] sunt in perditionem, sed inter vasa misericordiæ quæ præparavit Deus in gloriam: iudicium vero, si in illis est damnatus, in his non est prædestinatus.

Cap. 13. *num* 42.... Hi ergo qui non pertinent ad istum certissimum, & felicissimum (*prædestinatorum ad gloriam*) numerum, pro meritis iustissime iudicantur. Aut enim iacent sub peccato, quod originaliter generatione traxerunt, & cum illo hereditario debito hinc exeunt, quod non est regeneratione dimissum; aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt: arbitrium, inquam, liberum,

sed non liberatum; liberum iustitiæ, peccati autem servum, quo volvuntur per diversas noxias cupiditates, alii magis, alii minus; sed omnes mali, & pro ipsa diversitate diversis suppliciis iudicandi. Aut gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseverant; deserunt & deseruntur. Dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseverantiæ dono, iudicio Dei iusto, & occulto. *Hæc eadem toto fere libro inculcat S. Doctor, uti & in sequenti, de quo hæc tantum exscribenda suscepimus.*

De dono persever. cap. 5. *num.* 9 Iam vero cum dicunt sancti: *Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a malo*; (Matth. VI. 13.) quid aliud quam ut in sanctitate perseverent, precantur? Nam profecto concesso sibi isto Dei dono, quod esse Dei donum, cum ab illo poscitur, satis aperteque monstratur; isto ergo concesso sibi dono Dei, ne inferantur in tentationem, nemo sanctorum non tenet usque in finem perseverantiam sanctitatis. Neque enim quisquam in proposito Christiano perseverare desistit, nisi in tentationem primitus inferatur. Si ergo concedatur ei quod erat, ut non inferatur; utique sanctificatione, quam Deo donante percepit, Deo donante persistit.

Cap. 6. *num.* 11..... Dicat mihi quisquis audet, utrum Deus dare non possit quod a se posci imperavit? Hoc certe qui sapit, non dico desipit, sed insanit. Imperavit autem Deus, ut ei sancti eius dicant orantes: *Ne inferas nos in tentationem*. (Ibid.) Quisquis igitur exauditur hoc poscens, non infertur in contumaciæ tentationem, qua possit vel dignus sit perseverantiam sanctitatis amittere.

Num. 12. At enim, *voluntate sua quisque deserit Deum, ut merito deseratur a Deo*. Quis hoc negaverit? Sed ideo petimus ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat. Et si exaudimur, utique non fit; quia Deus non permittit ut fiat. Nihil enim fit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit. Potens ergo est, & a malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas convertere, ac dirigere in sibi placitum gressum. Cui non frustra dicitur: *Deus tu conversus vivificabis nos*; (Ps. LXXXIV. 7.) non frustra dicitur: *Ne des ad movendum pedem meum*; (Ps. LXV. 9.) non frustra dicitur: *Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori*; (Ps. CXXXIX. 9.) postremo, ne multa commemorem, cum vobis plura fortassis occurrant, non frustra dicitur: *Ne nos inferas in tentationem*. (Matth. VI. 13.) Nam quisquis in tentationem non infertur, profecto nec in tentationem suæ malæ voluntatis infertur, & qui in tentationem suæ malæ voluntatis non infertur, in nullam prorsus infertur. *Unusquisque* enim *tentatur*, ut scriptum est, *a concupiscentia sua abstractus & illectus*: (Iacob. I. 14.) *Deus autem neminem tentat*, (Ibid. 13.) tentatione scilicet noxia. Nam est & utilis, qua non decipimur vel opprimimur, sed probamur, secundum quod dictum est: *Proba me, Domine, & tenta me*. (Ps. XXV. 2.) Illa ergo noxia tentatione, quam significat Apostolus, dicens: *Ne forte tentaverit vos qui tentat, & inanis sit labor noster*, (1. Thess. III. 5.) Deus, ut dixi, neminem tentat; hoc est, neminem infert aut inducit in tentationem. Nam tentari & in tentationem non inferri, non est malum, immo etiam bonum est: hoc est enim probari. Quod itaque dicimus Deo: *Ne nos inferas in tentationem*: quid dicimus, nisi, Ne nos inferri sinas? Unde sic orant nonnulli, & legitur in codicibus pluribus, & hoc sic posuit beatissimus Cyprianus: *Ne patiaris nos induci in tentationem*. In Evangelio tamen Græco nusquam inveni, nisi, *Ne nos inferas in tentationem*. Tutiores igitur vivimus si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus: quod vidit iste venerabilis martyr. Nam cum eumdem locum orationis exponeret, ait post cetera: *Quando autem rogamus*, &c. *ut infra apud* Cyprianum, *litt.* (X).

Cap. 7. *num.* 13. Si ergo alia documenta non essent, hæc Dominica oratio nobis ad caussam gratiæ quam defendimus sola sufficeret: quia nihil nobis reliquit, in quo tamquam in nostro gloriemur. Siquidem & ut non discedamus a Deo non ostendit dandum esse nisi a Deo, cum poscendum ostendit a Deo. Qui enim non infertur in tentationem, non discedit a Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt: fuerat in homine antequam caderet... Post casum autem hominis, nonnisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum; neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo.

Num. 14. Hanc gratiam posuit *in illa, in quo sortem consequuti sumus, prædestinati secundum propositum eius qui uni-* (Ephes. I. 11.)

verſa operatur. Ac per hoc ſicut operatur ut accedamus, ſic operatur ne diſcedamus. Propter quod ei per Prophetam (Pſ. LXXIX. 18. & 19.) dictum eſt: *Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi, & non diſcedimus a te*. Iſte certe non eſt Adam primus, in quo diſceſſimus ab eo: ſed Adam noviſſimus, ſuper quem fit manus eius, ut non diſcedamus ab eo. Chriſtus enim totus cum membris ſuis eſt, propter Eccleſiam, quæ eſt corpus eius, plenitudo eius... in Chriſto enim ſortem conſequuti ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum eius qui univerſa operatur. Manus igitur Dei eſt iſta, non noſtra, ut non diſcedamus a Deo. Manus, inquam, (Ier. XXXII. 40.) eius eſt iſta, qui dixit: *Timorem meum dabo in cor eorum, ut a me non recedant*.

Num. 15. Propter quod & poſci a ſe voluit, ne inferamur in tentationem: quia & ſi non inferimur, nulla ab eo ratione diſcedimus. Quod poterat nobis & non orantibus dari: ſed oratione noſtra nos voluit admoneri, a quo accipiamus hæc beneficia. A quo enim, niſi ab illo accipimus, a quo iuſſum eſt ut petamus? Prorſus in hac re non operoſas diſputationes exſpectet Eccleſia: ſed attendat quotidianas orationes ſuas. Orat, ut increduli credant: Deus ergo convertit ad fidem. Orat, ut credentes perſeverent: Deus ergo donat perſeverantiam uſque in finem. Hæc Deus facturum ſe eſſe præſcivit. Ipſa eſt prædeſtinatio (Ephes. I. 4.) Sanctorum, quos elegit in Chriſto *ante conſtitutionem mundi, ut eſſent ſancti & immaculati in conſpectu eius in caritate*, &c.

Cap. 8. *num* 16 *Sed cur*, inquit, *gratia Dei non ſecundum merita hominum datur?* Reſpondeo, Quoniam Deus miſericors eſt. *Cur ergo*, inquit, *non omnibus?* Et hic reſpondeo, Quoniam Deus iudex eſt. Ac per hoc & gratis ab eo datur gratia; & iuſto eius in aliis iudicio demonſtratur, quid, in eis quibus datur, conferat gratia. Non itaque ſimus ingrati, quod ſecundum placitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ tam multos liberat miſericors Deus de tam debita perditione, ut ſi inde neminem liberaret, non eſſet iniuſtus. Ex uno quippe omnes in condemnationem non iniuſtam iudicati ſunt ire, ſed iuſtam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat: qui non liberatur, debitum agnoſcat. Si in remittendo debito bonitas, exigendo æquitas intelligitur; nuſquam eſſe apud Deum iniquitas invenitur.

Num 18. *Sed ſi iam*, inquit, *hoc oportebit, ut damnatis non omnibus, quid omnibus deberetur oſtenderet, atque ita gratius ſuam gratiam vaſis miſericordiæ commendaret: cur in eadem cauſſa me quam illum potius puniet, aut illum quam me potius liberabit?* Hoc non dico: ſi quæris quare; quia fateor me non invenire quid dicam. Si & hoc quæris quare; quia in hac re ſicut iuſta eſt ira eius, ſicut magna eſt miſericordia eius, ita inſcrutabilia iudicia eius.

Num 19 Deus autem melius eſſe iudicavit, miſcere quoſdam non perſeveraturos certo numero ſanctorum ſuorum; ut quibus non expedit in huius vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri. Multos enim a pernicioſa elatione reprimit quod ait Apoſtolus: (I. Cor. X. 12.) *Quapropter qui videtur ſtare, videat ne cadat*. Voluntate autem ſua cadit, qui cadit; & voluntate Dei ſtat, qui ſtat. (Rom. XIV. 4.) *Potens eſt enim Deus ſtatuere illum*: non ergo ſe ipſe, ſed Deus. Verum tamen bonum eſt non altum ſapere, ſed timere. (Rom. XI. 20.) In cogitatione autem ſua vel cadit quiſque, vel ſtat. Sicut autem Apoſtolus ait, quod in libro ſuperiore memoravi: (2. Cor. III. 5.) *Non ſumus idonei cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Quem ſequutus & beatus Ambroſius audet, & dicit: (S. Ambr. de fug. ſecul. cap. I.) *Non enim in poteſtate noſtra cor noſtrum, & noſtræ cogitationes*. Quod omnis qui humiliter, & veraciter pius eſt, eſſe veriſſimum ſentit.

Cap. 11. *num* 25.... Quibus (Deus) non vult ſubvenire, non ſubvenit: de quibus in ſua prædeſtinatione occulte quidem, ſed iuſte aliud iudicavit. (Rom. IX. 14.) *Non enim eſt iniquitas apud Deum*; (Rom. XI. 33.) ſed *inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inveſtigabiles viæ eius: univerſæ autem viæ Domini miſericordia & veritas*. (Pſ. XXIV. 10.) Inveſtigabilis ergo eſt miſericordia, qua *cuius vult miſeretur*, (Rom. IX. 18.) nullis eius præcedentibus meritis: & inveſtigabilis veritas, qua quem vult obdurat, eius quidem præcedentibus meritis, ſed cum eo cuius miſeretur plerumque communibus: Sicut duorum geminorum, quorum unus aſſumitur, unus relinquitur, diſpar eſt exitus, merita communia: in quibus tamen ſic alter magna Dei bonitate liberatur, ut alter nulla eius iniquitate

Pars III. Sect. II. Cap. IV. §. 2.

Pars III. Sect. II. Cap. IV. §. 2.

I. Iam exponas velim quid petamus a Deo his verbis, *Ne nos inducas in tentationem*.

R. Id rogamus, 1. ut ne sinat nos tentari a diabolo, vel saltem ne permittat nos tentari supra id quod possumus.

2. Ut ne nos deserat in tempore tentationis, nec patiatur succumbere satanæ insidiis: sed *faciat etiam cum tentatione proventum*. (1. Cor. 10. 13.)

3. Ut ne tradat nos in desideria cordis nostri, si forte noxia desideramus: sed det nobis vires ad vincendas cupiditates.

4. Ut sæviat in nos temporalibus flagellis, si forte noverit nos prosperis esse deiiciendos in ruinam, & præcipitium.

5. Ut det nobis vires necessarias ad vincendum mundum cum suis terroribus, erroribus, amoribus. (S. Aug. lib. de Cor. & Grat. c. 12. n. 35.)

6. Ut si forte contingat nos tentationi præ fragilitate succumbere, det nobis saltem validas ad surgendum vires (X).

(Rom. 11. 14.) daonetur. *Numquid* enim *iniquitas est apud Deum? Absit*: sed investigabiles sunt viæ ipsius. Itaque misericordiam eius in his qui liberantur, & veritatem in his qui puniuntur, sine dubitatione credamus: neque inscrutabilia scrutari, aut investigabilia vestigare conemur.

Cap. 12. *num.* 28. Conficitur itaque gratiam Dei non secundum merita accipientium dari, sed *secundum placitum voluntatis eius, in laudem & gloriam ipsius gratiæ eius*, ut *qui gloriatur*, nullo modo in seipso, sed *in Domino glorietur*: qui hominibus dat quibus vult, quoniam misericors est; quod etsi non det, iustus est: & non dat quibus non vult, *ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ*. Dando enim quibusdam quod non merentur, profecto gratuitam, & per hoc veram suam gratiam esse voluit; non omnibus dando, quid omnes merentur ostendit. Bonus in beneficio certorum, iustus in supplicio ceterorum: & bonus in omnibus, quoniam bonum est, cum debitum redditur; & & iustus in omnibus, quoniam iustum est, cum indebitum sine cuiusquam fraude donatur. (Ephes. 1. 5. & 6.; 1. Cor. 1. 31.; Rom. 12. 23.)

(X) S. August. *Enchirid. cap.* 81. *num.* 22.... Duabus ex caussis peccamus, aut nondum videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri iam videmus: quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis. Contra quæ quidem pugnare nos convenit: sed profecto vincimur, nisi divinitus adiuvemur, ut non solum videamos quid faciendum sit, sed etiam accedente sanitate delectatio iustitiæ vincat in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo, scientes videntesque peccamus; iam non solum peccatores, quod eramus etiam cum per ignorantiam peccabamus, verum etiam legis prævaricatores, cum id non facimus quod faciendum esse iam scimus. Quapropter non solum si peccavimus, ut ignoscat, propter quod dicimus: *Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; verum etiam ne peccemus, ut regat, propter quod dicimos: *Ne nos inferas in tentationem*; ille rogandus est, cui dicitur in Psalmo: *Dominus illuminatio mea & salus mea*; ut illuminatio detrahat ignorantiam, salus infirmitatem. (Matth. VI. 12.; Ps. XXVI. 1.)

Epist. 145. *alias* 144. *ad Anastat. num.* 2.... Cum molestiæ in huius vitæ fragilitate crebrescunt, æternam requiem nos desiderare compellunt. Mundus quippe iste periculosior est blandus quam molestus, & magis cavendus cum se illicit diligi, quam cum admonet cogitque contemni. Nam cum omnia quæ in illo sunt, *concupiscentia* sint *carnis*, *concupiscentia oculorum*, *& ambitio seculi*, sæpe etiam iis qui talibus spiritalia, invisibilia, æterna præponunt, inserit se terrenæ suavitatis affectus, & delectationibus suis nostra comitatur officia. Quanto enim sunt caritati futura meliora, tanto sunt infirmitati violentiora præsentia. Et utinam ii qui ea videre, & gemere noverunt, vincere & evadere mereantur: quod sine Dei gratia nullo modo voluntas implet humana; quæ nec libera dicenda (Ioan. II. 16.)

est, quamdiu est vincentibus, & vincientibus cupiditatibus subdita. *A quo* [2. Petr. II. 19.] *enim quis devictus est, hunc & servus addictus est*: Et *Si vos Filius liberaverit*, [Matth. xvi. 41.] ait ipse Dei Filius, *tunc vere liberi eritis*.

Num. 8.... Nam ut quid nobis dicitur: [Matth. vi. 13.] *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem?* Ut quid etiam secundum hanc exhortationem, cum doceret orare, præcepit ut dicamus: *Ne nos inferas in tentationem*: si hoc non impletur ex adiutorio gratiæ divinæ, sed id totum est in arbitrio voluntatis humanæ.

Tertul. *de orat.* Adiecit ad plenitudinem tam expeditæ orationis, ut non de remittendis tantum, sed etiam de avertendis in totum delictis, supplicaremus; *Ne nos inducas in tentationem*, id est ne nos patiaris induci, ab eo utique qui tentat. Ceterum absit ut Dominus tentare videatur, quasi aut ignoret fidem cuiusque, aut deiicere gestiens. Diaboli est & infirmitas & malitia. Nam & Abrahamum non tentandæ fidei gratia sacrificare de filio iusserat, sed probandæ; ut per eum faceret exemplum præcepto suo, quo mox præcepturus erat, neque pignora Deo cariora habenda. Ipse a diabolo tentatus, præsidem, & [Marc. xiv. 38.] artificem tentationis demonstravit. Hunc locum posterioribus confirmat, *Orate*, dicens, *ne tentemini*. A Deo tentati sunt Dominum deserendo, qui somno potius indulserant quam orationi. Eo respondet clausula interpretans quid sit: *Ne nos deducas in tentationem*. Hoc est enim, *sed devehe nos a malo*.

S. Cypr. *de orat. Dom.* Illud quoque necessarie admonet Dominus, ut in oratione dicamus: *Et ne nos patiaris induci in tentationem*. Qua in parte ostenditur nihil contra nos adversarium posse, nisi Deus ante permiserit; ut omnis timor noster & devotio atque observatio ad Deum convertatur, quando in tentationibus nostris nihil malo liceat, nisi potestas inde tribuatur. Probat Scriptura [4. Reg. xxiv. 11.] divina, quæ dicit: *Venit Nabuchodonosor Rex Babyloniæ in Hierusalem, & expugnabat eam, & dedit eam Dominus in manu eius*. Datur autem potestas adversus nos malo secundum peccata nostra, sicut scriptum est: *Quis dedit in* [Isai. xlii. 24. & 25.] *direptionem Iacob & Israel eis qui prædabantur illum? Nonne Deus cui peccaverunt, & nolebant in viis eius ambulare, neque audire legem eius, & superduxit super eos iram animationis suæ?* Et iterum, Salomone peccante, & a præceptis atque a viis Domini recedente, positum est: *Et excitavit Dominus Satanam ipsi Salomoni*. Potestas vero dupli- [3. Reg. xi. 14.] citer adversus nos datur, vel ad pœnam cum delinquimus, vel ad gloriam cum probamur: sicuti de Iob factum videmus, manifestante Deo & dicente: *Ecce omnia* [Iob. I. 12.] *quæcumque habet, in manus tuas do: sed ipsum cave ne tangas*. Et Dominus in Evangelio loquitur tempore passionis ad Pilatum: *Nullam haberes adversus me po-* [Ioan. xix. 11.] *testatem, nisi datum esset tibi desuper*. Quando autem rogamus ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbe atque arroganter aliquid assumat, ne quis sibi aut confessionis aut passionis gloriam suam ducat, cum Dominus ipse humilitatem docens dixerit: *Vigilate & orate, ne veniatis in* [Marc. xiv. 38.] *tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*: ut dum præcedit humilis & summissa confessio, & datur totum Deo, quidquid suppliciter cum timore & honore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.

S. August. *de serm. Dom. in monte, lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 30. Sexta petitio est: *Et ne nos inferas in tentationem*: nonnulli codices habent, *inducas*, quod tantumdem valere arbitror: nam ex eo Græco quod dictum est εἰσενέγκῃς, utrumque translatum est. Multi autem precando ita dicunt: *Ne nos patiaris induci in tentationem*; exponentes videlicet quomodo dictum sit, *inducas*. Non enim per seipsum inducit Deus, sed induci patitur eum, quem suo auxilio deseruerit, ordine occultissimo ac meritis. Caussis etiam sæpe manifestis dignum iudicat ille quem deserat, & in tentationem induci sinat. Aliud est autem induci in tentationem, aliud tentari. Nam sine tentatione probatus esse nullus potest, sive sibi ipsi, sicut scriptum est: *Qui non est* [Eccli. xxxiv. 9.] *tentatus, qualia scit?* sive alii, sicut Apostolus ait: *Et tentationem vestram in* [Gal. iv. 13. & 14.] *carne mea non sprevistis*. Hinc enim eos firmos ipse cognovit, quod eis tribulationibus, quæ Apostolo secundum carnem acciderant, non sunt a caritate deflexi. Nam Deo noti sumus & ante omnes tentationes, qui scit omnia antequam fiant.

Digitized by Google

PARS III. SECT. II. CAP. IV. §. 2.

I. Peccatne qui tentatur sive a diabolo, sive a mundo, sive a propria concupiscentia?

R. Peccat qui tentationi succumbit, & vincitur: non peccat qui tentatur; Christus enim ipse tentari *Hebr. IV. 15.* voluit. *Non enim habemus Pontificem*, inquit Apostolus, *qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*. Et habemus in Evangeliis ductum fuisse Iesum, *Matth. IV. 1.* *a spiritu in desertum ut tentaretur a diabolo*. Non peccat ergo qui tentatur: immo si tentatio superetur, *1. Cor. X. 13.* fit cum tentatione proventus, ut Apostoli verbis utar.

I. Quid facto opus ut tentationes superentur?

R. Occurrendum atque obsistendum tentationibus oratione & vigilantia. *Vigilate & orate*, inquit Christus, *ut non intretis in tentationem*. *Matth. XXVI. 41.*

I. In quo posita est illa vigilantia?

R. 1. Ut fugiantur peccandi occasiones.

2. Ut nullum vacuum relinquatur ab officio & occupatione tempus.

3. Ut fugiatur frequentior hominum consuetudo.

4. Ut *sumamus in omnibus*, ut *Ephes. VI. 16. & 17.* monet Apostolus, *scutum fidei, in quo possimus omnia tela inimici ignea extinguere, & galeam salutis, & gladium spiritus, quod est verbum Dei*.

I. Quid facto opus cum actu tentamur?

R. 1. Instantius & vehementius orandum.

2. Munienda frons sacro crucis signo.

3. Revocanda in mentem verba

Num. 31. Quod itaque scriptum est: *Deut. XIII. 3.* *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum*: illa loquutione positum est, *ut sciat*, pro eo quod est, ut scire vos faciat: sicut diem lætum dicimus, quod lætos faciat; frigus pigrum, quod pigros facit; & innumerabilia huiusmodi, quæ sive in consuetudine loquendi, sive in sermone Doctorum, sive in Scripturis sanctis reperiuntur.

Num. 32. Non ergo hic oratur, ut non tentemur, sed ut non inferamur in tentationem: tamquam si quispiam cui necesse est igne examinari, non oret ut igne non contingatur, sed ut non exuratur. *Eccli. XXVII. 6.* *Vasa enim figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis*. Ioseph ergo tentatus est illecebra stupri, *Gen. XXXIX. 7.* sed non est illatus in tentationem: Susanna tentata est, nec ipsa inducta vel *Dan. XIII. 20.* illata in tentationem: multique alii utriusque sexus: sed Iob maxime.

Num. 34. Fiunt igitur tentationes per Satanam, non potestate eius, sed permissu Domini, ad homines aut pro suis peccatis puniendos, aut pro Domini misericordia probandos, & exercendos. Et interest plurimum in qualem quisque tentationem incidat. Non enim in talem incidit Iudas, qui vendidit Dominum, in qualem incidit Petrus, cum territus Dominum negavit. Sunt etiam tentationes humanæ, credo cum bono quisque animo, secundum humanam tamen fragilitatem, in aliquo consilio labitur; aut irritatur in fratrem studio corrigendi, paullo tamen amplius quam Christiana tranquillitas postulat: de quibus Apostolus dicit: *Tentatio vos non apprehendit, nisi humana*: cum idem *1. Cor. X. 13.* dicat: *Fidelis Deus qui vos non sinat tentari supra quam potestis ferre, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis tolerare*. *Ibid.* In qua sententia satis ostendit, non id nobis orandum esse ut non tentemur, sed ne in tentationem inducamur. Inducimur enim, si tales acciderint quas ferre non possumus. Sed cum tentationes periculosæ, in quas inferri atque induci perniciosum est, aut prosperis rebus temporalibus, aut adversis oriantur, nemo frangitur adversa-

fidei, quibus possumus a malo avocari, ad bonum accendi, & omnia tela inimici repellere.

4. Si urget & premit diu tentatio, ea est manifestanda Confessario, vel alteri viro gravi, cuius consiliis possit ea facilius repelli.

I. Quid facto opus si forte tentatione victi fuerimus?

R. Petenda suppliciter a Deo venia: agenda pœnitentia, & adhibenda deinceps maior cautio. *Fili peccasti*, inquit Scriptura, *ne adiicias iterum, sed & de præteritis deprecare ut tibi dimittantur.* (Eccliſ. xxi. 1.)

I. Quid connexionis est inter hanc petitionem orationis Dominicæ & superiorem?

R. Postquam petiimus a Domino veniam de peccatis commissis, iam petimus auxilium & gratiam, ne peccemus iterum præ fragilitate superati tentationibus.

VII. Petitio. *Sed libera nos a malo.*

(Matth. vi. 13.) *I.* Quid petimus his verbis, *Sed libera nos a malo?*

R. Petimus ut liberet nos, 1. a potestate diabolica; ut ne sinat *nos vinci a malo*, ut ait Apostolus, id est a diabolo. (Rom. xii. 21.)

(Pſ. cxviii. 133.) 2. Ab omni peccato, ut *non dominetur* nobis *omnis iniustitia*, quod & petebat Propheta regius.

3. A pœnis quas pro peccatis nostris meremur. Quod intellige de pœnis purgatoriis non secus ac de pœnis inferorum.

4. A malis quibus & in hac vita solet Deus in peccatores animadvertere; qualia sunt bella, morbi, pestilentiæ, vastitates, & cetera huiusmodi genera calamitatum.

Sed non petimus tamen ab illis calamitatibus & adversis liberari, nisi quatenus novit Deus utile nobis esse ab iis eximi. Hoc unum enim hic petimus a Deo, nimirum, *ut liberet nos ab omni malo.* Malum nobis, si proprie loquamur, hoc unum est quod obest saluti æternæ. Si temporales calamitates prosint nobis ad salutem, tunc bonum & utile nobis est iis affligi. Contra autem, si divitiis, dignitatibus, honoribus, sanitate, ceterisque rebus prosperis abutamur ad nostram perniciem & ruinam, tunc malum nobis esset iis donari. (Pars III. Sect. II. Cap. IV. §. 2.)

I. Quicumque ergo divitiis, honoribus, ceterisque prosperis rebus abutuntur ad suam perniciem, illi petunt a Domino res adversas, cum aiunt, *libera nos a malo*?

R. Res per se loquitur. Petunt a Deo liberationem ab omni malo: ergo liberationem a prosperis rebus, quibus in suam perniciem abutuntur.

I. Id si ita est, falsa prorsus, & mendax est omnium fere divitum petitio, cum aiunt, *libera nos a malo?*

R. Profecto hoc verum dicam. Nesciunt illi ut plurimum quid petant, vel quid loquantur; orant fere semper sine ulla mentis attentione. Si orarent ut Christianos decet, optarent certe quod petit Ecclesia, temporaliter potius macerari & affligi, quam æternis addici suppliciis: id nisi optent ex animo, pravum & corruptum cor eorum, & desiderium; oratio mendax, aliud enim loquuntur & petunt a Deo, aliud desiderant. Oratio autem de- (In Collect. Fer. 6. in Hebd. Paſsion.)

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. IV. §. 2. §. 2. Cap. 1. huius sect.

siderium cordis est, ut diximus ex S. Augustino.

I. Cur immittit Deus mala temporalia?

R. 1. Ut peccata corrigantur & expientur.

2. Ut rerum humanarum fragilitatem experti, ab earum amore avocemur.

3. Ut maiori & perfectiori & puriori dilectione adhæreamus Deo.

4. Ut a temporalium cupiditate alieni, æternorum amore & desiderio teneamur.

Notæ §. litt. (C) & (F)

De his quædam iam supra diximus.

I. Qua mente adversa omnia sustinenda sunt?

R. 1. Cum patientia & fide, totum se divinæ voluntati permittendo & humiliando se sub potenti manu Dei.

2. Ea mente ut accipiantur hæc ad peccatorum expiationem.

3. Cum gratiarum actione.

I. Quæ connexio est inter hanc ultimam orationis Dominicæ petitionem, & ceteras omnes?

R. Hæc superiorum veluti summa est. Cum enim petimus a Deo ut liberet nos a malo, id petimus, ut ne nos inducat in tentationem; ut dimittat nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; ut panem nostrum quotidianum det nobis, ut fiat voluntas eius sicut in cælo & in terra; ut adveniat regnum eius; ut nomen eius sanctificetur. Isthæc omnia hac una petitione comprehendi per se patet (Y).

---

rum molestia, qui prosperarum delectatione non capitur.

(Y) Tertull. *de orat.* Compendiis paucorum verborum, quot attinguntur edicta Prophetarum, Evangeliorum Apostolorum, Sermones Domini, parabolæ, exempla, præcepta? quot simul expunguntur officia? Dei honor in Patre, fidei testimonium in nomine, oblatio obsequii in voluntate, commemoratio spei in regno, petitio vitæ in pane, exomologesis debitorum in deprecatione, sollicitudo tentationum in postulatione tutelæ. Quid mirum? Deus solus docere potuit, ut se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata relligio orationis, & de spiritu ipsius iam tunc cum ex ore Divino ferretur, animata suo privilegio ascendit in cælum, commendans Patri quæ Filius docuit. Quoniam tamen Dominus prospector humanarum necessitatum, seorsum post traditam orandi disciplinam: *Petite*, inquit, *& accipietis*. Et sunt quæ petantur pro circumstantia cuiusque, præmissa legitima & ordinaria oratione, quasi fundamento, accidentium ius est desideriorum, ius est superstruendi extrinsecus petitiones, cum memoria tamen præceptorum, ne quantum a præceptis, tantum ab auribus Dei longe simus.

Ioan. xvi. 24

S. Cyprianus *de Orat. Domin.* Post ista omnia in consummatione orationis venit clausula, universas petitiones & preces nostras collecta brevitate concludens. In novissimo enim ponimus: *Sed libera nos a malo*, comprehendentes adversa cuncta, quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus: a quibus potest esse fida & firma tutela, si nos Deus liberet, deprecantibus atque implorantibus opem suam præstet. Quando autem dicimus: *Sed libera nos a malo*, nihil remanet quod ultra adhuc debeat postulari, quando semel protectionem Dei adversus malum petamus; qua impetrata contra omnia quæ diabolus & mundus operantur, securi stamus & tuti. Quis enim ei de seculo metus est, cui in seculo Deus tutor est? Quid mirum, Fratres dilectissimi, si oratio talis est quam Deus docuit, qui magisterio suo omnem precem nostram salutari sermone breviavit? Hoc iam per Isaiam Prophetam

Matth. vi. 13.

fuerat ante prædictum, eum plenus Spiritu Sancto de Dei maiestate ac pieta-
Iſai. x. 22. & 23. te loqueretur, *Verbum consummans*, inquit, *& breviant in iustitia: quoniam sermonem breviatum faciet Deus in toto orbe terræ*. Nam eum Dei sermo Dominus noster Iesus Christus omnibus venerit, & eolligens doctos pariter & indoctos, omni sexui atque ætati præcepta salutis ediderit; præceptorum suorum fecit grande compendium, ut in disciplina cælesti discentium memoria non laboraret, sed quod esset simpliei fidei necessariom velociter diseeret. Sie cum doeeret qoid sit vita æterna, sacramentum vitæ magna & divina brevitate eomplexos est,
Ioan. xvii. 3. dieens: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum & verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*. Item eum de lege & Prophetis præcepta prima &
Marc. xii. 29. 30. & 31. maiora deeerperet, *Audi*, inquit, *Israel, Dominus Deus tuus unus est. Et diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute*
Matth. xxii. 40. *tua. Hoc est primum mandatum. Et secundum simile est huic: Diliges proximum tuum tamquam teipsum. In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophe-*
Matth. vii. 12. *tæ*. Et iterum: *Quæcumque volueritis ut faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis. Hæc est enim lex & Prophetæ.*

S. AUGUST. *de peccat. merit. & remiss. lib. 2. cap. 4. num.* 4. Dominus orare nos doeens, inter cetera monuit ut dicamus:
Matth. vi. 12. & 13. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a malo*. Manet enim malum in earne nostra, non natura in qua divinitus ereatus est homo, sed vitio quo voluntare prolapsus est, ubi amissis viribus, non ea qua vulneratus est, voluntatis facilitate sanatur. De hoc malo dieit Apostolus:
Rom. vii. 18. *Scio quoniam non habitat in carne mea bonum*. Cui malo non obedire præ-
Rom. vi. 12. cipit, eom dicit: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desideriis eius*. Si ergo his desideriis concupiscentiæ carnis illicita voluntatis inclinatione eonsensimus, ad hoc sanandum dieimus: *Dimitte nobis debita nostra*: adhibentes remedium ex opere misericordiæ, in eo quod addimus: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Ut autem non ei eonsentiamus, deprecamur adiutorium dicentes: *Et ne nos inferas in tentationem*; (vel sicut nonnulli eodiees habent, *Ne nos inducas in tentationem*.) Non quod ipse Deus tali tentatione aliquem tentet; *Nam Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*. Sed ut si forte tentari cœperimos a eoneupiscentia nostra, adiotorio Iac. i. 13. eius non deseramur, ut in eo possimus vincere, ne abstrahamur illecti. Deinde addimus, quod perfieietur in fine, eum absorbebitur mortale a vita: *Sed libera nos a malo*. Tone enim nulla erit talis concupiscentia, eum qua certare, & eui non consentire iubeamur. Sie ergo totum hoe in tribus beneficiis positum breviter peti potest: Ignosee nobis ea in quibus sumus abstracti a coneupiseentia, adiuva ne abstrahamur a concupiseentia, aufer a nobis eonenpiscentiam.

Cap. 5. num. 5. Ad peeeandum namque Pſ. cxxxix. 2. non adiuvamur a Deo: iusta autem agere, vel iostitiæ præceptum omni ex parte implere non possumus, nisi adiuvemur a Deo.

Serm. 297. aliat de diversis 107. in nat. Apoct. cap. 6. num. 9. Libera me Domine ab homine malo..... Iam tu quisquis audis, non cogitas nisi de inimieo, quem pateris vieinum malum, potentem, eonsortem, civem. Forsitan de latrone ista cogitas, quando aodis, *Libera me Domine ab homine malo*; & sic oras, quando oras, ut liberet te Deus ab homine malo, illo vel illo inimieo tuo. Tu noli tibi esse malus. Audi me: liberet te Deus a te. Quando enim Deus gratia sua & misericordia de malo te facit bonum; unde te liberat, nisi a te ipso homine malo? Omnino, Fratres mei, hoe verum est, hoc certum est, hoe fixum est: si Deus te liberavit a te ipso homine malo, nihil tibi nocebit, quisquis fuerit alius homo malus.

Serm. 301. alias de diversis 110. in sollemn. SS. Machab cap. 1. num. 1... Salus Pſ. xxxvi. 39. *iustorum a Domino, & protector eorum est in tempore tribulationis*.

Num. 2. Vidimus, novimus protectorem fuisse Dominum in tempore tribulationis trium virorum illorum, qui ambulabant inter ignes innoxios, & Dominum sine ulla læsione laudabant.

Cap. 2.... Qoando illi non ardebant & laudabant, aderat Dominus. Quando isti 2. Mac. vii. 18. 31. ardebant, eonfitebantur, tamen moriebantor; ubi erat Dominus? An forte illi iusti erant, isti peccatores? Audivimus

enim istos paullo ante, cum passio eorum legeretur, confiteri peccata sua, & dicere, quoniam omnia illa irascente Domino, sibi, sed & paterno merito paterentur, Quid illi? Legite, & videbitis etiam ipsos peccata propria confiteri, & dicere se merito perpeti... Pariter ergo iusti peccata confitentes, pariter Deo gloriam dantes, pariter pro eius legibus mori parati.

Cap. 3. Quare illi ab ignibus liberantur, isti ab ignibus consumuntur? Ergo illis Deus aderat, hos deseruerat? Absit. Immo utrisque adfuit; illis in aperto, istis in occulto. Illos visibiliter liberabat; istos invisibiliter coronabat. Illi quidem morte liberati sunt; sed in huius vitæ tentatione manserunt: ab igne liberati, ad pericula reservati: uno tyranno victo, adhuc certaturi cum diabolo: Fratres mei, sicut Christiani intelligite. Machabæi melius & tutius liberati sunt. Ab illis tribus viris, ceteris remanentibus, illa una tentatio superata est: ab istis ista vita finita, quæ tota tentatio est. Deinde Divino iudicio, occulto proculdubio, sed tamen iusto, Nabuchodonosor meruit converti, Antiochus meruit obdurari. Ille invenit misericordiam, iste auxit superbiam.

Capit. 4. *num.* 3. Sed quantum & quo usque auxit superbiam? *Vidi impium exultari super cedros Libani.* Quo usque? quamdiu? *Transivi, & ecce non erat: & quæsivi eum, & non est inventus locus eius.*

Ps. xxxvi. 35.

Ibid. 36.

Cap. 5. *num.* 4. Locum eius quæris, & invenis; sed hic. Habet locum suum in hoc seculo. Non enim frustra a Deo præscio crearetur, aut frustra nutriretur, aut frustra super eum sol oriretur, & pluvia funderetur, frustra ei maligno & male viventi tanta Dei patientia parceretur. Non est hoc frustra: habet hic locum suum. Et si non omnia possumus nos invenire: sed Deo nota sunt omnia, qui novit cuncta disponere. Ecce, ut de aliis taceamus, qualem locum hic habuit iste miser Antiochus. Per eum populus Dei flagellatus est & probatus: per eum isti sancti iuvenes coronati. Ergo habuit hic locum suum. Malus erat; sed bene illo usus est, qui malus esse non potest. Sicut enim mali homines male utuntur creaturis bonis; sic Creator bonus bene utitur hominibus malis. Novit quid inde agat, qui totum creavit humanum genus. Aurifex portat, aurifex appendit, aurifex librat. Pictor novit ubi ponat nigrum colorem, ut sit decora pictura; & Deus nescit ubi ponat peccatorem, ut sit ordinata creatura?

Cap. 6 Nisi Deus anterioribus seculis servaret sua patientia peccatores, unde nascerentur hodie tot fideles? Alii mali servantur, ut boni inde nascantur. Boni gratia Dei: nam tota damnata est massa peccati. Quid diabolo nequius? Et de illius nequitia quanta bona fecit Deus? Non funderetur pro salute nostra sanguis Redemptoris, nisi per nequitiam desertoris. Lege Evangelium, & vide quid ibi scriptum est: *Immisit diabolus in cor Iudæ, ut traderet Christum.* Malus diabolus, malus Iudas: qualis organarius, tale organum. Usus est ergo male diabolus suo vase: usus est ambobus Dominus bene. Conati sunt ergo ad nostram perniciem: Deus hoc vertere dignatus est ad nostram salutem.

Ioan. xiii. 2.

Num. 6.... Totus enim mundus fornax aurificis. Ibi iusti tamquam aurum: ibi impii tamquam palea. Ibi tribulatio sicut ignis: ibi Deus sicut aurifex. Pius Deum laudat, aurum rutilat: impius Deum blasphemat, palea fumat. Ad unam tribulationem tamquam ad unum ignem, ille purgatur, ille vastatur, sed Deus aurifex in utroque laudatur.

Cap. 8. *num.* 7. Quando ergo videtis, Fratres, qui ex fide vivitis, quorum cor rectum est, qui futuram eamdemque veram & sempiternam felicitatem speratis; quando videtis gaudentes & lætantes homines in ista falsa & deceptoria felicitate, si pii estis, dolete; si sani estis, flete... Magnus labor, istam solvere quæstionem. Vere labor est. Bene est illi, & malus est; male est illi, & bonus est: & super ambos iudex est. Iustus ergo iudex dat bona malis, & mala bonis. *Labor est ante me.* Sed quo usque labor est? *Donec introeam in sanctuarium Dei, & intelligam in novissima.* Ergo si intellexeris in novissima, erit requies inventionis, peribit labor quæstionis.

Ps. lxxii. 16.

Ibid. 17.

Cap. 9. *num.* 8. Intellige in novissima, ubi nemo erit felix malus, nemo infelix bonus... Et hanc fidem habentes, nolite zelare in peccatoribus, quando videtis eos quasi felices, falso felices, revera infelices. Et vos *lætamini in Domino.* Et si habetis forte secundum tempus divitias,

Ps. xxxi. 11.

Digitized by Google

honores, poteſtates, nolite inde vos putare felices.

Cap. 10. Scienti lætari in Domino, & intelligenti in noviſſima, felicitas mundi non eſt honor, ſed onus. Felix homo ſecundum ſeculum periclitatur, ne ipſa felicitate, non in corpore, ſed in anima corrumpatur. Nam iſta felicitas falſa eſt. Tales, & ſi videntur aliquid eſſe in hoc ſeculo, non lætantur, in præceptis Domini delectantur. Tunc quod iubet Deus, præponitur mundo, & blandienti & minanti; calcatur omne viſibile.

Enarrat. in Pſal. XCIII. *num.* I.... Notum eſt omnibus nobis, (atque utinam de numero eorum non ſimus,) multos murmurare adverſus Dei patientiam, & dolere iniquos homines & impios vel vivere in hac terra, vel etiam plurimum poſſe; & quod eſt amplius, plerumque plurimum poſſe malos adverſus bonos, & ſæpe malos premere bonos; malos exultare, bonos laborare; malos ſuperbire, bonos humiliari. Adtendentes talia in genere humano, (abundant enim) pervertuntur impatientes & infirmi animi, quaſi fruſtra ſint boni; quia Deus avertit vel avertere videtur oculos ſuos a bonis operibus piorum & fidelium, & augere malos in his quæ diligunt. Putantes ergo infirmi fruſtra ſe bene vivere, aut invitantur ad imitandam malitiam eorum, quos quaſi florere conſpiciunt: aut ſi per infirmitatem vel perſonæ ſuæ vel animi, timent male facere, ne aliquid illis ſecundum leges ſeculi mali accidat, non quia iuſtitiam diligunt, ſed, ut dicam apertius, timentes damnari inter homines ab hominibus, abſtinent ſe quidem a factis malis, ſed non ſe abſtinent a cogitationibus malis. Et inter cogitationes eorum iniquas præcipue caput iniquitatis illa tenet impietas, qua videtur eis Deus negligere & non curare res humanas; &, aut æqualiter habere bonos & malos; aut etiam, quod eſt pernicioſius cogitare, inſectari bonos & malis favere. Qui talia cogitat, etſi nihil mali alicui faciat, facit plurimum ſibi, & in ſe ipſum impius eſt; & iniquitate ſua non lædit Deum, ſed interficit ſe. Neque nocent hominibus, quia timidi ſunt qui talia cogitant; ſed tamen homicidia eorum, adulteria eorum, fraudes & rapinas eorum videt Deus, & punit in cogitationibus eorum. Quid enim velint, ille adtendit, cuius oculus non repellitur carne, ut non videat voluntatem. Tales ſi occaſiones inveniant, non mali fiunt, ſed manifeſtantur.

PARS III. SECT. II. CAP. IV. §. 2.

Num. 2. Contra iſtam ſimplicem veracemque doctrinam, qua inſinuatur hominibus bonis, ut ipſam iuſtitiam diligant, & ex ea placere Deo velint, ab illo intelligant luce quadam intelligibili perfundi animam ſuam, ut faciant iuſta opera, & illam lucem ſapientiæ omnibus quæ in ſeculo diliguntur præponant: contra iſtam doctrinam talia murmura ſunt hominum; & ſi non procedunt in voce, roduntur in corde. Quid ergo dicunt? Vere placiturus ſum Deo per iuſtitiam? aut iuſti illi placent, ſub cuius imperio mali florent? Tanta mala committunt; & nihil illis evenit mali. Aut ſi forte evenit aliquid mali: quid tibi dicunt illi, cum eis cœperis dicere, Ecce quanta fecit mala, quomodo illi redditum eſt, qualem exitum habuit? Incipiunt illi cogitare iuſtos, quibus mala evenerunt, & opponunt nobis, & dicunt; Si illi propterea mali aliquid accidit, quia iniquus fuit; illi quare accidit, qui tam iuſte vixit? qui eleemoſynas tantas fecit, qui tam multa bona operatus eſt in Eccleſia, quare talem ſortem invenit? quare talem exitum habuit, qualem ille homo qui multa iniqua commiſit? Ad hoc autem iſta dicunt, ut oſtendant ſe propterea non facere male, quia non poſſunt, quia non audent. Nam quid velit cor, lingua teſtatur.... Credo enim quia unuſquiſque Chriſtianus, cum audierit aliquem talia dicentem, ſi bonus fidelis eſt, & bene credit Deo, & ſpes eius eſt in futuro ſeculo, non in hac terra, non in hac vita eſt, & non fruſtra audit ut ſurſum cor habeat; irridet & dolet talia murmurantes & dicit ſibi, Deus novit quid agat, nos non poſſumus noſſe conſilium ipſius, quare parcit malis ad tempus, vel quare laborant boni ad tempus: ſufficit mihi tamen hoc ſcire, quia & ad tempus laborat bonus, & ad tempus floret malus. Qui ergo talis eſt, ſecurus eſt, & patienter fert omnes felicitates malorum, & labores bonorum patienter fert, tolerat, donec finiatur hoc ſeculum, donec tranſeat iniquitas. Iam talis beatus eſt, & erudivit eum Deus de lege ſua, & mitigavit eum a diebus malignis, donec fodiatur peccatori fovea. *Pſ.* XCIII. 12. & 13.

ibid. 1. *Num.* 7. *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum fiducter egit*. Tu putas quia non vindicat? Vindicat *Deus ultionum*. Quid est, *Deus ultionum?* Deus vindictarum. In eo certe murmuras, quia non vindicatur in malos. Non murmurare, ne inter illos sis in quos vindicatur. Facit ille furtum, & vivit: tu murmuras adversus Deum quia non moritur qui tibi furtum fecit. Si iam non facis furtum, vide: si enim iam non facis, vide ne aliquando fecisti... Quomodo autem tu quando faciebas, ideo vixisti, ut postea non faceres; noli quia tu transisti, velle misericordiæ Dei pontem subvertere. Nescis illac multos transituros, qua & tu transisti? Esses modo qui murmurares, si adversus te audiretur qui prior de te murmuravit? Et tamen & nunc optas vindictam Dei in malos, ut fur moriatur; & murmuras adversus Deum, quia fur non moritur. Appende in statera æquitatis furem & blasphemum: iam dicis quia fur non es; sed murmurando adversus Deum blasphemus es. Ille captat somnum hominis, ut aliquid involet; & tu dicis quia dormit Deus, & hominem non videt. Ergo vis ille ut corrigat manum, prior tu linguam corrige: vis ille ut corrigat cor adversus hominem, tu corrige cor adversus Deum: ne forte cum optas vindictam Dei, si venerit, te priorem inveniat. Nam ille veniet, veniet & iudicabit perseverantes in nequitia sua, ingratos prærogationi misericordiæ ipsius, ingratos patientiæ ipsius,
Rom. ii. 5. & 6. thesaurizantes sibi *iram in die iræ & revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua*: quia
Ps. xciii. 1. *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum*, ideo *fiducter egit*... Noli ergo murmurare adversus Deum, qui quasi parcit malis: sed esto bonus, cui forte ad tempus in flagello non parcat, & in fine parcat in iudicio.

Ibid. 2. *Num.* 8. *Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem superbis*. Ergo redditurus est retributionem? Redditurus, sed superbis.

Num. 9. Sed quando? Quando reddet? Interim mali triumphant, exsultant mali, blasphemant mali, omnia mala faciunt. Movet te? Cum pietate quære, non cum superbia reprehende. Movet te? Compatitur tibi & Psalmus... Et Spiritus Dei, utique omnia sciens, quærit
Vers. 3. tecum, quasi verba tua dicit: *Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores gloriabuntur; respondent, & loquentur*
Vers. 4. *iniquitatem, loquentur omnes qui operantur iniustitiam?* Quid loquentur, nisi contra Deum, qui dicunt, Quid nobis prodest quia sic vivimus? Quid dicturus es? Vere curat ista quæ facimus Deus? Quia enim vivunt, putant Deum nescire quod faciunt... Venit iustus aliquis, & dicit, Noli facere iniquitatem. Quare? Ne moriaris. Ecce feci iniquitatem, quare non morior? Ille fecit iustitiam, & mortuus est: quare mortuus est? Ego feci iniquitatem, quare me non abstulit Deus? Ecce, ille fecit iustitiam, & quare sic in illum vindicavit? Quare ille sic laborat? *Respondent*, hoc est *respondent*, quia habent quod dicant: quia parcitur illis, de patientia Dei inveniunt argumentum responsionis suæ. Parcit ille propter aliud, respondent illi propter aliud, quia vivunt. Quare enim parcat ille, dicit Apostolus, exponit consilium patientiæ Dei: *Existimas*, inquit, *qui*
Rom. ii. 3. & 4. *talia agis, quia tu effugies iudicium Dei? An divitias benignitatis & longanimitatis eius contemnis, ignorans quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?* Tu autem, id est, ille qui respondet & dicit, Si displicerem Deo, non mihi parceret Deus. Vide quid sibi facit, audi Apostolum: Tu autem *secundum duritiam*
Ibid. 5. & 6. *cordis tui, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua*. Ille ergo auget longanimitatem, & tu auges iniquitatem. Erit illius thesaurus in sempiterna misericordia in eos qui non contempserunt misericordiam: tuus autem thesaurus in ira invenietur, & quod ponis quotidie per modicum, postea massam inventurus es: minutatim ponis, sed cumulum invenies. Noli attendere minuta peccata tua quotidiana: de minutissimis guttis flumina implentur.

Num. 10.... Quid autem illi faciunt, qui respondent & loquentur iniquitatem, quia faciunt & parcitur eis? *Populum*
Vers. 5. *tuum, Domine, humiliaverunt*; id est, omnes qui iuste vivunt, in quos volunt superbire omnes mali.

Num. 11. *Et dixerunt, Non videbit Do-*
Vers. 7. *minus;* Non attendit ista, negligit ista, alias res curat, non intelligit.... infelix homo, ut esses curavit: ut bene vivas non curat!

Digitized by Google

Verſ. 8. *Num.* 12. *Intelligite nunc qui inſipientes eſtis in populo, & ſtulti aliquando ſapite.* Populum ſuum erudit, cui poſſunt commoveri pedes, quando felicitates iniquorum videt homo, iam bene vivens in numero ſanctorum Dei, id eſt, in numero filiorum Eccleſiæ, videt quia florent mali, & faciunt iniquitatem, & æmulatur eos, & adducitur ut imitetur facta ipſorum; quia videt quaſi nihil ſibi prodeſſe quod bene vivat humilis, hic ſperans mercedem... Ergo ſi qui forte aliquid cogitabatis, quando videbatis malos florere, & cogitationes veſtræ faciebant nutare pedes veſtros in via Dei; vobis loquitur Pſalmus iſte: ſi autem nullus veſtrum talis eſt, per vos aliis loquitur, dicens: *Intelligite nunc*: quia dixerunt illi: *Non videbit Dominus, neque intelliget Deus Iacob. Intelligite*, inquit, *nunc, qui inſipientes eſtis in populo, & ſtulti aliquando ſapite.*

Verſ. 9. *Num* 13 *Qui plantavit aurem, non audiet?* Non habet unde audiat, qui tibi fecit unde audias? *Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat? Qui erudit gentes, non arguet?* Attendite hoc magnopere, Fratres mei,

Verſ. 10. *Qui erudit gentes, non arguet?* Hoc modo facit Deus *erudit gentes*: Ideo miſit Verbum ſuum per orbem terrarum hominibus, miſit per Angelos, per Patriarchas, per Prophetas, per ſervos, per tot præcones antecedentes Iudicem. Miſit & ipſum Verbum ſuum, miſit & ipſum Filium ſuum; miſit ſervos Filii ſui, & in ipſis ſervis Filium ſuum. Per totum orbem terrarum prædicatur ubique verbum Dei. Ubi non dicitur hominibus, Relinquite iniquitates veſtras priores, convertite vos ad itinera recta? Ideo parcit, ut vos corrigatis; ideo heri non vindicavit, ut hodie bene vivatis. *Erudit gentes, non ergo arguet*? Non auditurus eſt quos erudit, non iudicaturus eſt quibus ſermonem præmiſit & præſeminavit?

Verſ. 13. *Num.* 16. *Ut mitiges eum a diebus malignis, donec fodiatur peccatori fovea.* Mitis ergo eſto quiſquis Chriſtianus es, a diebus malignis. Maligni enim ſunt dies, quibus videntur florere peccatores, & laborare iuſti: ſed labor iuſtorum flagellum eſt Patris, & felicitas peccatorum fovea ipſorum *eſt*... Foſſa peccatorum, ipſa felicitas peccatorum eſt: in illam enim cadent tamquam in foveam. Intendite, Fratres, quia magna res eſt ut felicitas fovea dicatur, *donec fodiatur peccatori fovea*. Parcit enim illi Deus, quem novit peccatorem & impium, occulta iuſtitia ſua; & hoc ipſum quod ei parcit Deus, per impunitatem facit eum elatum. Ille ſe altum putat, & cadit: in eo ipſo cadit, quo ſe altum putat. Hoc ſe ille putat ſublimiter ire, & Deus hoc foſſam vocat. Foſſa ad ima tendit, non ad cælum: peccatores autem ſuperbi quaſi in cælum eunt & in terram merguntur. Contra, humiles quaſi in terram ſe deprimunt, & in cælum aſcendunt. Miteſce ergo, quiſquis es fidelis, ſi eruditus es ex lege Dei, ut ſit cor tuum in firmamento cæli... Quomodo vides luminaria cum tota patientia dirigere curſus ſuos, & non curare quæ in ſe dicant homines: ſic & tu non cures quidquid tibi fecerit caro. Omnis enim homo caro & ſanguis eſt. Non enim vilis es in comparatione alterius carnis a qua videris premi. Quia pro te ille ſuſcepit carnem, & pro te ille fudit ſanguinem, qui & te & illum ad ſuum eſt perducturus examen: & ſi tanta pærogavit, cum eſſes impius, quid ſervat fideli? Hinc miteſce. Quemadmodum miteſcis? Cum dicis, Quia Deus hoc vult, ideo florent mali: parcere vult malis, ad pœnitentiam adducit eos quibus parcit; ſed illi non corriguntur; novit ille quomodo de illis iudicet. Immitis eſt autem homo, cum vult contradicere aut bonitati Domini, aut patientiæ, aut poteſtati, aut iuſtitiæ Iudicis. Erigitur ſuperbus in Deum, mergit illum Deus: & in eo ipſo mergitur, quo erigitur in Deum. Nam in alio Pſalmo ſic ait: *Deieciſti eos, dum extollerentur*. Non dixit, Deieciſti eos, quia elati ſunt; aut, *Pſ. lxxii. 18.* Deieciſti eos poſtquam elati ſunt; ut aliud ſit tempus elationis eorum, aliud tempus deiectionis: ſed in eo ipſo quo extollebantur ibi deiiciebantur. Quantum enim ſuperbum cor hominis, tantum recedit a Deo; & ſi recedit a Deo, in profundum it. Contra, cor humile de cælo adducit Deum, ut proximus fiat... Certe altus eſt Deus: tu humilia te, & deſcendet ad te.

Num. 20. *Quis exurget mihi adverſus malignantes, aut quis conſiſtet mihi adverſus operantes iniquitatem?* *Verſ. 16.* Perſuadent multi multa mala, ſuſurrare ſerpens non deſinit, ut facias iniquitatem: quacumque te converteris, forte ſi profeciſti, quæris cum aliquo bene vivere, & vix

Pars III. Sect. II. Cap. IV. §. 2.

Explicatur ea vox, Amen.

I. Quæ est interpretatio vocis huius *Amen*, qua non solum oratio Dominica, sed & ceteræ omnes preces Ecclesiæ concluduntur?

R. 1. אמן *Amen* vox Hebræa est, quæ idem est quod latine *veritas*. Hinc transiit in optantis vel assentientis particulam; ita ut *Amen* idem sit quod *firmum*, *ratum esto*, *fiat*. Cum in principio sententiæ adhibetur, transit in naturam adverbii, & notat asseverationem & rei confirmationem. *Amen, Amen dico vobis*, inquit Christus: hoc est, *Vere, vere dico vobis; id certissime & verissime assero*.

I. Cur additur ea vox in fine omnium precationum?

R. Ut detur assensus iis omnibus quæ sunt recitata, sive ipsi recitaverimus orationem, sive alius recitaverit adstantium nomine (Z).

Necesse est ergo ut qui publicis

---

invenis: multi mali te circumdant, quia pauca grana, multa palea. Habet hæc area grana sua, sed adhuc laborant. Separata ergo a palea tota massa grandis erit; pauca grana sunt, sed in comparatione palearum; multa autem in se. Ergo cum undique mali perstrepant, & dicant, quare sic vivis? Tu solus Christianus es? Quare non facis quod faciunt & alii? quare non spectas quemadmodum & alii? quare non remedia & ligaturas adhibes? quare non mathematicos & haruspices consulis, sicut & alii? Et tu signas te, & dicis, Christianus sum, ut repellas istos nescio quos. Sed adversarius premit, urget, quod peius est, exemplo Christianorum suffocat Christianos. Sudatur, æstuatur, tribulatur anima Christiana: vincere habet tamen; sed numquid de se? .. Vere, nisi putas quia Deus curat quomodo vivant homines? Et hoc forte non in platea tibi dicit amicus, sed in domo uxor, aut forte maritus uxori fideli, bonæ & sanctæ, deceptor ipsius. Si mulier marito, Eva est illi; si vir uxori, diabolus est illi. Aut ipsa tibi Eva est, aut tu illi serpens es. Aliquando vult convertere pater cogitationem suam vel ad filium: invenit & ipsum malum, nequissimum; æstuat, fluctuat, quærit quomodo vincat, prope sorbetur, prope consentit, sed adsit Deus. Audite ergo Psalmum: *Quis exsurget mihi*, inquit, *adversus malignantes*? Tam multi sunt; quacumque respicio, ipsi occurrunt. Quis occurret principi iniquitatis diabolo, & angelis eius, & hominibus seductis ab eo.

Vers. 17. *Num.* 21. *Nisi quia Dominus*, inquit, *adiuvit me, paullo minus habitaverat in inferno anima mea.*

De Serm. Dom in mont lib. 2. cap. 9. num. 35. Ultima & septima petitio est, *sed libera nos a malo*. Orandum est enim ut non solum non inducamur in malum, quo caremus, quod sexto loco petitur; sed ab illo etiam liberemur, quo iam inducti sumus. Quod cum factum fuerit, nihil remanebit formidolosum, nec omnino metuenda erit ulla tentatio. Quod tamen in hac vita, quamdiu istam mortalitatem circumferimus, in quam serpentina persuasione inducti sumus, non sperandum est posse fieri; sed tamen aliquando futurum sperandum est, & hæc est spes quæ non videtur, de qua cum loqueretur Apostolus ait: *Spes autem* Rom. VIII.
quæ videtur, non est spes. Sed tamen sa- 24.
pientia, quæ in hac quoque vita concessa est, fidelibus servis Dei non est desperanda. Ea est autem, ut id quod Domino revelante fugiendum esse intellexerimus, cautissima vigilantia fugiamus; & id quod Domino revelante appetendum esse intellexerimus, flagrantissima caritate appetamus. Ita enim reliquo mortalitatis huius onere ipsa morte deposito, ex omni hominis parte opportuno tempore perficietur beatitudo, quæ in hac vita inchoata est, & cui capessendæ atque obtinendæ aliquando nunc omnis conatus impenditur.

(Z) S. August. *lib. 2. contra Epist. Parmen, cap. 7. in fine, num.* 14. Nam cum Episcopus solus intus est, populus & orat cum illo, & quasi subscribens ad eius verba, respondet *Amen*.

precationibus intersunt, animum attentum habeant ad ea quæ recitantur a Sacerdote, ut corde & ore dicere possint, *Amen* (AA).

I. Quomodo Christiana plebs dicere potest *Amen* ad Sacerdotis orationem vel benedictionem, cum ignoret linguam qua utitur Ecclesia in publicis orationibus?

R. 1. Christiana plebs iam ab infantia assuefacta publicis Ecclesiæ precibus, novit saltem in genere quid petierit a Deo Sacerdos, quod sufficit ut corde & ore dici possit *Amen* ad Sacerdotis orationem & benedictionem.

2. Quod mandatum omnibus animarum curam habentibus factum est in Concilio Tridentino, ut exponant Christianæ plebi vernacula lingua quæ latine leguntur intra Missarum sollemnia, id supplet aliquatenus latini sermoni inscitiæ (BB).

3. Huic suppletur facilius per translationem publicarum Ecclesiæ precum in linguam vulgarem. Porro utilissimæ sunt eiusmodi translationes modo auctoritate Ecclesiæ fiant; ne quid forte in iis irrepat sanæ fidei contrarium. Porro multæ apud nos factæ sunt Episcoporum auctoritate eiusmodi translationes, quæ iussu Regis postea per universum Galliæ Imperium, Episcopis id agentibus, dispersæ sunt, & piæ plebi traditæ. De his infra fusius agemus.

PARS III. SECT. II. CAP. IV. §. 2.

Huiusce sect. cap. VI. §. 1.

I. Cum recitatur oratio Dominica intra Missarum sollemnia, Sacerdos sex priores petitiones solus canit; septimam, *Sed libera nos a malo*, populus persequitur; tum solus Sacerdos, *Amen*, respondet. Quæ ratio illius ritus plane singularis? Nam in aliis precationibus orationem recitat solus Sacerdos, qua completa populus respondet, *Amen*.

R. Nomine Christi & Ecclesiæ sacrosanctum Sacrificium offert Sacerdos. In ipsa actione sacrificii recitat orationem Dominicam, quæ compendium est omnium precationum; septimam petitionem, quæ ceterarum, ut diximus, summa est, persequitur alta voce Christiana

(AA) 1. Con. XIV. 13. *Vide infra huius sect. cap.* 6 §. 1. *litt.* (D)

S. AUGUST, *Serm.* 362, *alias* 121 *de diversis cap.* 28. *n.* 29 ... Tota actio nostra (*in cælis*) Amen & Alleluia erit..., Nolite iterum carnali cogitatione contristari, quia si forte aliquis vestrum steterit, & dixerit quotidie *Amen & Alleluia*, tædio marcescet, & in ipsis vocibus dormitabit, & tacere iam volet; & propterea putet sibi esse aspernabilem vitam, & non desiderabilem, dicentes vobismetipsis, *Amen* & *Alleluia* semper dicturi sumus, quis durabit? Dicam ergo si potero, quantum potero. Non sonis transeuntibus dicemus *Amen* & *Alleluia*, sed affectu animi. Quid est enim *Amen*? quid *Alleluia*? *Amen*, est verum: *Alleluia*, laudate Deum. Quia ergo Deus veritas est incommutabilis, sine defectu, sine provectu, sine detrimento, sine augmento, sine alicuius falsitatis inclinatione, perpetua & stabilis, & semper incorruptibilis manens; hæc autem quæ agimus in creatura & in ista vita, velut figuræ sunt rerum per significationes corporum, & quædam in quibus ambulamus per fidem; cum viderimus facie ad faciem quod nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc longe alio, & ineffabiliter alio affectu dicemus; Verum est: & cum hoc dicemus, *Amen* utique dicemus, sed insatiabili satietate.

(BB) CONCIL. TRID. *Sess.* 22. *cap.* 8. *Vide infra huius sect. c.* 6. §. 1. *litt.* (E)

plebs: Sacerdos autem Christi vices gerens in ea actione, respondet, *Amen*; quasi diceret nomine Dei, cuius ipse interpres est, Scitote vestras exauditas esse preces: scitote Deum huius tanti sacrificii merito exoratum. Ex Catechismo Romano hanc sumpsimus responsionem (CC).

CAPUT QUINTUM.

De quibusdam aliis Precationum formulis.

§. 1. *De Salutatione Angelica.*

I. Inter varias precationum formulas, quæ B. Mariæ Virgini diriguntur, quæ ceteris excellentior?

R. Ea ceteris & excellentior & notior, quam salutationem Angelicam dicimus; sic dicta, quia prima pars eius constat ipsis verbis quibus sanctissima illa Virgo salutata est a Gabriele Angelo annunciante mysterium Incarnationis Dominicæ.

Hanc autem precationis formulam nemini Christiano incognitam subiicio.

1. *Ave Maria, gratia plena, Domi-* Luc. 1. 28.
nus tecum, benedicta tu in mulieribus.

2. *Et benedictus fructus ventris* Ibid. 42.
tui Iesus.

3. *Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ. Amen.*

Partibus tribus illa precatio constat.

1. Ut mox dixi, ex ipsis verbis Angeli salutantis.

2. Ex verbis sanctæ Elisabet, dum eam Virgo Deipara prægnans prægnantem invisit.

3. Ex verbis pietate fidelium adiunctis, & Ecclesiæ auctoritate probatis.

Continet autem hæc precationis formula laudem, gratiarum actionem, & petitionem.

I. Quam laudem?

R. Laudem & præconium B. Mariæ Virginis; & quidem tale præconium, quale maius nulli creaturæ tribui potuit umquam. In eo autem positum est quod B. Virgini dicamus cum Angelo,

1. *Ave gratia plena*,
2. *Dominus tecum.*
3. *Benedicta tu inter Mulieres.*

I. Quid intelligitur ea voce, *Gratia plena?*

(CC) Catech. Conc. Trid. *p.* 4. *versus finem*, *in illud verbum*, Amen, *n.* 9. Cui voci illa quodammodo subiecta sententia est: Scito tuas auditas esse preces. Habet enim vim respondentis. & illum, qui precibus quod velit impetrarit, cum bona gratia dimittentis Dei.

Hanc sententiam perpetua Ecclesiæ Dei consuetudo comprobavit, quæ in Sacrificio Missæ, cum pronunciatur oratio Dominica, non rei sacræ ministris, quorum partes sunt illa dicere, *sed libera nos à malo*, attribuit hanc vocem, *Amen*, sed ipsi Sacerdoti accommodatam reservavit: qui cum Dei & hominum sit interpres, Deum exoratum esse populo respondet.

Nota. Nec tamen hic ritus communis est omnium precationum: quippe cum in ceteris Ministrorum sit munus respondendi *Amen*, sed proprius Dominicæ orationis: nam in aliis precibus consensum modo desideriumque significat; in hac responsio est, Deum orantis postulationi consensisse.

Digitized by Google

R. Id intelligimus B. Virginem cumulatam eſſe donis, & auxiliis, & beneficiis, & gratia ſuper omnem omnino creaturam; ita ut ipſis Angelis antecellat & præemineat.

I. Quid ſibi volunt hæc verba, *Dominus tecum?*

R. Hoc ſonant B. Virginem, utpote Deiparam, eſſe ſpeciali ratione templum Dei, & Spiritus ſancti habitaculum, ita ut in ipſa inhabi-
Coloſ. II. 9 taverit olim omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, & iam ſaltem ſpiritualiter inhabitet.

I. Quid ſonant hæc verba, *Benedicta tu in mulieribus?*

R. Id intelligitur, nullam inter mulieres fuiſſe, nullam eſſe, nullam fore, quæ talem acceperit vel acceptura ſit benedictionem a Domino, qualem accepit Virgo Maria, ut ſit ſimul & virgo & mater, & ipſius Dei mater.

I. Quam gratiarum actionem ais in formula huius Angelicæ ſalutationis contineri?

R. Eam exhibent præcipue hæc verba, *Benedictus fructus ventris tui*. Nimirum his verbis benedicimus & gratias agimus Deo, quod natus ſit nobis Salvator Chriſtus Ieſus ex Maria Virgine. Sic enim Deus
Rom. VIII. 32. donavit nobis omnia per Chriſtum & cum Chriſto, ut iam non superſit quod donet amplius & maius. Exhauſta eſt prorſus hoc tali ac tanto dono & beneficio Dei ipſius omnipotentis liberalitas & munifi-
Ioan. III. 16. centia. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

I. Quam petitionem Angelica ſalutatio continet?

R. Hæc in tertia parte huius ſalutationis continetur, cuius hæc verba ſunt, *Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis noſtræ. Amen.* PARS III. SECT. II. CAP. V. §. 1.

I. Cur B. Virginem appellamus Dei Matrem?

R. 1. Quia re ipſa Chriſti Dei Mater eſt, atque adeo mater noſtra: nos enim ſumus fratres Chriſti, qui idcirco dicitur: *Primogenitus in multis fratribus*. Rom. VIII. 29.

2. Ut hoc dulci matris nomine intelligamus quanta ſit eius apud Filium ſuum gratia & auctoritas, quanta ſit erga nos pietas & benevolentia: eoque nomine accedamus ad eam confidentius.

I. Cur petimus ut oret *pro nobis peccatoribus?*

R. Ut ipſo miſeriæ noſtræ intuitu moveatur ad miſericordiam nobis impetrandam a Deo per Chriſtum unigenitum ſuum.

I. Cur petimus ut oret *nunc?*

R. Quia nobis iugiter accidunt nova peccata eluenda, novæ infirmitates ſanandæ, nova egeſtas ſuſtentanda, nova pericula ſubeunda, nova officia implenda; & novo proinde indigemus iugiter auxilio, ut variis illis neceſſitatibus occurratur.

I. Cur addimus, *& in hora mortis noſtræ?*

R. Quia inſtante morte furit in nos maiori impetu diabolus, ut nos decipiat & perdat. Adſunt tunc periculoſiora certamina: indigemus ergo auxilio præſentiori, & efficaciori præſidio. Catech. Bitur in Salut. Angel.

I. Cur huic petitioni laudem & gratiarum actionem præmittimus?

R. Præmittimus laudem, ut An-

geli exemplo demus gloriam & honorem B. Virgini.

Addimus gratiarum actionem de Incarnationis mysterio; nihil enim est Incarnatione Dominica & gloriosius Mariæ, & utilius nobis; nihil ad excitandam spem nostram, & ad augendam orationum nostrarum fiduciam efficacius.

Symb. Constantinop.

Deinde cum nonnisi propter nos homines, & propter nostram salutem descenderit de cælis Dei Filius in virginalem uterum, hoc tanto beneficio nixi accedimus confidenter ad Deiparam, quasi pro nostro iure postulaturi, ut ipsa intercedat pro nobis apud Filium, impetretque nobis salutem, quam ille sua nobis Incarnatione quæsivit, & morte promeruit (A).

(A) S. Bernard. *Homil.* 1. 2. 3. *&* 4. *super* Missus est. *Vide supra part.* 2. *sect.* 4. *cap.* 2. *§.* 3. *litt.* (E)

S. Epiphan. *De laudibus B. Mariæ Virg. Tom.* 2. *pag.* 292. *& seq.* Mariam interpretari solemus Dominam, atque etiam spem. Peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi, nempe Christum.... Mundo Virgo serenitatem & tranquillitatem contulit, dum portum peperit Christum... Gratia sanctæ Virginis est immensa,..... quæ est urna aurea continens manna cæleste;... quæ sitientes perennis fontis dulcedine satiat;... quæ in cælis incomprehensum continet Deum... Solo Deo excepto, cunctis superior exsistit;... ipsa enim est cæli & terræ mediatrix, quæ unionem naturaliter peregit... Ipsa est sancta Maree Salvatoris, quæ Verbum Patris ex se incarnatum peperit.... *Beata tu inter mulieres*, quæ Deum & hominem omnium creatorem... peperisti.... Beata tu inter mulieres, cuius ubera suxit is qui alit universa... Deipara exsistis, quæ sola solius Dei unigenitum Filium genuisti. Non temporaneum Deum genuisti ex te incarnatum, sed æternum, qui ante te est, & ante omnia. Ovis immaculata, quæ peperit agnum Christum. Per te, o sancta Virgo, medius obstructionis paries inimicitias dissolvit: per te pax cælestis donata est mundo, per te homines facti sunt Angeli, per te homines appellati sunt amici, servi & filii Dei;... pee te homines fiduciam habent in cælo erga Altissimum.

S. Ioan. Damascen. *lib.* 4. *Fidei orthod. cap.* 15. Sancta atque omni laude sublimior, semperque virgo ac Dei genitrix Maria... proprie ac vere Dei genitrix est & appellatur. Ipsa enim ævo omni antiquior, ac præsciente Dei consilio prædestinata, variisque Prophetarum imaginibus ac sermonibus per Spiritum sanctum adumbrata, atque ante prædicata... Revera Domina facta est omnium creaturarum, cum Conditoris omnium effecta est mater... Quando autem venit plenitudo temporis, missus est Angelus Domini ad ipsam, annuncians Domini conceptionem. Et sic concepit Filium Dei consubstantialem Patris virtutem, *non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri*, id est, ex congressu & semine; sed ex Patris bona voluntate, & cooperatione Spiritus sancti.... Natus est igitur ex ea Filius Dei, & Deus incarnatus; non Deifer homo, sed Deus incarnatus;... non transmutatione naturæ, sed unione secundum hypostasim... Quomodo igitur nnn est Deipara, quæ Deum incarnatum ex se genuit? Sic proprie & vere Dei genitrix & Domina, quæ omnium creaturarum dominatrix, ancilla & mater omnium Conditoris effecta est.

Luc. 1. 26.

Ioan. 1. 13.

Ioan. Hessel. *Catech. Tom.* 1. *edit. Lovan. pag.* 176. *in Explicat. Salut. Angel. cap.* 1. Si Dominum in sanctis suis laudare & mirabilem prædicare iubemur; quanto magis in Deipara Virgine? In qua non tantum sanctitas, sed & sanctitatis elucet origo, (hoc est, Dominus Christus, pro nobis homo factus) plusquam in aliis Sanctis. Si sancti Patres & Prophetæ maximo desiderio ac gaudio præcinuerunt hanc Virginem nascituram, ac Salvatorem parituram: quanto magis Christiani novi Testamenti, nunc orbi exhibitam collaudare debent? Quanto putamus gaudio dixisse

Ps. CL. 1.

I. Debetne sæpius salutatio Angelica recitari?

R. Perutile est eam recitare sæpissime. B. Virginis intercessio efficacior certe intercessione cuiuslibet ex Cælitibus. Neque enim vel in Angelis vel in Sanctis cum Christo regnantibus quisquam est qui tantum habeat apud Christum gratiam, qui tam arcto fœdere & vinculo cum Christo coniunctus sit. Sed videndum ne propterea B. Virgo Deipara æquiparetur Christo. Immensum enim distat semper creatura a Creatore.

I. Quo maxime tempore recitanda Salutatio Angelica?

R. Mane, meridie, vespere; præterea cum versamur in aliquo periculo, cum urget tentatio, cum adest morbus: maxime vero instante morte.

§. 2. *Explicatur ea Precationis formula, quæ* Angelus *dicitur*.

I. Quæ est ea precationis formula, quæ *Angelus* dicitur?

R. Hanc subiiciam libens.

Angelus Domini nuntiavit Mariæ, Concipies de Spiritu sancto. Ave Maria, &c.

§. 2.

Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum. Ave Maria, &c.

Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Ave Maria, &c.

OREMUS

Gratiam tuam quæsumus Domine, mentibus nostris infunde; ut qui Angelo nuntiante, Christi Filii tui Incarnationem cognovimus; per Passionem eius & crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Ex pio Ecclesiæ more solet mane, meridie, & vespere signum dari, ut isthæc oratio recitetur ab omnibus.

I. Cur ter quotidie signum hoc datur?

R. 1. Ut moneantur fideles ter saltem in die, scilicet vespere, & mane, & meridie laudare Deum exemplo Davidis, & tempus aliquod orationi impendere.

2. Ut tunc gratias agant Deo pro

Iſai. vii. 14. Isaiam, nunc: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium; & vocabitur nomen eius Emmanuel*: nunc vero: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini? Virgo* enim Maria est, *Flos* Dominus Iesus: in quo perpetuo inhabitat sanctus Spiritus, datus ei non ad aliquam mensuram. *Iſai. xi. 1.*

Cap. 3 Compendio autem quodam tota laus Virginis salutatione Angeli & Elisabet continetur: quam recte fideles subiungunt orationi Dominicæ. Convenit enim ut orans recogitet eum, per quem impetrat quod orat: at hac salutatione statim ipse Christus ex Maria incarnatus, qui omnium quæ a Deo obtinemus fons est, nobis occurrit: agnoscimusque utrumque sexum nostræ reparationi adfuisse, sicut quondam adfuerat corruptioni. Convenit etiam ut orans gratias agat: at hæc salutatio immensum illud Incarnationis Christi beneficium ad memoriam reducit, & excitat nos ad gratias agendas pro omnibus beneficiis, quæ per Christum incarnatum damnato mundo Deus elargiri dignatus est. In laudem igitur Dei redundat quidquid Matri eius honoris impensum fuerit. *Cetera vide apud Auctorem.*

Digitized by Google

ineffabili Incarnationis Dominicæ beneficio (A).

3. Ut post actas de hoc inenarrabili dono gratias, petant quoque in se derivari huius tanti mysterii effectum, id est, gratiam & gloriam.

4. Ut meminerint, quæ in hoc tanto mysterio partes fuerint beatissimæ Virginis Deiparæ: adeoque illius auxilium implorent ad consequendum fructum Dominicæ Incarnationis.

I. Exstatne præceptum aliquod huius orationis ter in die recitandæ?

R. Nullum exstat. Recitatur ex pia consuetudine, quam sequi laudabile est.

I. Qua mente recitanda hæc oratio est?

R. Qua mente factum est ut eius recitandæ ritus introduceretur: de quo mox diximus.

Sed cavendum ne oscitanter & perfunctorie, ut fit a plerisque, & sine ulla mentis attentione recitetur.

Ut autem recitetur attentius, 1. ante eius recitationem colligendus est parumper animus, & ad se revocandus.

Deinde maxime expedit hanc orationem, quantum fieri potest, flexis genibus recitari: exceptis Dominicis diebus & tempore Paschali, quo tempore, ex prisco & Apostolico Ecclesiæ more, genua non flectuntur inter orandum.

CAPUT SEXTUM.

De Publicis Officiis Ecclesiæ & Officiis in genere.

§. 1. *Qua lingua publicas Ecclesiæ Preces, publica Officia celebrari oporteat.*

I. Cur celebrat Ecclesia divinum Officium lingua latina plebi ignota?

R. 1. Cum primum lex Evangelica per orbem universum disseminata est, Ecclesia illam ad divina Officia in unaquaque regione linguam adhibuit, quæ in ea regione maxime vulgaris esset. Adhibitam semel in singulis regionibus retinuit, etiamsi succedente tempore vulgaris illa non esset amplius. Nec enim sine gravibus incommodis fieri aliter potuisset (A).

(A) Ordinar. Carthus. *cap.* 23. *num.* 33. In cunctis Ordinis domibus, sicut mane ac meridie, sic statim ante vel post Completorium pulsetur ter quotidie campana, pro ritu regionis ad Indulgentias obtinendas, quæ conceduntur tunc dicentibus trina vice, *Ave Maria*, in venerationem Dominicæ Incarnationis.

(A) M. Bocquillot, *Liturgiæ lib.* 1. *cap.* 11. Certum est, Apostolos & eorum Discipulos Evangelium annuntiasse lingua vulgari populorum & nationum, ad quas a Deo missi sunt. Atque in hunc præcipue finem iis Deus linguarum donum dederat. Quomodo enim populi eos intellexissent, nisi nota illis lingua verbum prædicassent? Quem fructum prædicatione minime intellecta facere potuissent? Verum hæc adeo clara res est, ut nulla egeat probatione.

Si certum est, Apostolos & eorum Discipulos Evangelium annuntiasse lingua vulgari nationum, ad quas missi sunt, verosimillimum est, sacra mysteria celebrasse eadem lingua, qua prædicabant. Cur enim lingua minime nota prædica-

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. VI. §. 1.

2. Quamvis latina lingua iam vulgaris esse desierit in Occidente, nulla tamen est quæ in tota Europa vigeat magis. Hanc populorum magna pars passim intelligit: nec ullam aliam facile esset adhibere.

3. Probari non potest aliam umquam in Occidente linguam adhibitam fuisse ad divina Officia. Constat tamen ex S. Augustino multa fuisse in Africa loca in quibus huius sancti Doctoris tempore Punica lingua, non Latina, vulgaris esset (B). Et doctissimus Cardinalis Bona in eximio opere de rebus liturgicis luculenter probat Latinam linguam non fuisse vulgarem apud Alemannos, Francos, Anglo-Saxones, Sclavos, Polonos, ceterosque Septentrionales populos, cum illis Evangelica lux affulsit; nec propterea apud illos Officia divina celebrata

---

rent? haud certe ob impossibilitatem, cum facillime recentium fidelium idiomate loquerentur; neque vero ob mandatum, quod ipsis a Iesu Christo, vel ab Apostolis datum sit, cum nullum exstet. Nullus tunc neque usus, neque consuetudo, quæ pro lege esset. Utilius certe novis fidelibus erat cum suis magistris laudare Deum lingua ipsis cognita, quam ignota. Si linguam vobis incognitam loquerer, inquit S. Paullus, quam vobis utilitatem afferrem? Quod addit deinde, maiorem vim habet; quia loquitur de precibus & laudibus, quibus afficiebatur Deus in fidelium cœtibus, &, iuxta D. Thomam, & alios interpretes, in ipso sacrificio. *Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet*, Amen, *super tuam benedictionem? quoniam quid dicas nescit*. Apostolus qui ita fideles alloquebatur, certe mysteria sancta non celebrabat lingua, quam populum ignorabat. (1.Cor.xiv.6.)

Tamquam certissimum itaque affirmari potest, Apostolos & eorum successores in sacra Liturgia vulgari lingua loci, quo celebrabant, usos fuisse. Hinc dubium non est, Ierosolymis, & pluribus aliis locis, lingua Chaldæa vel Syriaca celebrata fuisse mysteria, Græca Alexandriæ, & in aliis Urbibus, quæ Græco idiomate utebantur; Latina demum in Regnis & Provinciis Occidentalibus, in quibus latinus sermo vulgaris erat. Hoc adeo certum est, ut inutile omnino sit probare, celebratam fuisse, & adhuc celebrari Missam tribus linguis; verum necesse est demonstrare, aliis linguis celebratam fuisse in locis illis, in quibus hæ linguæ ignotæ penitus erant. (Bona Lib. 1. c. 5. n. 4.)

(B) S. August. *Epist.* 209. *alias* 261. *ad Celestinum Papam*, *num.* 2. (*Fussala*)... Episcopum ordinandum, constituendumque curavi. Quod ut fieret aptum loco illi congruumque requirebam, qui & Punica lingua esset instructus, &c.

Lib. 2. *Retractationum*, *cap.* 3. Liber *de agone Christiano*, fratribus in eloquio Latino ineruditis humili sermone conscriptus est, fidei regulam continens, & præcepta vivendi.

Epist. ad Roman. inchoata Exposit. num. 13. Quo loco prorsus non arbitror prætereundum, quod pater Valerius animadvertit admirans in quorumdam rusticanorum colloquutione. Cum enim alteralteri dixisset, *Salus*, quæsivit ab eo qui & Latine nosset & Punice, quid esset *Salus?* responsum est, *Tria*. Tum ille agnoscens cum gaudio salutem nostram esse Trinitatem, convenientiam linguarum non fortuito sic sonuisse arbitratus est, sed occultissima dispensatione divinæ providentiæ: ut cum Latine nominatur *Salus*, a Punicis, intelligantur *Tria*; & cum Punici lingua sua *Tria* nominant, Latine intelligatur *Salus*.

Tract. 7. *in Ioan. num.* 18. Omnis qui verba Latina intelligit, scit quia dolus est, cum aliud agitur, & aliud fingitur. Intendat caritas vestra: Non dolus dolor est: propterea dico, quia multi fratres imperitiores Latinitatis loquuntur sic, ut dicant, dolus illum torquet, pro eo quod est dolor. *At ex his locis vulgi equidem imperitiam probari posse mihi videtur, non vero Linguæ Latinæ ignorantiam. Iuxta peritiores iudicium esto.*

PARS III. SECT. II. CAP. VI. §. I.

fuisse umquam vulgari eorum lingua, sed latina solum, sicut in reliquo Occidente (C).

I. Quid esset incommodi si passim in qualibet regione vulgari lingua publicæ preces fierent?

(C) IOAN. BONA S. R. E. Card. *Rer. Liturg. l.* 1. *c.* 5. *num.* 4. Superest nunc alia difficultas explananda, qua lingua Apostoli celebraverint. Ioan. Echius *L.* 2 *de Sacrif Missæ c.* 2. nullo adhibito teste ausus est diffinire, Missam non nisi Hebraice actam tam ab Apostolis quam ab eorum successoribus usque ad tempora Adriani Imperatoris: & tunc demum cœpisse Ecclesiam lingua Græca in Sacris uti. Sed huius sententiæ nullum reperio apud veteres fulcimentum; multa autem habeo quæ ipsam convellant. Secundo enim labente seculo, quo vixit Adrianus, iam fides nostra in varias regiones propagata erat, Apostoli autem donum linguarum a Spiritu sancto acceperant, ut fidem, eiusque mysteria singulis gentibus proprio cuiusque idiomate prædicarent, non exotico, & præsertim Hebraico, quod tunc temporis nec vulgo quidem Hebræorum notum erat. Deinde Iacobus Liturgiam suam Græce scripsit; hanc autem legitimum illius Apostoli fœtum esse suo locu ostendemus. Paullus item de publicis Ecclesiæ precibus ab Corinthios scribens: *Si benedixeritis*, inquit, *spiritu, qui supplet locum idiotæ quomodo dicet Amen super tuam benedictionem, quoniam quid dicas nescit?* Hæc autem verba S. Thomas & alii ita interpretantur, ut velint Apostolum loqui de sacrificio Missæ, & nolle ipsum agi prorsus sermone ignoto & peregrino; qualis tunc erat Hebraicus Corinthiis, & aliis nationibus. Asserendum itaque videtur Apostolos, eorumque successores eo idiomate in singulis regionibus usos, quod tunc illis commune & vernaculum erat; & ita Hierosolymis Chaldaice; Antiochiæ vero, Alexandriæ & in aliis Græcorum civitatibus Græce: Romæ autem & in toto Occidente Latine celebrasse. Nititus hæc mea assertio antiquissimæ & immemorabili Ecclesiæ consuetudini. In Occidente enim non inveniuntur antiquæ Liturgiæ, nisi latinæ: in Oriente vero, quamvis multæ diversarum linguarum nationes sint, quæ Christiana professione censentur, veteres tamen Liturgias non habent, nisi Græca, qua Græci & Melchitæ, & Chaldaica lingua, qua Maronitæ, Nestoriani, & Iacobitæ, per varias provincias dispersi utuntur. Hinc autem liquet vetustas offerendi formulas, maxima cura & relligiosissima sollicitudine a maioribus nostris custoditas fuisse, ut sicut una est fides, ita una esset lingua communis, qua multæ nationes possent mutuo communicare. Missæ enim Chaldaico, Græco, & Latino sermone primum compositæ, eodem semper celebratæ sunt, quamvis illæ linguæ desierint esse vulgares. Gentes autem, quæ in Occidente successu temporis Christianam relligionem amplexæ sunt, Germani, Franci, Angli, Poloni & alii Septentrionales, Latina lingua, licet illis ignota esset, Sacrificium offerebant. In Africa etiam Latinæ linguæ usus in sacris semper viguit, licet eam populus non intelligeret, ut Augustinus testis est in expositione inchoata Epist. ad Rom. Idem accidit in Oriente quoad linguam Græcam, & Chaldaicam: nam iis utuntur in divinis officiis, quamvis populis ignotæ sint, qui vel Græca vulgari, vel Arabica communiter loquuntur. Fert hoc rerum humanarum vicissitudo, ut linguæ vulgares mutationibus sint obnoxiæ, vel quia corrumpuntur alterius nationis commercio, vel quia Provinciæ in extraneorum Principum dominium transeunt, qui proprias leges, & mores, & linguam in eos introducunt. Vetus Gallorum lingua, qua uti solebant priusquam regnum illud in Provinciam a Romanis redigeretur, penitus abolita est. Sic etiam Hispani proprium amiserunt sermonem, cum potestati Romanorum subditi fuerunt. Veteres Francos, qui regnum in Galliis constituerunt, Germanica lingua locutos Beatus Rhenanus *l.* 2. *rer Germanicar.* ostendit, ex antiquissimo codice Evangeliorum, quem Frisingæ se vidisse ait in linguam Francicam translatum, quæ eadem est ac Germanica. Regiones quoque septentrionales a Romanis subactæ Latine loqui didicerunt, donec ipsa Latina lingua interiit, & ex eius corru-

1. Cor. xiv. 6.

R. Multa certe incommoda & gravia occurrerent.

1. Divina officia obnoxia essent continuis mutationibus; nam continuam in linguis viventibus mutationem invehit frequens populorum usus, quem penes arbitrium est & mos & norma loquendi. Et intra unius seculi limites mutantur plurimum linguæ vulgares.

Horat. de art. Poet.

2. In continuis illis idiomatum mutationibus facile esset invehere sensim graves errores circa fidei dogmata, quorum depositum servatur in publicis Ecclesiæ precibus & officiis. Sic paullatim hæreses serperent.

3. In eodem regno, v. gr. in Galliis, adhibenda essent tria quatuorve ad minus idiomatum genera in celebrandis officiis & in singulis Provinciis, pro varia horum idiomatum mutatione, corrigendæ subinde essent Ecclesiæ preces. Nemo nescit in inferiori Aremorica, in Alsacia, in Cantabria, in Benearnia, in Vasconia, in Russinonensi agro, in pluribus Occitaniæ & Provinciæ locis non intelligi passim a plebe idioma Gallicum. Vix umquam publi-

---

ptione in Italia, Gallia, & Hispania vulgares hodiernæ exortæ sunt

Eodem fato Græca & Chaldaica extinctis, Turcica, Arabica, & aliæ vulgares in plerisque regnis Orientalibus successerunt. Ut autem Relligio adversus huiusmodi mutationes inconcussa maneret, semper & ubique orthodoxa Ecclesia vetus idioma in divinis officiis retinuit, id exigente sacrarum rerum dignitate & maiestate, ut nihil in his immutetur, nihilque erroneum aut impurum in eas irrepat: Quod facile contingeret, si eas ab antiquo sermone, quo ab Apostolis & Apostolicis viris traditæ sunt, in alium recentiorem, vel a primævo diversum transferre liceret. Quod si Græca & Latina lingua conservatæ olim non essent, & usque ad nos propagatæ propter necessarium eorum usum in sacris functionibus iam inutiles nobis forent veterum Conciliorum canones, antiquorum Pontificum Constitutiones, sanctorum Patrum & aliorum lucubrationes Græco vel Latino sermone exaratæ; quia nec eas legere nec intelligere possemus; sicut non intelligimus priscos Hispaniæ characteres, qui in nummis conservati sunt: nec scimus quid dicat Pænulus apud Plautum quia lingua Punica, qua ille loquitur, dudum interiit. Narrat Polybius, *l. 3. hist.* quod cum inita pax est post secundum bellum punicum, pacta primæ pacis vix intelligebantur, adeo lingua tempore interiecto mutata erat. Idem nunc apparet in Italica nostra, & in Gallica; multum enim discrepat hodierna ab antiqua. Cum ergo experientia docuerit, singulis fere seculis vulgare idioma mutari, si Missa sermone vulgi celebraretur, iisdem mutationibus subiecta foret, non sine gravi dispendio debitæ venerationis, & cum evidenti periculo depravationis. Tolleretur etiam necessaria ad fidei unitatem Ecclesiarum communicatio, quæ hoc vinculo nectitur: nec posset Sacerdos Italus in Gallia, aut in Germania, nec Germanus aut Gallus in Italia sacris operari. Quare sapientissime ab Ecclesia constitutum est, ut quo idiomate Missæ primum institutæ sunt, eo semper celebrentur, licet populo ignotum sit. Præcessit exemplum huius disciplinæ in veteri Testamento, nam cum populus post captivitatem Chaldaice loqueretur, Psalmos tamen & Scripturas Hebraice semper cantavit, & legit: quem morem Hebræi etiam hodie in Synagogis observant: nec enim voluit Deus mutari Scripturam, licet populus linguam mutasset. Eadem Romanis cura fuit servandi in Sacris sermonis antiquitatem, nam *carmina Saliorum vix Sacerdotibus suis intellecta*, ut ait Quintilianus *l. 1. instit. orat. c. 6. numquam mutarunt, quia vetabat relligio, & consecratis utendum erat.*

Digitized by Google

cæ preces intelligerentur a peregre euntibus, vix Sacerdotes possent extra suam quisque regionem celebrare sacrificium, vix abstinendum esset a continuis mutationibus.

4. Non facile mutationes fiunt in publicis & tritis Ecclesiæ precibus, ceterisque quæ in usu plebis quotidiano versantur: id probat luculenter vel ipsa Protestantium experientia, ut alia exempla taceamus.

Primo enim, vix iam intelligit quisquam quam Besa & Marotus, labente seculo decimosexto, ad Calvinianorum usum publici iuris fecere Psalmorum Davidicorum versionem, seu paraphrasim, lingua tum in Gallis vulgari. Frustra tamen tentarunt apud nostrates Calvinianos horum, ut vocabantur, Ministri, veteris illius versionis loco in publicis conventibus substituere Conrartii versionem, quæ correcta ad hodiernum usum, facile ab omnibus intelligi poterat. Id notum omnibus: adeo ut vel inviti Calviniani cogerentur, usu prævalente, publica Relligionis officia celebrare ea lingua quæ iam iam intelligenda esset a nemine.

Deinde, quæ Genevensibus typis iampridem edita est Gallica sacrorum Bibliorum versio a Calvinianis, ea vix iam a legentibus intelligitur, ob vetustatem idiomatis, iam fere obsoleti. Si quæ tamen a Calvinianis proferuntur etiamnum, vel in libris Gallicis politioribus, vel in Concionibus, Scripturæ sacræ testimonia; ea non aliunde illi proferunt, nisi ex vetusta illa versione iam barbara: tanta vis est consuetudinis in rebus quæ pertinent ad vulgarem & quotidianum usum.

Hinc intelligere licet, quam difficilis sit, ne plura dicam, idiomatis mutatio in iis rebus quæ publico & continuo populorum in usu versantur. Et hæc quidem una est ex præcipuis rationibus, cur passim iam publicæ Ecclesiæ preces vulgari lingua non fiant.

I. Recte hæc quidem. Restat tamen mihi scrupulus minime contemnendus. Vereor nimirum ne divini officii celebratio lingua ignota pugnare videatur cum iis quæ habet Apostolus cap. 14. primæ ad Corinthios Epistolæ.

R. Cave id putes. 1. Enim non loquitur ibi Apostolus de divini officii celebratione, quæ tunc Corinthi fiebat lingua Græca, apud Corinthios vulgari.

Deinde non reprehendit Apostolus in publicis conventibus usum idiomatis incogniti, modo sit qui interpretetur idiotis (D). Atqui vult

(D) 1. Cor. xiv. 5. Volo autem omnes vos loqui linguis: magis autem prophetare. Nam maior est, qui prophetat, quam qui loquitur linguis: nisi forte interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat... Et ideo qui loquitur lingua, oret ut interpretetur... Quid ergo est, fratres? Cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant. Sive lingua quis loquitur, secundum duos, aut ut multum tres, & per partes, & unus interpretetur. Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia, sibi autem loquatur & Deo.

etiam nunc Ecclesia populum Christianum a Pastoribus edoceri lingua vulgari quidquid in publicis officiis lingua Latina recitatur caniturve(E). Potest quoque hæc interpretatio fieri per librorum Ecclesiasticorum versiones in vulgarem linguam, ut iam diximus in explicatione vocis huius *Amen*.

Huius ſect. Cap. 4 §. 2. verſus finem.

I. Quid ergo caussæ fuit cur Apostolus in ea ad Corinthios Epistola loqueretur de lingua Ecclesiis ignota?

R. Id dixit occasione doni linguarum, circa quod nonnulli abusus irrepserant apud Corinthios. Rem explico. Tempore nascentis Ecclesiæ, ut plures ad Christum ex gentibus adducerentur, dabat Deus sæpissime Christianis donum linguarum; &, quod maxime faciebat ad miraculi manifestationem, multi loquebantur ignota lingua, nec interpretari poterant; alii poterant interpretari, nec loqui, alii denique, in quibus erat Apostolus, & loquebantur, & intelligebant, & interpretabantur omnes omnino linguas.

Circa hoc linguarum donum duo Corinthi abusus irrepserant.

1. Nonnulli ex fidelibus prout Spiritus daret loqui, loquebantur, & plures simul variis linguis, non singuli post singulos.

2. Quod dictum fuisset ignota lingua nemo quandoque erat qui posset interpretari. Hinc orta confusio.

Pars III. Sect. II. Cap. VI. §. 1.

Cui ut obviam iret Apostolus, duo præcipit cap. 14. primæ ad Corinthios Epistolæ.

1. Ut in singulis collectis duo tresve solum, iique non simul sed succedentibus vicibus, loquantur ignotis linguis.

2. Ut si nemo sit qui interpretetur, qui ignota lingua loquuturus erat, taceat in Ecclesia; sibi autem loquatur & Deo. Neque enim palam proferri debet quidquam in Ecclesia, nisi ad ædificationem adstantium; nec prodesse cuiquam potest sermo ignotus, quem nullus interpretari valeat; adeoque Prophetas illos, qui linguarum donum acceperint, nisi interpres adsit, tacere oportere; immo si interpres adsit, iudicandum prius esse ab illo linguarum interprete, an ad ædificationem adstantium conducere valeat quod ignota lingua dicendum est: *Spiritus* enim *Prophetarum*, inquit Apostolus, *Prophetis subiecti sunt*. Quod sic intelligi nihil vetat ut sensus sit, Prophetarum qui donum interpretationis acceperint id esse officii, ut diiudicent palamne dicendum sit, an tacendum quod Prophetæ linguis ignotis loquentes sunt eloquuturi.

1. Cor. XIV. 32.

(E) Conc. Trident. *Sess.* 22. *c.* 8. *de Miss vulgari lingua passim non celebranda, & mysteriis eius populo explicandis.* Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari lingua passim celebraretur. Quamobrem retento ubique cuiusque Ecclesiæ antiquo, & a sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre & magistra probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit qui frangat eis; mandat sancta Synodus Pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis quæ in Missa leguntur aliquid exponant, atque inter cetera, sanctissimi huius Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis & Festis.

Pars II. Sect. II. Cap. VI. §. 2.

Legatur attentius totum illud c. 14. primæ ad Corinthios Epistolæ, nihil aliud in eo reperietur quam quod diximus. Atque inde constat,

1. Non hic agi de lingua qua celebrari divinum officium oporteret: de eo non erat quæstio.

2. Non absurdum videri Apostolo usum ignotæ linguæ in Ecclesia, modo adsit interpres qui possit de singulis reddere rationem, si quis forte extraneus adveniat.

Quid quod nec ignota prorsus videri debet lingua Latina, qua utitur Ecclesia in divinorum officiorum celebratione. Hanc plerique loquuntur: ceteri ex continuo usu & ex Pastorum interpretatione & documentis norunt, vel nosse facile possunt quid suis orationibus postulet a Deo Ecclesia. Adeoque dum plebs respondet *Amen*, non ignorat omnino quid respondeat, verumque præbet assensum iis quæ Sacerdos nomine Ecclesiæ a Deo poposcerit: ut taceam divinorum officiorum partem maximam esse in vernaculam linguam iussu vel licentia Episcoporum translatam, ut supra observatum a nobis fuit.

Huius sect. Cap 4. §. 2.

§. 2. *De Ecclesiæ Ritibus & Ceremoniis in genere.*

I. Cur cum tanto rituum & ceremoniarum apparatu celebrat Ecclesia divinum officium?

R. 1. Ut hoc exteriori apparatu excitetur efficacius Christiana plebs ad Dei cultum.

2. Ut & his ceremoniis ritibusque intelligatur facilius quid agat Ecclesia, quæ mysteria celebret, quid postulet a Deo, qua mente Divinis vacare oporteat.

3. Ut supremo Numini consecrentur, eiusque cultui inserviant suo modo omnes omnino creaturæ, quæ omnes illius sunt.

4. Plerique rituum Ecclesiasticorum vel fundamentum habent in ipsa rerum natura positum, nec continent mysterii quidquam; vel ob maiorem decentiam pro variis necessitatibus introducti sunt; vel ex usu vitæ civilis usurpantur.

5. In ritibus Ecclesiasticis non desunt qui mysterii caussa primum introducti sunt, ut illis mysteriis mens eveheretur ad res his significatas & adumbratas.

6. Multos Iudæorum ritus Ecclesia retinuit, & observavit ab initio.

7. Quin & ex gentibus ad Christum conversis nonnullos Ecclesia ritus sumpsit, quos ipsi ex Iudæis acceptos in superstitionum suarum usum usurpaverant. Sic faciliorem Ecclesia reddidit Ethnicorum conversionem. Facilius enim adduci potuerunt ad consecrandos supremo Numini eiusmodi ritus, quos solebant prius dæmonibus impendere, quam ad eos tollendos omnino. Alioquin illis ritibus nihil ex natura sua mali suberat.

I. Numquid satius fuisset illos prorsus tollere, ne eorum occasione facilius ad superstitionem delaberentur gentes ad Christum conversæ?

R. 1. Ritus illi, utpote ex Iudæis accepti, ex se & ex natura sua boni erant, Deoque ipso auctore in cultum Religionis introducti fue-

rant: ipsosque gentes ad Christum conversæ, seclusa omni superstitione, observabant, edoctæ a Pastoribus de recto & legitimo eorum usu.

2. Non facile fuisset ritus illos de medio tollere. Nemo nescit quæ sit vis consuetudinis, & quam arduum sit veteres & receptos usus abolere: longe satius est nihil immutare in iis quæ salva religione servari possunt (A).

3. Quia etsi ritus illi facile tolli potuissent, erant tamen ob suam vel necessitatem vel utilitatem retinendi.

I. Quod ait Christus, Deum in spiritu & veritate adorare oportere, quomodo stat cum illo rituum exteriorum apparatu?

R. Stat certe. Neque enim his verbis præiudicatum voluit Christus adorationi exteriori. Hoc solum innuit, cultum exteriorem inutilem esse & nullius momenti, si separetur ab interiori, quo Deus in spiritu & veritate adoratur. Cultus ille interior primus est, præcipuus est: ad eum fovendum, & excitandum, & significandum ordinatur exterior ceremoniarum apparatus. Si quis forte apparatu illo exteriori contentus, non feratur interius ad Deum, is Iudæum non Christianum sapit, is magno in errore versatur. Hinc omnino necesse est Pastores in id maxime incumbere, ut subiecti sibi populi sedulo edoceantur, quæ sit sacri cuiusque ritus ratio, qui usus, populique ex assiduis Pastorum monitis intelligant, cultum illum exteriorem umbram quamdam esse, qua ferri ad Deum mens humana debet, & significare quis sit affectus interior erga Deum.

I. Saltem exterior ille apparatus & magnificentia in sacra Ecclesiæ supellectili, in vasis, in vestibus sacris, in templorum ædificiis & ornamentis videtur pugnare cum simplicitate Christiana, quæ toties in Evangeliis commendatur?

R. In rebus eiusmodi positum esse simplicitatis Evangelicæ præceptum ne credideris. In eo positum est, ut simus humiles & pauperes spiritu, & seculi pompas aspernemur, & vitam agamus ab omni fastu & sumptu cultuque superfluo alienam, & cum servemus in omnibus modum, ut ne quid nimis.

Nihil isthæc ad templorum apparatum & ornamenta. Quæ fuerit in veteri lege Tabernaculi Mosaici & Templi Iudaici magnificentia, Deo ipso auctore, nemo nescit: Nec tamen ad Iudæos sicut & ad Christianos modestiæ & simplicitatis commendationem pertinuisse quis inficiabitur. Illam ipsam quæ Divino cultui refertur magnificentiam laudasse videtur Christus. Cum enim pia mulier Christi pedes in

(A) S. Aug. *Ad inquisit Ianuar lib.* 1. *seu Epist.* 54. *alias* 118. *cap.* 2. *n.* 2. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, & propter eorum inter quos vivitur societatem servandum est.

Cap. 5. *num.* 6. His enim caussis, id est, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet quod perperam fiebat, vel institui quod non fiebat. Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiam quæ adiuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa, consequenter noxia est.

domo Simonis leprosi unxisset nardo pretiosissimo, unguenti profusionem carpentibus Discipulis laudavit Christus (B), atque ita probavit terrenas divitias Dei cultui consecrari posse & debere.

I. Aiunt tamen prioribus seculis Ecclesiam non in cultu solum & ornatu privato, sed & in templorum & sacræ supellectilis apparatu magnam simplicitatem & modestiam observasse.

R. Tribus prioribus Ecclesiæ seculis, dum ferverent vel imminerent quotidianæ persequutiones, vix poterat Ecclesia colligi ad celebranda quiete divina officia. Non mirum ergo si tunc simplex esset templorum & structura & suppellex, & officiorum apparatus. Sed ex quo pax Ecclesiæ concessa est, & Christi religionem Imperatores orbis domini complexi sunt, tunc Christianorum templa fuerunt & magnificentissime constructa, & splendide instructa varia eaque pretiosissima supellectili, & vasis argenteis aureisque quamplurimis illamque in templorum ædificatione & ornatu magnificentiam laudarunt semper sanctissimi Præsules, ut Christianæ pietatis indicium, non in Imperatoribus modo, sed & in ceteris Christianis qui opibus affluerent (C).

(B) Matth. xxvi. 6. Cum autem Iesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier babens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes, Ut quid perditio hæc? Potuit enim istud venumdari multo, & dari pauperibus. Sciens autem Iesus, ait illis, Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habetis vobiscum; me autem non semper habetis. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eios.

(C) Euseb. *Ecclesiast. Histor. lib.* 10. *cap.* 4. Cuiusmodi sunt hæc templi huius pulcherrima ornamenta atque donaria. Quæ ipsa quidem per se augusta profecto sunt ac magnifica, & stupore atqoe admiratione digna; quippe quæ regni Servatoris nostri illustre specimen exhibeant.... Nihil plane inferior Beseleele illo, quem Deus ipse spiritu sapientiæ, & intelligentiæ omnisque ingeniosæ ac sollertis peritiæ cum implevisset, cælestium templi imaginum per adumbratas quasdam figuras fabrum atqoe artificem elegit. Ad eomdem igitur modum hic noster totum Christum, qui verbum, sapientia & lux est, in sua ipsius mente tamquam imaginem gestans, dici non potest quanta cum animi magnitudine, quam opulenta & prodiga mentis manu, quanta etiam omnium vestrum liberalitate, qui vestra in conferendis sumptibus magnificentia quasi com illo certantes, ne eius consilio inferiores ulla ex parte videremini ambiti sius contendistis: hoc magnificum Dei altissimi templum quod sub aspectum cadit, ad exemplum præstantioris illius templi quod cerni oculis non potest, qoam fieri potuit simillimum fabricaverit..... Ecclesiam hanc prolapsam excitavit, cum illam prius omni labe purgasset, & medicamentis salubribus curavisset. Iam vero eam veste circumdedit, non illa vetere, sed quam rursus ex divinis oraculis didicerat, in quibus diserte prædictum est: *Et erit posterior gloria Domus huius longe supra priorem*. Itaqoe multo ampliorem l cum metatus, exteriorem quidem ambitom muro undique communivit, qui totius operis totissimum esset propugnaculum. Magnum deinde atque excelsum vestibulum ad ipsos solis orientis radios extendit; iis qui a sacro loci ambitu longius remoti sunt, conspectum quemdam eorum quæ intus reconduntur abonde exhibens, & oculos eorum qui a nostra fide alieni sunt, ad conspicienda limina quodammodo invitans; ne quisquam forte

Exod. xxxi. 2. &c.

Agg. II. 10.

prætercurrat, qui non compungatur animo, tum ex memoria præteritæ solitudinis, tum ex stupendo præsenti operis miraculo. Hoc enim modo compunctos attrahi, & ad ingrediendum allici posse aspectu ipso speravit. Ceterum ubi portas ingressus sis, non statim impuris & illotis pedibus in Sacrarium introire permisit. Sed inter templum ac vestibulum maximo intervallo relicto, hoc spatium in quadrati speciem circumseptum quatuor obliquis porticibus circumquaque exornavit, quæ columnis undique attolluntur. Intercolumnia porro ipsa septis e ligno reticulatis, in mediocrem & congruam altitudinem elatis circumclusit. Medium autem spatium apertum, & patens reliquit, ut & cæli aspectum præberet, & aerem splendidum solisque radiis collustratum præstaret: Hic sacrarum expiationum signa posuit; fontes scilicet ex adverso Ecclesiæ structos, qui interius Sacrarium ingressuris copiosos latices ad abluendum ministrarent. Atque hoc primum intrantium diversorium est; aunctis quidem ornatum, ac nitorem concilians; iis vero, qui institutione adhuc opus habent, congruentem præbens mansionem. Iam vero hoc spectaculum prætervectus, pluribus aliis interioribus vestibulis aditus ad templum patentes effecit; rursus ad ipsos solis orientis radios tribus ordine ianuis in uno eodem latere constructis Quarum mediam duabus aliis utrimque positis & altitudine & latitudine plurimum præstare voluit, eamdemque æreis tabulis ferro vinctis, & sculptoris variis præcipue decoravit; ei tamquam Reginæ satellites alias adiungens. Ad eumdem modum cum porticibus ad utrumque templi latus fabricatis parem vestibulorum numerum disposuisset, diversos aditus quibus copiosum lumen superne in ædem infunderetur, supra ipsas porticus excogitavit, easque fenestras variis e ligno sculpturis minutissimi operis ornavit. Ipsam vero ædem regiam opulentioribus magisque pretiosis speciebus instruxit, prolixa sumptuum magnificentia ad hoc usus Hic Iam mihi superfluum videtur ædis ipsius longitudinem ac latitudinem describere, & hunc splendidissimum decorem, atque inexplicabilem magnitudinem; radiantem operum speciem ac splendorem; fastigia ad cælum usque tendentia; & supra hæc eminentes Libani pretiosissimas cedros oratione prosequi, quarum mentionem ne divina quidem oracula prætermiserunt, in quibus dicitur: *Lætabuntur ligna Domini, & cedri Libani quas plantavit.* Quid iam attinet de sollerti & ingeniosa totius fabricæ dispositione, ac de excellenti singularum partium pulcritudine accuratius disserere, præsertim cum oculorum testimonium omnem quæ auribus percipi potest notitiam excludat. Porro cum templum in hunc modum absolvisset, thronisque altissimis in honorem Præsidentium, ac præterea subselliis per universum templum ordine dispositis exornasset; postremo Sanctum sanctorum, altare videlicet, in medio constituit. Utque hæc sacraria multitudini inaccessa essent, ea rursus ligneis munivit, minutissimo opere ad summum artis fastigium elaboratis, adeo ut admirabile intuentibus spectaculum exhibeant. Quin etiam ne ipsum quidem solum negligendum putavit. Quod cum mirum in modum marmore exornasset, inde ad ea quæ extra templum posita sunt conversus, exhedras & oëcos amplissimos utrimque summa cum peritia fabricavit, qui sibi invicem ad latera ipsius basilicæ coniunguntur, portisque quibus in medium templum intratur connexi sunt. Quas quidem ædes in gratiam eorum qui expiatione & purgatione per aquam & Spiritum sanctum opus habent, Salomon noster vere pacificus templi huius conditor exstruxit.

PARS. III. SECT. II. CAP. VI. §. 2.

Ps. CIII. 16.

Lib. 3. *de Vita Constantin. cap.* 33. In ipso Servatoris nostri martyrio nova fabricata est Hierusalem, ex adverso veteris illius celeberrimæ, quæ post nefariam Domini cædem ultimam vastitatem experta, pro incolarum impietate pœnas persolverat. Contra hanc igitur imperator trophæum victoriæ, quam Servator noster de morte retulerat, ambitioso cultu erexit... Primum igitur sacram illam speluncam, utpote totius operis caput, exornavit: divinum scilicet monumentum, iuxta quod olim cælesti luce radians Angelus, regenerationem quæ per Servatorem ostendebatur, omnibus nuntiaverat.

Cap. 34. Hoc, inquam, monumentum tamquam totius operis caput, Imperatoris magnificentia eximiis columnis & maximo cultu primum omnium decoravit, & cuiusque modi ornamentis illustravit.

Cap. 35. Transgressus inde est ad va-

Pars III. Sect. II. Cap. VI. §. 2.

strissimum locum libero patentem cælo; cuius solum splendido lapide constravit, longissimis undique porticibus ad tria latera additis.

Cap. 36. Quippe lateri illi quod e regione speluncæ positum, solis ortum spectabat, coniuncta erat basilica: opus plane admirabile, in immensam altitudinem elatum, & longitudine ac latitudine maxima expansum. Cuius interiora quidem versicoloribus marmoris crustis obtecta sunt: exterior vero parietum superficies politis lapidibus probe inter se vinctis decorata, eximiam quamdam pulcritudinem, nihilo inferiorem marmoris specie, præferebat. Ad culmen vero & cameras quod attinet, exteriora quidem tecta plumbo tamquam firmissimo quodam munimento ad hibernos imbres arcendos obvallavit. Interius autem tectum sculptis lacunaribus consertum, & instar vasti cuiusdam maris compactis inter se tabulis per totam basilicam dilatatum, totumque auro purissimo coopertum, universam basilicam velut quibusdam radiis splendere faciebat.

Cap. 37. Porro ad utrumque latus, geminæ porticus tam subterraneæ, quam super terram eminentes, totius basilicæ longitudinem æquabant; quarum concamerationes auro perinde variatæ sunt. Ex his, quæ in fronte basilicæ erant, ingentibus columnis fulciebantur: quæ vero interiores, pessis magno cultu extrinsecus ornatis sustinebantur. Portæ tres ad orientem solem apte dispositæ, introeuntium turbam exceperunt.

Cap. 38. E regione harum portarum erat hemisphærium, quod totius operis caput est, usque ad culmen ipsius basilicæ protentum. Cingebatur id duodecim columnis, pro numero sanctorum Servatoris nostri Apostolorum. Quarum capita maximis crateribus argenteis erant ornata: quos Imperator tamquam pulcherrimum donarium Deo suo dicaverat.

Cap. 39. Hinc ad eos aditus qui ante templum sunt progredientibus, aream interposuit. Erant autem in eo loco primum atrium, deinde porticus ad utrumque latus, ac postremo portæ atrii. Post has totius operis vestibula in ipsa media platea, in qua forum est rerum venalium, ambitioso cultu exornata, iter forinsecus agentibus, aspectum earum rerum quæ intus cernebantur non sine quodam stupore exhibebant.

Cap. 40. Hoc igitur templum tamquam salutiferæ resurrectionis testimonium Imperator exstruxit, & magnifico planeque regio apparatu decoravit. Nec dici potest, quot quantisque ornamentis ac donariis, partim ex auro & argento, partim ex gemmis, illud diversimode venustavit. Quorum apparatum summo artificio elaboratum, & magnitudine & numero & varietate insignem, hic singillatim exponere haud vacat.

Cap. 43. Dei amantissima augusta (Helena) Deiparæ Virginis partum eximiis monumentis ornavit; sacram illam speluncam omni cultus genere illustrans. Nec multo post Imperator eamdem Domini nativitatem regalibus donariis honoravit; variis ex auro & argento monumentis, velisque acu pictis, matris suæ cumulans magnificentiam.

S. Hieronym. *in cap* 8. *Zachar. tom.* 3. *edit. BB. pag.* 1746. In tantam rabiem persequutorum feritas excitata est, ut etiam conciliabula nostra destruerent, divinos libros ignibus traderent, omnes insulæ, metalla, carceres, Confessorum & Martyrum catenatis gregibus implerentur. Quis eo tempore crederet rursum Ecclesias construendas ab his ipsis qui ante destruxerant? non quod iidem homines fuerint; sed quod eadem regalis potestas, quæ prius sedebat *in insidiis cum divitibus*, & quasi Senatus consulto, Christi nomen conabatur extinguere: nunc expensis Reipublicæ Ecclesiarum basilicas exstruat, & exaltet summa fastigia; ut non solum laquearia & tecta fulgentia auro decoret, sed parietes diversi marmoris vestiat crustis, & divinos libros, quos prius tradebat incendio, nunc deauratos & purpuratos, & gemmarum varietate distinctos in custodiam Romani veneretur status.

Ps. x. 8. sec. Hebr.

His quæ superius ab huiusce operis Auctore dicta sunt, non abs re visum est ea quæ ceremonias spectant e Ceremoniali Paris. *hic attexere. In capite prævio num.* 1. *hæc leguntur*. Prænotandum ceremonias esse peragendas vultu habituque totius corporis ad modestiam composito, cultu vestium mundo & nitido, motu gravi, voce aliis consona, non præcipiti, spiritu humili, cordeque per caritatem ad Deum attento.

Num. 10. Prænotandum non oportere sui in Sacris ita moris esse tenaces Ecclesiæ Ministros, ut aliarum Ecclesia-

Digitized by Google

§. 3. *De usu Cereorum & Lampadum.*

I. In celebratione Divinorum officiorum, cur cerei & lampades accenduntur?

R. Cum Divinum officium nocte celebratur, necesse est accendi luminaria. Idem necesse fuit tempore persequutionum, quando in locis subterraneis fieri collectas, & rem Divinam peragi oportuit.

Ex quo pax Ecclesiæ reddita est, perseveravit mos accendendi lumina dum sacra peragerentur, etiam interdiu: atque hunc morem omnium Orientis Ecclesiarum fuisse seculo quarto testis est S. Hieronymus. Accendebantur autem lumina, 1. ut servaretur vestigium hoc antiquitatis.

2. In signum lætitiæ.

3. Ut significaretur fidelium fides, qua veluti lucerna illuminamur, ut ambulare liceat in huius vitæ caligine (A).

---

rum antiquas ceremonias damnent vel contemnant: memores tum moniti Gregorii magni ad Augustinum, quod in restauranda apud antiquos Britanniæ insulanos, aut fundanda apud Anglo-Saxones Ecclesia Christiana relligiose sequutum eum esse æquum est censere; scilicet, ut non ita ceremoniis propriis foret addictus, ut abhorreret ab Ecclesiis Gallicanis, quæ diversis ritibus utuntur, quos ab iis mutuari recte posset; tum etiam Tridentinæ Synodi, quæ, ut officiorum Ecclesiasticorum novos ritus antiquandos, ita antiquos retinendos sanxit: posse ergo antiquari novos ritus, ut qui aliunde antiquis sæpissime nec conveniunt, nec cohærent.

Num. 11. Proprios usus, licet forte nullius momenti videantur, non esse repudiandos, modo antiqui sint, sed cum veteribus aliis neglectis, & cum aliarum Ecclesiarum ritibus esse conferendos; & plerumque fieri ut ex illa collatione lux illis afferatur, & ratio eorum quæ latebat, pateat clara, pia, nobilis, & dignitati ceremoniarum maxime consentanea.

Ita sensisse videtur S. Aug. *Epist.* 54. *alias* 118. *ad Ianuar. Vide supra hocce §. litt.* (A)

(A) S. Hieron. *adversus Vigilant. pag.* 284. Cereos autem non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris; sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus; & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quod si aliqui per imperitiam & simplicitatem secularium hominum, vel certe relligiosarum feminarum, de quibus vere possumus dicere: *Confiteor, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam*, hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis? Caussabantur quondam & Apostoli, quod periret unguentum; sed Domini voce correpti sunt. Neque enim Christus indigebat unguento, nec Martyres lumine cereorum: & tamen illa mulier in honore Christi hoc fecit, devotioque mentis eius recipitur. Et quicumque accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo: *Unusquisque in suo sensu abundet*. Idololatras appellas huiusmodi homines? Non diffiteor, omnes nos qui in Christo credimus de idololatriæ errore venisse: non enim nascimur, sed renascimur Christiani. Et quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & idcirco detestandum est: hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum est. Nam & absque Martyrum relliquiis per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, iam sole rutilante: non utique ad fugandas tenebras; sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Unde & virgines illæ Evangelicæ semper habent accensas lampades suas. Et ad Apostolos dicitur: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*: & de Ioanne Baptista, *Ille erat lucerna ardens & lucens*, ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Psalterio legimus: *Lu-*

Rom. x. 2. *Matth. xxv. 8 & seq.* *Marc. xiv. 8.* *Rom. xiv. 5.* *Matth. xxv.* *Luc. xii. 35.* *Ioan. v. 35.* *Ps. cxviii. 105.*

Non desunt ex SS. Patribus, qui innuant iam a tertio seculo id fuisse in more positum, ut lumina accenderentur interdiu, dum res sacra fieret in Ecclesiis (B).

I. Cur feruntur cerei accensi ante Diaconum, dum procedit ad Evangelium cantandum, item ante Sacerdotem dum procedit ad sollemnem Missæ celebrationem?

R. Moris olim fuit ut ante Principes & supremos Magistratus honoris caussa luminaria deferrentur, dum ad obeunda publica munia procederent (C). Hinc morem illum in ritus Ecclesiasticos translatum fuisse nihil vetat.

Cui accedit & mystica quædam ratio, in eo posita quod Sacerdos sacra facturus gerat personam Christi, qui lumen est mundi. Quod ipsum & significat liber Evangeliorum; qui sollemniter defertur a Diacono procedente ad sacro-sancti Evangelii lectionem.

I. Cur cereum accensum in ma-

---

aerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lumen semitis meis.

(B) PRUDENTIUS περὶ στεφανῶν *hymn.* 2. *in honorem passionis Laurentii Mart. strophæ* 19. *vers.* 73.

Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Adsrare fixos cereos.

S. PAULLIN. *Poem.* 14. *alias* 18. *de S. Felic. natal.* 3. *vers.* 98.

Aurea nunc niveis ornantur limina velis,
Clara coronantur densis altaria lychnis.
Lumina ceratis adolentur odora papyris;
Nocte dieque micant, sic nox splendore diei
Fulget; & ipsa dies cælesti illustris honore,
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

S. EPIPHAN. *Epist. ad Ioan. Hierosol.* Cum venissem in villam, quæ dicitur Anablatha, vidissemque præteriens ibi lucernam ardentem, interrogassemque quis locus esset, didicissemque esse Ecclesiam.

S. GREG. TURON. Episc. *lib. de glor. Confess. cap.* 21. Interea advenerunt duo energumeni ex basilica sancti Martini, qui conlisis in se palmis clamare cœperunt, dicentes: Hic requiescit Sollemnis beatissimus in crypta abdita. Reserate igitur sepulcrum amici Dei. Quod cum repereritis, velis tegite, lumen accendite, cultumque debitum ei exhibete erit regioni huic salubre, si quæ loquimur adimpleveritis.... Sed & Lithomeris urbis ipsius indigena, cum ab quartani typi ægrotatione fatigaretur, acceptis ex hospitiolo suo cereis, surrexit cum uno tantum puero, accessitque ad locum. Fusa vero oratione, accensis cereis, manuque propria per totam noctem detentis, vigilias celebravit.

Cap. 69. *de Marcel. Episc.* Ad huius ergo sancti sepulcrum lychnus assidue lumen præbet: sed accensus semel multis noctibus sine ullo additamento perdurat.

Cap. 70. Ad cuius nihilominus tumulum lychnus accensus diuturno spatio lucere solet.

Cap. 71. Non hic accendetur lumen, neque Psalmorum modulatio canetur, gloriosissime sancte, nisi prius ulciscaris servos tuos de inimicis suis.

Cap. 79. Accensis cereis lychnisque non paucis, hymnis, psalmisque cælestibus per totam excubar noctem.... Adsumpta igitur palla de Beati sepulcro componunt in modum feretri: accensisque super cruces cereis, atque ceroferalibus, dant voces in canticis, circumeunt urbem cum vicis.

Cap. 20. Regressique ad basilicam, sanctas eius relliquias cum Saturnini, Iulianique Martyrum, vel etiam beati Illidii, exinde sollemniter radiantibus cereis crucibusque admovimus:

(C) 2. MACHAB. IV. 22. Et magnifice ab Iasone & civitate (Ierosolyma An-

nibus tenet, qui nomine totius plebis procedit ad oblationem? Cur item plures cerei accensi figuntur in panibus, qui sollemni apparatu deferuntur benedicendi inter missarum sollemnia?

R. Hoc ritu significari quidam existimant, sic affectos esse oportere eos qui procedunt ad oblationem, ut parati sint pro Christo consumi, & vitam ipsam profundere, quemadmodum cerei Divino cultui consecrati consumuntur. Pie id quidem excogitatum.

At certum est ritum illum hinc introductum, quod iam a primis Ecclesiæ seculis offerrent fideles inter Missarum sollemnia quidquid necessarium esset & ad sacrificii celebrationem, & ad Sacerdotum ceterorumque Clericorum, immo & pauperum sustentationem; adeoque panem, vinum, aquam, cereos, pecuniam. Oleum etiamnum offertur simul cum pane & vino pluribus in Ecclesiis.

I. Cur in sollemni funerum apparatu plures accenduntur cerei circa feretrum? Pars III. Sect. II. Cap. VI. §. 3.

R. Forte significatur hoc ritu Christianos in Christi fide defunctos, lucernarum instar exemplis vitæ præfulsisse, & vivere etiamnum quantum ad nobiliorem sui partem; & per meritum fidei cuius Christus fundamentum est, esse olim in resurrectionem vitæ processuros.

Forte & illius ritus primaria hæc ratio est, quod nocte plerumque agerentur sacræ funerum & exequiarum pompæ, ut fit etiamnum in exequiis sollemnioribus, & corpora fidelium in locis subterraneis conderentur, ut patet ex priscis Romæ cœmeteriis (D).

I. Cur lampas diu noctuque iugiter ardet coram sacro-sancto Christi corpore, quod in Ecclesiis servatur in pyxide?

R. Ardet honoris caussa. In veteri Testamento, ex Dei ipsius in-

---

tiochus) susceptus, cum facularum luminibus, & laudibus ingressus est.

S. Gregor. Naz. *Orat.* 4. *quæ est* 2. *advers. Iulian. num.* 29. Ille igitur (Constantius) publicis præconiis, faustisque omnibus, ac celebri pompa deducitur, relligiosisque etiam his nostris officiis, hoc est, nocturnis cantionibus, ac cereorum ignibus, quibus nos Christiani pium e vita discessum ornandum existimamus.

(D) S. Ephrem *Serm. in eos qui in Christo obdormierunt, pag.* 593 Quorsum igitur cereos accenditis mihi, Fratres? Non enim ego lampadem animæ meæ accendi? Cur me vestibus splendidis induitis? Non enim in meipso splendida indumenta habeo? Quorsum vero aqua corpus meum depurgatis? Non enim meipsum aquæ per lacrimas admiscui?... Bonos odores incendite, atque offerte: nam Angelicam præsentiam conspexit. Orate: nam in magna nunc agonia constitutus est.

S. Greg. Naz. *Vide littera super.*

S. Hieron. *Epist.* 86. *alias* 27. *ad Eustoch. Epitaph. Paullæ matr.* Translataque Episcoporum manibus, & cervicem feretro subiicientibus; quum alii Pontifices lampadas cereosque præferrent, alii choros psallentium ducerent, in media Ecclesia speluncæ Salvatoris est posita.

S. Greg. Nyss. *de vita S. Macrin. pag.* 201. *Append.* Etenim cum frequens populus feretrum circumstaret, nec tamen mirabili & sacro spectaculo posset expleri, non erat facile nobis iter facere; ex utraque autem parte præcedebat non exiguus Diaconorum Ministrorumque numerus, qui omnes ordine progredientes, accensos cereos manibus gestabant:

stituto, ardebat iugiter ignis sacer coram Arca in altari (E).

Adde quod ut præsto sit semper ignis ad sacrorum usum, necesse est lampadem in Ecclesia iugiter ardere.

§. 4. *De Turis usu.*

I. Mos adhibendi turis in sacris officiis vigetne iampridem in Ecclesia?

R. Iam ab initio nascentis Ecclesiæ viget. Id constat,

1. Ex quarto canone eorum qui Apostolici dicuntur exhibentque disciplinam trium priorum Ecclesiæ seculorum (A).

2. Ex S. Ambrosio (B).

(E) Levit. vi. 12. Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos, subiiciens ligna mane per singulos dies: & imposito holocausto, desuper adolebit adipes pacificorum. Ignis est iste perpetuus, qui numquam deficiet in altari.

xxiv. 1. Et loquutus est Dominus ad Moysen, dicens: Præcipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de olivis purissimum, ac lucidum, ad concinnandas lucernas iugiter, extra velum testimonii in tabernaculo fœderis. Ponetque eas Aaron a vespere usque ad mane coram Domino, cultu rituque perpetuo in generationibus vestris. Super candelabrum mundissimum ponentur semper in conspectu Domini.

Porro de lampadibus ante sacram mensam, saltem tempore Sacrificii, accensis loquitur S. Ioan. Chrysost *Homil.* 32. *al.* 33. *in Matth. cap.* 9 *num.* 6.. .... Hæc mensa longe honorabilior & suavior est quam tua, & lucerna quam lucerna tua. Id vero sciunt quotquot cum fide tempestive oleo uncti a morbis liberati sunt.

Hæc quæ in medium adduxit huiusce operis Auctor consona sunt Cæremoniali Paris. *ann.* 1703. *cap. prav. pag.* 7. Luminaria non tantum ad fugandas tenebras, sed ad significationem lætitiæ, aut honoris delationem, ab omnibus fere gentibus sunt adhibita, maxime in Oriente. deinde ubique terrarum. Hinc *Mario adhuc vivo. magno honori fuit*, inquit Tullius, *quod omnibus vicis Romæ statuæ factæ sint, & ad eas tus & cerei*: hinc in recipiendis Imperatoribus cerei ardentes præferebantur; & apud Iudæos septem lampades diu noctuque in templo ardebant. Hinc corpus Cypriani cum cereis ad sepulturam delatum est; & secundum Hieronymum per totas Orientis Ecclesias ad lectionem Evangelii accendebantur luminaria iam sole rutilante. Hinc in Synodo Ephesina post damnatum Nestorium, incredibili populus gratulatione perfusus, collucentibus tædis ac funalibus, domum perduxit Episcopos, & prætereuntibus tura & odorem incendit: hinc etiam nunc ubique gentium in publicis lætitiis ob natales Principum; vel victorias reportatas, ignes & faces accenduntur, & illuminationes fiunt.

(A) Can. Apost. *Can.* 3. Ne liceat autem aliquid aliud ad altare offerre, quam oleum ad luminare, & incensum tempore sanctæ oblationis.

(B) S. Ambros. *Lib.* I. *in cap.* 1. *Lucæ, num.* 28. *super vers.* 12. *Apparuit autem a dextris altaris incensi;* atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus, adsistat Angelus, immo præbeat se videndum. Non enim dubites adsistere Angelum, quando Christus adsistit, quando Christus immolatur.

Euchol. Græc. *In ordine sacri ministerii, in serie vigiliarum, pag.* 2. Solus namque Sacerdos adorat, & solus stolam suam assumit & casulam, & tus adolere incipit, Lectore vel ceremoniarum Magistro cereum præferente, & *Iubete* exclamante. Eoque præcedente cum cereo, Sacerdos pro more portis egressus, templum universum suffumigat, & a ceremoniis, coram sacris foribus exclamante *Iubete*, exsurgunt omnes. Sacerdos autem toto templo suffumigato, ad vestibulum etiam progreditur, tusque etiam ibi adolet, & rursum speciosis portis ingressus, suavi & modulata voce exclamat, *Benedic Domine.* Iterataque sacrarum imaginum suffumigatione, penetrat sanctas fores, & sanctum mensam incensans, voce sonora dicit, *Gloria.*

Digitized by Google

Pag. 3. Diaconus accepto turibulo, & ture iniecto, adit Sacerdotem intra sacrum tribunal stantem, & ait: *Benedic Domine incensum*. Et benedicit Sacerdos dicens: *Benedictus Deus noster: ubique, nunc & semper, & in secula seculorum*. Et suffumigat Sacrarium Diaconus, & templum universum; & reversus turibulum deponit .... Tunc Diaconus discedit, & sanctam imaginem Superiori sedili superpositam, ipsumque etiam Superiorem incensat; & deinde in priori loco consistit, & psalmodiæ finem præstolatur. Quo adveniente procedit in medium, & cruce per aerem turibulo efformata, exclamat: *Sapientia recti*; & confestim Præpositus, vel præscriptus ad hoc Monachus: *Lumen iucundum* psallit. Lectores vero sublatis iterum cereis ad sacras usque fores progrediuntur, & Diaconus sacrum tribunal introgressus sanctam mensam turificat ... Et post exclamationem processionis versus cantantur: iisque finitis, ingressus Diaconus, turibulo accepto, ture iniecto, & petita benedictione, sanctis foribus clausis Boreali latere simul cum Sacerdote egreditur; & præcedentibus cereis, speciosas portas prætergrediuntur, quos reliqui fratres sequuti stant in vestibulo. Fratres autem canentes Diaconus incensat de more.... Diaconus petita primum, & obtenta turis benedictione, cruciformiter panem suffumigat, & deinde Superiorem, & iterum panes ex parte sola anteriori. Sacerdos autem porta Boreali egressus, Sacrarium, templumque totum, & Fratres, & vestibulum suffumigat; & ad utrumque *ter Sanctus*, dicto *Pater noster*, subdit: *Quia tuum est regnum & potestas*. Advertant porro qui canunt, & qui incensat, ut cum exclamationes habet, coram imagine Christi reperiatur. Toto vero templo suffumigato, & consuetis decantatis modulis, intus e sacro tribunali Sacerdos exclamat: *Gloria*.... Canonibus porro cantatis egressus Sacerdos, in dextro choro stat loco sibi proprio, Diaconus turis prius accepta benedictione, sacrarium totum turificat, & porta Boreali progressus, coram sacris foribus turibulo crucem efformat: & suffumigatis primo cunctis a dextris pictis imaginibus, ad signum Monasterii patronum vadit: versusque illud cruce efformata, ad Occidentem conversus, & in medio templo stans, ibi rursum cruciformiter incensat: & ultra progressus prius suffumigat imaginem Superioris sedili appensam, si non Superiorem ipsum, deinceps chori dextri Fratres. Utroque autem choro incensato, in medio stans, & ad Meridiem conversus, crucem efformat. Dum vero suffumigat, reverentiam exhibent suffumigati, & vicissim paullulum inclinatus honorem rependit. Facta autem ultima hac cruce, ad dextrum chorum secedit, & imaginibus ibi positis ture honoratis, eodem etiam a sanctis imaginibus facto initio, fratres lustrat, ad speciosas usque portas digressus, cunctique illum venerantur, & ipse vicissim aliquali veneratione alios excipit. Peracto ritu circa hunc chorum, rursum in medio consistit, respiciens ad Boream, & cruce efformata ad vestibulum progreditur; & omnibus ibidem suffumigatis, iterum speciosis portis introgressus, cruce ad Orientem expressa, Superiorem incensat; & iterum cruce in medio efformata, sacris imaginibus ture exceptis, intrat in Sacrarium, & turibulo deposito, foras egressus Superiorem a longe veneratur, & consueto stat loco.

IACOB. GOAR. *in ord. sac. Minist. not.* 17. A turis suffitu preces vespertinas utraque Ecclesia auspicatur. Et Latina quidem, *Dirigatur*, ait, *oratio mea sicut incensum*, &c. Græca vero oratione sua 7. precatur eisdem fere verbis. Ex altari deinde, & sacro adito pedem efferens Sacerdos, ture totum suffumigat templum, nec sine mysterio, ait Simeon Thessalonicensis, *lib. de templo*. Per suffitum ab altari incboatum derivatam in alios suavemque Spiritus gratiam repræsentat.

Not. 18. Cur ad Ecclesiæ vestibulum Sacerdos suffumigaturus egrediatur, exponit Balsamon *in can.* 2. *Epist. S. Dionysii Alexandrini ad Basilidem*. Ut ture incenso sepulcra, immo mortuos ibi iacentes expiet, & imagines Sanctorum ibi positas veneretur. Iis enim quibus templum intrare nefas sacræ imagines in vestibulis adorandæ exponuntur, & quondam non nisi in templorum limitibus, per legem Ecclesiasticam, sepelire mortuos liberum erat.

Digitized by Google

3. Ex praxi omnium omnino Ecclesiarum.

4. Ex libris liturgicis antiquissimis; ex Liturgia S. Basilii, S. Ioannis Chrysostomi, ut taceam Liturgias antiquiores, quæ Apostolorum nomina præseferunt (C).

Denique turis ceterorumque

(C) *Miss.* S Ioan. Chrysost. *pag.* 62. Accepto deinde turibulo & incenso, dicit Sacerdoti Diaconus, *Benedic, Domine, incensum;* aitque: *Dominum precemur*. Et Sacerdos dicit orationem: *Incensum tibi offerimus, Christe Deus, in odorem suavitatis spiritualis*, &c. .... Et Sacerdos cum asteriscum suffumigaverit, ponit eum super panem .... Sacerdos postquam primum velum suffumigaverit, tegit sanctum panem, &c.... Et Sacerdos suffumigans secundo velo, & calice velato, dicit, &c. .... Et Sacerdos suffumigans velum aerem dictum & velans utraque, dicit, &c. .... Et completa oratione propositionem suffumigat.... Atque ita Diaconus accepto turibulo discedit, & sanctam mensam in circuitu cruciformiter suffumigat, dicens, &c.... Et dum suffumigat Sacrarium & templum totum, ad sanctum tribunal rursus ingreditur: & suffumigata iterum sancta mensa & Sacerdote, turibulum quidem in suo loco reponit.

Pag. 68. Et (*ante Evangelium*) accipiens Diaconus turibulum & incensum, accedit ad Sacerdotem, dicens: *Benedic, Domine, incensum*. Benedicente vero Sacerdote, & orationem hanc recitante: *Incensum tibi offerimus, Christe Deus noster, in odorem suavitatis spiritualis: nobis vicissim gratiam sanctissimi tui Spiritus repende; perpetuo, nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen*, suffumigat Diaconus sanctam mensam circum circa, & Sanctuarium totum, & velum aerem dictum. Et post hæc turibulo deposito accedit ad Sacerdotem.... Et reverentiam sancto Evangelio devote exhibens, sanctis portis præcedentibus cereis & suffitibus egressus venit, & stat superius in ambone.

Pag. 72. Diaconus autem cum incenso accedens ad Sacerdotem (*ante Canonem,*) in circuitu & cruciformiter sanctam mensam, sacrarium & Sacerdotem suffumigat.... Et ter adorantes procedunt ad propositionis mensam præcedente Diacono cum suffitu, & cum sancta suffumigavit apud se orat.... Dehinc a sancto disco & sancto calice velamina deponit Sacerdos; & velum aerem ex humeris Diaconi tollens, & suffumigans, illo sancta cooperit.... Tum Diaconus sancta ter suffumigat, dicens, &c.

Pag. 78. Interim Diaconus circumciecà sanctam mensam suffumigat, & diptycha sive tabulas.

Pag. 84. Et tertio (*scilicet ante populi communionem*) tus adolet Sacerdos.

Iacob. Goar. *in S. Ioan. Chrysost. Miss. not.* 48. Primi huius offertorii adest secunda pars, qua pane & vino Deo oblatis, tus etiam adoletur Hoc utraque Ecclesia semper in usu habuit, non Leonis primi præceptum sequuta, ut e Chronicis anonymis scribit Radulphus Tungrensis *Propos.* 23. sed Apostolicos Canones primitus editos observans, in quorum 30. dicitur: *Non liceat aliud quid in altare inferre, quam oleum in lucerna, & incensum oblationis tempore*. Hinc licet sine cereis, numquam tamen sine lampadibus & ture accensis celebrant Græci: & pariter incensi fumum, si non oblationis partem, saltem comitem adiungunt Amb. in cap 1. Luc. *Utinam nobis quoque adolentibus altaria, & sacrificium deferentibus adsistat Angelus*. Et Hyppolitus lib. de consummat. mundi & antichristi: *Planctum magnum agunt Ecclesiæ, oblationibus vel ture non amplius libatis* Inquirit autem Simeon Thessalonicensis: *Cur confestim post oblationem adoletur incensum*. Respondet: *In divini operis gratiarum actionem, ad Spiritus sancti operationem & adventum advocandum, quod & test tur oratio dicens: Incensum tibi offerimus*, &c.... Cuius plures similes olim a Latinis ob eumdem finem usurpatas collegit Hugo Menardus *in appendice lib. Sacram. Sancti Gregorii*.

In Div Miss. S. Patr. Basil. *omnia ut in Div.* S. Chrys. *Missa peraguntur*.

In Liturg. S. Iacobi *nomine insignita*,

Digitized by Google

thymiamatum usum Deus ipsi Moysi præceperat, & ad incendendum thymiama altare aureum iusserat in sancto collocari, plurimaque ex auro turibula conflari voluerat (D).

I. Quæ ratio est variorum turis suffituum, qui fiunt in Ecclesia? Tus offertur Deo, tura ingeruntur aris, exhibentur & turis honores crucibus & sacris imaginibus, & libro Evangeliorum, & oblationibus. quin & ipsi populo Christiano: estne una eademque ratio horum rituum?

R. Varia ratio est pro variis usibus ad quos tus adhibetur. Ture Deo litamus ceu supremo omnium Domino, cui debetur summus honos, & latriæ cultus. Hac turis oblatione significamus id nos in votis habere, ut *dirigatur oratio* nostra *sicut incensum in conspectu Domini*. Ps. CXL. 2.

PARS III. SECT. II. CAP. VI. §. 4.

Ture fumant & odoribus altaria, ut significetur ibi offerri sacrificium laudis per Christum, per quem orationes nostræ diriguntur ad Deum, & ab eo suscipiuntur in

---

habetur oratio thymiamatis introitus sacræ synaxis: Deus qui suscepisti dona Abel, Noe, & Abraham sacrificium, Aaron & Zachariæ thymiama, suscipe & hoc thymiama ex manibus nostris, &c.

Et post Catechumenorum dimissionem, & ante hymnum Cherubicum habetur alia oratio thymiamatis, id est, dum tus adoletur, quæ incipit: Domine omnipotens, &c. suscipe ex manibus nostris, licet simus peccatores, hoc thymiama, ut suscepisti munera Abel, & Noe, & Aaron, & Samuel, & omnium Sanctorum.

(D) *Vulgo proponitur* Exod. XXIX. 13. Sumes & adipem totum, qui operit intestina: & reticulum iecoris, ac duos renes, & adipem qui super eos est, & offeres incensum super altare..... Et offeres totum arietem in incensum super altare: oblatio est Domino odor suavissimus victimæ Domini..... Suscipiesque universa de manibus eorum: & incendes super altare in holocaustum, odorem suavissimum in conspectu Domini, quia oblatio eius est. *At hic non de ture, sed de combustione hostiæ agitur.*

XXX. 1. Facies quoque altare ad adolendum thymiama..... Et adolebit incensum super eo Aaron, suave fragrans, mane. Quando componet lucernas, incendet illud: Et quando collocabit eas ad vesperum, uret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras. Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius, nec oblationem & victimam; nec libabitis libamina..... Dixitque Dominus ad Moysen: Sume tibi aromata, stacten & onycha, galbanum boni odoris, & tus lucidissimum, æqualis ponderis erunt omnia. Faciesque thymiama compositum opere unguentarii, mixtum diligenter, & purum, & sanctificatione dignissimum. Cumque in tenuissimum pulverem universa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonii, in quo loco apparebo tibi. Sanctum sanctorum erit vobis thymiama. Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino. Homo quicumque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis.

XL. 5. Et altare aureum in quo adoletur incensum coram arca testimonii; Tentorium in introitu tabernaculi pones.....Posuit & altare aureum sub tecto testimonii contra velum, & adolevit super eum incensum aromatum, sicut iusserat Dominus Moysi.

LEVIT. XVI. 12. *Sacerdos ingrediens in Sanctuarium*, assumpto toribulo, quod de prunis altaris impleverit, & hauriens manu compositum thymiama in incensum, ultra velum intrabit in sancta: ut positis super ignem aromatibus, nebula eorum & vapor operiat oracolum, quod est supra testimonium, & non moriatur.

odorem suavitatis. Christus enim per altare significatur in Apocalypsi (E).

Turis honores exhibentur crucibus & sacris imaginibus. Cuius quidem honoris, qui præcipue refertur ad archetypa, iam reddidimus rationem, ubi de primo Dei præcepto ageremus.

Part. 2. huius Op. sect. 3. c. 2. §. 5.

Exhibetur sacro Evangeliorum volumini, tum ut significemus qua veneratione prosequamur sacro-sancta Evangelii verba, verba utique hominis Dei: tum ut hoc ritu omnes intelligant bonum Dei odorem spargi ubique per eos qui obediunt Evangelio (F).

Turis suffitu afficiuntur oblationes, ut hoc ritu quasi consecrentur: simul ut incenso ture significemus id petere nos a Deo, ut oblationes has sicut & orationes nostras suscipere dignetur Deus in odorem suavissimum. Id constat ex precibus quæ interea recitantur a Sacerdote, quas referemus infra, ubi de Missæ Sacrificio.

Huius sect. cap. 7. §. 22. num. 12.

Tandem & ipsis fidelibus turis honos exhibetur, ut hoc ture exhibito moneantur dirigere ad Deum orationes suas ut incensum, & bonum Christi odorem ubique spargere. Hinc fit ut illis eo maxime tempore tus exhibeatur, quo oportet eos precari maiori cum attentione & fervore: nimirum sub ipsum Missæ fidelium initium completa Catechumenorum Missa, quod dicemus infra fusius; & ante communionem, dum pax datur; & in officio Laudum & Vesperarum, dum canitur canticum Evangelicum, ante recitationem Collectæ, qua Sacerdos veluti vota fidelium colligit & offert Deo sub finem officii.

Forte etiam tus exhibetur fidelibus in signum communionis quam habent cum Christo & Sanctis cæli civibus. Hinc primo tus offertur Christo, cuius est in altari sacrosanctum corpus, vel saltem eius effigies e cruce pendens; deinde offertur sacris Sanctorum relliquiis, si quæ sunt; tum Christi fidelibus, qui & ipsi membra sunt Christi, debentque per Christum & cum Christo & in Christo Deo litare.

Hæc mystica quidem, sed tamen non exquisita subtilius, non inventa gratis. Petita sunt isthæc omnia e Scripturis & ex sanctorum Patrum scriptis, qui turis suffitum in sacris eodem fere modo exposuerunt. Nec diffiteor tamen fieri potuisse, ut primis Ecclesiæ temporibus adhibitus fuerit turis & thymiamatum suffitus, vel ad spargendos odores in locis subterraneis, & ex nimia populi frequentia male quandoque olentibus, vel ex more recepto

(E) Apoc. v. 8. Et cum aperuisset (Agnus) librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli cytharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.

(F) 2. Cor. II. 14. Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. Quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, & in iis qui pereunt. Aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor vitæ in vitam.

tunc temporis, tura & odores incendendi in sollemnibus & frequentioribus populi conventibus etiam extra Sacra (G).

Patet autem ex antiquioribus Ritualibus Romanæ Ecclesiæ, qui Ordines Romani nuncupantur, olim turibula non fuisse, sicut hodiernus mos est, ex catenis pendentia; nec aliam fuisse tum temporis exhibendi turis rationem, quam ut offerretur singulis turibulum ture fumans, unde singuli manu sumptum odorem ad nares deferrent (H).

I. Cur Episcopis, Sacerdotibus, Regibus, Principibus, ceterisque viris primariis exhibetur sigillatim turis honos, cetero vero populo non item?

R. Habetur in eo ratio characteris & dignitatis. Ceterum eadem est omnibus ratio turis exhibendi, quamquam non singulis possit speciatim exhiberi.

I. Cur alii ter, alii bis, alii semel ture donantur?

R. Attenditur uniuscuiusque gradus: prout cuiusque maior minorve dignitas est, ita aliis ter, bis aliis, semel aliis turis suffitus exhibetur.

I. Cur tus exhibetur Sanctorum relliquiis?

R. Quia Sancti bonum Christi odorem & sparserunt vivi, & spargunt mortui, & eorum corpora membra sunt Christi. Hoc exhibito ture significamus.

I. Cur & cadavera & sepulcra Christianorum turis honore donantur?

R. Non id fit solum ad depellendum odorem ex sepulcris & cadaveribus prodeuntem, sed maxime ut intelligamus, Christianos in pace Ecclesiæ defunctos, & Christi bonum odorem spirare, & adiuvari Ecclesiæ precibus, quarum tus symbolum esse iam diximus. Rocca

I. Ergo redeundum est etiam nunc ad figuras & ænigmata rerum, quod innuere videntur mysticæ illæ quas protulisti rationes turis adhibiti. Et tamen isthæc ad vetus Testamentum, quo stante omnia agebantur in figuris, videntur pertinere magis quam ad novum, in quo cessit umbra veritati?

R. 1. O utinam qui maiorem vim faciunt in illa obiectiuncula, id pro certo haberent in rebus maioris momenti (quale est sacro-sanctæ Eucharistiæ sacramentum) ita novum Testamentum successisse veteri, ut umbræ & figuræ nunc veritati cesserint!

2. Iam non omnia quidem in figuris aguntur, sicut apud Iudæos;

(G) *Antiquum Missale*. S. Dionysii in Gallia, *ad benedictionem incensi*. Hoc incensum ad omnem fœtorem nocivum extinguendum, Dominus benedicat, & in odorem suavitatis accendat.

S. Thom 3 *part. quæst.* 83. *art.* 5. *ad* 2. Turificatione non utimur quasi ceremoniali præcepto legis, sed sicut Ecclesiæ statuto.... primo quidem ad reverentiam huius Sacramenti, ut scilicet per bonum odorem depellatur, si quid corporaliter pravi odoris in loco fuerit, quod posset provocare horrorem: secundo ad repræsentandum effectum gratiæ &c.

(H) Ordo Rom. II. *pag.* 46. *n.* 9. Turibula per altaria portantur, & postea ad nares hominum, & per manum fumus ad os trahitur.

sed nondum tamen umbræ & ænigmata transierunt omnino. *Videmus nunc*, inquit Apostolus, *per speculum, & in ænigmate*, cum venerit quod perfectum est, tunc primum evacuabitur, quod ex parte est, tunc primum iam non erit amplius figuris & ænigmati locus. 1. Cor. x II. 12.

3. Homo constat ex corpore & anima. Necesse est sæpius per corporeas imagines extollere mentem ad spiritualia cogitanda.

4. Tandem nec omisimus alias rationes horum rituum minime mysticas, quibus id colligitur, forte necessitate inductum fuisse turis usum in sacrorum celebratione; quo semel introducto, sancti Patres e sacris Scripturis hauserint mysticas illas rationes, quibus ad Deum mens eveheretur per exteriorem hunc ritum; sicut & in aliis contigisse videbimus infra.

§. 5. *De variis cuiusque Ecclesiæ ritibus & ceremoniis in divinorum Officiorum celebratione.*

I Cur in divinorum Officiorum celebratione suos unaquæque Ecclesia ritus habet ab aliis diversos? Longe satius fore videtur, si una esset ubique rituum & ceremoniarum ratio.

R. In ritibus sacris alii ubique observantur, alii non uno modo in variis Ecclesiis; suosque singulæ Provinciæ, singulæ Ecclesiæ ritus habent sibi peculiares. Cuius quidem varietatis ratio hæc est. Quod ex Apostolorum ordinatione ad nos usque traditione manavit, id ubique idem est, nulla in eo varietas. Quod Apostoli singulorum Episcoporum curæ & providentiæ permiserunt, id ubique diversum est, & variis mutationibus obnoxium (A).

(A) Bona Cardinal. *lib.* 1. *Rerum Liturgic. cap.* 6. *num.* 1. Missæ institutio ita ad Christum referenda est, ut ipsum eius auctorem agnoscamus quoad essentiam, quæ mutari non potest; cetera vero quæ ad preces, & ritus, & ceremonias pertinent, & quæ Parascevastica, & accessoria, ac veluti parerga sunt, ab Apostolis eorumque successoribus constituta fateamur. Huc enim pertinent Apostoli verba ad Corinthios: *Cetera, cum venero, disponam*; ut docet Augustinus hunc locum tractans, Epist. 118. ad Ianuarium: *Unde*, inquit, *intelligi datur, quia multum erat, ut in Epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur*. Sunt igitur quædam in omnibus Liturgiis, in quibus omnes Ecclesiæ conveniunt, utpote sine quibus sacrificii ratio nullo modo subsisteret; cuiusmodi sunt panis & vini præparatio, oblatio, consecratio, consummatio, & ipsius Sacramenti communicare volentibus distributio. Aliæ item præcipuæ partes sunt, quæ licet ad Sacrificii integritatem non spectent, in omnibus tamen omnium Liturgiis reperiuntur, Psalmorum scilicet modulatio, lectio Sacræ Scripturæ, ministrorum apparatus, turificatio, catechumenorum & aliorum prophanorum exclusio, precatio pacis, preces diversæ, gratiarum actio, & si quæ alia sunt eiusdem generis. Modos autem & ritus, quibus hæc omnia peraguntur, verba quibus preces concipiuntur, ordo ceremoniarum & reliqua minoris momenti, diversis Ecclesiis diversa & peculiaria sunt: nec ita ab Apostolis & Apostolicis viris instituta fuerunt, ut perpetua forent & immutabilia. Ideo in illis varietates apparent, & mutationes, quæ unitatem Ecclesiæ non scindunt, nec fideles offendunt. Narrat Augustinus Epist. 118. sibi dubitanti de variis Ecclesiarum observationibus dixisse Ambrosium: *Ad quam forte Ecclesiam veneris, eius mo-*

1. Cor. xi. 34.

Digitized by Google

rem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Idem Epist. 86 *In his rebus, de quibus nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi Dei vel instituta maiorum pro lege tenenda sunt: de quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio*. Hieronymus Epist. 28. ad Lucinium: *Illud te breviter admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas, presertim quæ fidei non officiunt, ita observandas ut a maioribus tradita sunt: nec aliorum consuetudinem contrario more subverti*. Nicolaus I. Epist. 2. ad Photium: *De consuetudinibus, quas nobis opponere visi estis scribentes, per diversas Ecclesias diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsistit auctoritas, pro qua obviare debeamus, nihil iudicamus, vel eis resistimus*. Fulbertus Carnotensis Epist. 2. ad Finardum: *Plura sunt in Ecclesiasticis officiis, in quibus Orientales Ecclesia & nostra communi observatione sibi respondent: sunt vero alia, in quibus alia ab aliis cultu dispari, & varia observatione audivimus dissonare. Nec tamen nos offendit observantia diversitas, ubi fidei non scinditur unitas*. Ernulphus Roffensis Episcopus Epist. 2. tom. 2. Spicilegii edita, Chsistum ait docuisse quæ facienda erant, sed non præfixisse modum quo fieri deberent. Tum subdit. *Hinc esse videtur quod ait*: Hoc facite in meam commemorationem: *non ait, Hôc modo facite. Unde nonnulla Christianæ Religionis instituta cum in Ecclesia nascentis initio sua modum originis accepere, quem in progressu eiusdem credentis propter quosdam rationabiles caussas non diu tenuere*. Eodem tomo Spicilegii, quod vir eruditissimus Lucas Dacherius Monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri, de re litteraria optime meritus, ex veterum monumentis, e situ Bibliothecarum erutis summa cura & iudicio in plures tomos distinctum edidit; exstat tractatus Ratramni Monachi Corbeiensis contra Græcorum opposita qui lib. 4. multa diffuse congerit, ut ostendat mutari subinde salva fide consuetudines, easque in diversis Ecclesiis diversas esse. Gregorius Protosyncellus adversus Marcum Ephesinum apud Leonem Allatium de Synodo Photiana pag. 531. *In ritibus*, inquit, *Ecclesiasticis consuetudo est varia. Nam Constantinopolitana maior Ecclesia in celebrandis officiis alio more utitur; alio vero maiora monasteria, alio minora ad quietem accommodata; denique alio Sacerdotum secularium Ecclesia. Quin Tabennesiotæ in uno eodemque cœnobio varios ieiunandi, psallendique modos habebant, aliis per biduum ieiunantibus, aliis per hebdomadam: & his quidem ad vesperam, illis vero de media nocte sacros hymnos canentibus; quod fiebat etiam in monasterio Acœmeturum*. Alia de hac rituum diversitate Græcorum testimonia idem Allatius affert in Hottingero convicto *c.* 3. & *L.* 3. *de perpetua consensione Ecclesiæ Occident. & Orient c.* 13. & 14. Asserit Sozomenus *L.* 7. *c.* 19. neminem posse easdem traditiones per omnia similes in omnibus Ecclesiis reperire, quamvis inter se consentiant. Cui Socrates suffragatur *L.* 5. *c.* 21. dicens cuiusque relligionis varios esse ritus, licet in eadem fide consentiant. Ut enim docte Bernardus ait Epist. 77. ad Hugonem Victorinum, *ibi unusquisque in suo sensu securus abundat, ubi aut certæ rationi, aut non contemnendæ auctoritati quod sentitur non obviat*. Tertullianus denique his omnibus antiquior initio libri de velandis virginibus, *Regula fidei*, inquit, *una omnino est, sola immobilis & irreformabilis. Cetera iam disciplinæ & conversationis admittunt novitatem*.

Luc. xxii. 19.

Num. 2. Caussæ vero tantæ rituum varietatis in tanta fidei unitate hæ fuisse videntur. Vel quia dispares diversarum Nationum mores, & ingenia sunt, quæ diversos ritus & ceremonias ut in rebus politicis, ita etiam in Ecclesiasticis exigunt: vel quia nullo exstante de his Christi vel Apostolorum præcepto, libera facultas Episcopis relicta est id sentiendi & decernendi, quod unicuique salva fide magis expediens visum fuit: vel quia sæviente in Christianos persequutione, cœtus Episcoporum in unum cogi non potuit, in quo communibus suffragiis communis forma sacrificii celebrandi ab omnibus custodienda stabiliretur. Divisis enim Provinciis inter Apostolos ad Evangelii prædicationem, credibile est unumquemque illorum gentibus, quas fide imbuerant, modum quoque Liturgiæ tradidisse ad eorum mores & consuetudines, quibus ante susceptam fidem vivebant, accommodatum. Quia vero dissimiles apud varias nationes mores semper fuerunt, hinc orta rituum diver-

Pars III. Sect. II Cap. VI §. 5

sitas est. Eadem libertate alios item Antistites usos fuisse, qui in variis Regnis successu temporis Evangelium disseminarunt, Ecclesiasticæ historiæ Scriptores docent. Nota est Epistola Gregorii Magni ad Augustinum quem in Angliam misit, ut illas gentes ad fidem converteret. Illi enim interroganti; *Cur una cum sit fides, sunt Ecclesiarum consuetudines tam diversæ? Et altera consuetudo Missarum est in Romana Ecclesia, atque altera in Galliarum Ecclesiis tenetur?* Sic respondet S. Pontifex; *Novit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam, Sed mihi placet, ut sive in sancta Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc in fide nova est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca nobis amanda sunt.* Anselmus quoque Cantuariensis in responsione ad querelas Valeriani cap. 1. eidem conquerenti de varietate rituum Ecclesiasticorum, habere nos a sanctis Patribus, ait: *Quod si unitas servatur caritatis in fide Catholica, nihil officit consuetudo diversa.* Natas autem varietates asserit ex humanorum sensuum diversitate, qui quamvis in unitate non dissentiant, in aptitudine tamen & decentia administrationis non concordant, quia quod unus aptius esse iudicat, alius sæpe minus aptum æstimat. In Ecclesia Neocæsariensi quædam suo tempore introducta refert Basilius Magnus, Epist. 57. ad clerum eiusdem Ecclesiæ, quæ tempore Gregorii Thaumaturgi in usu non erant. Andreas Masios vir eruditus, cum animadverteret breviorem esse apud Syros quam apud Græcos Basilii Liturgiam, hanc huius rei affert rationem Præfat. in Liturgiam Syrorum: *Quippe is fuit perpetuus hominum in religione sensus, ut intra præscriptas a Patribus ceremonias, quantumvis sanctissimas, sese continere pauci potuerint. Unde pro temporis tractu ad illas pro vario Antistitum pietatis affectu alia atque alia addita, multa etiam mutata videre est.* Solus fidei canon.... inconcussus, & immutabilis est: cetera quæ ad ritus & disciplinam pertinent, iusta interveniente caussa, sine reprehensione mutari possunt. Hoc Pelagius II. Epistola ad Episcopos Istriæ post magnum Leonem & alios suos Prædecessores, professus est, specialem scilicet Synodalium Conciliorum caussam fidem esse: quidquid vero præter fidem agitur, nihil obstare, si ad iudicium revocetur. Hoc idem asserit Augustinus lib. 2. de Baptismo contra Donatistas, dicens: *Ipsa Concilia, quæ per singulas Regiones, vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedere: ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum caritate Christiana.*

Num. 3. Atque utinam Ecclesiæ Antistites ab hac regula pacis & caritatis nullo umquam tempore recessissent: in tanta enim consuetudinum diversitate nulla fuisset animorum dissensio, nullæ inter Christianos scissuræ, nulla scandala: nihilque ineptum, nihil reprehensibile in Ecclesiasticos ritus irrepsisset. Sed dum plerique potestate sibi tradita abuterentur, dum nimium sibi suisque adinventionibus indulgent, dum veterum Patrum statuta parvipendunt, in varios errores lapsi sunt. Et primo quidem rituum varietas, qua Græci a Latinis, & utrique inter se olim discrepabant, ingens augmentum sumpsit ex nimia libertate, quam sibi temere arrogarunt quidlibet in hoc genere audendi, minorum etiam gentium Episcopi; & ipsi quoque Monasteriorum Præfecti: adeo ut nonnulli Apostolicis institutionibus neglectis, veterumque Patrum auctoritate posthabita, multa prorsus insulsa, & ab Ecclesiastica gravitate aliena Ritualibus libris inseruerint, quæ in antiquitatis codicibus hodie legimus, & detestamur. Adversus hanc licentiam iusta percitus indignatione S. Innocentius Papa huius nominis primus, sic ad Decentium Episcopum Eugubinum scripsit; *Si instituta Ecclesiastica, ut sunt ab Apostolis tradita, integra vellent servare Domini Sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus & consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit,*

hoc æstimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel Ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur; ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas humana præsumptione corruptas, putant sibi aut Ecclesias non convenire, aut ab Apostolis vel Apostolicis viris contrarietatem inductam. Quis enim nesciat, aut non advertat, id quod a Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? Præsertim enim sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, insulasque interiacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus aut eius successores constituerunt Sacerdotes. Aut legant si in iis Provinciis alius Apostolorum invenitur aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non est dubium; ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. Sæpe dilectionem tuam ad urbem venisse, ac nobiscum in Ecclesia convenisse, & quem morem vel in consecrandis mysteriis, vel in ceteris agendis arcanis teneat, cognovisse; dubium non est: quod sufficere ad informationem Ecclesiæ tuæ, vel reformationem, si Præcessores tui minus aliquid aut aliter tenuerunt, satis certum haberem, nisi de aliquibus consulendos nos esse duxisses: Hæc fusius ex Innocentio huc transcribenda putavi, ut eius testimonio evincerem primarias Ecclesias proprios ritus a Fundatoribus accepisse; quosdam vero ex successoribus per licentiam, & potestatis abusum sæpe illos immutasse, & novitates introduxisse. Hoc primum in hoc genere peccatum fuit, quod dum alii evitare nimio studio conati sunt stultorum more in contrarium inciderunt; semel enim susceptis consuetudinibus pertinacius adhærentes, turbas in Ecclesia suscitarunt, ... cum Romani Pontifices, vel abusus Episcoporum incuria introductos evellere, vel errores Hæreticorum fraude insertos expungere, vel aliquid in iis innovare iustis de caussis voluerunt. Alii denique nullum statuentes discrimen inter capita fidei & disciplinæ, ex varietate rituum, dogmatum quoque diversitatem æstimantes, mutuis inter se odiis, & concertationibus exarserunt, disruptoque vinculo pacis & dilectionis, schismati & erroribus patentissimum ostium apertum est. Quot & quam luctuosæ tragœdiæ inter Græcos & Latinos hac de caussa exortæ sint notum est omnibus. A Photio illarum initium, seculo nono, & nondum finis: adhuc enim in plerisque Orientalibus ferox odium adversus Latinos fervet, & forte acrius, quam cum primum ab unitate & obedientia Romanæ Ecclesiæ defecerunt. Superbia omnium malorum caussa rebellionis origo fuit; tum accesserunt ex rituum diversitate vani prætextus: nec enim Orientalibus lis umquam de ritibus mota est a Romana Ecclesia, quæ sedulo potius in hanc curam semper incubuit, ut illibati servarentur. Debet igitur unaquæque Ecclesia custodire ritus suos, sed receptos a maioribus, longoque usu præscriptos, & legitima auctoritate approbatos. Si quid vero innovatum, si quid perperam immutatum, id expungendum & corrigendum est. PARS III. SECT. II. CAP. VI. §. 5.

S. GREGORIUS MAGNUS *lib* 11. *Epist.* 64. *alias* 31. *ad August. Anglor. Episc. interrog.* 3. Cur cum una sit fides, cur sunt Ecclesiarum consuetudines tam diversæ? Et altera consuetudo Missarum est in Romana Ecclesia, atque altera in Galliarum Ecclesiis tenetur? *Responsio S. Gregorii Papæ.* Novit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet, ut sive in Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc in fide nova est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca nobis amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesiis quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige; & hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.

S. AMBROS. *lib.* 3. *de sacram. cap.* 1. *num.* 5. *in fine.* In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam: sed tamen & nos homines sensum habemus; ideo quod alibi rectius servatur & nos rectius custodimus.

Digitized by Google

Quæ pertinent ad disciplinam, & celebrandi divini Officii ritus, ea non singula sunt ab Apostolis per totum orbem ordinata; multa enim in iis pendent ex variis temporum, locorum & personarum circumstantiis; & pro varietate circumstantiarum mutanda, vel aliter statuenda sunt. Quod spectat ad exteriorem cultum, id unum ordinarunt Apostoli quod ubique, quod semper, quod ab omnibus observandum erat; nec debuit mutari umquam pro circumstantiarum varietate.

I. Cur tanta varietas occurrit in iis quæ non sunt ab Apostolis ordinata? Cur tam frequens in ritibus Ecclesiæ mutatio?

R. 1. Quia fieri non potest ut Pastores a se invicem dissiti, non communicatis secum invicem consiliis, non ab uno eodemque Magistro edocti, in uno more, ritu, usu conveniant; maxime si res pendeat ab humano arbitrio.

2. In instituendis ritibus & ceremoniis maxime habenda ratio est morum consuetudinumque uniuscujusque regionis; spectanda populorum indoles, alia denique non pauca attendenda, quæ cum & in variis regionibus varia sint & pateant rerum humanarum vicissitudini, necesse est & varios esse in singulis Ecclesiis ritus, & eos subinde mutari (B).

Hinc collige quanta sit Apostolicæ traditionis Auctoritas, quam digna veneratione. Si enim homines in variis positi locorum & temporum circumstantiis, numquam potuerunt inter se convenire circa res humano arbitrio permissas; si suos unaquæque regio, unaquæque Ecclesia ritus habet, eosque varios pro temporum vicissitudine; certe cum videmus omnes omnino populos Christianos, omnes Ecclesias in uno usu, ritu, dogmate convenire; constat rem non esse de novo introductam; & si res non fuerit in aliquo generali Concilio omnium Episcoporum consensione statuta, si de illius origine non constet, certissime tenendum est, ut docet S. August. hoc non aliunde acceptum, sed ab Apostolis ipsis traditum, in unaquaque Ecclesia fuisse continua successione servatum (C).

(B) S. Aug. *Epist.* 54. *alias* 118. *seu lib.* 1. *ad inquisit. Ianuarii cap.* 1. *num.* 1. *Vide superius Part.* 2. *sect.* 1. *cap.* 2. §. 1. *litt.* (R)

(C) S. Aug. *lib.* 2 *de Bapt. contra Donat. cap.* 7. *num.* 12. *& lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 31. *&c. Vide superius* § 4 *cap.* 3. *sect.* 2 *part.* 2. *litt.* (B)

Epist. 54 *alias* 113. *seu lib.* 1. *ad inquisit. Iannarii cap.* 1. *num.* 1. *&c. Vide supra Part.* 2. *sect.* 1. *cap.* 2. §. 1 *litt.* (R)

Ioan. Bona S. R.E. Card. *Rer. Liturg. lib.* 1. *cap.* 6. *Vide hocce* §. *litt* (A)

Musei Italici tom. 2. *a Dom.* Ioan. Mabillon. M. B *in ordinem Romanum Comment. num.* 21. Tria sunt quæ in sacris ritibus possunt spectari, antiquitas, uniformitas, & constantia. Eadem ferme est sacrorum rituum atque Relligionis antiquitas; sed eorumdem diversitas atque antiqua in diversis Ecclesis. *Multa* quippe *pro locorum & hominum diversitate variantur*, ait Firmilianus in Epistola ad Cyprianum: *nec tamen propter hoc ab Ecclesia catholica pace atque unitate discessum est*. Hæc diversitas obtinuit ab initio etiam apud Romanos, non modo *circa celebrandos Paschæ dies, sed circa multa alia Divinæ rei sacramenta*; asseritque Firmilianus *non observari illic omnia equaliter, quæ Ieroso-*

lymis observantur. Legendus hac de re Socrates *in lib.* 5. *cap.* 22. ubi ait, nullam relligionis sectam easdem observare ceremonias, licet eamdem de Deo sententiam amplectantur.

Hæc rituum diversitas nascitur, tum ex diversis populorum moribus, qui non iisdem agendi modis delectantur, nec iisdem institutis possunt assuescere: tum ex diversis Ecclesiarum Fundatoribus, qui rem suapte natura indifferentem & in medio positam, aliter atque aliter pro temporum ac locorum varietate constituerunt. Quapropter quia omnia ad unum eumdemque modum redigere conantur, perinde mihi videntur agere, ac si omnes populos ad eosdem mores eademque penitus instituta reducere tentarent: Neque satis concedunt primis Ecclesiarum institutoribus, qui res ab eis stabilitas aut permissas tam facile pervertunt. Nec sane umquam citra pacis Ecclesiasticæ discrimen secus attentatum est. Quod multis exemplis probari posset, si id cuivis non esset exploratum.

Ferenda itaque est rituum illa diversitas, vel maxime propter bonum pacis, immo etiam propter Ecclesiam, quæ hac varietate decoratur. Nescio enim quomodo dulcius sapit, quod vario cultu ornatur. Et hoc quidem primum cavendum est in illis qui ceremoniarum magistratum gerunt: quorum nonnulli numquam quiescunt, nisi omnes ad suos ritus vel invitos pertraxerint.

Alterum incommodum est eorum, qui vel antiquos novis, vel e contrario novos antiquis ritus semper præferendos volunt: Neutrum sine delectu placet. Ubi regnant antiqui ritus, hi constanter retinendi: ubi novi præ antiquis prævaluerint, antiquos laudare decet, novos non reiicere. Vix enim umquam accidit, ut quod usu semel receptum est ac firmatum, absque perturbatione possit mutari. Et quidem ut rituum varietatem induxit locorum varietas; ita etiam eorumdem iisdem in locis mutationem aliquando persuasit temporum diversitas.

Itaque laudanda in eiusmodi rebus constantia, modo cetera adsint; Ecclesiæ pax atque concordia & Christiana caritas, cui omnes ritus cedere ac suffragari necesse est. Quod si salva pace & caritate retineri potest (antiquitas, quin novitati præferenda sit, nemo sane sapiens negaverit.

Qui novos sacrorum rituum libros novissimis temporibus scripserunt, mirum est quantum sibi tribuerint in pervertenda venerabili antiquitate, cuius institutiones, nedum institutionum rationes, omnino ignorabant. Cumque quod suo tempore fieri cernebant id omnibus retro seculis semper actitatum fuisse autumarent, probabiles, ut sibi videbantur, receptæ novitatis rationes adinvenerunt, quæ penitus veterum sententiæ non raro adversantur. Quod ut omnibus palam fiat, quædam huc exempla lubet afferre ad id probandum. Pars III. Sect. II. Cap. VI. §. 5.

I. Mos olim fuit... in Ecclesia Romana ut procedenti ad altare Pontifici *sacra*, id est Eucharistia, præferrentur, ibidemque servarentur usque ad communionem. Quo tempore particula Eucharistiæ antea consecratæ demittebatur in calicem. Tum ex oblatione novi sacrificii una particula reservabatur, *remanebatque in altari ipsa particula usque ad finem Missæ:* testante, Amalario in l. 3., c. 35. *quia ita observant*, ait primus Ordo Romanus pag. 14. *ut dum Missarum sollemnia peraguntur, altare sine sacrificio non sit*. Atque ita toto tempore Missæ numquam ab altari Eucharistia aberat, sive Eucharistia pro viatico in ipso altari, sive in secretario servaretur.

Contrarius ritus iam inductus erat Leone X. Pontifice: quo tempore Paris de Crassis, qui ceremoniarum arbiter erat, rationem quærens, *quare Sacramentum corporis Christi, quod in Ecclesiis communiter servari solet, ex suo loco prius levandum sit, quam sollemniter celebrari contingat ibidem;* ait id a Maioribus cautum fuisse, *non quia a conspectu salutaris hostiæ abhorrendum ducerent, sed idcirco, quod inter sacrificandum non omnes ceremonias rite recteque agere possent. Quandoquidem in ipsius Sacramenti conspectu, nec Papa, nec Episcopus celebrantes, congrue ibi sedere, nec mitram in caput retinere, neque incensationem in se recipere possent, nisi postquam ipsum Sacramentum incensatum fuisset: maxime quia per ipsosmet toties illud adolendum esset, & non per Diaconum Evangelicum, cuius hoc ministerium proprium est*. *Adde*, inquit, *quod celebrans Prælatus, quando quotiesve incensare debet, necesse toties habet ipse genibus Sacramentum adorare, priusquam crucem altaris & oblata, ac ipsum altare incensaret*. *Postre-*

mo valde absonum esse, ut in eadem capella seu oratorio, in qua iam est Sacramentum quod adoratur, aliud Sacramentum de novo ibidem conficiatur, ne quod ex illis ambobus Sacramentis adorari debeat in dubium vertatur.

Verum primis illis temporibus sufficiebat sancta semel adorasse, sive ad altare præferretur Eucharistia, ut in primo ordine Romano; sive in altari ipso asservaretur, ut in secundo. Iam vero sanctis illis Patribus persuasum erat quibusvis ceremoniis sacris, si modo religiose fiant, adeo nullam Eucharistiæ inferri iniuriam, ut contra bis Deum honorari quam maxime existimarent. Neque porro ulla eis erat ambiguitas, utra species consecrata esset adoranda: cum ad præsens sacrificium solummodo essent intenti. Et porro unius præ altera speciei adoratio nullum scrupulum caussare debet, cum in idem obiectum feratur.

2. Aliud exemplum ex eodem Paride proferre licet de Diacono Evangelium cantante, nempe quia desiit usus ambonum pro Evangelio, & Epistola cantandis, quam in partem converti debeat Diaconus, *collateralis*, altari, *an conversus ad altare*, sicut *in capella palatii, similique loco ubi altare ad orientem solem non vergit:* Respondet Paris, *regulariter Evangelium recitari debere a Diacono stante contra Aquilonem*, a quo,
Ier. 1. 14. teste Propheta, panditur omne malum: secus in capella Palatina in qua quia pro situ loci *cornu Evangelii non est directum ad Aquilonem, sed ad Austrum, qua in parte Pontifex sacrificio præsens semper insidet:* Ideo Diaconus ibidem Evangelium cantans, *ne terga renesque ad Pontificem in solio manentem convertat recta ad cornu Evangelii facie* illud *cantat, adeoque sinistro humero ad Pontificem verso*. Absente vero Pontifice, *ut Diaconus ipse universali consuetudini ritnique satisfaciat, eam stare collateralem quidem altaris, sed conversum ad Pontificis solium positum ad Austrum. Quippe minus malum esse sic* eum stare, *quam renes ad Pontificis solium vertere, & altare, quod est sanctum sanctorum, ad sinistram suam sub se habere*. Ceterum in illis Ecclesiis, quarum maius altare non est conversum ad Orientem, Evangelium cantandum esse per Diaconum non *collateraliter* ad altare stantem, sed *facie ad faciem altaris, id est contra ipsum altare*.

At quam simplicius antiqui libelli Ordinis Romani præscribunt, ut Diaconus in ambone cantaturus Evangelium, stans ad Aquilonem faciem vertat ad partem Australem, in qua viri; non ad Aquilonem, in qua feminæ consistebant.

Unum hoc loco notat Paris, altaris cornu dexterum intelligi debere, de cornu Evangelii: *Habito respectu ad ipsum altare, tamquam ad corpus magis honoratum, non autem ad sacrificantem. Nam & crucis, & crucifixi super ipso altari stantis dextera ad prædictum cornu Evangelii vergit*. Secus tamen interpretandas esse Missalis rubricas, *præsertim in officio Parasceves*, ut cornu dextrum ac sinistrum dicatur habito respectu ad Sacerdotem.

3. Infinitum esset ire per singula quæ ab hodiernis ritibus discrepant: quædam tamen huc conglobate referre iuvat ad levanda studia lectorum. Hymnum Angelicum præcinebat Sacerdos conversus ad populum: contra vero salutationem ultimam, quæ collectam post communionem præcedit, idem canebat conversus ad altare, ex primo nostro libello. Ad hæc Canonem non incipiebat, nisi absoluto Trisagii cantu: ut scilicet Clerus & populus Sacerdote Canonem submissa voce recitante, in admiratione tanti mysterii quasi stupens sileret. Insuper antiphona illa, quæ *Communio* dicitur, non post ipsam Communionem, ut fit modo in multis Ecclesiis, sed tempore ipsius communionis cum suo Psalmo cantabatur. Qui ritus in Africana Ecclesia servabatur, populo ad Communionem accedente: cuius rei testis est locuples S. Augustinus *lib.* 2. *Retract. cap.* 11. Denique Sacerdos ea non recitabat, quæ tum a Choro canebantur, tum a Ministris legebantur: sed vel rerum, quæ dicebantur meditatione, vel aliorum rituum actione totus occupatus erat. Nam quæ in Missa Illyriciana habentur ad id spatii orationes, non sunt haud dubie antiqui Romani instituti.

Hoc autem non eo animo referimus, quasi veterum huiusmodi rituum usus privata auctoritate revocari velimus, aut recentiorum quod absit induci contemptum: sed ut eos, qui eiusmodi officiis præpositi sunt, Invitemus ad consulendam antiquitatem, quæ quanto fonti propior, tanto venerabilior est: eosdemque admoneamus ne ita vulgares & contritas ratiunculas præferant, quasi ma-

Digitized by Google

Atque ita ex ipsa rituum & ceremoniarum varietate maior & firmior efficitur Apostolicæ traditionis auctoritas.

I. Quomodo se quisque gerere debet circa varios illos Ecclesiarum ritus?

R. *Cum fueris Romæ, Romano vivito more:*
Cum fueris alibi, vivito sicut ibi.

Pars III. Sect. II. Cap. VI. §. 5.

Non temere reprehendendum quod ab aliis Ecclesiis observare cernimus, nisi manifeste constet rem

---

iores nostros in sanciendis contrariis ritibus omni ratione destitutos fuisse existiment. Immo vero si quando ritus sacri reformandi erunt, ut veterum ratio habeatur, & ab eis quam propius abesse studeatur.

Hunc scopum sibi proposuit *Cameracensis & Atrebatensis Ecclesia*, cum ordinem sacrorum in meliorem formam restituere voluit, ut legitur in vetustissimo utriusque Ecclesiæ Ordine, qui ex Petri Pithœi relictis scriniis recens vulgatus est in appendice ad Codicem Canonum Ecclesiæ Romanæ. Quippe Ordinis istius Reformatores præmittunt se velle ea ordinare, *quæ ab statu rectitudinis deviando, vel ab Ordine Romano discrepare videbantur: ita tamen ut non instituatur novus Ordo; ne obiici ab invidis possit, Ordinem sacratissimum Romanum, quem imitari desiderabant, quoquo pacto fuisse violatum.* In eodem autem Ordine quædam inculcantur ex ipsomet Ordine Romano, quæ hoc loco memorare non pigebit. Unum est quod *matutinale officium* (Laudes appellamus) *tractim decantandum est: altius tamen ipsi Psalmi, quam nocturnales. Sic enim fit in Romana Ecclesia:* Et paullo infra: *Volumus ut mane agatur Missa in Dominicis diebus: quia Dominus valde mane surrexit: & ita usus est in sancta sede Romana Ecclesiæ. In titulis vero, qui in civitate, vel extra sunt, non ante cantetur Missa, quam in ipsa publica Ecclesia in civitate, neque illorum signa pulsentur, ut omnis populus ad publicam procedat Ecclesiam, nisi forte causa infirmorum, aut pro iter agentibus.* Nec omittendum quod de vigiliis nocturnis præscribitur: *Cum omni vero honestate tractim Lectiones legantur, & responsoria decantentur. Nona autem lectio sit Evangelica ex Homeliis Patrum. Homelia ipsius Evangelii a Diacono, vel Presbytero, aut Episcopo tota legatur, nisi forte aurora interveniens hoc distulerit.* Sic in Ecclesia Romana, apparente aurora officium nocturnale breviari mos erat..... Hæc ex veteri illo Ordine Cameracensi qui ante seculum XII. scriptus fuit.

Quærat aliquis, cur hymnum Angelicum, seu *Gloria in Excelsis* olim præcinuerit Pontifex ad populum conversus: contra vero ultimam salutationem, quæ fit post communionem, non vero alias? de his respondere non est nostri instituti, nobisque sufficit antiquos ritus Romanos exposuisse. Placet regula Ioannis Diaconi ex Epist. ad Senarium: *Illud firma mente custodio, quod non a maioribus tradita custodiret Ecclesia, nisi certa sui ratio poposcisset: nec ea possumus dicere inania videri ac frivola, quia eorum minime rationem accipimus.* Si tamen coniecturis indulgere licet, ideo Pontifex hymnum Angelicum præcinens convertebat se ad populum, ut eum ad laudandum Deum invitaret. Ideo vero salutationem illam postremam pronunciabat versus altare, quod ad fideles communione seu corpore & sanguine Christi Domini tum refectos verba dirigeret: quibus proinde non iam apprecantis optantisve, sed gratulantis more Dominum inesse hac salutatione contestabatur.

In nostris libellis antiquioribus præscribitur, ut Pontifice Canonem recitante, summum in choro teneatur silentium, & Ministri persistent inclinati & silentes per totum Canonem, Subdiaconi usque ad verba hæc: *Nobis quoque peccatoribus*, &c.

Pars III Sect. II Cap. VI. §. 5.

ferri nullatenus posse, & per errorem & abusum introductam. (De his multa egregie scripsit Petrus Venerabilis, Abbas Cluniacensis in sua vere aurea Epistola ad S. Bernardum, in qua agit de variis Cisterciensium & Cluniacensium ritibus. Lege præcipue numeros 8. & 9. incipiendo ab his verbis: *Nonne, carissimi, totus orbis terrarum*. Hæc Petri Venerabilis Epistola posita est inter S. Bernardi Epistolas ordine 229.) (D).

Nulli autem privato Pastori li-

(D) S. Aug. *Epist.* 54. *alias* 118. *ad Ianuarium, num.* 1. *Vid. super. part.* 2. *sect.* 1. *cap.* 2. §. 1. *litt.* (R).

Epist. 36. *alias* 86. *ad Casulanum, cap.* 1. *num.* 2. *&c. Vide supra part.* 2. *sect.* 4. *cap.* 7. *litt.* (A).

Petrus Venerabil. *Epist. ad Bernard. Abb. inter Epist.* S. Bernar. *Abb.* 229. *num.* 8. Nonne, carissimi, totus orbis terrarum Christi Ecclesiis iam ab antiquo refertus est? Cumque omnem pene numerum excedat multiplicitas Ecclesiarum, sub una fide & eadem caritate Deo famulantium; tanta pene apud eas invenitur varietas usuum, quanta infinitas est locorum. Hoc in cantibus, hoc in lectionibus, hoc in omnibus Ecclesiasticis officiis, hoc in vestitu vario; hoc præter authentica quæ mutari non possunt ieiunia, in ieiuniis diversis; hoc in universis similibus, quæ pro temporum, locorum, gentium, regionum varietatibus, a Prælatis Ecclesiarum, quibus secundum Apostolum, quantum ad talia perrinet, in suo sensu licet abundare, instituta sunt. (Rom. xiv. 5.) Relinquent ergo omnes istæ Ecclesiæ caritatem, quia mutaverunt consuetudinem? Cessabunt esse Christiani, quia videntur in diversis usibus varii? Peribit ab his omnibus summum pacis bonum, quia unusquisque modo vario operatur bonum? Non ita sensit vita & verbo Doctor Ecclesiæ Ambrosius, qui de ieiunio sabbati loquens, quod Romæ servari viderat, & Mediolani Episcopus factus servari non invenerat, ait: *Quando Romæ sum, ieiunium a Romana Ecclesia servatum custodio: quando Mediolani, morem eiusdem Ecclesiæ sequens, non ieiuno*. Hinc & Pater Augustinus bonæ matris suæ devotionem describens, narrat eam iuxta morem, quem apud Africanas Ecclesias teneri viderat, oblationes suas contra Ecclesiarum Italiæ observantiam Mediolani voluisse offerre, sed ab Ambrosio prohibitam fuisse.

Num. 9. Sed quid in istis laboro? Frustra rem patentem multiplicibus restimoniis vel exemplis eingerem: maxime cum nec apud antiquos ipsius Paschalis temporis dissonantia, nec apud modernos ipsius sacrificii Christiani inter Græcos & Latinos nota varietas, caritatem lædere, vel schisma aliquod unitatis gignere potuerit. Testes sunt præcedentis rei Patres sancti, & eorum quos Ecclesiæ reliquerunt approbati libri, quod alio tempore Oriens, alio Occidens, alio in eadem Britanniæ insula Angli, alio Scoti Christiani, scilicet antiquiores, Pascha Domini celebrabant: testes somus & nos temporis nostri, qui Romanam Ecclesiam, & totam Latinam linguam offerre Deo salutare Sacrificium azymi panis videmus; cum Græca Ecclesia, & maxima Orientis pars, ac barbaræ sed Christianæ gentes sacrificare de fermentato dicantur. Cum hoc ita sit; nec antiqui, nec moderni propter tam celebres & famosas usuum dissonantias a caritate mutua desciverunt: quia nihil quod fidem vel caritatem læderet, in his omnibus invenerunt. Ad quid istud? Ut si propter varios usus vestri, o fratres, animi variati sunt, si propter diversitatem consuetudinum diversificati sunt; si propter alium & alium morem ab Ecclesiarum institutoribus vobis traditum, a pacis vel unitatis caritate languerunt, tantorum Patrum tam venerandis exemplis in unum redeant.

Num. 10. Attendite ergo, ne lucem sensuum vestrorum propriæ sententiæ amor obnubilet: quia unitatem assequi non meretur, quisquis non ipsam, sed quod vult ipse, tuetur. Unde rogo, ut absque studio partium & propriæ sententiæ defensandæ, utrum hæc iusta dissidii caussa sit, discutiatis: & cum in-

iustam esse cognoveritis, discissos animos uniatis.

Num. 11. Dixistis enim mirum esse, si eiusdem propositi & professionis homines non eumdem institutionum servaverint morem. Ad quod ego: Si eiusdem propositi & professionis homines, non eumdem institutionum morem servaverint, & tamen observationibus diversis ad eamdem salutem & æternam vitam pervenerint, quid refert? Quid plane refert, quid obest, si vario tramite ad eamdem regionem, si moltiplici via ad eamdem vitam, si multiplici itinere ad eamdem, qoæ sursum est, Ierusalem pervenitur, quæ est marer nostra?

Card. Bona *de variis rit. divin. Psalmod. cap.* 18. §. 1. *num.* 1. Alias enim consuetudines Ecclesia Romana, alias haber Mediolanensis: aliis ceremoniis utuntur Monachi, aliis Clerici, suntque diversæ diversarum Ecclesiarum in recitandis officiis institutiones. Unam quidem Ecclesiam universalem, & orthodoxam confitemur, at unius corporis plura membra diversa obire munia in unum finem tendentia quis nescit? Aut quis adeo stupidæ mentis est, quem non rerum diversitas oblectet? Accedit ad delectationem omne ferens punctum utilitas. Nam ut gentium ac nationum mores diversi sunt, ita ad actus relligionis, cultumque Divinum diversis utuntur institutis, quæ salva Christianæ fidei integritate via possent ab eis vel omitti vel auferri. Quocirca optimum ait S. Isidorus, ut gravis prudensque Christianus eo modo agar, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra mores bonos habetur, indifferenter sequendum, & propter eorum inter quos vivitur societatem servandum est, ne per diversitatem observationum schismata generentur. Varias illæsa fide Ecclesiarum consuetudines esse docet Ratramnus Monachus Corbeiensis lib. 4. contra Græcorum opposita docte & luculenter. Laurentius a Villavincentio Xeresanus lib. 4. de ratione studii Theologici cap. 4. *Neminem*, inquit, *offendere debet quod in diversis Ecclesiis diversæ ceremoniæ in usu habentur. Etenim maxima in hoc genere semper fuit Ecclesiarum libertas, ex libertate illa spirituali profluens, quam Christus dilectæ Sponsæ Ecclesiæ sua morte vindicavit*. Præterea non conveniunt quævis quibusvis locis, quippe alia in populosa civitate, alia in angusto oppidulo aut obscuro vico fieri possunt & debent. Ad hæc quædam alicubi retinentur, quia videlicet nullum ibi vitium accessit: alibi vero eædem propter obortum vitium sunt abolitæ. Novas insuper introduci postulat subinde ipsa temporis ratio. Denique nullæ umquam ab hominibus eum ad finem sunt conditæ, ut perpetuæ & immutabiles maneant.

Pars III. Sect. II. Cap. VI. §. 5.

Num. 2. Fulbertus Carnotensis eleganter de hac re ad Finardum scribens disserit: *Novit & vere novit Serenitatis vestra prudentia, quod in Ecclesiasticis officiis plura sunt, in quibus Orientales Ecclesiæ & nostræ communi observatione sibi respondent: sunt vero alia in quibus alios ab aliis cultu dispari, & varia observatione audivimus dissonare. Nec tamen nos offendit observantia diversitas, ubi fidei non scinditur unitas. Porro in multis Græca ab Hispana, ab illis Romana, & Gallicana discrepat Ecclesia. Sed neque in hoc scandolizamur, si audimus diversam observationem sed non diversam fidem in Christi semper Ecclesiis extitisse. Stat enim Regina Ecclesia a dextris Regis sui in vestitu deaurato circumdata varietate*. Hæc Fulbertus. Legendus de hac re vir doctissimus Ioseph Vicecomes toto libro secundo de antiquis ritibus Missæ. Ps. xliv. 10.

His quæ superius ab huiusce operis Auctore dicta sunt, non abs re visum est, ea quæ ceremonias spectant e Ceremoniali Parisiensi *anni* 1703. *hic attexere. In cap. prævio, num.* 1. *hæc leguntur*: Prænotandum ceremonias esse peragendas vultu habituque totius corporis ad modestiam composito, cultu vestium mundo & nitido, motu gravi, voce aliis consona, non præcipiti, spiritu humili, cordeque per caritatem ad Deum attento.

Num. 10 Prænotandum non oportere sui in sacris ita moris esse tenaces Ecclesiæ Ministros, ut aliarum Ecclesiarum antiquas ceremonias damnent vel contemnant; memores tum moniti Gregorii Magni ad Augustinum, quod in restauranda apud antiquos Britanniæ Insulanos, aut fundanda apud Anglo-saxones Ecclesia Christianæ relligionis sequutum eum esse æquum est censere;

Digitized by Google

cet aut novos inducere, aut veteres, in ea in qua degit diœcesi iam obsoletos, ritus revocare.

§. 6. *De usu Cantus, Musices, & Organorum.*

I. Estne iam pridem in more positum, ut divina Officia canendo celebrentur in Ecclesiis?

R. Vetustissimus ille mos. Sed varia tamen fuit ea de re Ecclesiæ disciplina. Pluribus enim in Ecclesiis id primitus moris fuit, ut unus Psalmos caneret ceteris tacentibus, audientibus, & intus ad cantoris vocem laudantibus Deum. Deinde sensim ubique introductus fuit mos alius, qui viget etiamnum, ut Psalmi canantur ab omnibus alternis choris (A).

I. Quid sentiendum de usu in-

---

scilicet, ut non ita ceremoniis propriis foret addictus, ut abhorreret ab Ecclesiis Gallicanis, quæ diversis ritibus utuntur, quos ab iis mutuari recte posset; tum etiam Tridentinæ Synodi, quæ, ut officiorum Ecclesiasticorum novos ritus antiquandos, ita antiquos retinendos sanxit: posse ergo antiquari novos ritus, ut qui aliunde antiquis sæpissime nec conveniunt, nec cohærent.

Num. 11. Proprios usus, licet forte nullius momenti videantur, non esse repudiandos, modo antiqui sint, sed cum veteribus aliis neglectis, & cum aliarum Ecclesiarum ritibus esse conferendos; & plerumque fieri, ut ex illa collatione lux illis afferatur, & ratio eorum quæ latebat, pateat clara, pia, nobilis, & dignitati ceremoniarum maxime consentanea.

(A) S. August. *lib.* 9. *Confess. cap.* 6. *num.* 14.... Quantum, inquit, flevi in hymnis & canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & exæstuabat inde affectus pietatis; & currebant lacrimæ, & bene mihi erat cum eis.

Cap. 7. *num.* 16..., Et tamen tunc, cum ita fragraret odor unguentorum tuorum, non currebamus post te, & ideo plus flebam inter cantica hymnorum tuorum, olim suspirans tibi, & tandem respirans, quantum patet aura in domo fenea.

Lib. 10. *cap.* 33 *num.* 50. Aliquando autem hanc ipsam fallaciam immoderatius cavens, erro nimia severitate: sed valde interdum, ut melos omne cantilenarum suavium, quibus Davidicum psalterium frequentatur, ab auribus meis removeri velim, atque ipsius Ecclesiæ: tutiusque mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem Psalmi, ut pronuntianti vicinior esset quam canenti. Verumtamen cum reminiscor lacrimas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meæ, & nunc ipso quod moveor, non cantu, sed rebus quæ cantantur, cum liquida voce & convenientissima modulatione cantantur, magnam instituti huius utilitatem rursus agnosco.

Lib. 2. *ad inquisit. Ianuarii, sue Epist.* 55. *alias* 119. *cap.* 9. *num.* 34. De iis quæ varie per diversa loca observantur...., una in his saluberrima regula retinenda sit, ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicumque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit. Si enim eo modo impediat, ut maiora studiosorum lucra speranda sint, quam calumniatorum detrimenta metuenda sine dubitatione faciendum est, maxime id quod etiam de Scripturis defendi potest; sicut de hymnis & psalmis canendis, cum & ipsius Domini & Apostolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta. De hac re tam utili ad movendum pie animum, & accendendum divinæ dilectionis affectum, varia consuetudo est, &

pleraque in Africæ Ecclesiæ membra pigriora sunt, ita ut Donatistæ nos reprehendant, quod sobrie psallimus in Ecclesia divina cantica Prophetarum; cum ipsi ebrietates suas ad canticum psalmorum humano ingenio compositorum, quasi ad turbas exhortationis inflamment. Quando autem non est tempus, cum in Ecclesia fratres congregantur, sancta cantandi, nisi cum legitur aut disputatur, aut Antistes clara voce deprecatur, aut communis oratio voce Diaconi indicitur.

Cap. 19. Aliis vero particulis temporum quid melius a congregatis Christianis fiat, quid utilius, quid sanctius, omnino non video.

S. Ambr. *Enarr. in Ps.* 1. Psalmus benedictio popoli est, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiæ, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis lætitia, clamor iucunditatis lætitiæ resultatio.... cytharæ modo ex diversis & disparibus vocibus unam exprimens cantilenam. Diei ortus Psalmum resultat, Psalmum resonat occasus. Mulieres Apostolus in Ecclesia tacere iubet, Psalmum etiam bene clamant. Hic omni dulcis ætati, hic utrique aptus est sexui. Hunc senes rigore senectutis deposito canunt, hunc veterani tristes in cordis sui iucunditate respondent. Hunc iuvenes sine invidia cantant lasciviæ, hunc adolescentes sine lubricæ ætatis periculo, & tentamento concinunt voluptatis. Iuvenculæ ipsæ sine dispendio matronalis psallunt pudoris; puellulæ sine prolapsione verecundiæ cum sobrietate gravitatis Hymnum Deo inflexæ vocis suavitate modulantur. Hunc tenere gestit pueritia, hunc meditari gaudet infantia, quæ alia declinat ediscere.... Psalmum Reges sine potestatis supercilio resultant.... Psalmus cantatur ab Imperatoribus, iubilatur a populis. Certant clamare singuli quod omnibus proficit.

Ioan. Bona S. R. E. C. *De Divin. Psalmod. cap.* 16. *num.* 1. Ipsi quoque Psalmi, cum a pluribus alternatim recitantur, Antiphonæ dici possunt, quia scilicet duo chori ad statutæ antiphonæ symphoniam alterna modulatione sibi mutuo respondent. Hanc igitur consuetudinem alternatim psallendi habet ab antiquissimis seculis orthodoxa Ecclesia, ab Ignatio nimirum, qui post Evodium Antiochenæ Ecclesiæ Antistes pontificatus gratiam, ut sit Theodoretus, per Magni Petri dexteram accepit. Hic in excessu mentis suæ vidit Angelos alternis Hymnis sanctissimam Trinitatem collaudantes, unde psallendi formam in ea visione expressam Ecclesiæ tradidit Antiochenæ, quæ deinde in varias Ecclesias piorum Episcoporum studio insinuata, ab omnibus demum Catholicis recepta est. Scio quidem Theodoretum, Suidam, quos nonnulli recentiores sequuti sunt, ad Flavianum, & Diodorum Antiochenos Monachos, qui tempore Constantii Imperatoris floruerunt, hanc institutionem referre. Verumtamen vel errasse istos dicendum est; vel non de quocumque alterno cantu, sed de solis Davidicis Psalmis intelligi debent. *Hi enim primi*, ait Theodoretus, *psallentium choro in duas partes diviso Hymnos Davidicos alternis canendos instituerunt.* Theodorus autem Mopsuestenus citatus a Niceta Choniate *lib* 5. *Thesauri Orthodoxæ fidei cap.* 30. præfatos Monachos eam Psalmodiæ speciem ex Syrorum lingua in Græcam transtulisse asseverat. Scio etiam ritum Monachorum tempore Cassiani diversum fuisse. Nam in cœnobiis hunc morem viguisse refert, ut sedentibus ceteris, & omni cordis intentione ad vocem psallentis intentis, unus in medio integrum Psalmom solus cantaret: immo quantalibet multitudo convenisset, numquam amplius psallebant in synaxi, quam quatuor fratres. Nondum videlicet illa alternatio in monasteriis approbata fuerat, nec statim in omnes terræ partes propagata. Sane in Latina, & Occidentali Ecclesia quotquot scribunt de sacris ritibus, beatum aiunt Ambrosium Mediolanensem Episcopum primum fuisse, qui Græcorum imitatus exemplum hunc canendi modum per Antiphonas tradiderit; quem postea Damasus Papa Pontificali auctoritate confirmavit. Atque hinc fortasse quorumdam Historicorum error defluxit alterni cantus auctorem B. Damasum asserentium, quem tamen ipse non introduxit, sed ab Ambrosio institutum Apostolico decreto stabilivit.

Num. 2. Hanc veritatem unico testimonio confirmo quod nulla possit exceptione pervicax adversarius eludere. Audiamus Augustinum; scimus enim quia verum est testimonium eius. *Quantum flevi*, ait, *in Hymnis, & canticis tuis suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus com-*

Lib. 1. *Hæretic. fab.*

Hist. Eccles. lib. 2. *c.* 24.

Lib. 9. *Confess. c.* 6.

motus acriter? Et infra: *Non longe cœperat Mediolanensis Ecclesia genus hoc consolationis, & exhortationis celebrare magno studio fratrum concinentium vocibus, & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multo amplius, cum Iustina Valentiniani Regis pueri mater hominem tuum Ambrosium persequeretur hæresis sua caussa, qua fuerat seducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in Ecclesia mori parata cum Episcopo suo servo tuo. Tunc Hymni & Psalmi ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mæroris tadio contabesceret, institutum est, & ex illo in hodiernum retentum multis iam, ac pene omnibus gregibus tuis, & per ceteras orbis imitantibus.* Hæc Augustinus. Ceterum in veteri Testamento cantus alternationem adumbratam videmus Isaiæ sexto in duobus Seraphim, qui clamabant alter ad alterum *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Initio autem Evangelii, si non alterni cantus expressio manifesta, aliquod saltem eius vestigium apud Philonem, & Dionysium Areopagitam reperitur. Et ille quidem choros describit nunc iunctis vocibus resonantes, nunc sibi invicem congrue respondentes. Hic vero canentes ad alterutrum laudat, quasi una concordi & consona sacrarum rerum chorea. Tertullianus quoque in fine libri secundi ad uxorem: *Sonant*, inquit, *inter duos Psalmi, & hymni, & mutuo provocant quis melius Deo suo canet.*

Ibid. c. 7.

Lib. de Vit. Contem. Dionys. Eccl. Hierarc. c. 3.

Cap. 17. §. 2. *num.* 3. Ab ipso Domino & ab Apostolis, ait Augustinus *Epist.* 119. *cap.* 18. Psalmos & Hymnos canendi habemus documenta & exempla & præcepta. In veteri quoque Testamento quam multiplex cantorum ac musicalium instrumentorum mentio habeatur, ut divina præconia ordinatissimis vicibus celebrarentur. Davidem in canticis eruditissimum celebrat Augustinus *lib.* 17. *de civit. Dei*, *cap.* 14. Salomonem eius filium musicæ item peritissimum Pineda *de reb. Salomonis lib.* 3. *capit.* 13. commendat. Quid Moses? quid veteres Patriarchæ? An musicam ignorarunt, quos adeo frequentes in divinis modulationibus sacræ litteræ asseverant? Superfluum igitur fuerit sive ad probandam Ecclesiastici cantus antiquitatem, sive ad multam eius utilitatem adversus novatores astruendam, sanctorum Patrum, & Scripturarum testimonia coacervare. Stultus ego sum, si rem clarissimam & iam a multis Auctoribus illustratam velim clarius illustrare. Legendi de hac re Bellarminus, *Tom.* 4. *controversiarum*, *lib.* 1. *de bonis operibus in particulari*, *cap.* 16. Albertus Pighius *lib.* 1. *Eccles. Hierarchia*, Thomas Valdensis *tom.* 3. *Doctrinalis tit.* 2. Alphonsus a Castro *lib.* 4. *adversus hæreses*, Antonius Demochares *lib.* 4. *de Missa cap.* 12. & 13. Ioannes Filesacus Theologus Parisiensis *lib.* 2. *Selectorum*, Ludovicus Cresolius *lib.* 3. *Mystagogi*, Pamelius *tom.* 1. *Liturgicorum Latinorum*, Franciscus Suarez *tom.* 2. *de religione lib.* 4. *cap.* 7. & 8. Baronius *ann.* 60. *num.* 24. Durantus Tolosanus *lib.* 3. *de ritibus Ecclesiæ*, Scholastici cum S. Thoma II. 2. *q.* 91. & alii multi.

Ludov. Thomassin. *Discipl. Eccles. Part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 71. *num.* 2. & *seq. Vide superius*, §. 10. *cap.* 1. *huiusce sectionis litt.* (H)

Baronius Card. *in Annal. Eccles. ad an. Christi* 60. *num.* 24. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia; docentes & commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.* Ephesios quoque iisdem fere verbis scripta ad eos Epistola alloquens, ad hæc eadem facienda est vehementer hortatus: quibus Apostolos Ecclesiastici cantus formam præscribit; nimirum ut in gratia, quod ait, cantarent Domino in cordibus suis, scilicet ut musicos modulos cordis chorda concinerent. Illud enim cantare in cordibus dicit, ut Interpretes omnes elucidant, pro eo quod est, non ore tantum. At hæc de cantu non solum Paullus admonuit; sed & virtutes Angelicæ docuerunt, quomodo psallendum esset in Ecclesia. Socrates enim hæc de Ignatio testatur: *Ignatius, Antiochiæ, quæ est in Syria, tertius a Petro Apostolo Episcopus, qui cum Apostolis ipsis multum versatus est visionem vidit Angelorum, sanctam Trinitatem hymnis alterna voce decantatis collaudantium; & formam canendi in ea visione expressam Ecclesia Antiochenæ tradidit. Unde illa traditio ab omnibus Ecclesiis recepta est.* Hæc Socrates. Sed altior, atque certior eius rei fides habetur, cum de Seraphim stantibus supra thronum, atque clamantibus, & alternis vicibus canentibus, su-

Coloss. III. 16.

Ephes. v. 19.

S. Chrys. Theod. & alii in cap. 3 ad Coloss.

Hist. l. 6. c. 8.

Digitized by Google

Isai. VI. 3. blimis facta est illa manifestatio Isaiæ.

Num. 25. Eodem plane modo ab Essenis, quorum res gestas Philo illustri memoriæ commendavit: Deo laudes alternatim cani solitas, eiusdem auctoris testimonio expressum habetur, cuius hæc Lib. de Vita contemp. sunt verba: *Ubi omnes consurrexere, duo chori fiunt in medio cœnaculo, alter virorum, alter feminarum: cuique suus pracentor præficitur honore præstans & canendi peritia. Deinde cantant hymnos in laudem Dei compositos variis metrorum carminumque generibus, nunc uno ore, nunc alternis non sine decoris, & religiosis gestibus & accentibus, modo stantes, modo prorsum retrorsumque gradum moventes, utcumque res postulat. Deinde postquam uterque Chorus seorsum explevit his se deliciis, velut amore divino ebrii unum chorum faciunt promiscuum, ad imitationem illius olim instituti, quando mare, Deo iubente, alteris salutem, alteris perniciem attulit, præcinente viris Moyse, Maria vero prophetice feminis.* Huc usque Philo, qui dum ait non accentibus tantum sed & religiosis gestibus se moventes, illos accinere solitos esse, haud dubium est, intellexisse de canticis dramatis, qui non tantum in voce, sed & in actione consisterent, quorum vulgata est illa mentio in ecclesiasticis officiis: *Ante torum huius virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis*; nimirum ut coram virgine recumbente in throno eiusmodi acroamata agerentur. De quibus Plutarchus cum In Sympos. 7. q. 8. de his agit: *Nostros nimirum Platonis dialogos, partim narratione, partim actione quadam constare: qui ideo dramatici dicuntur: de his facillimos pueri ediscant, ita ut memoriter recitent: adiunguntur autem gestus convenientes personarum moribus, & vocis effictio, atque forma, & affectiones dictis congruæ.* Sed exoleverunt iam hæc: cetera vero non tantum non sunt prætermissa, sed aucta. At quod ad feminas spectat, ne in Ec- Syn. Antioc. clesia una cum viris canerent legibus Ecclesiasticis est postea interdictum. De antiquo usu Christianorum, ut in unum ad Ecclesiam convenientes, dies noctesque cantu ducerent, Ethnicorum etiam testificatione, nempe de his quæ Lucian. in Phil. patr. Plin. lib. 10. Ep. 97. Romæ agerentur, Luciani, & de his quæ in Oriente, Plinii, qui vixere temporibus Traiani expressum habetur.

Num. 26. Iustinus Martyr in oratione ad Antoninum Pium hymnos Deo a Christianis decantari solitos tradit, cum ait: *Gratos nos illi exhibentes rationalesque pompas & hymnos celebramus atque decantamus* &c. Et Clemens Alexandrinus ad Gentes oratione. *Hic*, inquit, *est mons Deo dilectus, mons sobrius, castis umbrosus materiis. In eo autem bacchantur non fulmine ictæ Semelis sorores, Mænades, quæ in incesta visceratione carnium initiantur; sed Dei filiæ, pulcræ agnæ, quæ veneranda verbi orgia concelebrant, chorum moderatum congregantes. Chorus sunt iusti, canticum est hymnus Regis omnium: psallunt puellæ, gloria afficiunt Angeli, Prophetæ loquuntur, editur sonus musicus.* Et paullo post: *Si velis tu quoque initiare; & chorum duces cum Angelis circa eum qui est ingenitus, & ab interitu alienus, & qui solus est vere Deus, una nobiscum canite Dei verbo.* Et Tertull. ad uxorem: *Quid* Lib. 2. c. 6. *maritus suus illi, vel marito quid illa cantabit? Audiat sane, audiat aliquid Dei cœna*, &c. Idipsum Cyprianus quoque dum ait: *Et quando in unum cum* De Orat. Domin. *fratribus convenimus, & sacrificia divina cum Dei Sacerdote celebramus, verecundiæ & disciplinæ memores esse debemus, non passim ventilare preces nostras incondit̃is vocibus.* Ceterum eiusmodi hymnos canendi in Ecclesia consuetudinem, non aliunde quam ab ipso Domino & Apostolis acceptam dicit Au- Epist. 119. c. 18. gustinus, dum inter illa quæ ex divina Scriptura defendi possunt, ait esse hymnorum atque psalmorum cantum: *Cuius*, inquit, *ipsius Domini & Apostolorum habemus documenta & exempla & præcepta.* Et paullo post: *Quando autem non est tempus, cum in Ecclesia fratres congregantur, sancta cantandi; nisi cum legitur, aut disputatur, aut Antistites clara voce deprecantur, aut communis oratio voce Diaconi indicitur?* Hæc ille.

N. 27. Id denique in universa Ecclesia fieri consuevisse, Basilius adversus hæreticos hæc improbantes sic asserit, scribens ad Neocæsarienses: *Ad id vero quod pro-* Basil. Ep. 63. *pter psalmodias accusamur: quare potissimum simpliciores perterrefaciunt, qui vos traducunt: hoc habeo quod dicam: quod videlicet, qui iam obtinuerunt ritus, omnibus Ecclesiis Dei concordes sunt & consoni. De nocte siquidem populus consurgens, antelucano tempore domum deprecationis petit; ibique labore & tribulatione ac*

PARS III. SECT. II. CAP. VI. §. 6.

lacrimis indeficientibus facta ad Deum confessione, tandem ad orationem surgentes, ad psalmodiam instituuntur. Et nunc quidem in duas partes divisi, alternis succinentes psallunt. Atque ex eo simul eloquiorum Dei exercitationem ac meditationem corroborant, & cordibus suis attentiorem, reiectis vanis cogitationibus mentis, soliditatem suppeditant. Deinde uni ex his ad hoc muneris dato, ut quod canendum est prior ordiatur, reliqui succinunt: atque ita in psalmodiæ varietate precibusque subinde interiectis, noctem superant. Illucescente iam die pariter omnes velut uno ore, ac corde uno, confessionis psalmum Domino offerunt: ac suis quique verbis resipiscentiam profitentur. Horum gratia si nos fugitis, fugietis simul & Ægyptios, fugietis Lybiam utramque, Thebæos, Palestinos, Arabes, Phœnices, Syros, & qui ad Euphratem habitant, & ut semel dicam omnes apud quos vigiliæ, ac preces, communesque psalmodiæ in pretio sunt. Huc usque Basilius. Innumera in hanc sententiam afferenda essent testimonia sanctorum Patrum, sed brevitatis caussa temperamus.

Num. 28. Illud autem non prætermittimus dicere de usu pristino, olim promiscue una cum Clericis in Ecclesia cantasse & populum, simulque Sacerdoti orationem danti vel colligenti respondere consuevisse. Ad hæc spectat illud Hieronym. *Ad similitudinem cælestis tonitrui, Amen reboat*: & illud Ausonii in Ephemeride.

In Præf. lib. 2. in Epist. ad Galat.

Contona quem celebrant modulati carmina David,
Et responsuris ferit aera vocibus, Amen.

Verum quoniam imperitia canentium sæpius accidebat, ut harmonicam illam Ecclesiasticæ dignitati congruentem cantionem incomposito vocum sono corrumperent, in quos .... Ioannes Chrysostomus iure declamat: idcirco necessario Ecclesiasticis institutis provisum est, ne præter certos ad hoc opus adscriptos quis in Ecclesia psalleret. Canon enim Laodiceni Concilii id prohibens ait: *Non licere præter canonicos psaltes, id est qui regulariter cantores existunt, quique pulpitum ascendunt, & de codice legunt, alium quemlibet in Ecclesia psallere.*

Homil. 1. in Isai. cap. 8.

Can. 15.

Num. 29. Magnam certe sanctissimi Patres adhibuerant diligentiam, ut perquam relligiosus, modestus, ac denique omnibus numeris ad pietatem compositus cantus Ecclesiasticus esset: quod ex eo facile colligi potest, quod constet & in ipsis a caritate deductis Christianorum conviviis Agape nuncupatis, tam pia, tam sobria adhiberi cantica consuevisse. Unde Christianus Pædagogus apud Clementem hæc ait: *Quemadmodum autem antequam sumamus alimentum, laudare nos convenit factorem universorum: ita etiam in potu nos ei decet psallere, cum eius creaturarum efficimur participes. Est enim psalmus numerosa & modesta laudatio; canticum spirituale, psalmum dixit Apostolus.* Paullo inferius: *Sunt enim admittendæ modestæ & pudicæ harmoniæ: a forti & nervosa nostra cogitatione vere molles, & enervatas harmonias amandando quam longissime, quæ improbo flexuum vocis artificio utentes, ad delicatam & ignavam vitæ agendæ rationem deducunt: graves autem, & quæ ad temperantiam pertinent modulationes ebrietati, & proterviæ valedicunt. Chromatica igitur harmonia impudenti in vino protervia valedicunt, floribusque redimitæ, meretriciæ musicæ sunt relinquendæ.* Hæc Clemens. De iisdem canticis in convivio Christianorum adhiberi solitis hæc Tertullianus: *Post aquam manualem & lumina, ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere: hinc probatur quomodo biberit*: Et Cyprianus ad Donatum: *Nec sit vel hora convivii gratiæ cælestis immunis. Sonet psalmos convivium sobrium, & ut tibi tenax memoria est, voce canora aggredere hoc munus ex more: magis carissimos pasces, si sit nobis spiritualis auditio, prolectet aures relligiosa mulcedo.*

Clem. Alex. in Pædag. lib. 3. cap. 4.

Apolog. cap. 39.

Num. 30. Si igitur in Christianorum conviviis adhiberi solita cantica tali fibula disciplinæ erant adstricta, quæ nihil penitus sineret esse fluxum atque solutum: quanto maiori sollertia putandum illas institutas fuisse, quæ in Ecclesia publice adhiberi solitæ erant sacræ in sacris divinisque mysteriis cantiones? Sed & gentiles ipsi, qui recte sanerent, damnabant illos canendi modos, qui mollibus fractisque vocum inflexibus animos itidem molles, fractosque atque enervatos penitus redderent. Nec alia de caussa Pherecrates comicus musicam introduxit figura muliebri totum corpus

Digitized by Google

verberibus fœde mulctatam, istamque Iustitiam quærentem de caussa huius fœditatis; illamque respondentem carmina in accusationem eorum, qui candorem illum suum pristinum, & cum suavitate maiestatem coniunctam chromaticis modulis fœde corrupesint. Sed & Aristophanes de iisdem queritur, & alii plures, quod quidam musicam in minuta quasi fragmenta conciderint. Hæc & alia plura id genus apud Plutarchum. At quanto hæc cum detrimento animorum accidere soleant, Cicero in libris quos scripsit de legibus, his verbis erudite demonstrat: *Assentior enim Platoni, nihil tam facile animos teneros, atque molles influere, quam varias canendi sonos: quorum dici vix potest quanta sit vis in utramque partem; nam & incitat languentes, & languere facit excitatos; & tum remittit animos, tum contrahit. Civitatumque hoc multarum in Græcia interfuit, antiquum vocum servare modum; quarum mores lapsi in mollitiem, pariter sunt immutati cum cantibus. Aut hac dulcedine corruptelaque depravati, ut quidam putant; aut cum severitas eorum ob alia vitia accidisset, tum fuit in auribus, animisque mutatis etiam huic mutationi locus. Quamobrem ille quidem sapientissimus Græciæ vir longeque doctissimus, valde hanc labem veretur: negat enim mutari posse musicas leges sine mutatione legum publicarum.* Hæc & alia plura ille: qui & in canendo non vocum tantum modum, sed & situm corporis modestiæ attemperatum monet esse servandum: quamobrem illos potissimum, qui canendo cervices oculosque pariter cum modorum flexionibus torqueut, reprehendit.

Lib. de Musica. De Legib. lib. 2.

Num. 31. At si hæc etiam Ethnicorum sententia cavenda sunt, quæ apud Christianos nec in conviviis olim admittebantur; quid quæso ab illis factum esse putandum in Sacris? Adversus ergo eiusmodi disciplinæ transgressores est vehemens illa, sed iusta, ex Paulli verbis S. Hieronymi obiurgatio dicentis. *Audiant hæc adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in Ecclesia officium est: Deo non voce, sed corde cantandum; nec in tragœdorum more guttur & fauces dulci medicamine colliniendas, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica, sed in timore & opere in scientia Scripturarum. Quamvis si aliquis (ut solent illi apparere κακόφωνες) si bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantator est. Sic cantet servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant, quæ leguntur: ut spiritus malus qui erat in Saule, eiiciatur ab his qui similiter ab eo possidentur, & non introducatur in eos, qui de domo Dei scenam fecere populorum.* Hæc ille, reprehendens pravum usum qui suo tempore apud nunnullos irrepserat. Verum si, ut decet, ad pietatem musici modi compositi sint, nihil utilius, nec gratius quicquam audiri potest. Unde & apud Iustinum Martyrem hæc eodem argumento conscripta habentur de simplici cantu Ecclesiastico: *Excitat hæc cantio cum voluptate quadam animum; & flagrans ad eius quod carmine celebratur desiderium: affectiones & concupiscentias carnis sedat: cogitationes malas inimicorum quos cernere non est, suggestione aborientes, amolitur: mentem ad fructificationem divinorum bonorum rigat: pietatis decertatores generosos & fortes per constantiam in rebus adversis efficit: omnium rerum quæ in vita tristes & luctuosæ accidunt, piis affert medicinam.* Hæc & alia plura ibi. His consentientia paucis expresserat Philo Iudæus his verbis: *Cantus verbaque sanitatem & salutem afferunt: cantus quidem excantando passiones animi; ut quidquid in nobis dissonat, in concentum quemdam redigendo, reprimendoque immodicos affectus certis modulis componat.*

S. Hier. in Epist. ad Ephes. c. 5.

Quæst. 107.

Lib. de Vita contemp.

Num 32. Huius igitur rei caussa a Spiritu sancto institutum esse psalmorum concentum, S. Basilius his verbis declarat: *Quando Spiritus sanctus nos vidit ægre persuaderi ad complexum virtutis, ac proinde ad ineundam vitæ rectitudinem per hoc lentescere, quod tam ad consectandam voluptatem propenderemus; quid fecit? Nimirum Scripturæ suæ dogmatibus mixtim inspersit concinnam istam numerorum modulationem, ut auribus permulctis ac delinitis, mellita vocum concentu clam, velut aliud agentes, insereremus in animos nostros irrepere eloquiorum utilitatem.* Hæc & alia plura id genus Basilius. Sed melius hæc docent, qui didicerunt experimento, ut Augustinus qui hæc de se scribit: *Quantum flevi in hymnis & canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex*

Homil. in Ps. 1.

S. Aug. lib. 9 Confess. cap. 6.

PARS III. SECT. II. CAP. VI. §. 6

ea estuabat effectus pietatis, & currebant lacrimæ, & bene mihi erat cum eis. Et inferius cum se mirum in modum affici solere Ecclesiastico cantico dicat; dolere tamen quod eo raptus interdum, quæ canerentur verba minus attenderet; ac de his secum disserens hæc tandem ait: *Confeſſ. lib. 10. c. 33.* *Ita fluctuo inter periculum voluptatis & experimentum salubritatis, magisque adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens, canendi consuetudinem approbare in Ecclesia, ut per oblectamentu aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat.* Idem Augustinus in sua Ecclesia Hipponensi sic amavit sacram canendi consuetudinem, ut interdum de nimia illius prolixitate aliqui rerum divinarum parum studiosi quererentur; de quibus hæc ait: *Serm. 251. de temp.* *Adhuc quoque, quod valde dolendum est, conqueri vobiscum volo; quia sunt aliqui & maxime potentes istius mundi, qui cum veniunt ad Ecclesiam non sunt devoti ad laudes Dei celebrandas, sed cogunt Presbyterum ut abbreviet Missam, & ad eorum libitum cantet: nec ei licet morem Ecclesiasticum sequi, propter illorum gulam & avaritiam.* Hæc ipse.

Num. 33. Ceterum licet in universo orbe Christiano canendi in Ecclesia semper viguerit usus: tamen non idem ubique est servatus canendi modus: nam hæc de Athanasio Episcopo Ecclesiæ Alexandrinæ Augustinus testatur: *Confeſſ. lib. 10. cap. 33.* *Tutius mihi videtur quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemini: qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem psalmi, ut pronuntianti vicinior esset, quam canenti:* Hæc ipse. Verum in Oriente, unde etiam Mediolanensis Ecclesia sub Ambrosio Ecclesiastici formam cantus accepit, suaviori vocum concentu, qui audientium animos licet tristes erigere atque mulcere posset, hymnos psalmosque concini solitus esse, idem Augustinus *Confeſſ. lib. 9. cap. 7.* affirmat. Nam sic Romana Ecclesia (ut aliquis existimavit deceptus commentitiis scriptis Damasi nomine pervulgatis) ab Orientali Ecclesia mutuata est modum psallendi, cum iam ab ipso institutæ sedis exordio psalmorum cantus in eadem coaluisset Ecclesia: Nam Damasus non canendi ritum, sed psalterium ex translatione septuaginta duorum ex Oriente ab Hieronymo scilicet Hierosolymis agente, accepit. Quantum autem ex antiquis monumentis colligere licet, Romana Ecclesia mediam sequuta viam, nec simplicitatem Alexandrinam, nec Orientalis Ecclesiæ suaviori concentu compositos numeros in omnibus amplexata, sic temperavit utrumque ut miram quamdam cum suavitate adiunxerit gravitatem. Africanæ autem Ecclesiæ ritus, quantum ex Augustino colligitur, Romanæ atque Alexandrinæ Ecclesiæ potius quam Orientali similis fuisse videtur; nam ait: *De hac re tam utili ad movendum pie animum & accendendum divinæ dilectionis affectum, varia consuetudo est: & pleraque in Africa Ecclesiæ membra pigriora sunt: ita ut Donatistæ nos reprehendant, quod sobrie psallimus in Ecclesia divina cantica Prophetarum, cum ipsi ebrietates suas ad canticum psalmorum humano ingenio compositorum, quasi tubas exhortationis inflamment.* *Aug. Epiſt. 119. ad Ian.* Hactenus Augustinus.

Num. 34. Execratur pariter Catholica Ecclesia modos illos musicos, atque cantus qui a gentilibus suis ipsorum ritibus adhiberi consueverunt; sed & illos, qui relictis Davidicis psalmis, concinerent, (ut de Donatistis tradit Augustinus) proprio ingenio hymnos excogitatos, ad novosque compositos musicos modulos: cuiusmodi erant & ab Ario ad Sotadis numeros compositæ cantiones, quas tantopere Athanasius redarguere consuevit: *Athan. Orat. 2. Contr. Arian. Teod. l. 4. Hæret. fabul.* sicut etiam de Meletianis tradit Theodoretus: *Solitis cum plausu manuum & quadam saltatione hymnos concinere, & multa simul tintinnabula funi appensa movere, & his similia: qua de caussa,* inquit, *magnus ille Athanasius perpetuo cum eis bellum gessit.* In eamdem impietatis classem allegandus & Paullus Samosatensis, de quo hæc Synodus Antiochena ad Dionysium Romanum Pontificem scripsit: *Psalmos vero, qui in Dominum nostrum Iesum Christum dicebantur cessare fecit, velut neotericos & nuper inventos: in semetipsum vero compositos diebus Paschæ in medio Ecclesiæ canere mulieres, maxime quas ipse prius ad canendum pro more instituerat, faciebat; ita ut horresceret si quis audiret.* Non ab his segregandus Apollinaris Laodicenus hæresiarcha, qui item a se compositos psalmos canendos quibuscumque tradidit. Quos Synodus Laodicena proscripsit, statuens ne fideles *canerent in Ecclesia* *Can. 59.*

plebeios, vel ut alia habet editio, *vulgarent psalmos*, nimirum ad vulgaris musicæ modos attemperatos: horum auctorem fuisse Apollinarem, non idiotam quempiam suo loco dicimus. Hieracem etiam hæresiarcham longe ante Apollinarem quosdam recens scripsisse psalmos Epiphanius tradit: quos omnes Ecclesia respuit.

Epiph. hæres. 67.

Num. 35. Ceterum novos piosque conscribere atque cantare sacros hymnos ad modos Ecclesiasticos attemperatos, non crimini sed laudi datum est a maioribus nostris, ab ipsis Apostolorum temporibus: quo nomine Hierotheus ille magnus excelluit, ut Dionysius testatur in Ecclesiastica Hierarchia, & de aliis Philo de vita contemplativa. Quamobrem divinos hymnos quantumlibet recens scriptos, si præsertim pietatem præ se ferant, & ad modestos musicæ numeros sint accommodati, Ecclesia nequaquam respuere consuevit: ut constat in primis de hymnis a Nepote olim conscriptis, quos a nonnullis solitos fuisse decantari, Dionysius tradit, dum ait: *Quamquam non modo pro multis aliis rebus Nepotem amplector, & diligo, ut pro fide, pro studio in doctrina posito, pro assidua in Scripturis exercitatione, pro nonnullis quoque & variis psalmis hymnisque ab eo compositis, quibus hucusque nonnulli fratres libenter utuntur*, &c. Accidit idipsum de sacris hymnis compositis ab Ambrosio, Prudentio, & aliis, quos in celebriorem usum recepit Ecclesia, Arianis tantummodo reclamantibus in Ambrosium, quod suis hymnis populum seduxisset.

Dionys. Alex. apud Euseb. Hist. Eccles. l. 7. c. 19.

Num. 36. Quod autem spectat ad musica instrumenta, ne id prætermisisse videamur, iisdem Christum Dominum a Christianis laudandum esse, Prudentius adversus Iudæos agens, in Apotheosi his versibus docet:

Quidquid in ære cavo reboans tuba curva remugit,
Quidquid in arcano vomit ingens spiritus haustu,
Quidquid casta chelys, quidquid testudo resultat,
Organa disparibus calamis quod consona miscent,
Æmula Pastorum quod reddunt vocibus antra:
Christum concelebret, Christum sonet, omnia Christum
Muta etiam fidibus sanctis animata loquentur.

Num. 37. Porro Christianus Pædagogus, quantumlibet ea quæ scripta sunt in Psalmis, Deum laudandum esse musicis instrumentis, ad spiritualem sensum inflectat, noliique ea quibus gentilitas in suis ipsius ritibus uti consueverit, Christianis esse communia: tamen si eadem recte pieque, ut Christianam modestiam decet, exerceantur, non prohibet, sed liberaliter indulget, cum ait: *Etsi ad lyram vel citharam canere & psallere noveris, nulla in te cadet reprehensio: Hebræum iustum Regem imitaberis qui Deo est gratus & acceptus:* Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio, *dicit Propheta*, &c. Confitemini Domino in cithara, & psalterio decachordo ei psallite. Ceterum constat testimonio Augustini, citharam ab Ecclesiæ modulatione fuisse proscriptam; cum ait: *Nonne id egit institutio in nomine Christi vigiliarum, ut ex isto loco citharæ pellerentur?* Sane quidem musica instrumenta haud antiquitus in Ecclesiam introducta & recepta esse videntur: quod Auctor apud Iustinum Martyrem affirmare videtur, dum ait: *In Ecclesiis non usus carminum per eius generis instrumenta & alia insipientibus congruentia receptus est, sed simplex cantatio in eis manet*. Cuius rei ratio illa videtur adscribi, quod eiusmodi musica instrumenta a Gentilibus adhiberi consueverint in turpibus & sordidis usibus, nimirum in theatris, in conviviis, ac sacrificiis. Verum quod post multa secula usu receptum sit, ut in Ecclesia adhiberentur organica instrumenta disparibus cannis simul iunctis confecta, haud iure quis poterit improbare, cum omnem in sono præ se ferant cum gravitate & suavitate modestiam.

Clement. Alex. Pædag. l. 2. c. 4.

Ps. xxxii. 1. ibid.

S. August. in Psal. xxxii. Conc. I.

Loc. quæst. 107.

Num. 38. His de canticis & musicis instrumentis in Ecclesia publice adhibere solitis pertractatis, haud prætermittendam putamus laudatissimam antiquorum Christianorum consuetudinem: qui in privatis canticis animi caussa concini solitis, nequaquam amatorias cantationes vulgo communes, sed dignas Christo Domino laudes canerent. Reperiuntur eius antiquitatis vestigia imprimis apud Basilium, dum tradit hymnum glorificationis, nimirum quo Patri & Fi-

Lib. de Spir. Sanct. c. 29. & sup. c. 27.

Digitized by Google

PARS III SECT. II. CAP. VI. § 6.

strumentorum musicorum in divini officii celebratione?

R. Usus ille laudabilis, modo rite adhibeatur, & ex intimo relligionis affectu. De hoc habentur multæ in Psalmis adhortationes. Sic habet inter alios Psalmus CL. v. 3. *Laudate Dominum in sono tubæ, laudate eum in psalterio & cithara.* 4. *Laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo.* 5. *Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis* (B).

---

lio simulque Spiritui Sancto gloria impartitur, a rusticis etiam cantari solitum, sed id magis explicite S. Hieronymus sic ad Marcellam scribens: *In Christi*, inquit, *villula tota rusticitas, & extra psalmos silentium est. Quocumque te verteris, arator stivam tenens*, Alleluia *decantat; sudans messor psalmis se avocat, & curva attondens vitem falce vinitor aliquid Davidicum canit. Hæc sunt in provincia carmina: hæ, ut vulgo dicitur, amatoriæ cantationes; hic pastorum sibilus; hæc arma culturæ.* Imbuebatur etiam tenella infantia, ut in *Alleluia* vocem lingua balbutiens primum erumperet. Unde idem Hieronymus ad Lætam scribens hæc ait: *Quis hoc crederet, ut Albini Pontificis neptis de repromissione martyris nasceretur; ut præsente & gaudente avo parvulæ adhuc lingua balbutiens, Christi* Alleluia *resonaret?* Et inferius: *Cum avum viderit, in pectus eius transiliat, de collo pendeat, nolenti* Alleluia *decantet.*

Epist. 17.

Epist. 7.

Num. 39. Ad hæc facienda Chrysostomus vehementer exhortatus est suos: ac diserte quidem a naturalibus principiis deducens orationem, sic ait: *Nihil animam æque erigit, & elatam quodammodo efficit, & a terra liberat & exsolvit a vinculis corporis, & amore sapientiæ afficit, & ut res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat perficit, ut versus modulatus, divinum canticum numero compositum. Nostra certe natura usque adeo delectatur canticis, & carminibus, & tantam cum eis habet consuetudinem & convenientiam, ut vel infantes ab uberibus pendentes sic fleant & affligentur, ea ratione sopiantur. Nutrices quidem certe, quæ eos gestant in ulnis, sæpe abeuntes & redeuntes, & quædam puerilia eis carmina decantantes, supercilia eorum ita sopiunt. Quocirca sæpe quoque viatores meridie agentes iugalia animalia hoc faciunt, canentes, itineris molestiam illis canticis consolantes. Nec solum viatores, sed etiam agricolæ uvas in torculari calcantes, vindemiantes, & vites colentes & quodcumque aliud opus facientes, sæpe cantant. Nautæ quoque remos impellentes hoc faciunt. Iam vero mulieres quoque texentes, & confusa stamina radio discernentes, sæpe quidem & persæpe singulæ, sæpe autem omnes concorditer unam quamdam melodiam concinunt: hoc autem faciunt mulieres, & viatores, & agricolæ, & nautæ, qui ex opere faciendo suscipitur laborem cantu consolari volentes: utpote quod anima, si carmina & canticum audierit, molesta & difficilia sit facilius toleratura. Quoniam ergo hoc genus delectationis est animæ nostræ valde cognatum & familiare: ne dæmones lasciva meretricia cantica introducentes, omnia everterent; psalmos Deus construxit, ut ea ex re simul caperetur voluptas & utilitas.* Et post multa de utilitate psallendi hæc addit: *Hæc dico, non ut vos tantum laudetis, sed ut filios & uxores doceatis talia cantare cantica non solum in texendo, aliove opere faciendo, sed maxime in mensa: quando enim diabolus ut plurimum insidiatur conviviis, cum & ebrietatis & ingluviei, risusque profusi & remissi animi auxilio utitur; tunc maxime oportet & ante mensam & in mensa te munire psalmorum præsidio, & simul cum uxore & liberis surgentes a convivio hymnos sacros Deo canere.* Hæc & alia plura Chrysostomus in eamdem sententiam, revocare cupiens Christianos ad illum pristinum laudatissimumque usum, cuius facta est mentio. Plura ad hæc addenda essent ex Ecclesiasticis regulis recentius restitutis; sed hæc satis ad institutum.

Homil. in Ps. XLI.

(B) PSAL. XLIX. 3. Laudent nomen eius in choro; in tympano & psalterio psallant ei.

I. Organorum usus vigetne iam pridem in Ecclesia?

R. Exstant etiamnum antiquissimæ Ecclesiæ, qualis est Romæ capella Pontificalis, & apud nos Primatialis Ecclesia Lugdunensis, in quibus nondum viget organorum ceterorumve musicorum usus. In aliis quampluribus Ecclesiis iam pridem introductus est. Non ante octavum nonumve seculum adhibita fuisse in divinis Officiis organa tradit eruditissimus Cangius (C).

Pars III. Sect. II. Cap. VI. §. 6.

Card. Bona *ubi superius hocce §. litt.* (A)

Cap. 17. §. 2. *n.* 4. *de Psalmodia*. Una autem difficultas hic enodanda videtur: an deceat Ecclesiam instrumentis musicalibus uti in divinæ synaxis celebratione. Rem ambiguam reddunt diversæ diversorum sententiæ. Auctor quæstionum ad Orthodoxos inter opera Sancti Iustini Martyris cantum vocalem laudat; sed ad cantum adhiberi instrumenta non permittit. Sancti quoque Patres Ioannes Chrysostomus, & Isidorus Pelusiota solis Hebræis permissa olim instrumenta scribunt ob eorum imbecillitatem. Damnat eadem instrumenta elegantissima oratione S. Aelredus Abbas Rievallis Bernardi synchronus & discipulus: *Unde*, inquit, *cessantibus iam typis & figuris, unde in Ecclesia tot organa, tot cymbala? Ad quid rogo terribilis ille follium flatus tonitrui potius fragorem, quam vocis exprimens suavitatem?* Pergit sanctus Pater, & cantum quoque figuratum sugillans ait: *Ad quid illa vocis contractio & infractio? Hic succinit, ille discinit, alter supercinit, alter medias quasdam notas dividit, & incidit. Nunc vox stringitur, nunc frangitur, nunc impingitur, nunc diffusiori sonitu dilatatur. Aliquando, quod pudet dicere, in equinos hinnitus cogitur, aliquando virili vigore deposito in feminea vocis gracilitates acuitur, nonnumquam artificiosa quadam circumvolutione torquetur, & retorquetur. Videas aliquando hominem aperto ore quasi intercluso halitu exspirare, non cantare: ac ridiculosa quadam vocis interceptione quasi minitari silentium, nunc agones morientium, vel extasim patientium imitari. Interim histrionicis quibusdam gestibus totum corpus agitatur, torquentur labia, rotantur oculi, ludunt humeri, & ad singulas quasque notas digitorum flexus respondet. Et hæc ridiculosa dissolutio vocatur religio: & ubi hæc frequentius agitantur, ibi Deo honorabilius serviri clamatur*. Hactenus ille. Sed alii e diverso instrumentorum usum admittunt, & laudant; & primo quidem Christianus Pædagogus apud Clementem Alexandrinum instrumentis uti permittit. Deinde Prudentius audiendus est, qui vivebat sub Theodosio iuniore & filiis eius. Sic autem canit.

Iustin. quæst. 107.

Homil. in Ps. cl. *S. Isid. lib.* 2. *Epist.* 176. *lib.* 2. *Specul. Carit. c.* 23.

Lib. 2. *c.* 4.

Prud. adv. Iudæos.

Quidquid in ære cavo &c. *Quæ vide superius apud* Baronium *ad an.* 60. *num.* 36. *litt.* (A) *hocce §.*

E Scriptoribus denique recentioribus Ioannes Sarisberiensis Carnotensis Episcopus prodibit in medium, qui eodem quo Aelredus seculo vixit, tempore scilicet Alexandri III. Is primo libro Policratici musicam instrumentalem commendat his verbis: *Ad mores itaque instruendos, & animos exultatione virtutis traiiciendos in cultum Domini, non modo concentum hominum, sed etiam instrumentorum modos censuerunt sancti Patres Domino applicandos, cum templi reverentiam dilatarent. Et si militantis Ecclesiæ tibi parva videtur auctoritas, vel triumphatrix illa preconia musica non tacebit, cuius seniores vidit, & tibi monstravit tonitrui filius:* Et voces eorum sicut citharædorum citharizantium citharis suis. *Quod si illos nondum audisti, Regem audias exultantem, qui te regni, & exultationis suæ vult esse participem. Ait enim*: Sumite psalmum, & date tympanum: Psalterium iucundum cum cithara. *Ad quid, inquis? Ut laudetis* Dominum tympano, & choro; in chordis, & organo.

Apoc. xiv. 2.

Ps. lxxx. 3.

Ps. cl. 4.

(C) Bona *ubi supra hocce §. litt.* (A) & (B)

Num. 5. Constat igitur ex dictis, nec statim initio, nec ubique recepta fuisse musicalia instrumenta: nam etiam nunc

Digitized by Google

Paas III. Sect. II Cap. VI. §. 6.

Romæ in saecello summi Pontificis semper sine instrumentis officiorum sollemnia celebrantur; & Ecclesia Lugdunensis, quæ novitates nescit, semper organa repudiavit, neque in hunc diem adscivit. Non tamen damnatis debet moderatus eorum usus, cum a sanctissimis & sapientissimis viris, ac novissime a S. Tridentino concilio approbatus & permissus sit. Lætificat organorum concentus tristes hominum mentes, & supernæ civitatis insinuat iucunditatem, sollicitat pigros, recreat diligentes; provocat iustos ad amorem, peccatores ad compunctionem. *Qui Deum diligunt*, ait Climacus, *ad hilaritatem, & divinam dilectionem, atque ad lacrimas, & ex mundanis & ex spiritualibus canticis ac melodiis excitari solent: qui vero voluptatibus addicti sunt, ibi colligunt materiam perditionis*. Porro organa pneumatica ætate Iuliani Apostatæ adinventa fuisse docet Bulengerus. Exstat autem eiusdem Iuliani Epigramma in organum, a Patre Martinio Morentino relatum præfatione in eius misopogonem, quod hic transcribere non gravabor.

Quam cerno alterius naturæ est fistula, nempe
Altera produxit fortasse hanc ænea tellus:
Horrendum stridet, nec nostris illa movetur
Flatibus, at missus taurino e carcere ventus
Subtus agit leves calamos, perque ima vagatur.
Mox aliquis velox digitis, insignis & arte
Adstat, concordes calamis pulsatque tabellas.
Ast illæ subito exiliunt, & carmina miscent.

Hæc organa statim audiri cœperunt in Ecclesia, permittente Damaso Pontifice, ut quidam aiunt apud Cresolium in mystagogo. Sed verior & communior sententia Platinæ est asserentis eorum usum tempore Vitaliani Papæ circa annum Domini 660. in Ecclesiis incœpisse. Desino, si prius admonuero Ecclesiasticos cantores ne ad usum illicitæ voluptatis assumant quod sancti Patres ad affectum pietatis instituerunt. Talis enim debet esse sonus, tam gravis, tam moderatus, ut non totum animum ad sui rapiat oblectationem, sed eorum quæ cantantur sensui, & pietatis affectui maiorem relinquat portionem.

Lib. 3. c. 17.

. *Lib.* 1. *de reb. Liturgicis, cap.* 25. *n.* 19. Postea labentibus annis musicæ vocali addita est organica sive instrumentalis, tempore Vitaliani Papæ, ut plerique existimant, de cuius usu in Ecclesia disserui *Psalmodia cap.* 17. §. 2. *num.* 4. At in Galliis ignota fuisse organa ante Pipinum auctor est Sigibertus anno 776. referens a Constantino Imperatore ipsi dono missa, antea numquam visa: idemque narrant Annales Metenses, ann 757.

Glossarium mediæ & infimæ Latinitatis in illud verbum Organum *a Domino* du Cange (Carolo Dufresne). Organum, quod vario calamorum ordine constat; follibusque inflatur, ... non omnino nuperum esse inventum, satis declarat S. Augustinus in Psal lvi *Organa dicuntur omnia instrumenta musicorum. Non solum illud organum dicitur, quod grande est & inflatur follibus; sed quidquid aptatur ad cantilenam, & corporeum est; quo instrumento utitur qui cantat, Organum dicitur*. Ut & Isidorus lib. 3. Orig cap. 20 *Organum vocabulum est generale vasorum omnium musicorum. Hoc autem cui folles adhibentur, alio Græci nomine appellant. Ut autem organum dicatur, magis ea vulgaris est consuetudo Græcorum*. Eadem pene habent Amalarius *lib.* 3. *de Eccles. officiis cap* 3. Papias, & Ugutio. Sed & huiusmodi organa respexit, opinor, Senator, lib. 1 Epist. 45. *Facit aquas ex imo surgentes præcipites cadere: ignem ponderibus currere, organa extraneis vocibus insonare, & peregrinis flatibus calamos complet, ut musica possint arte cantare*. Quin etiam describitur ab eodem in Ps. cl *Organum itaque est quasi turris diversis fistulis fabricata, quibus flatu follium vox copiosissima destinatur, & ut eam modulatio decora componat, linguis quibusdam ligneis ab interiore parte construitur, quas disciplinabiliter magistrorum digiti reprimentes grandisonam efficiunt & suavissimam cantilenam*. A Iuliano etiam, quem Parabatam plerique putant, hocce Epigrammate describitur in Anthol. lib. 1. cap. 64. *Quam cerno* &c. supra apud Cardin. Bona *n.* 5.... Francorum Annales in Franciam tum primum allatum organum ann. 757. a Pipino Com-

I. Quis modus servandus est in Organorum ceterorumque musicorum usu, ut isthæc rite adhibeantur?

R. Hic modus servandus est: 1. Ut ad Cleri populique in canendis Divinis laudibus levamen, non ad profana adhibeantur.

2. Ut non canantur organis modulationes lascivæ & profanæ, quæ in theatris vel in profanis cantilenis adhibentur. *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas* Ecclesiæ cum theatris? *Aut quæ conventio Christi ad Belial* (D). 2. Cor. vi. 14. 15.

pendii tum agenti, cum aliis muneribus missum a Constantino Imperatore narrant. Ex hinc simile organum Carolo Magno oblatum per Legatos ab Imperatore Constant. Michaele forte cognomento Rhangabe, subdit Monachus Sangallensis lib. 1. de Carolo Magno cap. 10. a quo ita describitur: *Adduxerunt etiam iidem missi omne genus organorum, sed & variarum rerum secum;... & precipue illud musicorum organum prestantissimum, quod doliis ex ære conflatis follibusque taurinis, per fistulas æreas mire perflantibus, rugitu quidem, tonitrui boatum, garrulitatem vero lyræ vel cymbali dulcedine coæquabat.* Organa vero habuisse Veronensem Ecclesiam Carolo Magno imperante docent aliquot chartæ descriptæ ab Ughello *tom.* 5. *p.* 604. 610. Ad Ludovicum pium deinde adductus est *Presbyter quidam de Venetia, nomine Georgius, qui se organum posse facere asserebat: quem Imperator Aquasgrani cum Thancolfo sacellario misit, ut ei omnia ad id instrumentum necessaria præberentur imperavit*, ut est apud Eginhardum in Annalibus an. 826 Auctor vitæ eiusdem Ludovici: *Qui diceret organum more Græcorum posse componere.*

Durant. *de ritib. Eccles. Catholic. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 2. Organorum usum in templis antiquissimum probat Iulianus ad cap. xxxi. Iob, enarrans verba illa: *Si autem ambulavi cum irrisoribus, vel cum vanitate*; his verbis: *Verum longe res se habet aliter: neque enim organorum usus prohibitus erat, quandoquidem hoc ipsum cum pietate fieri potest. In templis enim sunt illis ipsi usi.* Is autem Iulianus longo intervallo S. Gregorium antecessit. Ceterum quis primum organa, quibus hodie utimur, invenerit, in dubium revocatur. Glicas & Manasses *in Theophilo*, Imperatori Theophilo inventum organorum attribuunt. At longe ante Theophilum, Vitaliano Pontifice, usum organorum in Ecclesia receptum auctores sunt Martin. Polonus, Platina, Ioannetus, & alii complures, ex Pontificali Damasi Papæ. Organa primum missa Pipino Regi a Constantino Imperatore Græco, auctor est Marianus Scotus *in Pipino*. Verum Aymon monachus *lib.* 4. *de gestis Francorum*, *cap.* 113. affirmat organa more Græcorum, primum in Francia composita, industria cuiusdam, cui Gregorius nomen erat, imperante Ludovico Pio, eiusque sumptibus. Quare hærendum non est Navarro, qui *in libro de Oratione, & horis canonicis cap.* 16. semel atque iterum scripsit, superstite S. Thoma Aquinate, usum organorum nondum receptum fuisse. Plane & si organorum usus necessarius non sit, quare in Capella Papæ non exstant organa, ut Caietan. *ad S. Thom.* & Sotus *de iust. & iur. lib.* 10 *quæst.* 5. *art.* 2. testantur: non est tamen improbandus S Thomas 2. 2. *quæst.* 91. Sotus *ubi supra*. Nam & tibiis, tympanis, & aliis musicis instrumentis Deum laudandum innumeris Scripturæ locis expressum est. Plene Demochares *de observanda Missarum celebratione cap.* 14. *Organorum usum Ecclesia*, ait Synod. Senonen. cap. 17. *a Patribus ad cultum, servitiumque divinum recepit: modo nihil præter hymnos divinos, & cantica spiritualia organa repræsentent*. Item in Concil. Coloniensi: *Organorum melodia in templis sic adhibeatur, ne lasciviam magis quam devotionem excitet, neve præter hymnos divinos, & cantica spiritualia quidquam resonet*; quod repetitum fuit in Synodo Diœcesana Augustensi, & in Synodo Tridentina *Sess.* 22.

(D) Concil. Trident. *Sess.* 22. *Decreto de observandis & evitandis in celebrat.*

Digitized by Google

PARS III. SECT. II. CAP. VI. §. 6.

3. Ut & a nimia prolixitate in Organorum modulatione, & a præpostera festinatione recedatur; ne vel prolixitas tædium pariat, vel præ nimia festinatione minus impendatur temporis in organorum modulatione quam si res eadem voce caneretur. Quæcumque in Ecclesia fiunt, *Omnia honeste & secundum ordinem fiant*, inquit Apostolus. 1. Cor. XIV. 40.

I. Quis modus servandus in cantu Ecclesiastico?

R. 1. Canendum graviter, modeste, sine festinatione, adeo ut non prius incipiat unum versum chorus quam suum versum alter totum cecinerit.

2. Verba singula distincte pronuntianda.

3. Servandæ diligenter inter psallendum pausæ in medio cuiusque versus.

4. Tenenda quam chorus tenet ratio canendi, sive quantum ad vocis tonum, sive quantum ad mensuram, & maiorem minoremve gravitatem cantus pro festivitatum diversitate.

5. Sic voce canendum, ut corde canatur ardentius. Id enim in primis meminisse oportet, Deum esse colendum, laudandum, adorandum in *spiritu & veritate*. Ioan. IV. 24.

Isthæc & alia luculenter habentur §. 21. Concilii Basileensis can. 3. & 5. *Laudes divinæ*, inquit sancta Synodus, *per singulas horas non cursim ac festinanter, sed sedatim ac tractim, & cum pausa decenti, præsertim in medio cuiuslibet versiculi Psalmorum, debitam faciendo inter sollemne ac feriale officium differentiam, reverenter ab omnibus persolvantur... Qui... in choro fuerint, gravitatem servent, quam & locus & officium exigunt; non insimul aut cum aliis confabulantes, seu colloquentes, aut litteras seu scripturas alias legentes. Et cum psallendi gratia ibidem conveniant, iuncta & clausa labia tenere non debent; sed omnes, præsertim qui maiore funguntur honore, in psalmis, hymnis, & canticis Deo alacriter modulentur. Cum dicitur* Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto, *omnes consurgant. Cum nominatur gloriosum illud nomen* Iesus, in quo omne genuflectitur, cælestium, terrestrium & infernorum, Philip. II. 10. *omnes caput inclinent. Nemo ibidem, dum horæ in communi publicæ cantantur, legat vel dicat privatim officium: nam non solum officium, quo obnoxius est choro, subtrahit; sed alios psallentes perturbat.* Hæc Canone 3. Canone vero 5. *Admonet hæc sancta Synodus, si orationes suas Deo acceptas fore cupiunt, ut non in gutture vel inter dentes, seu deglutiendo aut syncopando dictiones, nec colloquia vel risus intermiscendo... diurnum nocturnumque officium reverenter verbisque distinctis pera-*

Missæ. Ab Ecclesiis vero musicas eas, ubi sive organo, sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur, item seculares omnes actiones, vana atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores, arceant, ut domus Dei vere domus orationis esse videatur, & dici possit. Luc. XIX. 46.

gant, ac tali in loco unde a devotione non retrahantur, ad quam se disponere & præparare debent, iuxta Eccli. xviii. 23. *id quod scriptum est:* Ante orationem præpara animam tuam, ne sis quasi qui tentat Deum.

Hæc omnia & alia habentur & in canonibus 16. 17. 18. & 19. Concilii Senonensis Parisiis habiti ann. 1528. Can. 16. sic statuit: *Prohibemus ne histriones aut mimi intrent Ecclesiam ad pulsandum tympano, cithara, aut alio instrumento musicali: neque in Ecclesia aut iuxta Ecclesiam suis pulsent instrumentis.*

Canone 17. hæc habet eadem Synodus... *Curent Sacerdotes & Clerici sic suos cantus instituere, ut modesta honestaque psallendi gravitate, placidaque & grata modulatione, sic audientium aures deliniant, ut provocent, excitentque ad devotionem compunctionemque, non ad lasciviam, cordisque aut animi titillationem. Organorum usum Ecclesia a Patribus ad cultum servitiumque Divinum recepit, Nolumus itaque quod organicis instrumentis resonet in Ecclesia impudica aut lasciva melodia; sed sonus omnino dulcis, qui nihil præter hymnos divinos & cantica spiritualia repræsentet.*

Tum subdit sacra Synodus Canonibus 18. & 19. transcripta superius verba canonis 3. & 5. Concilii Basileensis (E).

(E) GARIEL (PETRUS) Canonicus Monspelliensis Ecclesiæ. *in serie Præsulum Magalon. in vita Guillelmi I. Episc. Magalon. qui sec. XII. florebat, admonit. ad clerum pag.* 170. & 171. *Edit. Tolosæ, ann.* 1652. *in fol.* R. P BONE OY *Societatis Iesu Presbyter auctor est huius libri, cuius materiam præstitit D. Gariel: florebat uterque seculo præcedente,*

Clerice pausando dic horas non properando,
Dicas attente, dic totum supplice mente,
Dic iuxta morem primo, dicasque priorem.
Cum Domino loqueris, orans non ergo vageris.
Qui bene non dicit horas, Deus hunc maledicit.
Syncopa vitetur, versus non anticipetur,
Donec finitus omnino sit bene primus,
Scribit defectus horarum dæmon ineptus,
Quotidie multos valet ex his scribere libros.
Cor sursum teneas, ubi sunt quæ poscere cures,
Si non attendis quæ dicis, te reprehendis.
Vix Deus exaudit illum, qui cor sibi claudit:
Quando rogas ore, simul ora supplice mente,
Ut quod profertur lingua, bene cor meditetur.
Cum Domino psalles, psallendo tu tria serves,
Dirige cor sursum, bene profer, respice sensum.
In templo vanum fuge cantum, dilige planum,
Non clames tantum, cogaris linquere totum.
Vos qui servitis, Christo servire studete,
Quo memores sitis, hos versus sæpe videte.
Psallite devote, distincte, metra tenete,
Vocibus estote concordes, vana cavete,
Numquam posterior versus prius incipiatur,
Quam suus anterior perfecto fine fruatur.
Qui psalmos recitat, & verba Davidica curtat.

Pars III.
Sect. II.
Cap. VI.
§. 6.

Nil plus inde feret, quam si sua lingua taceret.
Tu quicumque choro Christi famolaris honori. ..
Non sis mente foro, sed mens tua consonet ori.

S. Bernard. *Serm.* 47. *in Cantica*, *n.* 8.

Rec. S. Benedict. c. 43.

Ex regula nostra nihil operi Dei præponere licet. Quo quidem nomine laudum sollemnia, quæ Deo in Oratorio quotidie persolvuntur, Pater Benedictus ideo voluit appellari ut ex hoc clarius aperiret, quam nos operi illi vellet esse intentos. Unde vos admoneo, dilectissimi, pure semper ac strenue divinis interesse laudibus. Strenue quidem, ut sicot reverenter, ita & alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis & remissis vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes; sed virili, ut dignum est, sonitu & affectu voces sancti Spiritus depromentes. Pore vero, ut nil aliud dum psallitis, quam quod psallitis cogitetis. Nec solas dico vitandas cogitationes vanas & otiosas: vitandæ sunt & illæ, illa dumtaxat hora, & illo loco, quas officiales fratres pro commoni necessitate, quasi necessario, frequenter admittere compellontur. Sed ne illa quidem profecto recipere tunc consuluerim, quæ forte paullo ante, in claustro sedentes, in codicibus legeratis, qualia & nunc me viva voce disserente ex hoc auditorio Spiritos sancti recentia reportatis. Salubria sunt, sed minime illa salubriter inter psallendum revolvitis. Spiritos enim sanctus, illa hora gratum non recipit, quidquid aliud quam debes, neglecto eo quod debes, obtuleris. Cuius semper facere voluntatem ad eius voluntatem ipso inspirante possimus, gratia & misericordia sponsi Ecclesiæ Iesu Christi Domini nostri.

Ordinarium Cartusianum, *Lugduni in* 16. *an.* 1641. *cap.* 17. *num.* 8. Cetera prout convenit, cum decenti semper distinctione in medio versus, & caveatur ne unus incipiat versum antequam alter suum finierit.

Num. 18. Et si in lecto ægritudinis caussa decombamus, reverentiam nihilominus aliquam faciamus, prout poterimus. In officio enim Dei servanda est sollicite ubique reverentia & honestas, cum ubique sit eadem eius cui loquimur & adstamus, maiestas & divinitas, nos intuens & adtendens.

Cap. 18. *num.* 3. Psalmodiam non multum protrahamus; sed rotunda & viva voce cantemus. Principium, medium, & finem versus simul intonnemus, & simul dimittamus. Punctum hoc est, ultimam syllabam, seu notam medietatis & finis versus, nullus teneat, sed cito dimittat.

Num 4. Post medium versus bonam pausam faciamus. Nullus ante alios incipere, & nimis currere præsumat aut post alios nimium trahere, vel punctum tenere; simul cantemus, simol pausemus semper ad voces aliorum auscultantes.

Ceremonial. Paris. *an.* 1703. *in* 8. *cap. prævio*, *pag.* 20. In Ecclesiis Psalmi decantabantur quatuor diversis modis.

Primus canendi modus fiebat, cum præeinente Lectore tota plebs succinebat, & concinendo totum Psalmum explebat. Sic antequam a S. Augustino Psalmi explicarentur, prius a fidelibus canebantur.

Sic etiam hodie in Ecclesia Parisiensi Symbolum, non alternis choris, sed integrum ab omnibus simul decantatur. Sic etiam cantatur in eadem Ecclesia *Introitus*, *Offertorium*, & *Communio* in omnibus festis duplicibus & supra, & omnibus Dominicis per annum a Paschate ad Septuagesimam, quæ ideo vocantur Dominicæ in turba: in Dominicis autem a Septuagesima ad Pascha alternis choris *Introitus*, *Offertorium*, & *Communio* cantantor; quod & fit in omnibus festis semiduplicibus & infra.

Secundus modus fit, cum alternis choris Psalmus cantatur, quod in usu est omnium fere Ecclesiarum.

Tertius modus, cum ceteris audientibus & tacentibus unus totum psalmum recitat. De quo Cassianus *In Institutionibus*: unde etiam fluit hodiernus ritus tractuum qui a Septuagesima ad Pascha loco *Alleluia* canuntur: tunc enim uno tractu sine ulla interruptione alicuius versus vel repetitione antiphonæ Psalmus decantatur.

Quartus denique modus, cum uno aut altero cantore Psalmum intonante, & versus diversos eiusdem Psalmi continuante, quasi respondet simul universa plebs, aliquem certum eiusdem Psalmi versum

CAPUT SEPTIMUM.

De sacrosancto Missæ Sacrificio.

§. 1. *De Sacrificio tam interiori quam exteriori in genere.*

I. Ex publicis Ecclesiæ Officiis quodnam ceteris antecellit?

R. Sacrosanctum Missæ Sacrificium.

I. Quid significat vox illa, *Sacrificium*?

R. Sacrificii nomen vel late sumitur vel stricte.

Secundum significationem latiorem, Sacrificii nomine intelliguntur omnes & singuli relligionis actus, quibus creatura ratione prædita offert se Deo, & supremo Numini coniungitur (A).

Quo sensu oratio, laus Dei, con-

---

semper repetens, cuius nobilissimum exemplum refert Eusebius, cum enim iubente Iuliano Apostata Relliquiæ sancti Babylæ transferrentur, præeuntes Psalmum XCVI. præcinebant, ad cuius singulos versus tota plebs accinebat, quasi respondens: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia & qui gloriantur in simulacris suis*. (Ps. XCVI. 7.) Qui modus etiam nunc in festo Purificationis pro distributione candelarum; quotidieque observatur ad officium nocturnum in recitatione Psalmi XCIV. *Venite exultemus*, ad cuius singulos versus idem a toto choro repetitur versus sub nomine invitatorii.

Hinc primum ortus est Responsoriorum & Antiphonarum in Ecclesia usus, qui successu temporis aliquas mutationes passus est; hinc ad singulos fere Psalmos officii diurni, vel nocturni, ad psalmum etiam Introitus, Offertorii, & communionis in Missa Antiphonæ præmissæ sunt, aut subiunctæ. Hinc ritus Responsoriorum, quæ post lectiones Nocturnorum, & Gradualium, quæ post Epistolam decantantur; quo in ritu chorus & cantores aliqui sibi quasi mutuo respondent.

(A) S. Aug. *De civitate Dei, lib.* 10. *cap.* 3. *al. ss* 4. *n.* 2. Huic (*Deo nempe*) nos servitutem, quæ λατρεία Græce dicitur, sive in quibusque sacramentis, sive in nobis ipsis debemus. Huius enim templum simul omnes & singuli templa sumus; quia & omnium concordiam, & singulos inhabitare dignatur: non in omnibus quam in singulis maior; quoniam nec mole distenditur, nec partitione minuitur. Cum ad illum sursum est eius est altare cor nostrum: eius unigenito eum Sacerdote placamus: ei cruentas victimas cædimus, quando usque ad sanguinem pro eius veritate certamus: ei suavissimum adolemus incensum, cum in eius conspectu pio sanctoque amore flagramus: ei dona eius in nobis, nosque ipsos vovemus & reddimus, ei beneficiorum eius sollemnitatibus festis & diebus statutis dicamus sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio: ei sacrificamus hostiam humilitatis & laudis in ara cordis igne fervidæ caritatis. Ad hunc videndum, sicut videri potest, eique cohærendum, ab omni peccatorum & cupiditatum malarum labe mundamur, & eius nomine consecramur. Ipse enim fons nostræ beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis. Hunc eligentes, vel potius religentes, amiseramus enim negligentes, hunc ergo religentes, unde & relligio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus: ideo beati, quia illo fine perfecti. Bonum enim nostrum, de cuius fine inter philosophos magna contentio est, nullum est aliud, quam illi cohærere: cuius unius anima intellectualis incorporeo, si dici potest, amplexu, veris impletur fecundaturque virtutibus. Hoc bonum diligere in toto corde, in (Deut. VI. 5.) tota anima, & in tota virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus. & a quibus diligimur duci, & quos diligimus

Digitized by Google

Pars III Sect. II Cap. VII. §. I

tritio, misericordia, cetera bona opera, legis observatio, sacrificium dicuntur in Scripturis (B).

Secundum strictam significationem, sacrificium est actus relligionis specialis & ab aliis distinctus.

ducere. Sic complentur duo illa præcepta, *in quibus tota lex pendet & Prophetæ.* Matth. xxii. 40.
Cap. 6. Proinde verum Sacrificium est omne opus, quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus. Unde & ipsa misericordia qua homini subvenitur, si propter Deum non fit, non est sacrificium. Etsi enim ab homine fit, vel offertur, tamen sacrificium res divina est: ita ut hoc quoque vocabulo id Latini veteres appellaverint. Unde ipse homo Dei nomine consecratus, & Deo votus, in quantum mundo moritur ut Deo vivat, sacrificium est. Nam & hoc ad misericordiam pertinet, quam quisque in se
Eccli. xxx. 24. ipsum facit. Propterea scriptum est: *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Corpus etiam nostrum cum per temperantiam castigamus, si hoc, quemadmodum de-
Rom. vi. 13. bemus, propter Deum facimus, ut *non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma iustitiæ Deo,* sacrificium est. Ad quod exhortans Apo-
Rom. xii. 1. stolus ait: *Obsecro ita vos, fratres, per miserationem Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Si ergo corpus quo inferiore tamquam famulo, vel tamquam instrumento utitur anima, cum eius bonus & rectus usus ad Deum refertur, sacrificium est; quanto magis anima ipsa cum se referet ad Deum, ut igne amoris eius accensa, formam concupiscentiæ secularis amittat, eique tamquam incommutabili formæ subdita reformetur hinc ei placens, quod ex eius pulcritudine acceperit, fit sacrificium? Quod idem
Ibid. 2. Apostolus consequenter adiungens, *Et nolite,* inquit, *conformari huic seculo; sed informamini in novitate mentis vestræ, ad probandum vos quæ sit voluntas Dei, quod bonum & beneplacitum & perfectum,* Cum igitur vera sacrificia opera sint misericordiæ, sive in nos ipsos, sive in proximos, quæ referuntur ad Deum; opera vero misericordiæ non ob aliud fiant, nisi ut a miseria liberemur, ac per hoc ut beati simus, quod non fit, nisi bono illo de quo dictum est, *Mihi autem adhærere Deo bonum est:* profecto efficitur, ut tota ipsa redempta civitas, hoc est congregatio, societasque Sanctorum, universale sacrificium offeratur Deo per sacerdotem magnum, qui etiam seipsum obtulit in passione pro nobis: ut tanti capitis corpus essemus, secundum formam servi. Hanc enim obtulit, in hac oblatus est; quia secundum hanc mediator est, in hac sacerdos, in hac sacrificium est. Cum itaque nos hortatus esset Apostolus, ut exhibeamus *corpora nostra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum, & non conformemur huic seculo, sed reformemur in novitate mentis nostræ, ad probandum quæ sit voluntas Dei, quod bonum & beneplacitum & perfectum,* quod totum sacrificium ipsi nos sumus; *Dico enim,* inquit, *per gratiam Dei, quæ data est mihi, omnibus, qui sunt in vobis, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad temperantiam, sicut unicuique Deus partitus est fidei mensuram. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eosdem actus habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, habentes dona diversa secundum gratiam, quæ data est nobis.* Hoc est sacrificium Christianorum; *multi unum corpus in Christo.* Quod etiam sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia, ubi ei demonstratur, quod in ea re quam offert, ipsa offeratur.

Ps. lxxii. 28.

Rom. xii. 1. & 2.

Ibid. 3. & seq.

(B) Psal. iv. 6. Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.

xlix. 14. Immola Deo sacrificium laudis: & redde Altissimo vota tua.

l. 19. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Eccli. xxxv. 2. Sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate, Et propitiationem litare sacrificii super iniustitias, & deprecatio pro peccatis, recedere ab iniustitia.

Hebr. xiii. 15. Per ipsum ergo offera-

Digitized by Google

Quo sensu Sacrificium recte definitur, oblatio rei exterioris & sensibilis, Deo facta per Ministrum legitimum, qua res oblata vel mactatur, vel consumitur, vel exterius immutatur; ut hoc ritu & significetur subiici creaturam rationalem absoluto Dei dominio, & exhibeatur supremo Numini summus latriæ cultus, summum obsequium, ceteraque Deo debita reddantur, quantum est in creatura rationali.

I. Cur ais Sacrificium esse *oblationem rei exterioris & sensibilis?*

R. Ut distinguatur sacrificium exterius & visibile, a sacrificio interiori & invisibili.

I. Quid est sacrificium interius & invisibile?

R. Est actus interior, quo nosmetipsos offerimus Deo, parati ipsi adhærere, & facere in omnibus quod placitum ei fuerit (C). Huius interioris sacrificii exemplar habemus in Christo, qui, ut ait Apostolus,
Hebr. x. 5. 6. & 7. *ingrediens mundum dixit* interius Deo Patri: *Holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt: tunc dixi; Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Hoc genus sacrificii tunc solum, si stricte loquamur, offerimus cum Deum ex toto corde diligimus. Hinc toties ait S. Augustinus: *Non colitur Deus nisi amando* (D). Non quod fide, aliisque virtutibus non colatur Deus; sed quod per caritatem perfectius colitur. Non alio sensu hunc Augustini textum, quem sæpius laudavimus, intelleximus.

Ps. xxxix. 7. 8. & 9.

S. August. Epist. 140. alias 120. ad Honor. c. 18. n. 45.

I. Quid est sacrificium exterius?

R. Est oblatio rei exterioris & visibilis, quale erat olim Sacrificium pecudum & volatilium, quale est nunc Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi sub specie panis & vini.

Ut autem delectetur Deus hac oblatione, necesse est eam & interius fieri. Actus enim ille quo res exterior offertur exterius Deo, debet ex intimo cordis affectu prodire; alio-

---

mus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficentiæ autem, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.

(C) S. Aug. *lib.* 10. *de Civit. Dei, cap.* 6. *Vide hocce § litt.* (A)

(D) S. August. *Epist.* 140. *alias* 120. *ad Honoratum, cap.* 18. *n.* 45. *& alia opera. Vide supra Part.* 2. *sect.* 2. *cap.* 4. *§* 1. *litt.* (D)

In Psal. 77. *n.* 20. *super vers.* 35. *Et rememorati sunt, quia Deus adiutor eorum est, & Deus excelsus, redemptor eorum est.* Sed hoc totum propter adquirenda temporalia bona & vitanda temporalia mala. Nam qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum, sed illa quærebant. Eo modo timore servili, non liberali dilectione Deus colitur. Sic ergo Deus non colitur, hoc enim colitur quod diligitur. Unde quia Deus, rebus omnibus maior & melior invenitur, plus omnibus diligendus est ut colatur.

Lib. 10. *de Civit. Dei, cap.* 3. *alias cap.* 4. *n.* 2. *versus finem.* Ut enim homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis, quo referret omnia quæ ageret, ut beatus esset. Non enim qui se diligit, aliud esse vult quam beatus. Hic autem finis est adhærere Deo. Iam igitur scienti diligere seipsum, cum mandatur, de proximo diligendo sicut seipsum, quid aliud mandatur, nisi ut ei quantum potest, commendet diligendum Deum? Hic est Dei cultus, hæc vera relligio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita servitus.

Digitized by Google

quin nullius est ex parte Ministri offerentis meriti apud Deum, qui opus externum ex mentis & cordis affectione pensitat. *Deus enim est Spiritus; & eos qui adorant, in spiritu & veritate oportet adorare: & Pater tales quærit, qui adorent eum.* Verba sunt Christi. Joan. IV. 24. Ibid. 23.

Qui ergo in veteri Testamento externis Sacrificiis Deo litabant, ii tunc solum offerebant acceptum Deo Sacrificium, si externa illa oblatione significarent interiorem cordis affectum erga Deum, si sacrificium interius coniungerent cum exteriori illius signo. Huius interioris sacrificii defectu plerumque contigit ut Iudæorum exteriora Sacrificia omnino respuerentur a Deo. Id cum ex aliis plurimis Scripturæ testimoniis, tum maxime ex cap. I. Isaiæ Prophetæ constat (E).

Idem usu venit in Christianis. Cum sacrosanctum Missæ Sacrificium offerunt per manus Sacerdotis, debent & ipsi cum Christo, & in Christo, & per Christum offerre semetipsos oblationem Deo. Id ni faciant acceptissimum quidem est Sacrificium Deo, quatenus offertur ab ipso Christo, qui primus præcipuusque est, ut dicemus infra, huius Sacrificii Sacerdos; sed quatenus offertur a Christianis, reiicitur: quia ipsi rem sacratissimam faciunt animo a Dei cultu alieno. Adeoque constat omnino Sacrificium exterius, utpote sacrum interioris sacrificii signum non posse umquam ab interiori sacrificio rite separari (F). Huius cap. §. 9.

I. Cur ais Sacrificium esse oblationem *Deo factam?*

R. Quia soli Deo debetur supremus latriæ cultus, quem Sacrificio veluti tessera testatum voluerunt o-

---

(E) ISAI. I. 11. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum, nolui.

MICHÆ VI. 7. Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te; utique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.

IEREM. VII. 21. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Holocautomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes. Quia non sum loquutus cum patribus vestris, & non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum & victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni via quam mandavi vobis, ut bene sit vobis.

PSAL. L. XVIII. Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

(F) S. AUGUST. *de Civit. Dei, lib.* 10. *cap.* 5. Quis autem ita desipiat, ut existimet aliquibus usibus Dei esse necessaria, quæ in sacrificiis offeruntur? Quod cum multis locis divina Scriptura testetur, ne longum faciamus, breve illud de Psalmo commemorare sufficerit: *Dixi Domino: Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges.* Non solum igitur pecore, vel qualibet alia re corruptibili atque terrena, sed ne ipsa quidem iustitia hominis Deus egere credendus est, totumque quod recte colitur Deus, homini prodesse, non Deo. Neque enim fonti se quisquam duxerit profuisse, si biberit; aut luci si viderit. Nec quod Ps. XV. 2.

mnes omnino populi, etiam ethnici, unanimi consensione. Nec ob aliud dæmones superbe sibi sacrificia exigunt, nisi quia volunt pro Deo coli & adorari. *Quis vero*, inquit Sanctus Augustinus, *sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut putavit, aut finxit* (G).

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. I. *S. Aug. Lib. 10. de Civ. Dei c. 4.*

---

ab antiquis Patribus talia sacrificia facta sunt in victimis pecorum, quæ nune Dei populus legit, non facit, aliud intelligendum est, nisi rebus illis eas res fuisse significatas, quæ aguntur in nobis, ad hoc ut inhæreamus Deo, & ad eumdem finem proximo consulamus. Sacrificium ergo visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est. Unde ille pœnitens apud Prophetam, vel ipse Propheta quærens Deum peccatis suis *Ps. L. 18. & 19.* habere propitium: *Si voluisses*, inquit, *Sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernet*. Intueamur quemadmodum ubi Deum dixit nolle sacrificium, ibi Deum ostendit velle sacrificium. Non vult ergo sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis. Illo igitur quod eum nolle dicit, hoc significatur quod eum velle subiecit.... In Epistola quæ inscribitur *Heb. XIII. 16.* ad Hebræos: *Benefacere*, inquit, *& communicatores esse nolite oblivisci: talibus enim sacrificiis placetur Deo*. Ac per hoc *Osee. VI. 6.* ubi scriptum est: *Misericordiam volo quam sacrificium;* nihil aliud quam sacrificio sacrificium prælatum oportet intelligi: quoniam illud quod ab omnibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificii. Porro autem misericordia verum sacrificium est: unde dictum est, quod paullo ante commemoravi: *Talibus enim sacrificiis placetur Deo*.

Cap. 6 Vide supra hocce §. lit. (A)

Cap. 19. Qui autem putant hæc visibilia sacrificia diis aliis congruere, illi vero tamquam invisibili invisibilia, & maiori maiora, meliorique meliora, qualia sunt puræ mentis, & bonæ voluntatis officia; profecto nesciunt, hæc ita esse signa illorum, sicut verba sonantia signa sunt rerum. Quocirca sicut orantes, atque laudantes ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas, in corde quas significamus, offerimus: ita sacrificantes non alteri visibile sacrificium offerendum esse noverimus, quam illi cuius in cordibus nostris invisibile sacrificium nos ipsi esse debemus. Tunc nobis favent, nobisque congaudent, atque ad hoc ipsum nos pro suis viribus adiuvant Angeli quique virtutesque superiores & ipsa bonitate ac pietate potentiores. Si autem illis hæc exhibere voluerimus, non libenter accipiunt, & cum ad homines ita mittuntur, ut eorum præsentia sentiatur, apertissime vetant. Sunt exempla in litteris sanctis. Putaverunt quidam deferendum Angelis honorem, vel adorando, vel sacrificando, qui debetur Deo, & eorum sunt admonitione prohibiti, iussique hoc ei *Apoc XIX. & XXII.* deferre, cui uni fas esse noverunt. Imitati sunt Angelos sanctos etiam sancti homines Dei. Nam Paullus & Barnabas *Act. XIV.* in Lycaonia facto quondam miraculo sanitatis, putati sunt Dii, eisque Lycaonii immolare victimas voluerunt; quod a se humili pietate removentes, eis in quem crederent annuntiaverunt Deum. Nec ob aliud fallaces illi superbe sibi hoc exigunt, nisi quia vero Deo deberi sciunt. Non enim revera, ut ait Porphyrius, & nonnulli putant, cadaverinis nidoribus, sed divinis honoribus gaudent. Copiam vero nidorum magnam habent undique, & si amplius vellent, ipsi sibi poterant exhibere. Qui ergo divinitatem sibi arrogant spiritus, non cuiuslibet corporis fumo, sed supplicantis animo delectantur, cui decepto subiectoque dominentur, intercludentes iter ad Deum verum, ne sit homo illius sacrificium, dum sacrificatur cuipiam præter illum.

(G) S. AUG. *De Civ. Dei*, *lib.* 10. *cap.* 4.... Sacrificium certe nullus hominum est qui audeat dicere deberi, nisi Deo. Multa denique de cultu divino usurpata sunt, quæ honoribus deferrentur humanis, sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera; ita tamen ut quibus ea deferrentur, homines haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi; si autem eis multum additur, & adorandi: quis vero sacrificandum censuit,

Digitized by Google

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. I.

I. Cur ais Sacrificium esse oblationem Deo factam *per Ministrum legitimum*?

R. Quia ex Dei ipsius institutione, Sacrificium exterius offerri debuit a nemine, nisi qui ad id muneris fuerit Dei nutu destinatus.

In lege Mosaica solis licuit Sacerdotibus ex genere Aaron offerre Deo sacrificia. Ante Moysen & sub lege quam naturæ dicimus, fuisse Ministros Dei nutu ad Sacrificia destinatos vel ex eo liquet quod Melchisedech Sacerdos Dei altissimi fuisse dicatur, quod utique non diceretur si nemini non licuisset Sacerdotis officio fungi. Qui sub lege naturæ Sacerdotes fuerint non plane constat; altum enim ea de re silentium in Scripturis. Id concessum fuisse muneris vulgo creditur illis qui cuiusque familiæ caput essent; nec obstat quod legantur fratres duo Cain & Abel obtulisse sacrificia: nam singulos ex Eva & Adam immediate genitos pro patribus-familias habitos fuisse constat, in totum orbem mox cum sua familia dispergendos. Quidquid sit de ea quæstione, certe quæ de Sacerdotio Melchisedech dicuntur in Scripturis, ea non obscure innuunt Sacerdotium Dei summi non singulorum munus fuisse.

Et hæc quidem ratio est cur dæmones, qui supremum latriæ & sacrificiorum cultum soli Deo debitum sibi impie arrogarunt, suos & ipsi habere voluerint sacrilegorum sacrificiorum Ministros, quos Sacerdotes & Pontifices Iudæorum instar appellavere.

I. Cur ais Sacrificium esse ritum quo res oblata *vel mactatur, vel consumitur, vel exterius immutatur?*

R. Ut distinguatur Sacrificium stricte sumptum a simplici oblatione. Rem fusius & distinctius explico. Cum Aaron Levitas omnes obtulit Deo in tabernaculi ministerium, nomine totius gentis (H), hoc non Sacrificium fuit, sed sim-

---

nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?

Cap. 19. *Vide super. litt.* (F) *& lib.* 20. *contra Faustum Manich. cap.* 21. *Vide super. Part.* 2. *Sect.* 3. *Cap.* 2. §. 3. *litt.* (H)

(H) NUMEROR. VIII. 21 Purificatique sunt (Levitæ) & laverunt vestimenta sua. Elevavitque eos Aaron in conspectu Domini, & oravit pro eis, ut purificati ingrederentur ad officia sua in tabernaculum fœderis, coram Aaron & filiis eius.

EXOD. XXIX. 18. Offeres totum arietem in incensum super altare: oblatio est Domino, odor suavissimus victimæ Domini..... Suscipiesque universa de manibus eorum: & incendes super altare in holocaustum, odorem suavissimum in conspectu Domini, quia oblatio eius est .... Alterum vero agnum offeres, ad vesperam iuxta ritum matutinæ oblationis, & iuxta ea quæ diximus, in odorem suavitatis.

LEVIT I. 9.... Adolebitque ea Sacerdos super altare in holocaustum & suavem odorem Domino ... Et oblata omnia adolebit Sacerdos super altare in holocaustum, & odorem suavissimum Domino... Et adolebit (avem) super altare, lignis igne supposito. Holocaustum est, & oblatio suavissimi odoris Domino.

III. 5. Adolebuntque ea super altare in holocaustum, lignis igne supposito, in oblationem suavissimi odoris Domino... Adolebitque ea super altare Sacerdos, in alimoniam ignis, & suavissimi odoris.

IV. 31. Omnem autem adipem auferens, sicut auferri solet de victimis pacificorum, adolebit super altare in odorem suavitatis Domino.

plex oblatio; quia nec mactati Levitæ, nec quidquam illis mutationis exterius accidit hac oblatione. Idem dicendum de facta ab Israelitis in usum tabernaculi oblatione auri, argenti, æris, purpuræ, &c. Cum autem mactabantur animalia, ac imponebantur altari concremanda vel in totum vel ex parte; cum farina simul cum ture & sale incendebatur; cum fuso sanguine, vino & aqua vel super vel circa altare, Deo litabatur; hæc vera erant Sacrificia: quia res oblatæ vel mactabantur, vel consumebantur, vel quia aliud iis accidebat mutationis genus.

Ceterum hæc Sacrificia fiebant ut plurimum vera rei oblatæ consumptione. Sic tradebantur igni super altare & animalia prius oblata, & in Sacrificiis incruentis, farina, sal, oleum, vinum, aqua, &c.

Aliquando ideo solum res Deo oblata consumebatur, ut illa consumptione produceretur res alia, cuius oblatio præcipuus erat sacrificantis scopus. Verbi gratia, cum offerebatur Deo Sacrificium turis & thymiamatum, ideo tus & thymiama incendebantur, ut ex eorum consumptione prodiret vapor odoriferus, qui ascenderet ad Deum, & ab eo susciperetur, ut inquit Scriptura, *in odorem suavitatis*: immo id precabantur Deum omnes qui hostias incendebant, ut earum fumus susciperetur a Deo in odorem suavitatis: quæ omnia fusius infra explicabimus, dicemusque cuius rei fumus ille turis & victimarum typus esset. Eadem ratione in sacrosancto Missæ Sacrificio, ideo solum panis & vinum offeruntur Deo ut per consecrationem transmutentur in corpus & sanguinem Christi, cuius corporis & sanguinis oblatio magnum illud Christi & Ecclesiæ Sacrificium est, de quo plura dicemus infra.

Exod. xxix. 41.

Huiusce cap. §. 4. &c.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 1.

Huiusce cap. §. 9.

Aliquando vera quoque Sacrificia fiebant, sine rei oblatæ consumptione reali. Sufficiebat immolatio quædam mystica in eo posita, quod accidebat rei oblatæ mutatio quædam status & conditionis, qua res velut immolata censebatur. Tale erat in lege Mosaica Sacrificium hirci emissarii, qui voce Hebræa Protestantibus notiore *Hazazel* hircus dicebatur. Hunc oblatum Deo summus Hebræorum Pontifex nec immolabat, nec tradebat flammis, sed totius populi peccatis cumulatum emittebat in desertum. Hæc hirci in desertum emissio videbatur esse immolatio quædam & destructio mystica respectu populi, cuius oculis hircus non subiiciebatur amplius. Hic autem ritus verum erat sacrificium, de quo dicemus infra fusius.

Huiusce cap. §. 4

I. Quo nomine appellatur ea res quæ offertur in sacrificium?

R. Appellatur Victima & Hostia. Sed victimæ nomen solis viventibus hostiis competit. Hostiæ autem dicuntur res omnes in sacrificium oblatæ, sive vitam habuerint sive non.

I. Quomodo appellatur actus quo victima cæditur?

R. Appellatur immolatio.

I. Quo nomine designatur Minister qui victimam immolat, vel hostiam destruit igni tradendo?

R. Sacerdos, Sacrificus, Pontifex. Sed usu in Scripturis recepto

Digitized by Google

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. I.

Pontificis nomen soli Sacerdoti summo per excellentiam tribuitur (I).

I. Cur ais sacrificium esse oblationem Deo factam, ut eo ritu *& significetur subiici creaturam rationalem absoluto Dei dominio, & exhibeatur supremo Numini summus latriæ cultus, summum obsequium, ceteraque Deo debita reddantur, quantum est in creatura rationali?*

R. Quia nihil est quo isthæc omnia exhibeantur Deo significantius & distinctius quam Sacrificium.

I. Exhibenturne sacrificio interiori, an exteriori?

R. Utroque exhibentur.

Sacrificio quidem interiori; neque enim possumus significare efficacius quantum subiiciamur supremo Numini, quantoque prosequamur illud cultu, quam si nos illi plane devoveamus, tradamusque illi absolute & sine ulla exceptione totum id quod sumus. Hoc autem agimus Deum super omnia diligendo, in quo positam esse huius interioris sacrificii rationem iam diximus. *Initio huius §.*

Sacrificio autem exteriori: nam hoc externo ritu significamus quomodo interius affecti simus erga Deum. Hinc sacrificium exterius interioris sacrificii sacrum signum esse docet S. August. *S. Aug. de Civit. Dei lib. . c. . Vide ... §. hui. (F)*

I. Quomodo hoc externo ritu significamus quæ sit interior nostra erga Deum affectio?

R. Quia exterioris hostiæ seu immolatione, seu alia quavis destructione, seu reali seu mystica, declaramus,

1. Deum esse supremum omnium Dominum, ante quem cetera omnia quasi nihilum sint (K).

2. Deum neutiquam egere bonis nostris, siquidem illa offerendo destruimus, occidimus, igni tradimus (L).

3. Ius supremum vitæ & necis penes Deum esse: nosque sic affectos esse, ut parati simus vitam profundere quoties ille iusserit.

4. Nos merito peccati esse obnoxios morti, & indignos vita & luce. Cumque nefas sit nobismetipsis inferre necem, victimam aliam a nobis substitui, quæ pro nobis moriatur, & cuius morte supplices petimus Divinæ iustitiæ satisfieri.

5. Cum usus vitæ nobis misericorditer concessus sit, eo nos non esse abusuros profitemur, sed in Dei obsequium paratos esse illam impendere, & quidquid facturi sumus id nos esse pro Dei gloria facturos, quemadmodum hostia sacrificio oblata tota consumitur in honorem Dei.

I. Ergo qui exteriora illa sacrificia faciebant, aliter interius affectì quam ex dictis patet affectos esse debuisse, illi externo illo sacrificiorum ritu non placabant Deum, nullumque ei cultum exhibebant?

R. Nec placabant Deum, nec co-

(I) LEVIT. XXI. 10. Pontifex, id est, Sacerdos maximus.

(K) PSALM. XXXVIII. 6. Ecce mensurabiles posuisti dies meos: & substantia mea tamquam nihilum ante te. Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens.

(L) PSALM. XV. 2. Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Digitized by Google

lebant ut oportet: immo sæpe provocabant ad iram, ut diximus. Nihil enim Divinam indignationem provocat magis quam cultus mendax & hypocritus, quo exterius significatur id quod non interius cogitatur. Hinc plerumque respuebat Deus sacrificia Iudæorum (M).

Initio huius §.

I. Quid aliud obsequii exhibemus Deo per Sacrificium?

R. Gratias agimus pro acceptis beneficiis. Misericordiam imploramus pro remissione peccatorum. Petimus necessaria ad salutem animæ & corporis (N).

§. 2. *An teneamur offerre Deo Sacrificium interius.*

I. Tenemurne offerre Deo Sacrificium aliquod?

R. Nullum est officii genus, quod adimplere & diligentius & sanctius teneatur creatura rationalis, quam debitum offerendi sacrificii interioris, id est Deum super omnia diligendi. *Hoc enim est maximum & primum mandatum.*

Matth. xxii. 38.

I. Quodnam est huius debiti officii fundamentum?

R. Multiplex est.

1. Ideo solum conditæ sunt creaturæ ratione præditæ, ut suum conditorem & colant & adorent & glorificent. Non possunt autem Deum colere & glorificare, nisi per actum liberum voluntatis, atque adeo amoris.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 2.

2. Æquum est unaquæque suum servare ordinem, & creaturam rationalem suo subiici Creatori; non subiicitur autem Creatori, nisi plane velit quod Deus vult. Tunc autem voluntati Divinæ voluntas nostra omnino cohæret, cum Deum super omnia diligimus.

3. Æquum est solvi debita. Nihil autem habemus quod non acceperimus a Deo, immo quod Dei non sit. Debemus ergo Deo quidquid sumus. Non possumus autem reddere Deo quod sumus, nisi adhæreamus ipsi per amorem: alioqui damus alteri quod Dei est, nempe cor nostrum. Hoc ergo primum debemus Deo sacrificium, ut ipsi ex tota cordis affectione adhæreamus: sic reddimus Deo quidquid accepimus a Deo, sic tribuimus Deo quod eius est. Sic gratum ipsi exhibemus pro acceptis donis animum.

4. *In multis offendimus omnes*; non est enim homo qui non peccet, & non egeat gratia & misericordia Dei. Placanda Numinis ira est. Non potest autem placare Deum nisi amor exhibitus. Cum cessamus ab amore Dei, tunc Deum offendimus: cum incipimus eum iterum diligere, tunc placamus, & propitium reddimus.

Iacob. III. 2. *3. Reg. VIII. 46.*

5. Novis in dies auxiliis & bene-

(M) Isai. xxix. 13. & Matth. xv. 8. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me.

S. August. *lib.* 10. *de Civ. Dei*, *Cap. laudatis hocce §.*

(N) *Quæ hocce §. diximus, & sequentibus dicturi sumus de Sacrificio, maxima ex parte mutuati sumus e lib. Gallice inscripto*, les Conferences de la Rochelle, *Rupellanæ Diœcesis collationes, quem adire poterunt, qui hæc fusius tractata legere volent.*

Digitized by Google

Pars III. Sect. II Cap VII. §. 2.

ficiis indigemus; non possumus autem divina nobis promereri beneficia, nisi amore adhæreamus Deo.

Ex his omnibus liquet quanta sit sacrificii interioris necessitas:

1. Ut colatur supremum Numen, & adoretur.

2. Ut reddantur ei debitæ gratiarum actiones.

3. Ut obtineatur peccatorum remissio.

4. Ut impetrentur auxilia ad salutem animæ & corporis necessaria.

I. Estne aliquod immolationis genus in oblatione sacrificii interioris?

R. Angeli interius amoris sacrificium offerunt Deo sine ullo immolationis genere. Neque enim est quidquam in eorum voluntate quod mutari vel destrui possit. Est nimirum voluntas eorum omnimode subiecta Deo, nec habet quidquam quod supremo Numini repugnet. Idem dicendum de homine, si stetisset in statu innocentiæ, in quo recta omnia, nihil adversum Dei voluntati.

Sed ex quo per peccatum excidimus ab illo felici statu, iam misere experimur *legem in membris* (Rom. VII. 23.) nostris *repugnantem legi mentis* nostræ, legi Dei. Adeoque non possumus referre Deo sacrificium interius amoris, quin coerceamus insurgentes concupiscentiæ æstus, eosque quantum in nobis est eradicemus, &, ut ita dicam, immolemus. Non possumus, inquam, diligere Deum, ut par est, quin moriamur nobis, & vincamus concupiscentiam; & quidquid divinæ voluntati repugnat, id omne destruendo, mactando superemus. Hac spiritali mactatione & morte fit ut interior affectio, qua Deum ex toto corde diligimus, veram habeat stricte sumpti sacrificii rationem.

I. Quandonam debemus offerre interius hoc sacrificium Deo?

R. Semper & ubique vacandum huic officio: nullum enim tempus, locus nullus est, quo non debeamus Deum super omnia diligere, ipsi adhærere, illi referre nos nostraque omnia, in omnibus eius exsequi voluntatem, illius paternæ providentiæ subiici, & ad isthæc omnia rite exsequenda cupiditates vincere, vim nobis continuam inferendo.

Fieri tamen non potest, ut continuis amoris actibus ad Deum mens nostra tendat, nec Deus hoc iubet. Sufficit si quidquid agimus ad Dei gloriam & honorem referatur; & actus amoris eliciamus identidem, ut his repetitis actibus mens revocetur ad Deum, & fidei, spei & caritatis ignis a nimio torpore suscitetur.

§. 3. *An teneamur offerre Deo Sacrificia exteriora. Quæ fuerint hæc Sacrificia ante & post legem Moysi.*

I. Tenemurne offerre Deo Sacrificium aliquod exterius?

R. Tenemur. *Nec ob aliud*, inquit S. August. *fallaces illi* (dæmones) *superbe sibi hoc exigunt, nisi quia vero Deo deberi sciunt.* (S. Aug. lib. 10 de Civit. Dei c. 19.)

I. Quæ est huius debiti ratio?

R. In eo posita est quod tenea-

mur publico aliquo & patenti signo demonstrare quomodo affecti simus erga Deum.

I. Cur interiorem hunc affectum tenemur exteriori aliquo signo prodere?

R. 1. Ut exteriori illo signo ipsi efficacius moveamur ad interiorem affectum erga Deum altius retinendum.

2. Ad ædificationem proximi, ut ille exemplo nostro excitetur ad Dei cultum.

3. Ut obediamus Deo, qui exigit a nobis cultum non internum modo, sed & externum.

I. Numquid ad exteriorem illum cultum, & interioris significationem, & exemplum proximi necesse fuit offerri exterius sacrificia? Quid vetat isthæc omnia alio ritu externo significari?

R. Nihil est quo isthæc omnia significentur expressius quam sacrificio externo, ut diximus supra, ubi de honore supremo Numini exhibito per sacrificium exterius egimus. Et hæc quidem populorum omnium consensio fuit, non posse coli Deum, ut par est, sine sacrificii oblatione.

Huiusce cap. §. 1.

I. Quæ res offerri Deo in sacrificium debent?

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. 3.

R. Ante Moysen licitum erat unicuique offerre Deo in sacrificium quod quisque iudicaret Divinæ maiestati convenientius, & aptum magis ad placandum Deum, & ad significationem grati animi. Abel offerebat quidquid haberet optimum in pecoribus. Cain de frugibus terræ sacrificium faciebat. Egressus ex arca Noe volatilia & pecora immolavit. Melchisedech panem & vinum obtulit. In lege scripta Deus ipse per Moysen multa de sacrificiis sanxit, constituitque quæ essent victimæ & hostiæ offerendæ, & quo ritu. Tandem vetera illa sacrificia velut umbra cesserunt Christi sacrificio, cuius typus erant, & a quo vim omnem & efficaciam acceperant. Nec iam licet offerre Deo aliam victimam quam Christum ipsum, qui suo sacrificio vetera isthæc omnia sacrificia consummavit & perfecit, & id egit ut cultum dignum Deo iam exhibere possimus (A).

I. Cur iam non licet offerre sicut prius pecora & volatilia in sacrificium?

(A) S. AUGUST. *lib.* 10. *de Civit. Dei, cap.* 19. *Vide huiusce cap.* §. 1. *litt.* (F) *Cap.* 20 Unde verus ille mediator, in quantum formam servi accipiens *mediator effectus est Dei & hominum homo Christus Iesus*, cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo & unus Deus est, tamen in forma servi sacrificium maluit esse quam sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ. Per hoc & Sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio. Cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium: quæ cum ipsius capitis corpus sit, seipsam per ipsum discit offerre. Huius veri sacrificii multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca Sanctorum, cum hoc unum per multa figuraretur, tamquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur. Huic summo veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt.

1. Tim. II. 5.

Digitized by Google

Pars III Sect. II Cap. VII. §. 3.

R. Quia vetera ista sacrificia non accepta erant Deo, nisi intuitu Christi cuius typus erant; ea Christus fuso in sacrificium proprio sanguine antiquavit. Cessit umbra veritati. Iniuriosus iam esset in Christum qui aliud offerret Deo sacrificium ab eo quod Christus obtulit.

I. Cur ais vetera sacrificia non fuisse Deo accepta, nisi intuitu Christi cuius typus erant?

Heb. x. 4. *R.* Quia, ut ait Apostolus: *Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata;* nec poterant homines propria virtute placare Deum per interius cordis sacrificium: necesse erat eos prius reconciliari Deo per sanguinem Mediatoris. Adeoque non aliam ob caussam accepta poterant esse Deo vetera hæc sacrificia, quam quod iis significarent homines & interiorem suum affectum erga supremum Numen, & fidem in Christum venturum his sacrificiis expressum & adumbratum, &, ut ita dicam, immolatum. Ex solo Christi sanguine vim habebant isthæc sacrificia ad reconciliandos Deo peccatores, nec prius suum omnem habuit effectum hæc reconciliatio, quam sanguis Christi reipsa funderetur. Hinc sanctos omnes, qui sub veteri Testamento vixerunt, exspectare necesse fuit, donec Christus, excusso mortis & inferorum iugo, in cælum victor ascendens captivam secum duceret captivitatem, id est captivos *Ephes. iv. 8.* ab inferis eductos secum triumphans duceret in cælum, cuius ipsis aditum suo sanguine devicta morte reseraverat, ut canit Ecclesia (B).

(B) Hebr. vi. 18..... Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem: quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis: Ubi præcursor pro nobis introivit Iesus, secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum.

vii. 1. *Vide supra huiusce operis part.* 1. *sect.* 1. *cap.* 4 §. 23. *litt.* (G)

11. Si ergo consummatio per Sacerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit,) quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisech alium surgere Sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici? Translato enim Sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat. In quo enim hæc dicuntur de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit. Manifestum est enim quod ex Iuda ortus sit Dominus noster: In qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyses loquutus est. Et amplius adhuc manifestum est: si secundum similitudinem Melchisedech exsurgat alius Sacerdos, qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis. Contestatur enim: Quoniam tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisech. *Ps. cix. 4.* Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem: Nihil enim ad perfectum adduxit lex, introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Et quantum est non sine iureiurando (alii quidem sine iureiurando Sacerdotes facti sunt; hic autem cum iureiurando, per eum, qui dixit ad illum: Iuravit Dominus & non *Ibid.* pœnitebit eum; tu es Sacerdos in æternum,) in tantum melioris testamenti sponsor factus est Iesus. Et alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: Hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus,

Digitized by Google

innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cælis factus: qui
Lev. xvi. 6. non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo. Lex enim homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.

VIII. 1. Capitulum autem super ea quæ dicuntur: Talem habemus Pontificem qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis. Sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo. Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur. Unde necesse est, & hunc habere aliquid quod offerat. Si ergo esset super terram, nec esset Sacerdos: cum essent qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari & umbræ deserviunt cælestium... Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpa vacasset: non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit:
Ier. xxxi. 31. Ecce dies venient, dicit Dominus: & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda, testamentum novum.... Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.

IX. 1. Habuit quidem & prius iustificationes culturæ, & sanctum seculare. Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur sancta. Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum: Aureum habens turibulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti. Superque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium: de quibus non est modo dicendum per singula. His vero ita compositis; in priori quidem tabernaculo semper introibant Sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro sua & populi ignorantia: Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum. Quæ parabola est temporis instantis: iuxta quam munera, & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, & in potibus, & variis baptismatibus, & iustitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis: Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ adspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? Et ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hereditatis.... Necesse est ergo exemplaria quidem cælestium his mundari: ipsa autem cælestia melioribus hostiis quam istis. Non enim in manufacta sancta Iesus introivit, exemplaria verorum: sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis: Neque ut sæpe offerat semetipsum: quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno: Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione seculorum, ad destructionem peccati per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium: Sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; secundo sine peccato apparebit exspectantibus se, in salutem.

X. 1. Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum; per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere: Alioquin cessassent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati, cultores semel mundati: Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 4.

§. 4. *Explicantur ſpecialius Sacrificiorum Iudaicorum ritus.*

I. Dic, quæſo, paullo fuſius quæ fuerint olim Sacrificia Iudæorum lege conſtituta?

R. Duplex fuit apud Iudæos ſacrificiorum genus: cruentum aliud, aliud incruentum. Cruenta ſacrificia ſanguinis effuſione conſtabant. Fiebant incruenta ſine ſanguinis effuſione.

Cruentum ſacrificium triplex fuit.

1. Holocauſtum.
2. Sacrificium hoſtiæ pacificorum.
3. Sacrificium pro peccato.

Holocauſtum Sacrificii genus fuit, quo victima, poſt immolationem, tota ſubiiciebatur igni donec omnino conſumpta fuiſſet; ut hac victimæ immolatione & abſoluta conſumptione ſupremo Numini plane litaretur, & ſummum obſequium, omnimoda ſervitus, adoratio perfecta deferretur Deo, quantum eſſet in homine (A). In aliis ſacrificiis tradebatur igni pars victimarum; pars reliqua reſervabatur aliis uſibus, de quibus dicemus in infra. Hocce §.

Sacrificium hoſtiæ pacificorum inſtitutum fuit ut agerentur Deo gratiæ pro acceptis bonis, vel nova ab ipſo beneficia impetrarentur (B). Vocabatur autem Sacrificium hoſtiæ Pacificorum, quia vox Hebræa שֶׁלֶם *Schelem*, quo nomine deſignabatur hoc Sacrificium, ſignificat pacem, ſalutem, incolumitatem, omne bonorum, & perfectionis genus: offe-

---

peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti; corpus autem aptaſti mihi: Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Superius dicens: Quia hoſtias & oblationes, & holocautomata pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ ſecundum legem offeruntur: Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam: aufert primum ut ſequens ſtatuat. In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel. Et omnis quidem Sacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ numquam poſſunt auferre peccata: Hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei, de cetero exſpectans donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius. Una enim oblatione, conſummavit in ſempiternum ſanctificatos. *& ſeq. vide ſupra* §. 5. *Cap. prælim. huiuſce partis, litt.* (K) [Pſ. xxxix. 7.] [Ibid. 8. 9.] [Pſ. cix. 2.]

Domn. Ioan. Mabillon. Mon. Bened. Congr. S. Mauri *Liturg. Gallic. lib.* 3. *num.* 10. S. Leander Epiſc. Hiſpal. Reg. *ſua* cap. 7. *de Sacrificiis veteris legis obiter agens*, Sacrificia certe, *inquit*, idcirco pecudum litantur, quia verum ſacrificium, hoc eſt Chriſti corpus & ſanguinem figurabant. Venit veritas, umbra diſceſſit, venit verum ſacrificium & ceſſavit hoſtia pecudum: *quod manifeſte, non de ſacrificio crucis, ſed de ſacrificio Miſſæ intelligendum eſt*, ait D. Ioan. Mabillon.

(A) *Vide infra hocce* §. *litt.* (G) Levit. 1. 1. & 7. 8.

(B) Levit. 3. 1. Quod ſi hoſtia pacificorum fuerit eius oblatio, & de bobus voluerit offerre, marem ſive feminam, immaculata offeret coram Domino. Ponetque manum ſuper caput victimæ ſuæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi teſtimonii, fundentque filii Aaron Sacerdotes ſanguinem per altaris circuitum. Et offerent de hoſtia pacificorum in oblationem Domino adipem, qui operit vitalia, & quidquid pinguedinis eſt intrinſecus. Duos renes cum adipe quo teguntur ilia, & reticulum iecoris cum renunculis. Adolebuntque ea ſuper altare in holocauſtum lignis igne ſuppoſito: in oblationem ſuaviſſimi odoris Domino. *Cetera in idem recidunt, quæ proinde hic exſcribere ſuperſedimus.* Exod. xxix. 13.

rebatur autem hoc Sacrificium pro bonis vel acceptis, vel accipiendis.

Sacrificium pro peccato illud erat, quod pro peccatorum expiatione erat institutum (C).

I. Quinam præcipui fuerunt cruentorum sacrificiorum ritus? Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 4.

R. Hæc in omnibus sacrificiis cruentis observabantur, excepto sacrificio vaccæ rufæ, & sacrificio

(C) Levit. iv. 1. Loquutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel: Anima, quæ peccaverit per ignorantiam, & de universis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent, quidpiam fecerit: Si sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino: Et adducet illum ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino: ponetque manum super caput eius, & immolabit eum Domino. Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonii. Cumque intinxerit digitum in sanguine, adsperget eo septies coram Domino contra velum sanctuarii. Ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi coram Domino, quod est in tabernaculo testimonii. Omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim altaris holocausti in introitu tabernaculi. Et adipem vituli auferet pro peccato, tam eum qui viscera operit quam omnia quæ intrinsecus sunt: Duos renunculos, & reticulum quod est super eos iuxta ilia & adipem iecoris cum renunculis, sicut aufertur de vitulo hostiæ pacificorum: & adolebit ea super altare holocausti. Pellem vero & omnes carnes, cum capite & pedibus & intestinis & fimo, & reliquo corpore, efferet extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent: incendetque ea super lignorum struem, quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur. Quod si omnis turba Israel ignoraverit, & per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini est, & postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum, adducetque eum ad ostium tabernaculi. Et ponent seniores populi manus super caput eius coram Domino, Immolatoque vitulo in conspectu Domini, inferet Sacerdos, qui unctus est, de sanguine eius in tabernaculum testimonii, tincto digito adspergens septies contra velum. Ponetque de eodem sanguine in cornibus altaris, quod est coram Domino in tabernaculo testimonii: reliquum autem sanguinem fundet iuxta basim altaris holocaustorum, quod est in ostio tabernaculi testimonii. Omnemque eius adipem tollet, & adolebit super altare: Sic faciens & de hoc vitulo quomodo fecit & prius: & rogante pro eis Sacerdote, propitius erit eis Dominus. Ipsum autem vitulum efferet extra castra, atque comburet sicut & priorem vitulum: quia est pro peccato multitudinis. *Eadem plane tradunt versus sequentes.*

v. 1. Si peccaverit anima, & audierit vocem iurantis, testisque fuerit quod aut ipse vidit, aut conscius est: nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam. Anima, quæ tetigerit aliquid immundum, sive quod occisum a bestia est, aut per se mortuum, aut quodlibet aliud reptile: & oblita fuerit immunditiæ suæ, rea est, & deliquit. Et si tetigerit quidquam de immunditia hominis iuxta omnem impuritatem qua pollui solet, oblitaque cognoverit postea, subiacebit delicto. Anima, quæ iuraverit, & protulerit labiis suis, ut vel male quid faceret, vel bene, & idipsum iuramento & sermone firmaverit, oblitaque postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato, & offerat de gregibus agnam sive capram, orabitque pro ea Sacerdos & pro peccato eius: Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino, unum pro peccato, & alterum in holocaustum, dabitque eos Sacerdoti: qui primum offerens pro peccato, retorquebit caput eius ad pennulas, ita ut collo hæreat, & non penitus abrumpatur. Et adsperget de sanguine eius parietem altaris. Quidquid autem reliquum fuerit, faciet distillare ad fundamentum eius, quia pro peccato est. Alterum vero adolebit in holocaustum, ut fieri solet: rogabit- Infer. xii. 8. Luc. ii. 24.

pro domibus infectis lepra, de quibus dicemus infra.

Qui cruentum sacrificium offerri pro se postulabat, is posita manu super caput victimæ ante ostium tabernaculi, victimam tradebat Sacerdoti, qui eam immolabat coram Domino ad altare Holocaustorum, offerebatque sanguinem eius fundens per altaris circuitum (D).

Si Sacerdos ipse vellet offerre pro se Sacrificium, adducebat victimam ad ostium tabernaculi, positaque manu super caput victimæ immolabat eam Domino, fundens & offerens sanguinem ut supra (E).

Si pro populo universo Sacrificium esset faciendum, adducebatur victima ante ostium tabernaculi, ponebantque seniores populi manus super caput victimæ, quam deinde Sacerdos immolabat, offerebatque fuso sanguine, ut supra (F).

Isthæc communia erant omnibus sacrificiis cruentis.

Hæc autem specialia singulis.

In Holocausto victima tota, ut diximus, imponebatur altari igne penitus absumenda, detracta prius pelle, quæ Sacerdotis in dominium veniebat. Ex huius victimæ carnibus non licebat comedere quidquam (G).

In Sacrificiis Eucharisticis, seu

---

que pro eo Sacerdos & pro peccato eius, & dimittetur ei. Quod si non quiverit manus eius duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato suo similæ partem ephi decimam. Non mittet in eam oleum, nec turis aliquid imponet, quia pro peccato est. Tradetqoe eam Sacerdoti: qui plenum ex ea pugillum hauriens, cremabit super altare, in monimentum eius qui obtulerit, rogans pro illo expians; reliquam vero partem ipse habebit in munere. Loqoutusqoe est Dominus ad Moysen, dicens: Anima, si prævaricans ceremonias, per errorem, in his quæ Domino sunt sanctificata, peccaverit, offerer pro delicto suo arierem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, iuxta pondus Sanctoarii: ipsumque quod intulit damni resritoet, & quintam partem ponet supra, tradens Sacerdoti, qui rogabit pro eo offerens arietem, & dimittetur ei. Anima si peccaverit per ignoranriam, feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur, & peccari rea intellexerit iniquitarem suam, offeret arietem immacolatum de gregibus Sacerdoti, iuxta mensuram æstimationemque peccati: qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit: & dimittetur ei, quia per errorem deliquit iu Dominum.

(D) Levit. I. 4. Ponetque manum super caput hosriæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens. Immolabitque vitulum coram Domino; & offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem eius, fundenres per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi.

III. 2. Ponetque manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi testimonii, fundentque filii Aaron Sacerdores sanguinem per altaris circoitum. *Cetera vide supra litt.* (B) *hocce*. §.

(E) Levit. IV. 4. Et (Sacerdos) adducet illum (vitulom) ad osrium tabernaculi testimonii coram Domino; ponetque manum super caput eius, & immolabit eum Domino.

(F) Levit. IV. 15. Et ponent seniores populi manus soper caput eius coram Domino. Immolatoque vitulo in conspectu Domini, inferat Sacerdos, qui unctus esr, de sanguine eius in tabernaculum testimonii, *&c supra litt.* (C) *hocce* §.

(G) Levit. I. I. Vocavit autem Moysen, & loquutus est ei Dominus de tabernaculo testimonii, dicens: Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est de bobus & ovibus offerens victimas, si holocaustum fuerit

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 4.

pacificis, itemque in Sacrificiis, quæ singuli pro suis peccatis offerri cupiebant, pars victimæ immolatæ imponebatur altari holocaustorum consumenda flammis: altera pars cremabatur extra castra: tertia pars reverenter & pie comedebatur, vel a solis Sacerdotibus, si Sacrificium oblatum esset pro peccato; vel & a populo, cui pars quoque Sacrificii comedenda tradebatur, si oblatum fuisset Sacrificium eucharisticum. Si Sacerdos ipse pro suo peccato Sacrificium offerret, nemo ex eo comedebat: sed quidquid non imponebatur altari comburendum, cremabatur extra castra (H).

Nefas erat offerri Sacrificium pro

---

eius oblatio, ac de armento; mascolum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum: Ponetque manum soper caput hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens. Immolabitque vitolum coram Domino, & offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem eius, fundentes per altaris circoitum, quod est ante ostium tabernaculi. Detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concident, & subiicient in altari ignem, strue lignorum ante composita: Et membra quæ sunt cæsa, desuper ordinantes, caput videlicet, & cuncta quæ adhærent iecori, intestinis, & pedibus lotis aqua: adolebitque ea Sacerdos super altare in holocaustum & suavem odorem Domino. Quod si de pecoribus oblatio est, de ovibus sive de capris holocaustum, masculum absque macula offeret: Immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad Aquilonem, coram Domino: sanguinem vero illius fundent super altare filii Aaron per circoitum: Dividentque membra, caput, & omnia quæ adbærent iecori: & ponent super ligna, quibus subiiciendus est ignis: Intestina vero & pedes lavabunt aqua. Et oblata omnia adolebit Sacerdos super altare, in holocaostom & odorem suavissimum Domino. Si autem de avibus bolocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus, aut pullis columbæ, offeret eam Sacerdos ad altare, & retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris: Vesiculam vero gutturis, & plumas proiiciet prope altare ad Orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent, confringetque ascellas eius, & non secabit, neque dividet ferro eam, & adolebit super altare, lignis igne supposito. Holocaostom est & oblatio suavissimi odoris Domino.

vii. 8. Sacerdos qui offert holocausti victimam, babebit pellem eius.

(H) Levit. vi. 1. Loquutus est Dominus ad Moysan, diceos: Anima quæ peccaverit, & contempto Domioo negaverit proximo suo depositum quod fidei eios creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, sive rem perditam invenerit, & inficians insuper peieraverit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines, convicta delicti, reddet omnia quæ per fraudem voluit obtinere, integra, & quintam insuper partem domino cui damnum intulerat: Pro Num. v. 7.
peccato autem suo offeret arietem immacolatum de grege, & dabit eum Sacerdoti, iuxta æstimationem mensuramque delicti: Qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur illi pro singulis quæ faciendo peccavit. Loquutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Præcipe Aaron & filiis eius: Hæc est lex holocausti: Cremabitur in altari tota nocte usque mane: ignis ex eodem altari erit. Vestietur tunica Sacerdos & feminalibus lineis: tolletque cineres quos vorans ignis exussit, & ponens iuxta altare, spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque aliis, efferet eos extra castra, & in loco mundissimo usque ad favillam consumi faciet. Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subiiciens ligna mane per singulos dies; & imposito holocausto, desuper adolebit adipes pacificorom. Ignis est iste perpetuus, qui numquam deficiet in altari. Hæc est lex sacrificii & libamentorum, qoæ offerent filii Aaron coram Domino, & coram altari. Tollet Sacerdos pugil-

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Ca. VII. §. 4.

lam similæ, quæ conspersa est oleo & totum tus, quod super similam positum est: adolebitque illud in altari, in monimentum odoris suavissimi Domino. Reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filiis suis, absque fermento: & comedet in loco sancto atrii tabernaculi. Ideo autem non fermentabitur, quia pars eius in Domini offertur incensum. Sanctum Sanctorum erit, sicut pro peccato atque delicto. Mares tantum stirpis Aaron comedent illud. Legitimum ac sempiternum erit in generationibus vestris de sacrificiis Domini. Omnis qui tetigerit illa sanctificabitur. Loquutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Hæc est oblatio Aaron, & filiorum eius, quam offerre debent Domino in die unctionis suæ. Decimam partem ephi offerent similæ in sacrificio sempiterno, medium eius mane, & medium eius vespere: quæ in sartagine oleo conspersa frigetur. Offeret autem eam calidam in odorem suavissimum Domino, Sacerdos, qui iure patri successerit, & tota cremabitur in altari. Omne enim sacrificium Sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo. Loquutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: Loquere Aaron & filiis eius: Ista est lex hostiæ pro peccato: In loco ubi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino. Sanctum sanctorum est. Sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi. Quidquid tetigerit carnes eius, sanctificabitur. Si de sanguine illius vestis fuerit adspersa, lavabitur in loco sancto. Vas autem fictile, in quo cocta est, confringetur. Quod si vas æneum fuerit, defricabitur, & lavabitur aqua. Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus eius, quia Sanctum sanctorum est. Hostia enim quæ cæditur pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonii ad expiandum in Sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni.

Sup. iv. 5 Hebr. xiii. 12.

VII. 1 Hæc quoque lex hostiæ pro delicto, Sancta sanctorum est; Idcirco ubi immolabitur holocaustum, mactabitur & victima pro delicto: sanguis eius per gyrum altaris fundetur: Offerent ex ea caudam & adipem qui operit vitalia; duos renunculos, & pinguedinem quæ iuxta ilia est, reticulumque iecoris cum renunculis. Et adolebit ea Sacerdos super altare: incensum est Domini pro delicto. Omnis masculus de sacerdotali genere, in loco sancto vescetur his carnibus, quia sanctum sanctorum est. Sicut pro peccato offertur hostia, ita & pro delicto: utriusque hostiæ lex una erit: ad Sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit. Sacerdos qui offert holocausti victimam, habebit pellem eius. Et omne sacrificium similæ, quod coquitur in clibano, & quidquid in craticula, vel in sartagine præparatur, eius erit Sacerdotis a quo offertur: Sive oleo conspersa, sive arida fuerint, cunctis filiis Aaron mensura æqua per singulos dividetur. Hæc est lex hostiæ pacificorum quæ offertur Domino. Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento conspersos oleo, & lagana azyma uncta oleo, coctamque similam, & collyridas olei admistione conspersas. Panes quoque fermentatos cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis: ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino, & erit Sacerdotis qui fundet hostiæ sanguinem. Cuius carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam usque mane. Si voto, vel sponte quispiam obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die; sed & si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est; Quidquid autem tertius invenerit dies, ignis assumet. Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti; quin potius quæcumque anima tali se edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit. Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igni; qui fuerit mundus, vescetur ex ea. Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis. Et quæ tetigerit immunditiam hominis, vel iumenti, sive omnis rei, quæ polluere potest, & comederit de huiusmodi carnibus, interibit de populis suis. Loquutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel; Adipem ovis, & bovis, & capræ non comedetis. Adipem cadaveris morticini, & eius animalis quod a bestia captum est, habebitis in varios usus. Si quis adipem, qui offerri debet in incensum Domini comederit, peribit de populo suo. Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo, tam de avibus quam de pecoribus. Omnis anima, quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis. Loquutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere

peccato, quin simul offerretur holocaustum. Vulgo præibat holocaustum (I).

Si Sacrificium offerendum esset pro Pontifice, qui delinquens peccare fecisset populum; vel pro ignorantiis totius multitudinis; hauriebat Pontifex de victimæ immolatæ sanguine, ingressusque sanctum cum sanguine, adspergebat de eo septies contra velum quo sanctum sanctorum a sancto distinguebatur; ponebatque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis; reliquum autem sanguinis effundebat iuxta basim altaris Holocaustorum (K).

In sollemni Sacrificio quod semel in anno offerebat Pontifex pro sua populique ignorantia, & pro tabernaculi expiatione, Pontifex haustum sanguinem victimarum inferebat in sancta sanctorum, tollensque de earum sanguine adspergebat digito septies contra propitiatorium ad Orientem, ut dicemus infra fusius, ubi de Sacrificio Hirci emissarii (L).

Soli Pontifici licitum erat inferre

---

filiis Israel, dicens: Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat simul & sacrificium, id est, libamenta eius. Tenebit manibus adipem hostiæ, & pectusculum: Cumque ambo oblata Domino consecraverit, tradet Sacerdoti, qui adolebit adipem super altare, pectusculum autem erit Aaron & filiorum eius Armus quoque dexter de pacificorum hostiis cedet in primitias Sacerdotis. Qui obtulerit sanguinem & adipem, filiorum Aaron, ipse habebit & armum dextrum in portione sua. Pectusculum enim elevationis, & armum separationis tuli a filiis Israel de hostiis eorum pacificis, & dedi Aaron Sacerdoti, & filiis eius lege perpetua ab omni populo Israel. Hæc est unctio Aaron & filiorum eius in ceremoniis Domini die, qua obtulit eos Moyses, ut sacerdotio fungerentur, & quæ præcepit eis dari Dominus a filiis Israel religione perpetua in generationibus suis.

(I) LEVIT. XII 6. Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ pro filio, sive pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ sive turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii, & tradet Sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & sic mundabitur a profluvio sanguinis sui. Ista est lex parientis masculum aut feminam. Quod si non invenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccato: orabitque pro ea Sacerdos, & sic mundabitur. *Lev. v. 11. Luc. 11. 24.*

XIV. 2 Hic est ritus leprosi, quando mundandus est: Adducetur ad Sacerdotem... Et lotis rursum vestibus, & corpore, die octavo assumet duos agnos immaculatos, & ovem anniculam absque macula, & tres decimas similæ in sacrificium, quæ conspersa sit oleo, & seorsum olei sextarium. Cumque Sacerdos purificans hominem, statuerit eum, & hæc omnia coram Domino in ostio tabernaculi testimonii, tollet agnum & offeret eum pro delicto, oleique sextarium; & oblatis ante Dominum omnibus, immolabit agnum, ubi solet immolari hostia pro peccato, & holocaustum, id est, in loco sancto. Sicut enim pro peccato, ita pro delicto ad sacerdotem pertinet hostia: Sancta sanctorum est... Quod si pauper est, & non potest manus eius invenire quæ dicta sunt, pro delicto assumet agnum ad oblationem, ut roget pro eo Sacerdos, decimamque partem similæ conspersæ oleo in Sacrificium, & olei sextarium, duosque turtures sive duos pullos columbæ, quorum unus sit pro peccato, & alter in holocaustum... Et turturem sive pullum columbæ offeret, unum pro delicto, & alterum in holocaustum cum libamentis suis. *Levit. v. 11. XII. 8. Luc. 11. 24.*

XVI 3. & 5. *Vide infra litt.* (L) *hocce* §.

(K) LEVIT. IV. 1. *Vide supra hocce* §. *litt.* (C)

(L) LEVIT. XVI. 1. Locutusque est Dominus ad Moysen post mortem duorum *Levit. x. 2.*

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 4.

sanguinem victimarum in sancta. Huic uni fas erat intrare in sancta sanctorum, idque semel in anno solum, nec sine sanguine victimarum.

Quorum autem animalium inferebatur sanguis pro peccato in sancta, vel in sancta sanctorum per Pontificem, de horum carnibus nemini comedere licebat; sed quidquid non incendebatur super altare holocaustorum, totum id cremabatur extra castra(M).

Exod. xxx. 10. *Hebr.* ix. 7. filiorum Aaron, quando offerentes ignem alienum interfecti sunt: & præcepit ei, dicens: Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur sanctuariom, quod est intra velum coram propitiatorio qoo tegitur arca ut non moriatur (quia in nube apparebn super tabernaculum,) nisi hæc ante fecerit: Vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocaustum. Tunica linea vestietur, feminalibos lineis verenda celabit: accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti: hæc enim vestimenta sunt sancta: quibos cunctis, cum lotus fuerit, induetur. Suscipietque ab universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, & unum arietem in holocaustum. Cumque obtulerit vitulum, & oraverit pro se & pro domo sua, duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonii: Mittensque super utrumque sortem, unam Domino, & alteram capro emissario: Cuius exierit sors Domino, offeret illum pro peccato: Cuius autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eo, & emittat eum in solitudinem. His rite celebratis, offeret vitulum, & rogans pro se & pro domo sua, immolabit eum: Assumptoque turibulo, quod de prunis altaris impleverit, & hauriens manu compositum thymiama in incensum, ultra velum intrabit in sancta: ot positis super ignem aromatibus, nebula eorum & vapor operiat oraculum, quod est supra testimonium, & non moriatur. Tollet quoque de sanguine vituli, & adsperget digitos septies contra propitiatorium ad Orientem. Cumque mactaverit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem eius intra velum, sicut præceptum est de sanguine vituli, ut adspergat e regione oraculi. Et expiet Sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel, & a prævaricationibus eorum, cunctisqoe peccatis. Iuxta hunc ritum faciet tabernaculo testimonii, quod fixum est inter eos in medio sordium habitationis eorum. Nullus hominum sit in tabernaculo quando Pontifex Sanctuarium ingreditur, ut roget pro se & pro domo sua, & pro universo cœtu Israel, donec egrediatur. Cum autem exierit ad altare quod coram Domino est, oret pro se, & sumptum sanguinem vituli atque hirci fundat super cornua eius per gyrum: Adspergensque digito septies expiet, & santificet illud ab immunditiis filiorum Israel. Postquam emundaverit sanctuarium, & tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum viventem: & posita utraque manu super caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel; & universa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti eius, emittet illum per hominem paratum, in desertum. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, & dimissus fuerit in deserto, revertetur Aaron in tabernaculum testimonii, & depositis vestibus, quibus prios indutus erat cum intraret sanctuarium, relictisque ibi, lavabit carnem suam in loco sancto, indueturque vestibus suis. Et postquam egressus obtulerit holocaustum suum, ac plebis, rogabit tam pro se, quam pro populo: & adipem, qui oblatus est pro peccatis, adolebit super altare. Ille vero, qui dimiserit caprum emissarium, lavabit vestimenta sua & corpus aqua, & sic ingredietur in castra. Vitolom autem & hircum, qui pro peccato fuerant immolati, & quorum sanguis illatus est in sanctuarium ut expiatio compleretur, adsportabunt foras castra, & comburent igni tam pelles quam carnes eorom ac fimum. Et quicumque combusserit ea, lavabit vestimenta sua & carnem aqua, & sic ingredietur in castra... Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, ut oretis pro filiis Israel, & pro cunctis peccatis eorum semel in anno. *Hebr.* xiii. 11.

Hebr. ix. *Vide super. §. litt.* (B)

(M) Levit. vi. 30. Hostia enim quæ

In Sacrificiis pro peccato ſingulorum, non intrabat Sacerdos in Sancta; ſed tincto digito in ſanguine victimæ, tangebat cornua altaris holocauſti, fundebatque reliquum ſanguinem ad baſim altaris.

In ſacrificiis euchariſticis hoſtiæ pacificorum, nec inferebatur in ſancta ſanguis victimarum, nec earum ſanguine intingebantur cornua altaris (N).

Et hæc quidem lex erat cruentorum Sacrificiorum. At ſpeciales erant ritus conſtituti pro ſollemni ſacrificio vaccæ rufæ.

Adducenda erat vacca rufa ætatis integræ, in qua nulla eſſet macula, quæ non portaſſet iugum. Hanc acceptam de manu populi Pontifex educebat extra caſtra, id eſt extra urbem, poſtquam Iſraelitæ adepti ſunt poſſeſſionem terræ promiſſæ, immolabatque in conſpectu omnium, & tingens digitum in ſanguine eius adſpergebat contra fores tabernaculi ſeptem vicibus, & comburebat eam cunctis videntibus, tam pelle & carnibus eius quam ſanguine & fimo flammæ traditis: lignum quoque cedrinum & hyſſopum coccumque bis tinctum Sacerdos mittebat in flammam, quæ vaccam vorabat (O), & tunc demum lotis veſtibus & corpore ſuo ingrediebatur in caſtra, commaculatuſque erat uſque ad veſperam: ſed & ille qui iuſſu Sacerdotis combuſſerat victimam, lavare tenebatur veſtimenta & corpus, & immundus erat uſque ad veſperum. Cuſtodiebantur autem per totum annum vaccæ cineres in loco mundo extra caſtra, ut mixti cum aqua luſtrali ſervirent expiationibus: neque enim expiari quidquam iure poterat ſine aqua luſtrali mixta cum illis cineribus (P).

---

cæditur pro peccato, eius ſanguis infertur in tabernaculum teſtimonii ad expiandum in ſanctuario, non comedetur, ſed comburetur igni.

XVI. 27. *Vide litt. ſuper.*

HEBR. XIII. 11. Quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in ſancta per pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra.

(N) LEVIT. IV. 25. Tinget Sacerdos digitum in ſanguine hoſtiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocauſti, & reliquum fundens ad baſim eius... Tolletque Sacerdos de ſanguine in digito ſuo: & tangens cornua altaris holocauſti, reliquum fundet ad baſim eius... Sumetque Sacerdos de ſanguine eius digito ſuo, & tangens cornua altaris holocauſti, reliquum fundet ad baſim eius.

(O) *Plurimi Scripturæ ſacræ interpretes autumant* ex hyſſopo & coccino ligno cedrino iunctis aſpergillum confectum fuiſſe, nec iniectum in ignem ut combureretur, ſed tantum per flammas ad illius expiationem ſanctificationemque tranſmiſſum fuiſſe. *Ad id comprobandum unius* Ianſenii *teſtimonium hic exſcribam, ceteros, ſi lubet, conſule.*

IANSENIUS Iprenſis Epiſcop. *in* XIX. *Num.* 6 *Lignum quoque cedrinum*, &c. mittet in flammam ſive comburendi cauſſa, ut cineres eorum cum cineribus vaccæ mixti immundos expiarent; ſive tantum per flammam traducendo, purgandi ergo, ut ex eis fieret aſpergillum, quemadmodum alii probabilius putant, ad adſpergendam aquam; nam hyſſopus ligno cedrino per filum coccineum videtur fuiſſe alligata, ut inſinuari videtur verſ. 18.

(P) NUMERO. XIX. 2. Loquutuſque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron, dicens: Iſta eſt relligio victimæ quam conſtituit Dominus. Præcipe filiis Iſrael, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua ſit nulla macula, nec portaverit iugum: Tradetiſque eam Eleazaro Sacerdoti. Qui eductam extra caſtra, immolabit in conſpectu omnium: Et tingens digitum in ſanguine eius, adſperget contra fores tabernaculi ſeptem vicibus, Hebr. XIII. 11.

De ritu expiationis domorum lepra infectorum, quod erat aliud Sacrificii genus ex parte cruentum, dicemus infra commodius.

I. Cum in Sacrificiis eucharisticis pars victimarum comedenda esset a populo, cur & in sacrificiis pro peccato non poterat populus vesci carnibus victimarum?

R. Quia mundum oportebat esse eum qui victimis immolatis vescebatur; at immundus censebatur is, pro cuius peccato sacrificium offerri necesse fuerat. Ideoque in sacrificiis quæ pro sui ipsius peccato quilibet Sacerdos offerebat, & in sollemni sacrificio quod offerebat semel in anno summus Pontifex pro sua & populi ignorantia, & pro tabernaculi expiatione nefas erat, quemquam vesci carnibus hostiarum; sed quidquid igni non suppositum fuerat in altari holocaustorum, totum id extra castra cremabatur (Q).

I. Quæ erant Sacrificia incruenta?

R. Triplicis ea generis erant.

1. Sacrificium Similæ.

2. Sacrificium Hirci emissarii, qui Hebræo nomine Hircus *Hazazel* dicebatur.

---

comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle & carnibus eius, quam sanguine & fimo flammæ traditis. Lignum quoque cedrinum, & hyssopum, coccumque bis tinctum Sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat. Et tunc demum, lotis vestibus, & corpore suo, ingredietur in castra, commaculatusque erit usque ad vesperum. Sed & ille qui combusserit eam, lavabit vestimenta sua, & corpus, & immundus erit usque ad vesperum. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam, & in aquam adspersionis: quia pro peccato vacca combusta est. Cumque laverit, qui vaccæ portaverat cineres, vestimenta sua, immundus erit usque ad vesperum. Habebunt hoc filii Israel, & advenæ qui habitant inter eos, sanctum iure perpetuo. Qui tetigerit cadaver hominis, & propter hoc septem diebus fuerit immundus: Adspergetur ex hac aqua die tertio, & septimo, & sic mundabitur. Si die tertio adspersus non fuerit, septimo non poterit emundari. Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum, & adspersus hac commistione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, & peribit ex Israel: quia aqua expiationis non est adspersus, immundus erit, & manebit spurcitia eius super eum. Ista est lex hominis qui moritur in tabernaculo: Omnes qui ingrediuntur tentorium illius, & universa vasa quæ ibi sunt polluta erunt septem diebus. Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit. Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel sepulcrum, immundus erit septem diebus. Tollentque de cineribus combustionis atque peccati, & mittent aquas vivas super eos in vas. In quibus cum homo mundus tinxerit hyssopum, adsperget ex eo omne tentorium, & cunctam supellectilem, & homines huiuscemodi contagione pollutos: atque hoc modo mundus lustrabit immundum tertio & septimo die. Expiatusque die septimo, lavabit & se & vestimenta sua, & immundus erit usque ad vesperum. Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ: quia sanctuarium Domini polluit, & non est aqua lustrationis adspersus. Erit hoc præceptum legitimum sempiternum. Ipse quoque qui adspergit aquas, lavabit vestimenta sua. Omnis qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit usque ad vesperum. Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet: & anima quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit usque ad vesperum.

(Q) Levit. iv. 11. & 12. *Vide supra hocce §. litt.* (C) vi. 23. & 30. *Vide supra hocce §. litt.* (H)

3. Sacrificium Passeris in libertatem emissi.

His addi potest appendicis loco sacrificium Turis & Thymiamatum, & libamina vini quæ singulis sacrificiis miscebantur.

I. Quo ritu fiebat Sacrificium similaginis?

R. Hoc triplici ritu fieri poterat.

1. Acceptam quis similam offerebat, adspergebatque super eam oleum, & ponebat tus: deferebatque ad Sacerdotes, quorum unus sumebat pugillum similæ & olei, & totum tus, ponebatque super altare holocaustorum concremandum: quod autem reliquum erat de sacrificio, Sacerdotum erat.

2. Fiebant de simila absque fermento panes conspersi oleo, vel lagana oleo lita: offerebantur Domino, tradebantur deinde Sacerdoti, qui partem ponebat super altare holocaustorum, reliquum sibi sumebat.

3. Aqua subactæ sine fermento farinæ massa conspersa oleo sartagine vel craticula torrebatur; minutatimque divisa conspergebatur iterum oleo: tum offerebatur Domino, tradebaturque Sacerdoti, qui cum obtulisset eam, partem adolebat super altare, reliquum sumebat sibi (R).

I. Quid erat Sacrificium Hirci emissarii, quem *Hazazel* vocabant?

R. In die sollemni expiationis, quo Pontifex ingressurus erat in sancta sanctorum, Pontifex sumebat sibi vitulum pro peccato, & arietem in holocaustum offerendos. Deinde induebatur vestibus sacris, quæ propriæ erant Sacerdotum inferioris ordinis: quibus indutus suscipiebat ab universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, & unum arietem in holocaustum. Cumque fecisset primam oblationem vituli pro suo peccato sacrificandi, & orasset pro se, & pro domo sua, duos hircos stare faciebat coram Domino in ostio tabernaculi, mittensque super utrumque sortem, unam Domino, & alteram capro emissario; cuius exiisset sors Domino, offerebat illum pro peccato; cuius autem in caprum emissarium, statuebat eum vivum coram Domino, ut funderet preces super eo, & emitteret eum in solitudinem, ut dicetur infra. His rite celebratis offerebat iterum vitulum, rogans pro se & pro domo sua; &

XVI. 27. *Vide supr. hocce §. litt.* (L)

HEBR. XIII. 11. *Vide supra hocce §. litt.* (M)

(R) LEVIT. II. 1. Anima cum obtulerit oblationem sacrificii Domino, simila erit eius oblatio: fundetque super eam oleum, & ponet tus, ac deferet ad filios Aaron Sacerdotes: quorum unus tollet pugillum plenum similæ & olei, ac totum tus, & ponet memoriale super altare in odorem suavissimum Domino.
Eccli. VII. 34. Quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron & filiorum eius, Sanctum sanctorum de oblationibus Domini. Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano: de simila, panes scilicet absque fermento, conspersos oleo, & lagana azyma oleo lita Si oblatio tua fuerit de sartagine similæ conspersæ oleo, & absque fermento, divides eam minutatim, & fundes super eam oleum. Sin autem de craticula fuerit sacrificium, æque simila oleo conspergetur: Quam offerens Domino, trades manibus Sacerdotis. Qui cum obtulerit eam, tolles memoriale de sacrificio, & adolebit super altare in odorem suavitatis

immolabat eum. Tum assumpto turibulo, quod implebat de prunis altaris holocausti, haustoque manu thymiamate intrabat in sancta sanctorum; ut positis super ignem aromatibus nebula eorum, & vapor operiret oraculum: tollebat quoque de sanguine vituli, & adspergebat digito septies contra propitiatorium ad Orientem. Postea egressus e tabernaculo mactabat hircum pro peccato populi; assumptoque sanguine eius intrabat rursus in sancta sanctorum, ut adspergeret de sanguine hirci septies sicut adsperserat prius de sanguine vituli. Dein exibat in sancta, stansque ad altare thymiamatis orabat pro se, & sumptum sanguinem vituli, atque hirci fundebat super cornua eius per gyrum; adspergensque digito septies expiabat & sanctificabat ab immunditiis filiorum Israel.

Postquam autem emundaverat sanctuarium & tabernaculum & altare, tunc offerebat Deo hircum viventem; & posita utraque manu super caput eius, confitebatur omnes iniquitates filiorum Israel, & universa peccata eorum, quæ imprecans capiti eius, emittebat illum per hominem paratum in desertum: cumque portasset hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, & dimissus fuisset in desertum, revertebatur Pontifex in tabernaculum testimonii; & depositis vestibus, quibus prius indutus erat cum intraret in sanctuarium, hoc est, vestibus quæ propriæ erant Sacerdotum inferioris ordinis, lavabat carnem suam in loco sancto, & induebatur vestibus Pontificalibus, quibus indutus, offerebat tam suum quam populi holocaustum, rogabatque tam pro se quam pro populo: & adipem victimarum quæ oblatæ fuerant pro peccato, & quarum sanguis illatus fuerat in sancta sanctorum, adolebat super altare; harum autem corpora asportabantur extra castra cum sua pelle concremanda (S).

I. Quid erat sacrificium passeris in libertatem missi?

R. Si quæ domus infecta fuisset lepra, purificabat eam Sacerdos post redditam huic domui sanitatem. In purificationem autem eius, sumebat duos passeres lignumque cedrinum & vermiculum atque hyssopum: Et immolato uno passere in vase fictili super aquas vivas, tollebat lignum cedrinum, & hyssopum, & coccum, & passerem vivum; & tingebat omnia in sanguine passeris immolati, atque in aquis viventibus, & adspergebat domum septies, purificabatque eam tam in sanguine passeris quam in aquis viventibus & in passere vivo, lignoque cedrino & hyssopo atque vermiculo: cumque dimisisset passerem vivum avolare in agrum libere, orabat pro domo, quæ sic iure mundata censebatur (T).

Domino. Quidquid autem reliquum est, erit Aaron & filiorum eius, Sanctum Sanctorum de oblationibus Domini.

(S) Levit. xvi. 1. *Vide supra hocce §. litt.* (L)

(T) Levit. xiv. 48. Quod si introiens Sacerdos viderit lepram non crevisse in domo, postquam denuo lita fuerit, purificabit eam reddita sanitate: Et in purificationem eius sumet duos passeres, li-

Digitized by Google

Nota hoc sacrificium sicut & sacrificium vaccæ rufæ non in altari holocaustorum fieri debuisse; idque præter morem in ceteris omnibus sacrificiis præscriptum.

I. Quo ritu fiebat sacrificium turis & thymiamatum?

R. Ex thymiamate iussu Dei composito, ponebatur quotidie incensum a Sacerdote super altare, quod thymiamatum dicebatur, ut thymiamatis incensi fumus ascenderet coram Deo in odorem suavitatis (V).

I. Quid intelligis per libamina quæ singulis Sacrificiis miscebantur?

R. Libaminis seu libationis nomine intelligitur sacra liquoris effusio, quæ ipsa effusione Deo offertur. Sermone autem in Scripturis trito, libaminum seu libamentorum nomine designabatur quidquid per modum accessorii adhibebatur in sacrificiis; nimirum simila, oleum, vinum, sal & tus. Hæc omnia per modum libaminis accedebant omnibus sacrificiis: tuncque tota libamina cremabantur (X). Cum autem hæc per se sola offerebantur in sacrificium, ut de simila oleo mixta diximus, tunc parte modica in altari cremata, reliquum cedebat in Sacerdotem.

I. Quid considerandum in illis

---

gnumque cedrinum, & vermiculum atque hyssopum: Et immolato uno passere in vase fictili super aquas vivas, tollet lignum cedrinum & hyssooum, & coccum, & passerem vivum, & tinget omnia in sanguine passeris immolati, atque in aquis viventibus, & adsperget domum septies, purificabitque eam tam in sanguine passeris quam in aquis viventibus, & in passere vivo, lignoque cedrino & hyssopo atque vermiculo. Cumque dimiserit passerem avolare in agrum libere, orabit pro domo, & iure mundabitur.

(V) Exod. xxx. 1. *&c. Vide supra huiusce sect. c. 6. §. 4. litt.* (D)

(X) Genes. xxxv. 14. Ille (Israel) vero erexit titulum lapideum in loco, quo loquutus fuerat ei Deus: libans super eum libamina, & effundens oleum.

Exod. xxix. 40. Decimam partem similæ conspersæ oleo tuso, quod habeat mensuram quartam partem hin, & vinum ad libandum eiusdem mensuræ (*offeres in altari in unoquoque agno mane, & vespere offerendo.*)

Levit. vii 29. ... Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat simul & sacrificium, id est, libamenta eius.

ix. 17. Addens in sacrificio libamenta, quæ pariter offeruntur, & adolens ea super altare.

xiv 30 & 31 *Vide supra hocce §. litt.* (I)

xxiii. 12. Atque in eodem die, quo manipulus consecratur, cæderur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domini. Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ similæ conspersæ oleo in incensum Domini, odoremque suavissimum: liba quoque vini, quarta pars hin.

Numeror. vi. 17. Arietem vero immolabit hostiam pacificam Domino, offerens simul canistrum azymorum; & libamenta, quæ ex more debentur.

xv. 4. Offeret, quicumque immolaverit victimam, sacrificium similæ, decimam partem ephi, conspersæ oleo, quod mensuram habebit quartam partem hin: & vinum ad liba fundenda eiusdem mensuræ dabit in holocaustum, sive in victimam. Per agnos singulos, & arietes erit sacrificium similæ duarum decimarum, quæ conspersa sit oleo tertiæ partis hin: & vinum ad libamentum tertiæ partis eiusdem mensuræ offeret in odorem suavitatis Domino. Quando vero de bobus feceris holocaustum aut hostiam, ut impleas votum vel pacificas victimas, dabis per singulos boves similæ tres decimas conspersæ oleo, quod habeat medium mensuræ hin: & vinum ad liba fundenda eiusdem mensuræ in oblationem suavissim odoris Domino... Quod si per ignorantiam præterierit is quidquam horum, quæ loquutus est Dominus ad Moysen, & mandavit per eum ad vos a die, qua cœpit iubere & ultra, oblitaque fuerit facere multitudo; offeret vitulum de

sacrificiis, ut eorum habeatur cognitio omnimoda?

R. Octo præcipue consideranda sunt.

1. Cui Sacrificium offerretur, nempe Deus.

2. Quæ victima vel hostia offerretur. Hæc autem victima, 1. eligebatur inter alias eiusdem speciei res ad sacrificium, eaque electione a profano usu separata benedicebatur quodammodo, & sanctificabatur: 2. offerebatur Deo: 3. immolabatur: 4. incendebatur vel tota, vel ex parte: 5. quidquid non tradebatur flammis, id comedebatur.

3. Habenda ratio Sacerdotis, qui victimam offerebat Deo, immolabat, flammis tradebat, & de carnibus eius comedebat, si comedendum foret.

4. Habenda ratio populi, qui sacrificium offerebat per manus sacerdotis, & sacrificio communicabat vel corporaliter, suam partem comedendo de victimis, ut fiebat in sacrificiis eucharisticis; vel spiritualiter, coniungendo se mente & spiritu cum victimis, quibus vesci non licebat.

5. Considerandi ritus quibus varia isthæc Sacrificia constant, de quibus satis superque diximus, quantum pertinet ad nostrum institutum.

6. Attendendum templum & altare his Sacrificiis destinatum.

Hæc fuſius §. 2. huiuſce c. 7. Habenda ratio finis & intentionis cuiuscumque sacrificii. Quadruplex autem esse poterat sacrificiorum finis, iuxta quem quatuor sacrificiorum genera distinguebantur. Aliud erat latreuticum, aliud eucharisticum, aliud impetratorium, aliud propitiatorium. Latreuticum ideo offerebatur, ut summus latriæ cultus exhiberetur Deo, supremumque illius in res omnes dominium significaretur. Impetratorium offerebatur ad impetranda bona, & auxilia ad salutem corporis & animæ necessaria. Eucharisticum fiebat in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. Propitiatorium, ad obtinendam remissionem peccatorum.

8. Investigandum attentius, quid veteribus illis sacrificiis tanto apparatu celebratis significaretur; maxime cum isthæc omnia temporis præsentis figuram fuisse tradat Apostolus. *Hebr. ix. 9.* Hoc sequentibus paragraphis prosequemur.

§. 5. *Cuius rei typus essent Sacrificia ante Moysen oblata, maxime vero sacrificium Melchisedech.*

I. Quæ erat utilitas istorum omnium Sacrificiorum?

R. Hæc eorum utilitas fuit, ut diximus: *Huiuſce cap. §. 2.*

1. Ut hoc exteriori ritu, significarent homines, quomodo essent interius affecti erga Deum, exhiberentque supremo Numini cultum externum.

2. Ut his sacrificiis adumbrarent magnum illud sacrificium oblatum a Christo super crucem, continuatumque, & in terris per totam Ecclesiam super altare Eucharisticum,

armento, holocaustum in odorem suavissimum Domino, & sacrificium eius ac liba, ut ceremoniæ postulant, hircumque pro peccato.

Hebr. IV. 14. Vide §. 3. huius cap. & in cælis per illum ipsum *Pontificem magnum, qui penetravit cælos*, ut ait Apostolus (A).

I. Singula sacrificia erantne eiusdem rei typus?

R. Nimirum imperfecta illa erant, ut singula possent totum Christi sacrificium exprimere, & tot ac tanta adumbrare mysteria. Adeoque hæc partem unam, illa partem alteram tantorum mysteriorum significando exhibebant (B).

I. Cuius rei typus erant sacrificia cruenta pecorum vel volatilium occisorum?

R. Typus erant Christi in cruce immolandi. Hinc Christus dicitur Apocal. XIII. 8. in Apocalypsi: *Agnus occisus ab origine mundi*. Occisus quippe fuit aliquo sensu in singulis victimis ab origine mundi mactatis: siquidem non nisi mortis & sanguinis illius merito & intuitu vim & efficaciam habere, & acceptæ Deo esse poterant veteres illæ victimæ, quotquot ante Christi mortem fuerunt a mundi principio immolatæ. Vide §. 3. huius cap.

I. Cuius rei typus erat panis & vini sacrificium oblatum a Sacerdote Melchisedech?

R. Typus erat magni illius & incruenti sacrificii, quod Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech Christus Dominus erat per totum orbem oblaturus sub speciebus panis & vini (C).

(A) Hebr. IX. *Vide superius §. 3. huiusce cap. litt.* (B)

S. August. *Lib.* 10. *de civit. Dei, c.* 5. *Vide supra huiusce cap §.* 1. *litt.* (F) *Cap.* 20. *Vide superius huiusce cap. §.* 3. *litt.* (A)

(B) S. August. *ubi supra. Consule etiam quæ de his dicentur §. sequenti.*

(C) S. Cypr. *Epist.* 63. Item in Sacerdote Melchisedech sacrificii Dominici sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod Scriptura divina testatur & dicit: *Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum.* (Genes. XIV. 18.) Fuit autem Sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchisedech typum Christi portaret: declarat in Psalmis Spiritus sanctus ex persona Patris ad Filium dicens: *Ante Luciferum genui te: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* (Ps. CIX. 4. & 5.) Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, & inde descendens; quod Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit; quod panem & vinum obtulit; quod Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Iesus Christus? qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.... Ut ergo in Genesi per Melchisedech Sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, præcedit ante imago sacrificii Christi, in pane & vino scilicet constituta; quam rem perficiens, & adimplens Dominus, panem, & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit.

Euseb. *lib.* 5. *Demonst. Evangel. cap.* 3. *pag.* 333. Secundum ordinem Melchisedech Sacerdotem constitui illum (Iesum) ait (David,) ut ab eo differat, (Hebr. VII. 2. & seq.) qui secundum Mosis constitutionem erat Sacerdos.... Qui Melchisedech est nominatus, quod nomen in linguam nostram conversum, Regem iustitiæ significat; & qui fuit Rex Salem, quod ipsum item sit, Rex pacis; sine patre, sine matre, sine generis serie, non habens in historia, neque initium dierum, neque vitæ finem, ac ne referens quidem cum Aaron Sacerdotii ritu commune quicquam invenitur. Nam neque ab hominibus electus fuerat, neque oleo composito unctus, neque de genere illorum editus qui nondum extiterant: & quod omnium maxime admirabile est, ne corpore quidem erat circumcisus, & tamen ipsi Abraham benedicit, tamquam is qui illo sit longe præstantior. Adde quod neque sacrificiis, neque libationibus altissimo Deo operabatur,

Pars III. Sect. II. Cap VII. §. 5.

neque vero in templo quod Hierosolymis esset, suum munus obibat.... Quoniam igitur neque a tempore Sacerdotis initium accepit, neque de tribu Sacerdotum exortus est Christus, neque artificiose instructo corporalique oleo iunctus, ne finem quidem ullum Sacerdotii est habiturus, neque item solis Iudæis, sed omnibus gentibus constituendus. Propter hæc omnia, merito illum a ministerio Aaron liberat, quod figuram gerebat, & secundum ordinem Melchisedech Sacerdotem futurum affirmat. Et sane oraculi exitus admirabilis ei qui contempletur, quemadmodum Salvator noster Iesus, qui est Christus Dei, ipsius Melchisedech ritu, ea quæ ad Sacerdotium in hominibus gerendom spectant, per suos ministros perficiat. Nam quemadmodum ille qui Sacerdos gentium erat, nusquam videtur sacrificiis corporalibus functus, sed vino solo & pane, dum ipsi Abraham benedicit; ita sane primus ipse Salvator ac Dominus noster, deinde qui ab ipso profecti sunt Sacerdotes in omnibus gentibus, spirituale secundum Ecclesiasticas sanctiones Sacerdotii munus obeuntes, vino ac pane, & corporis illius & salutaris sanguinis mysteria repræsentant, quæ sane mysteria Melchisedech tanto ante Spiritu divino cognoverat, & rerum futurarum imaginibus usus fuerat, sicut etiam Mosis Scriptura testatur, ubi ait: *Et Melchisedech rex Salem protulit panes & vinum. Erat autem Sacerdos Dei altissimi, & benedixit Abraham* (Genes. xiv. 18. & 19.)

S. Clemens Alexandr. *lib.* 4. *Stromatum, edit. in fol. an.* 1616. *Lugduni Batavor. pag.* 392. *mihi* 536. Melchisedech Rex Salem Sacerdos Dei altissimi, qui vinum & panem sanctificatum dedit nutrimentum, in typum Eucharistiæ....Vere ergo Salvator noster nos mysteriis initiat.

S. Hieron. *lib. quæst. Hebraic. in Genesim.* Quod autem ait: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: (Ps. cix. 4.) mysterium nostrum in verbo ordinis significatur: nequaquam per Aaron irrationalibus victimis immolandis, sed oblato pane & vino: idest, corpore & sanguine Domini Iesu.

Epist. critic. ad Evang. tom. 2 *pag.* 571 Omnes pene sancti & Patriarchæ & Prophetæ, in aliqua re figuram expresserunt Salvatoris. Sic & Melchisedech, eo quod Chananæus fuerit, & non de genere Iudæorum, in typum præcessisse Sacerdotio Filii Dei, de quo dicitur in centesimo nono Psalmo: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* (Ibid.) Ordinem autem eius multis modis interpretantur, quod solus & Rex fuerit & Sacerdos, & ante circumcisionem functus Sacerdotio: ut non gentes ex Iudæis, sed Iudæi a gentibus Sacerdotium acceperint: neque unctus oleo Sacerdotali, ut Moysi præcepta constituunt: sed oleo exultationis, & fidei puritate: neque carnis & sanguinis victimas immolaverit, & brutorum sanguinem animalium dextra susceperit; sed pane, & vino, simplici puroque sacrificio, Christi dedicaverit sacramentum.

Epist. 44 *alias* 17. *Paul. & Eustoch. ad Marcell.* Recurre ad Genesim, & Melchisedech regem Salem huius principem invenies civitatis: qui iam tunc in typo Christi panem, & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Salvatoris sanguine, & corpore dedicavit.

S. August. *Octoginta trium quæst. q.* 61. *num.* 2 *Ipse est etiam Sacerdos noster in æternum secundum ordinem Melchisedech*, (Ibid.) qui seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, & eius sacrificii similitudinem celebrandam in suæ passionis memoriam commendavit; ut illud quod Melchisedech obtulit Deo, (Genes. xiv. 18.) iam per totum orbem terrarum in Christi Ecclesia videamus offerri.

Lib. 16. *de civit Dei cap.* 22.... Sed (Ibid.) plane tunc benedictus est (Abraham) a Melchisedech, qui erat Sacerdos Dei excelsi: de quo in Epistola, quæ inscribitur ad Hebræos .... (Hebr. vii. 1.) multa & magna conscripta sunt. Ibi quippe primum apparuit sacrificium, quod nunc a Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud quod longe post hoc factum per Prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat adhuc venturus in carne: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*; (Ps. cix. 4.) non scilicet secundum ordinem Aaron: qui ordo fuerat auferendus illucescentibus rebus, quæ illis umbris prænotabantur.

Lib. 17. *cap.* 20. *num.* 2. *Vide §. seq. litt.* (B.

Lib 18. *cap.* 35 *num* 3. Malachias prophetans Ecclesiam, quam per Christum cernimus propagatam, Iudæis apertissime dicit ex persona Dei: *Non est mihi voluntas in vobis, & munus* (Malach. i. 10. & 11.)

Digitized by Google

I. Cur ergo Paullus Apostolus, qui in Epistola ad Hebræos Melchisedech fuisse figuram Christi Sacerdotis demonstrat, ne verbum quidem eo loci ait de sacrificio Christi sub panis & vini specie quod Eucharisticum dicimus?

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. 6.

R. Quia eo loci Apostolus non sacrificium Christi cum sacrificio Melchisedech, sed sacerdotium &

---

non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificabitur, & offeretur nomini meo oblatio munda: quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus. Hoc sacrificium per Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech, cum in omni loco a solis ortu usque ad occasum Deo iam videamus offerri, sacrificium autem Iudæorum, quibus dictum est: *Non est mihi voluntas in vobis, nec accipiam de manibus vestris munus*, cessasse negare non possunt; quid adhuc exspectant alium Christum, cum hoc quod prophetatum legunt, & impletum vident, impleri non potuerit, nisi per ipsum?

S. AMBROS. *sive* AUCTOR *lib.* 5. *de Sacramentis, cap.* 1. *num.* 1.... Cognovimus Sacramentorum istorum figuram Abrahæ temporibus præcessisse, quando obtulit sacrificium sanctus Melchisedech, neque initium neque finem habens dierum. Audi, homo, quid dicat Paullus Apostolus ad Hebræos. Ubi sunt qui Filium Dei dicunt esse de tempore Melchisedech? Dictum est, quia neque initium, neque finem dierum habet: si Melchisedech non habet initium dierum, num Christus habere potuit? Sed non est plus figura quam veritas. Vide ergo quia ipse primus & novissimus. Primus, quia auctor est omnium: novissimus, non quod finem inveniat, sed quod universa concludat. *Cetera vide infra.*

Genes. XIV. 18. — *Hebr.* VII. 1. 4. & *seq.* — *Apoc.* I. 8.

THEODORETUS *in Ps* CIX. *vers.* 4. *Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Accurate hæc divinus Apostolus interpretatus est in Epistola ad Hebræos. & Pontificatus eius æternitatem ostendit, eo quod Leviticum Sacerdotium non cum iureiurando promissiones acceperit, hoc autem iureiurando confirmatum sit. Idcirco & *non pœnitebit eum* apposuit, quoniam cum multa sæpius dispensarit universorum Deus, hæc mutationibus obnoxia esse permisit. Sic Iudæorum Sacerdotium & fecit, & sustulit: sic regnum illud constituit, & evertit: sic Assyriorum & Babyloniorum, & Macedonum imperium ut esset permisit, & ut cessaret præcepit. Hoc igitur Sacerdotium sempiternum esse volens, iurasse ait, nequaquam fore ut pœniteat. Humano autem more hæc dicit: affectus namque expers est divinitas, affectus autem est etiam pœnitentia. Melchisedech porro non Iudæorum, sed gentium est Sacerdos. Sic & Dominus Christus non pro Iudæis tantum, sed & pro omnibus hominibus semetipsum obtulit Deo. Exorditur autem Sacerdotium in nocte, postquam crucem subivit, *cum accipiens panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & comedite ex eo, hoc est corpus meum. Similiter & calicem cum temperasset, dedit discipulis suis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Invenimus autem Melchisedech & Sacerdotem & Regem esse, (figura enim erat veri Sacerdotis, & Regis) & offerentem Deo non victimas ratione carentes, sed panem, & vinum. Hæc enim Abrahæ quoque obtulit cum Sacerdotii sui exemplar in lumbis Patriarchæ secundum spiritum prævideret. Si igitur ex Davide Christus secundum carnem ortus est, & David ex Iuda, & Pontificatum secundum ordinem Melchisedech accepit Christus, Leviticum utique Sacerdotium cessavit, & in Iudæ tribum maioris Sacerdotii benedictio transiit. Sacerdos autem nunc est Christus, ex Iuda secundum carnem ortus, non ipse aliquid offerens, sed caput exsistens eorum, qui offerunt. Corpus enim suum Ecclesiam vocat, & per eam Sacerdotio fungitur ut homo, recipit autem ea quæ offeruntur, ut Deus. Offert vero Ecclesia corporis eius & sanguinis symbola, totam massam per primitias sanctificans.

Hebr. VII. 1. & *seq.* — *Genes.* XIV. — *Matth.* XXVI. 26. & *seq.*

personam Christi cum sacerdotio & persona Melchisedech confert. Rem explico.

Id sibi proposuerat Apostolus in Epistola ad Hebræos, ut imperfectionem sacerdotii Levitici demonstraret. Id autem tum aliunde, tum ex eo maxime demonstrat, quod sacerdotium illud finem esset habiturum, & umbra solum esset & figura sacerdotii Christi, umbra, inquam, imperfecta, qua perfectior alia exstaret in Scripturis, nimirum sacerdotium Melchisedech, quo Christi sacerdotium expressius significabatur; unde Christus dicitur (Ps. cix. 5.) in Scripturis: *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (D).

Non dicitur, ut notat Apostolus (Hebr. vii. 11.): *Sacerdos secundum ordinem Aaron;* sed *secundum ordinem Melchisedech;* idque multiplici de caussa.

1. Quia sacerdotium Aaronis non erat sacerdotium æternum, cum ab Aarone ad eius filios per continuam generationum seriem transmitteretur. Melchisedech vero exhibetur (Ibid. 3.) in Scripturis tamquam *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens.* Adeo ut ipsa sacerdotii sui adumbrata stabilitate, mire exhibeat perpetuam stabilitatem sacerdotii Christi, qui propter hoc dicitur in Psal. cix. *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* (Vers. 5.)

2. Melchisedech benedixit Abrahæ, & in eius persona Aaroni Abrahæ nepoti. Ergo maior erat Abrahamo, atque adeo Aarone filio eius (E).

3. Abraham pater Aaronis, adeoque eo maior, dedit decimas Melchisedecho ex omnibus quæ possidebat; agnovit ergo Melchisedechum pro superiore; ergo is erat & Aarone superior (F).

4. Melchisedech rex erat, & quidem si nominis etymologiam spectes, *Rex iustitiæ;* si spectes significationem urbis Salem, cui præerat, *Rex pacis.* Vox enim Hebræa מלך *Melech.* Regem significat, צדק *Tsedek* iustitiam, שלם *Schalem*

(D) Hebræor. vii. 3. Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens; assimilatus autem Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum.

(E) Hebræor. vii. 1. 6. & 7. *Vide litt. seq.*

(F) Hebræor. vii. 1. (Genes. xiv. 18.) Hic enim Melchisedech, Rex Salem, Sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso a cæde Regum, & benedixit ei: Cui & decimas omnium divisit Abraham: primum quidem qui interpretatur Rex iustitiæ: deinde autem & Rex Salem quod est, Rex pacis... Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha. (Deut. xviii. 1.) Et quidem de filiis Levi Sacerdotium accipientes, (Ios. xiv. 4.) mandatum habent decimas sumere a populo secundum legem, id est, a fratribus suis: quamquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ. Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc, qui habebat repromissiones, benedixit. Sine ulla autem contradictione, quod minus est, a meliore benedicitur. Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt: ibi autem contestatur, quia vivit. Et (ut ita dictum sit) per Abraham, & Levi, qui decimas accepit, decimatus est. Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech.

Digitized by Google

pacem. Hæc neutiquam Aaroni, sed Christo mire conveniunt (G).

Ex quibus manifeste colligitur tam personam quam sacerdotium Melchisedech esse quid maius Aaronis & persona & sacerdotio; ideoque cum prædixisset Spiritus sanctus per os David, venturum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, hinc colligendum esse fore sacerdotium maius & excellentius sacerdotio Levitico; adeoque sacerdotium & sacrificia Iudaica finem esse habitura (H). Quo quidem Apostoli ratiocinio nihil efficacius adversus Iudæos. Ps. cx. 5.

Ex supradictis patet Apostolum conferre solum personam & sacerdotium Melchisedech cum persona & sacerdotio Christi. De sacrificio Melchisedech ne verbum quidem. Sacrificium, inquam, illud, nec cum Aaronis, nec cum Christi sacrificio confert: de eo non erat quæstio. Hæc solum dicit Apostolus de Melchisedech, quæ ad rem faciunt, tacet cetera. Ait tamen de eo esse multa alia, quæ dici possent; sed quæ consulto prætermittit (I). Hæc in scriptis Apostoli prætermissa certa traditione didicimus, ut constat ex testimoniis supra laudatis SS. Patrum (K).

§. 6. *Explicantur res expressæ & adumbratæ per sacrificia Iudaica.*

I. Cuius rei typus erant cruenta Iudæorum sacrificia?

R. Typus erant cruenti Christi sacrificii, quo sanguinem in cruce profusurus erat.

I. Cuius rei typus erant sacrificia incruenta?

R. Typus dici possunt incruenti Christi sacrificii, quod fit in altari Eucharistico sine sanguinis effusione.

I. Cur victimæ post immolationem cremabantur super altare, vel totæ, vel ex parte?

R. 1. Ut ipsa sua consumptione significarent supremum Dei in res creatas dominium.

2. Ut fumus earum ascendere ad thronum Dei, & ab eo suscipi videretur in odorem suavitatis.

I. Cuius rei typus erat fumus ille

(G) Hebr. vii. 2. Primum quidem qui interpretatur Rex iustitiæ, deinde autem & Rex Salem, quod est Rex pacis.

(H) Hebr. vii. 11. Si ergo consummatio per Sacerdotium Leviticum erat, (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici?... Et amplius adhuc manifestum est: si secundum similitudinem Melchisedech exsurgat alius Sacerdos, qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis. Contestatur enim: quoniam tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Ps. cix. 5.

(I) Hebr. v. 11. De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus: rursum indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei: & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.

(K) *Vide auctoritates SS PP. quas exscripsimus supra hocce §. litt.* (C)

victimarum ascendens ad thronum Dei?

R. Dici potest fuisse typus Christi, qui post immolationem in cruce faciendam resurrecturus erat, & in cælos ascensurus ad thronum Dei (A).

I. Cur in Holocausto tota victima tradebatur flammis, in aliis vero sacrificiis non item; sed parte victimæ cremata super altare, pars alia comedebatur vel a solis Sacerdotibus, vel a Sacerdotibus simul & a populo, vel non comedebatur a quoquam, sed extra castra cremabatur? Cuius rei isthæc omnia typus erant? Quæ rituum illorum ratio?

R. Holocaustum utpote sacrificiorum veterum perfectissimum, quo significabatur homo se totum debere Deo in hostiam viventem, adumbrabat expressius Christi sacrificium in cruce litatum, & Christi Resurrectione & Ascensione consummatum. Christus enim totus resurrexit & ascendit in cælum, quemadmodum in holocausto victimæ totius fumus in altum ferebatur.

Sacrificia eucharistica & pro peccato typus erant sacrificii Missæ, in eo quod vel soli Sacerdotes sacrificiis pro peccato, vel Sacerdotes simul & populus sacrificiis eucharisticis communicarent, quemadmodum nunc Sacerdotes, & populus Missæ sacrificio communicant.

In sacrificiis autem in quibus nemo de victimarum carnibus vescebatur, quidquid non fuisset ustum

---

(A) S. August. *lib.* 4. *Quæst.* 33. *in* Num. xix. 5. *Numeros, num.* 5. *Et cremabunt eam in conspectu eius*. Puto quia concrematio ad signum pertinet resurrectionis. Natura est quippe ignis, ut in superna moveatur, & in eum convertitur quod crematur. Nam ipsum cremare de Græco in Latinum ductum verbum est a suspensione. *χρεμάω suspendo.* Quod vero additum est, *in conspectu eius*, id est, in conspectu Sacerdotis, boc mihi insinuatum videtur, quia illis apparuit resurrectio Christi, qui futuri erant regale sacerdotium. Iam quod sequitur, *& pellis eius, & carnes, & sanguis eius cum stercore eius comburetur*, id ipsum expositum est, quomodo concremabitur: & significatum est, quod non solum substantia mortalis corporis Christi, quæ commemoratione pellis & carnium & sanguinis intimata est; verum etiam contumelia & abiectio plebis, quam nomine stercoris significatam puto, converteretur in gloriam, quam combustionis flamma significat.

Vers. 6. Num. 6. *Et accipiet Sacerdos lignum cedrinum, & hyssopum, & coccinum, & immittet in medium combustionis iuvencæ*. Lignum cedrinum spes est, quæ debet in supernis firmiter habitare. Hyssopus fides, quæ cum sit herba humilis, radicibus hæret in petra. Coccinum caritas, quod fervorem spiritus igneo colore testatur. Hæc tria debemus mittere in Resurrectionem Christi, tamquam in medium combustionis illius, ut cum illo sit abscondita vita nostra, sicut dicit Apostolus: *Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Colos. iii. 3.

Num. 7. *Et lavabit vestimenta sua Sacerdos, & lavabit corpus suum aqua, & postea introibit in castra, immundus erit Sacerdos usque ad vesperam*. Lavatio vestimentorum & corporis quid est, nisi mundatio exteriorum, & interiorum? Hoc Sacerdos. Deinde sequitur: Num. xix. 7. *Et qui comburet eam, lavobit vestimenta sua, & lavabit corpus suum aqua, & immundus erit usque ad vesperam*. Vers. 8. In eo qui comburit, eos figuratos arbitror, qui Christi carnem sepelierunt, resurrectioni eam veluti conflagrationi mandantes.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 6.

in altari, cremabatur extra castra; ne profanis usibus inserviret quod sacratum Deo fuerat. Hocque ritu significabatur, ut ait Apostolus, (*Hebr. xiii. 12*) Christum extra Ierosolymorum urbem esse passurum.

I. Cur nullum sacrificium offerebatur pro peccato sine oblatione holocausti? Et cur vulgo præibat Holocaustum?

R. Ut significaretur non posse obtineri peccatorum remissionem, nisi per virtutem sanguinis Christi, qui semetipsum oblaturus erat in holocaustum. Vel ut significaretur non potuisse hominem peccatorem ad Deum accedere offerendi holocausti gratia, quin simul profiteretur esse se peccatorem offerendo sacrificium pro peccato.

Adde quod huius utriusque sacrificii coniunctione significatum fuisse videtur, Missæ sacrificium a Christi cruento sacrificio non fore distinctum. Hinc est quod cruentis sacrificiis incruenta sacrificia plerumque iungebantur. Una actione non poterant adumbrari tot mysteria in uno Missæ sacrificio comprehensa. Quidquid enim veteribus sacrificiis singillatim continebatur, hoc eminenter complectitur unum Missæ sacrificium, ut patebit ex infra dicendis, (*Huius cap. §. 9. & 10.*) & ut docet luculenter S. August. (B).

I. Cuius rei typus fuit quod qui pro se obtulisset vel fecisset offerri sacrificium pro peccato, non posset huius sacrificii carnibus vesci?

R. 1. Hoc ritu significabatur quam mundi corde esse debeant qui communicaturi sunt sacrificio corporis & sanguinis Christi. Possunt & debent Sacerdotes offerre sacrificium

---

(B) S. August. *lib.* 10. *de Civ. Dei*, *cap.* 20. *Vide superius huiusce cap.* §. 3. *litt.* (A)

Lib. 17. *cap.* 20. *num.* 2.... Itemque illud.... nonnisi de Christo & Ecclesia mox ut fuerit pronuntiatum consuevit intelligi ab eis, qui Christum sapientiam Dei esse noverunt. (*Prov. ix. 1. 2. & 5.*) *Sapientia.... immolavit suas victimas, miscuit in cratere vinum suum, & paravit mensam suam.... & inopibus sensu dixit: Venite, manducate de meis panibus, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Hic certe agnoscimus Dei sapientiam, hoc est, Verbum Patri coæternum, in utero virginali domum sibi ædificasse corpus humanum, & huic, tamquam capiti membra Ecclesiam subiunxisse, Martyrum victimas immolasse, mensam in vino & panibus præparasse, ubi apparet etiam sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, insipientes & inopes sensu vocasse, quia sicut dicit Apostolus: (*1. Cor. 1. 27.*) *Infirma huius mundi elegit, ut confunderet fortia.* Quibus tamen infirmis quod sequitur dicit: (*Prov. ix. 6.*) *Dereliquite insipientiam, ut vivatis; & quærite prudentiam, ut habeatis vitam.* Participem autem fieri mensæ illius, ipsum est incipere habere vitam. Nam & in alio libro, qui vocatur Ecclesiastes, ubi ait: (*Eccles. viii. 15.*) *Non est bonum homini, nisi quod manducabit & bibet*, quid credibilius dicere intelligitur, quam quod ad participationem mensæ huius pertinet, quam Sacerdos ipse mediator testamenti novi exhibet secundum ordinem Melchisedech de corpore & sanguine suo? Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri: propterquod etiam vocem illam in Psalmo tricesimo & nono eiusdem Mediatoris per Prophetam loquentis agnoscimus: (*Ps. xxxix. 7.*) *Sacrificium, & oblationem noluisti: corpus autem perfecisti mihi.* Quia pro illis omnibus sacrificiis & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur.

Pars III Sect. II. Cap. VII. §. 6.

pro peccatoribus, quibus non licet edere corpus & sanguinem Christi, nisi prius mundati sint. 2. Hoc eodem ritu patebat, quam imperfecta olim essent sacrificia pro peccato. Nec enim vim habebant illa liberandi peccatores a peccato; si quidem post eorum oblationem non sic mundati erant peccatores, ut possent communicare sacrificio. Nos autem, ut inquit Apostolus, habemus altare, in quo offertur victima, per quam sic mundamur a peccatis, ut possimus oblato sacrificio communicare (C).

Vide S. Aug. interpr. vers. 10. c. 13. ad Hebr.

I. Cur ponebant manus super caput victimæ quicumque sacrificium vel offerebant, vel offerri pro se faciebant?

R. Ut hoc ritu se coniungerent cum victima, ostenderentque seipsos offerre se simul cum illa, & protestarentur se reos mortis victimam hanc offerre, quæ vice offerentis iugularetur; ceterum paratos esse se ad mortem subeundam cum Deus iusserit.

I. Cuius rei typus erat effusio sanguinis circa altare post immolationem victimarum?

R. Typus erat sanguinis Christi circa crucis altare fundendi post eius mortem.

I. Cuius rei typus erat immolatio victimarum facta super altare holocaustorum posito sub dio extra tabernaculum?

R. Hoc ritu significabatur non obscure Christum esse moriturum in monte Calvariæ extra portam Ierusalem. Quod expressius adhuc adumbrabat sacrificium vaccæ rufæ, & sollemne sacrificium expiationis tabernaculi: in quibus victimæ totæ cremabantur extra castra (D).

I. Cuius rei typus erat sacrificium vaccæ rufæ?

R. Hoc typum fuisse sacrificii Christi non obscure liquet ex singulis ritibus.

1. Eligenda erat vacca rufa, coloris quasi sanguinei, quo peccata designantur, iuxta illud Isaiæ: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum.* Isai. 1. 18.
Hoc ipso colore hæc victima typus erat Christi, qui peccata omnium tulit, voluitque habere similitudinem carnis peccati.

2. Hæc vacca debuit esse ætatis integræ sine iugo, ut Christum exprimeret, qui integra ætate passus est, cum non fuisset umquam sub iugo legis.

3. Hanc victimam tradebat populus in manus Sacerdotis. Christus ducendus erat a Iudæis ad domum Caiphæ.

4. Ducebat eam Pontifex extra castra immolandam. Iudicavit Pontifex Christum reum esse mortis, & tradidit Pilato crucifigendum extra Ierusalem.

5. Immolabat eam Sacerdos in conspectu omnium. Christus spectante populo cruci affixus est.

(C) Hebr. xiii. 10. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.

(D) Hebr. xiii. 11. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.

Digitized by Google

6. Tingens Sacerdos digitum in sanguine victimæ adspergebat septies contra velum tabernaculi, quod quidem velum expansum & obductum iugiter manebat, stante tabernaculo. Quo ritu significabatur quam avide exspectandus esset Christus, qui suo sanguine reseraturus erat velum quo claudebatur cæli aditus.

7. Comburebatur penitus victima cum sanguine & fimo: quo exprimebatur perfectio sacrificii Christi, cuius resurrectione factum est, ut absorberetur a vita quidquid mortale erat in Christo.

8. Mittebat Sacerdos in ignem lignum cedrinum, hyssopum coccumque bis tinctum, sive ut illa comburerentur in rogo cum victima, sive ut flammis solum expiata servirent deinceps adspergendæ aquæ lustrali. His significabatur, ex mente S. Augustini, fides, spes, & caritas, quæ vim habent ex sanguine Christi ad peccatorum expiationem.

9. Pontifex qui victimam immolaverat, sed & ille vir qui victimam Pontificis iussu combusserat, immundi erant usque ad vesperam. Quo non obscure significabatur a Christo alienos fore Iudæos usque ad mundi vesperam & consummationem propter occisum Christum, nisi tandem resipiscant. *Lib. iv q. 33. in Num. n. 6.*

10. Lustralis aqua vim omnem habebat ex cineribus vaccæ rufæ, ad expiandum quidquid illa adspergeretur. Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato; nec est quidquam sordis, quod huius sacratissimi sanguinis virtute non possit expiari: & quidquid gratiæ accipimus, ex hoc sacro fonte manat (E).

I. In privatorum sacrificiis pro

(E) S. HIERONYM. *Epist.* 86. *alias* 27. *ad Eustoch. col* 675. *tom* 4. *versus finem*. Revertar Ierosolymam ... rutilantem montis Oliveti crucem aspiciam, de qua Salvator ascendit ad Patrem. In quo per annos singulos vacca ruffa in holocaustum Domino cremabatur, & cuius cinis expiabat populum Israel.

S. AUG. *lib.* 4 *QQ in Numeros*, *q.* 33. *num*. 1. De iuvenca rufa cuius cinerem ad aquam adspersionis, eorumque mundationem, qui mortuum tetigerint, proficere lex mandavit, nec tacere permittimur; evidentissimum enim signum in ea novi Testamenti præfiguratur; nec satis digne festinantes dicere de tanto sacramento valemus... Eadem quippe sunt in vetere & novo; ibi obumbrata, hic revelata; ibi præfigurata, hic manifestata. Nam non solum sacramenta diversa sunt, verum etiam promissa. Ibi videntur temporalia proponi quibus spiritale præmium occulte significetur: Hic autem manifestissime spiritalia promittuntur, & æterna. Temporalium autem bonorum atque carnalium, & spiritalium atque æternorum quæ clarior certiorque distinctio est, quam Passio Domini nostri Iesu Christi? in cuius morte satis constitit, non istam terrenam transitoriamque felicitatem a Domino Deo pro magno munere sperandam & optandam: quandoquidem in unigenito Filio suo, quem tanta illa perpeti voluit, longe aliud a se peti exspectarique oportere apertissima distinctione declaravit. Hanc igitur passionem Domini nostri Iesu Christi, velut distinctionem duorum testamentorum, hoc quod de iuvencæ rufæ mactatione narratur, satis congrue præfigurat.

Num. 2..... Iuvenca rufa carnem Christi significat. Sexus femineus est, propter infirmitatem carnalem; rufa est propter cruentam passionem...... Quod ergo sine vitio dicitur hæc iuvenca, mirum non est: hanc enim carnem etiam ceteræ hostiæ figurabant, ubi si-

PARS III SECT. II. CAP. VII. §. 6.

militer sine vitio pecora immolari iubentur. Erat quippe illa caro in similitudine carnis peccati, sed non caro peccati... Parum fuit dicere sine vitio, nisi diceretur, quæ non habet in se vitium ... quod eam rem ipsa repetitio firmius commendavit. Quamquam & illud non abhorreret a vero, ut ideo additum intelligatur *quæ non habet in se vitium*, cum iam dictum esset, *inveniam sine vitio*, quia in se non habuit vitium caro Christi, in aliis autem habuit, qui membra sunt eius. Quæ enim caro in hac vita sine peccato, nisi illa sola, quæ non habet in se vitium? *Et non est superpositum super eam iugum*. Non enim subiugata est iniquitati, cui subiugatos inveniens liberavit, & eorum vincula disrupit, ut ei dicatur: *Disrupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis*. Super illius quippe carnem non est positum iugum, qui potestatem habuit ponendi animam suam, & iterum sumendi eam.

Rom. VIII. 3. Num. XIX. 2. Ps. CXV. 16. & 17. Joan. X. 18.

Num. XIX. 3. *Num.* 3. *Et dabis eam*, inquit, *ad Eleazarum Sacerdotem*. Cur non ad Aaron, nisi forte ita præfiguratum est, non ad tempus quod tunc erat, sed ad posteros huius sacerdotii passionem Domini perventuram? *Et eiicient eam extra castra*. Sic & eiectus est Dominus passurus extra civitatem. Quod autem ait, *in locum mundum*: ita significatum est, quia non habuit caussam malam. *Et occident eam in conspectu eius*: sicut occisa est caro Christi in conspectu eorum, qui iam futuri erant in novo Testamento Domini Sacerdotes.

Vers. 4. *Num.* 4. *Et accipiet Eleazar sanguinem eius, & adsperget contra faciem tabernaculi testimonii a sanguine eius septies*. Hæc testificatio est, Christum secundum Scripturas fudisse sanguinem in remissionem peccatorum ... Et ideo *septies*, quia ipse numerus ad mundationem pertinet spiritalem.

Rom. III. 25. Ephes. I. 7.

Num. 5. 6. & 7. *Vide superius hocce §. litt.* (A)

Num. XIX. 9. *Num.* 8. *Et congregabit homo mundus cinerem iuvencæ & ponet extra castra in locum mundum*. Quid dicimus cinerem iuvencæ,... nisi formam quæ consequuta est passionem resurrectionemque Christi?... Nam & cinis erat, quia velut mortuus ab infidelibus contemnebatur; & tamen mundabat, quia & resurrexisse a fidelibus credebatur.

Num. 9.... *Et erit filiis Israel, & proselytis qui apponuntur, legitimum æternum*. Quid aliud ostendit, nisi baptismum Christi, quem significabat aqua adspersionis, & Iudæis & gentibus profuturum, id est, filiis Israel & proselytis, tamquam naturalibus ramis, & inserte pinguedini radicis oleastro? Vers. 10.

B. THEODORET. *in Numer. Quæst.* 35. Hanc quidem offerri pro peccato populi lege præcepit: præfigurat autem salutarem passionem, quæ totius mundi peccatum abstulit. Sed vaccam rufam offerri præcipit, ut corpus terrenum prænotet: quia nomen Adæ terram rubram significat, ex qua corpus ipsius formatum est. Quod autem vacca macola carebat, expertem peccati Christum Dominum innuit. Quod vacca iugum subiise non debet, Christi libertatem subindicat. Iugum enim denotat servitutem. At Dominus, eum ab eo postularetur didrachmum, dixit: *Ergo liberi sunt filii*. Quod vero vacca mactatur extra castra, passionem Salvatoris extra portam peractam. Sed hæc manifestius docet divinus quoque Apostolus in Epistola ad Hebræos. Totam porro vaccam una cum pelle & reliquis cremari mandavit: quia Christi Domini omnia erant munda. Lignum cedrinum crucis erat figura. Sicut enim illud immune a corruptela, ita lignum crucis vivificat. Coccinum autem, typus erat sanguinis Dominici. Hyssopus etiam aderat, quia calor vivificus dissolvit frigiditatem mortis. Eum tamen qui crematit vaccam, impurum esse dicit usque ad vesperam, ad eos denotandos qui Christum crucifixerunt Dominum: Atque huiusmodi cinere aqua permixto circumspergi præcepit eos qui appropinquassent mortuo, aut qui eorum ossa attigissent, aut aliquo id genus alio essent polluti. *Et homo*, inquit, *qui non fuerit purificatus, peribit anima illa de medio synagogæ, quia expiationis aqua non fuerit lustratus*. Ita Dominus in sacris Evangeliis ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non ingredietur regnum cælorum*.

Matth. XVII. 25. Hebr. XIII. 11. Num. XIX. 13. Joan. III. 5.

S. ISIDOR. HISPAL. *cap.* 16. *in Numeros*. Vitula rufa caro est Salvatoris nostri, rosea sanguine passionis, ætatis integræ, quia perfecta ætate passionem suscepit. Quod autem non est impositum super illam iugum, hoc ostendit quia caro Christi non est subiugata delicto, neque

Digitized by Google

peccato, Sacerdos altaris cornua sanguine victimarum tingebat: in sollemnioribus autem Pontifex cum sanguine victimarum ingrediebatur in Sancta, & facta sanguinis adspersione contra velum, tingebat victimarum sanguine cornua altaris thymiamatum. In sollemnissimo autem sacrificio, quod semel in anno ad suam & populi & tabernaculi expiationem offerebatur, ingrediebatur Pontifex cum sanguine victimarum Sancta Sanctorum; adspergebat sanguinem septies contra velum, & fundebat tandem sanguinem circa altare thymiamatum. Quid his ritibus exprimebatur?

R. In sacrificiis pro peccato intingebat Sacerdos sanguine victimarum cornua altaris holocaustorum; quo ritu exprimebatur non potuisse deleri peccata, nisi per

---

victa ab ullo peccato. Quod autem apprehensam eieeerunt filii Israel extra castra, astante Eleazaro Sacerdote, populum Iudæorum significat, & consensum Sacerdotum in necem Domini, quem eiectum extra Ierusalem crueifixerunt. Sicut ergo qui offerunt vitulam immundi sunt; sic & qui apprehenderunt Dominum peccatores habentur. Et sicut is, qui colligit cinerem adspersionis mundus est; sic & omnes mundi sunt, qui passionem Christi prædicaverunt gentibus, & in toto orbe terrarum doctrinam eius adsperserunt, populosque Dominu collegerunt. Lignum autem & hyssopum, crucem putamus & baptismum. Per hyssopum enim fascieulum adspergebantur agni sangoine qui mundari solebant, typice figurantes lavacrum baptismatis & ablutionem æterni fontis. Coceum autem bis tinctum figuram sacri sanguinis significare, quo peccatores abluuntur. Bis tinctum autem, quia per eum & corpore & corde mundamur. Hæe enim tria ad purgationem peccatorom pertineot. Primo per eedrom fides ligni erucis; secundo per hyssopum, martyrium; tertio per coccum, sanguinis Dominiei saeramentum. Sicut autem die terria purgari iubentur, ita & omnis anima purgator ab omnibus delictorum sordibus, quæcumque eredit Christum Dominum die tertia a mortuis eesuscitatum.... Ex sanguine autem eius vitulæ ideo septies tabernaculum iubet adspergi; quia septem sunt Spiritus sancti charismata, quæ pee Christi sanguinem supee Ecclesiæ populos distribuuntur, per quem ab omni delicto purgantur, sicut Apostolus ait: *1. Cor. vi. 11.* Iam abluti estis in sanguine Christi & passione eius. Quod vero vitula cum pelle & ossibus suis comburitur, & agnus ille Paschalis pari modo eoneeematur, ne ossa eius confringantur; hoe ostendit quod Domini Iesu Christi eorporis ossa in passione non essent eonfringenda, sicut Evangelista testatur. *Ioan. xix. 36.*

IANSEN. IPREN. *in Numeror. cap.* XIX. *in fine*. Allegorice, vaeea significat carnem Christi; eufa passionem, ætas integra, virilem eius ætatem; immaculata, immunitatem a peceato; expees iugi, libertatem. Mactatur ab Eleazaro, quia Christus a Saceedotibus passus est, idque extra portam, uode omnes Iudæi immundi sunt. Flamma vorans quæ sursum aseendit, figurat resurrectionem & aseensionem eius; lignum eedrinum, erueem; hyssopus in aqua, vim pueganди per baptismum; eoceus, sanguinem Christi vel caritatem.

ESTIUS *in cap.* XIX. *Num. vers.* 2. Vaccam rufam continere manifestum mysteeium Christi Apostolus ad Hebræos IX. 13. insinuat, dicens: *Si einis vitula adspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?* Igitur secundum Apostolum aqua adspersionis quæ fiebat ex einere huius vaecæ, tantum carnalem seu legalem munditiam præstabat: sanguis autem Christi, qui per illam aquam significabatur, conscieotiam emundat, id est, animam ipsam a peceati conscientia puram faeit.

Alios Scriptura Interpretes adi: omnes fere idem cum superioribus sentiunt.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 6.

virtutem crucis, Christi sanguine tinctæ.

In sollemnioribus sacrificiis pro peccato, Pontifex intrabat in sancta cum sanguine victimarum; & facta huius sanguinis adspersione contra velum, tingebat cornua altaris thymiamatum hoc sanguine. Adspergendo sanguinem contra velum significabat *nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum*. (Hebr. ix. 8.) Intingendo cornua altaris thymiamatum hoc sanguine, declarabat vetera sacrificia vim omnem trahere ad peccata purganda ex Christi sacrificio in novo Testamento offerendo. Siquidem prior tabernaculi pars, quod Sanctum dicebatur, typus erat Christi in carne mortali, & præsentis Ecclesiæ status.

Tandem sollemnissimum sacrificium, quo Pontifex semel in anno ingrediebatur in Sancta sanctorum, typus erat Christi ascensionis in cælum. Hoc sacrificium offerebat solus Pontifex, qui Christi figuram gerebat expressius. Is immolatis victimis ad altare holocaustorum, quo crux Christi exprimebatur, intrabat primum in Sancta; & per velum, carnis Christi typum, ut ait Apostolus, introibat in Sancta Sanctorum, quæ cælum adumbrabant (F): ibique sanguinem adspergebat septies contra velum ad Orientem,

---

(F) Hebr. ix. *Vide supra §. 2. huiusce cap. tit.* (B)

Biblia Maxima P. Ioan. de la Haya *in Expos. litterali Epist. ad Hebr. cap* ix. *vers.* 8. Sancta hic dicuntur quæ modo *Sancta Sanctorum* nominata sunt, quæ viam cæli significabant, & illam aperiendam per sanguinem Christi.

Guillel. Estius Doct. Lovan. *Comm. in Epist. ad Hebr. cap.* ix. *vers.* 6 *Quæ parabola est temporis instantis, iuxta quam munera & hostiæ offeruntur*. Ac sane pertinebat ad Apostoli institutum loqui de cruentis sacrificiis veteris legis, ut ea conferret cum sacrificio cruento, quod Christus obtulit in cruce.

Vers. 7. *Non sine sanguine.* Qua parte etiam subindicare voluit Apostolus, sanguinem illum fuisse typum sanguinis Christi, quo emundanda erat Ecclesia; sicut & Pontifex ille typum gessit Pontificis Christi.

Vers. 8. Per illud quod in Sancta sanctorum nemini patebat ingressus, præterquam uni Pontifici, mystice nobis significare voluit Spiritus sanctus, priore tabernaculo stante, id est lege veteri, quæ per prius tabernaculum significabatur, adhuc durante, nondum manifestatam fuisse viam ad Sancta sanctorum, hoc est, ad cælum, per illa Sancta significatum; sed demum manifestandam, postquam Christus Pontifex noster illuc per sanguinem suum introgressus fuisset. *Sanctorum nomine*, cælum ex Apostoli sententia typice significari, iam pridem ostendimus, ad illud capitis præcedentis, *Sanctorum minister*: & manifestum est ex vers. 12. huius. Porro *Sanctorum via*, gratia est novi Testamenti, per quam nobis aditus est ad cælum. Hæc via tempore veteris Testamenti nondum erat propalata, seu manifestata: Nam etsi nemo fuerit umquam iustificatus nisi per gratiam novi Testamenti, cuius auctor est Christus, non tamen ante Christi adventum manifestata fuit ea gratia; id est, palam cognita, & prædicata, sed latebat sub umbris ceremoniarum veteris legis, & a paucis spiritualibus ad novum Testamentum pertinentibus, apprehendebatur. Denique post adventum Christi, prædicato eius Evangelio, ac legalibus umbris per eius passionem remotis, manifestari cœpit ac palam agnosci.

Vers. 11. Igitur alii plerique existimant Apostolum loqui de corpore seu carne Christi humana. Sic Græci omnes & inter Latinos Primasius, & Haimo,

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 6.

& Thomas posteriore loco. Denique Augustinus verbis a glossa citatis. Quæ sententia sicut multis recentioribus, ita & nnbis quam maxime probatur, habet enim in ipso Apostolo fundamentum.. Primum, quia mox sequitur de sanguine Christi: quem opponit sanguini hircorum & vitulorum, dicens: *sed per propriam sanguinem*. Unde in hac parte nobis intelligendum relinquit corpus Christi, & quasi supplendum hoc modo: *Per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis, sed per proprium corpus....* Istud vero quod dixi, supplendum reliquit Apostolus ex iis quæ erat infra dicturus. Nam capite sequenti ex professo docet, Christum nos sanctificasse, & in cælum

Hebr. x. 10. introisse, *per oblationem sui corporis*, opponens illud hostiis veteris Testamenti, & hunc citans versiculum Psalmi:

Pſ. xxxix 7. *Hostiam & oblationem noluisti: corpus*

Hebr. x. 5. *autem aptasti mihi. Hoc ergo tabernaculum*, id est corpus Christi, *maius est & amplius* tabernaculo veteri; non mole corporra, sed dignitate rei: quia vivum est habitaculum Spiritus sancti: nec id qualecumque. sed hypostatice coniunctum Verbo Dei. Est quoque *perfectius*: tum quia divini est operis, supra naturæ facultatem conreptum & formatum in utero Virginis; tum quia perficit & sanctificat accedentes ad ipsum.

Vers. 12. *Sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta*. Ecce tres alias Christo per comparationem applicatas circumstantias ministerii Aaronici: de quibus supra. Nam Pontifex Aaronicus intrabat cum sanguine hircino & vitulino: Christus intravit per proprium sanguinem. Ille, semel in anno: hic semel omnino. Ille, in Sancta manufacta: hic in Sancta cælestia. Tacite vero nobis insinuat Apostolus amoris Christi Pontificis nostri erga nos magnitudinem: quod & proprium corpus, & proprium sanguinem impenderit nostræ saluti.

Vers. 14 Significat Apostolus Christum, movente eum & incitante Spiritu sancto (nam opera Divinæ bonitatis, nostræque sanctificationis Spiritui sancto solent appropriari) *semetipsum obtulisse Deo*, velut hostiam immaculatam, id est, ab omni sorde peccati liberam: utpote repræsentatam sub typo vaccæ rufæ, quam lex immaculatam exigebat .... Restat nunc ut totam argumentationem Apostoli breviter explicemus. Quondam, inquit, sanguis hircorum & vitulorum effusus & in sanctuarium illatus per Pontificem, valebat ad expianda populi peccata quadam expiatione carnali: similiter & cinis vaccæ rufæ, quo aqua mixto respergebantur ii qui secundum legem erant immundi, valebat ad sanctificandos eos, id est, purificandos ab immunditia, ut secundum carnem & forinsecus mundi essent. Quanto magis igitur sanguis ipsius Christi, qui auctore & impulsore Spiritu sancto semetipsum agnum immaculatum in mortem Deo pro nobis obtulit, emundabit animas nostras a peccatis mortiferis, ut Deo vivo in vera sanctitate & iustitia serviamus? Ratio consequentiæ est, quia plus valet sanguis Filii Dei ad purgandas & sanctificandas hominum animas, quam valere potuerit sanguis animalium brutorum occisorum ad emundationem carnis.

Vers. 22. Iuxta Apostoli institutum, ex his verbis optime colligas: Si in veteri lege non fiebat remissio legalis sine effusione sanguinis animalium occisorum: ergo nec in nova lege fit vera peccatorum remissio, sine effusione sanguinis Christi, quem sanguis ille victimarum veteris Testamenti præfiguravit. Est enim hæc collectio plane similis ac pene eadem cum illa quam Apostolus ipse superius fecit illis verbis: *si enim sanguis hircorum & taurorum*, &c. Verſ. 13.

Dicet aliquis: Si vera peccatorum remissio non fit sine effusione sanguinis Christi; (quod ex hoc loco recte colligi iam dictum est:) ergo sacrificium Missæ, cum sit incruentum, sicque vocetur a Patribus, quod in eo nulla fiat sanguinis effusio, non valet ad veram peccatorum remissionem. Respondetur, argumentum hoc nihilo magis facere contra sacrificium Missæ, quam contra Baptismum, & alia Sacramenta novæ legis ad remissionem peccarorum instituta: dicendum est enim, sicut Baptismo non remittuntur peccata nisi ex sanguine Christi fuso in cruce: ita nec per sacrificium Missæ remitti sine cruento illo crucis sacrificio, cuius ipsum est commemorativum. Utrumque enim, tam Baptismus quam Missæ sacrificium, efficax est in sanguine Christi, & non aliter.

Vers. 24. Hic vero aliud quoddam munus Pontificis Christo in cælum recepto assignat: quod tamen etiam ad emunda-

tionem pertinet: simulque alludit ad ri-
PARS III. tum veteris legis, ubi Pontifex ingres-
SECT. II. sus in Sancta sanctorum stabat coram pro-
CAP. VII. pitiatorio, ut oraret pro populo. Ita
§. 6. Christum dicit introiisse in cælum, ut vultui Dei se pro nobis sistat: id est, ut apud Deum pro nobis interpellet.

Vers. 25. *Neque ut sæpe offerat semetipsum*. Quoniam præcipuum Pontificis munus est offerre sacrificium: dubitari poterat num Christus ingressus cæleste sanctuarium adhuc munus illud exerceat offerendi semetipsum: quomodo semel obtulit. Docet ergo non ideo Christum introiisse in cælum, ut iterum sæpius offerat semetipsum: nihil enim opus esse, cum, sicut antea dixit, & in consequentibus amplius declarat, Christus semel oblatus æternam redemptionem invenerit. Quæres, si desiit offerre, quomodo adhuc Sacerdos est... Dicamus Christum postquam introivit in sancta cælestia, nequaquam prorsus cessare ab actu Sacerdotali. Nam & hostiam semel oblatam, id est seipsum semel passum, continuo pro salute hominum sistit & offert Patri: quod significatum est verbis præ-
Vers. 24. cedentibus, *ut appareat nunc vultui Dei pro nobis*: & adhuc quotidie, manibus suorum ministrorum per universam Ecclesiam, offert incruentum & commemorativum sacrificium corporis & sanguinis sui. Quæ res pluribus a nobis explicata est supra capite 7. quum tractaremus il-
Ps. 109. 4. lud Psalmi: *Tu es Sacerdos in æternum*. Quod autem negat Apostolus Christum sæpius offerre seipsum, de ea dicit oblatione quæ per se valeat ad propitiandum Deum: qualis sola est illa, qua seipsum obtulit in cruce; ab hac enim, sicuti Sacramenta, sic & Missæ sacrificium vim suam omnem recipit.

Vers. 28. Iam illud quæritur, cur Apostolus dixerit, *multorum*, & non omnium. Brevis & bona responsio est, Christum, quantum ad sufficientiam passionis attinet, omnium hominum peccata tulisse; quia valebat ad omnium redemptionem: quantum vero ad efficientiam, non omnium, sed multorum. Non enim omnes per eam redempti sunt & salvati, sed solum electi. Quod ergo dicit Apostolus, immo Propheta, *multorum*, electos intellige, id est, oves Christi, pro quibus animam suam ponere se dicit, Ioan. 10. quos ipse etiam
Ioan. x. 15. *multorum* nomine designat interdum, ut quum dicit se venisse, *ut daret animam* *Matth.* xx. 28.
suam redemptionem pro multis, Matth. 20. & *Marci* 10. & quum de sanguine *Marc.* x. 45. *Matth.* xxvi. 28.
suo dicit: *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, Matth. 26. Mar- *Marc.* xiv. 24.
ci 14. & in canone Missæ. Quin ex hoc Apostoli loco Concilium Valentinum in Galliis habitum anno Domini 855. docet cap. 4. Christum non fudisse sanguinem pro omnibus omnino hominibus, sed tantum pro eis qui credunt: damnatque erroris eos qui secus sentiunt.

NICOL. DE LYRA *in cap.* IX. *ad Hebr. vers.* 22. *Et sine sanguinis effusione non fit remissio*. Quia animalia sacrificabantur pro peccatis, quorum effundebatur sanguis in signum, quod per effusionem sanguinis Christi facienda erat remissio peccatorum, quæ non poterat sanguine animalium fieri, sed tantum significari.

Vers. 23. *Ipsa autem cælestia melioribus hostiis quam istis*, supple, debuerunt mundari. Et ideo mundati sunt sanguine Christi. Sed dices, Quomodo intelliguntur mundari cælestia, ubi nulla est macula? Dicendum, quod sicut dicebatur emundari tabernaculum, non quia haberet in se aliquam maculam seu immunditiam, sed quia tollebantur quædam irregularitates, quibus impediebantur homines accedere ad sanctuarium: ita dicuntur mundari cælestia per Christi sanguinem & per Sacramenta novæ legis, ea eodem sanguine habentia efficaciam; in quantum purgant peccata, quæ impediunt ab ingressu cælestium. Et ideo dicit *hostiis* in plurali. Quia licet sanguis Christi sit una hostia, tamen eius efficacia nobis communicatur per varia novæ legis sacramenta.

Vers. 28. Obtulit semetipsum. Fit tamen mentio in hac oblatione, segregatim de sanguine Christi, in quantum fuit separatus a corpore, tamen utrumque est de oblationis integritate, propter quod in sacramento altaris (quod est memoriale ipsius oblationis) consecratur simul caro & sanguis, tamen sub speciebus diversis, sicut in illa oblatione fuit sanguis separatus a carne. Similiter anima Christi fuit pro nobis oblata, in quantum per passionem fuit a corpore separata ad satisfaciendum pro nobis.
Ioan. 10. *Animam meam pono pro ovibus* *Ioan.* x. 15.
meis. Et hic patet quod tota humanitas pertinet ad Christi oblationem seu sacrificium. Quod autem hoc habeat perfecte

rationem ublationis vel sacrificii, patet quia sacrificium in lege fiebat triplici de caussa. Primo ad tollendum peccatum. Propter hoc in lege dicebantur aliqua sacrificia pro peccato. Secundo ad gratiam conservandam. Propter hoc in lege dicebantur aliquæ hostiæ pacificæ. Tertio ad hoc quod mens hominis perfecte Deo uniretur per amorem. Propter hoc in lege offerebatur holocaustum, quod totum incendebatur ad honorem divinum. Ista autem tria proveniunt nobis a Deo, mediante humanitate Christi pro nobis oblata, quia per hanc pec-
Apoc. 1. 5. cata sunt deleta. Apocal. 1. *Dilexit nos & lavit nos a peccatis nostris in sangui-*
Ioan. 1. 17. *ne suo*. Et gratia collata, Ioan. 1. *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est*. Et porta gloriæ aperta, in qua fit hominis ad Deum unio perfecta. Propter
Hebr. 10. 19. hoc dicitur infra seq. cap. *Habemus fiduciam per sanguinem eius in introitu sanctorum*. Et sic patet quod sacrificium Christi fuit perfectissimum, quia continet in se perfectissime virtutem omnium sacrificiorum, sicut perfectio divina continet in se unitive & eminentius perfectiones omnium creaturarum.

Ioan. Menochii Soc. Iesu, *in Epist. ad Hebr. cap. 9. vers. 8. Nondum propalatam esse viam sanctorum*. Nondum apertam esse viam cæli, quæ aperienda erat per sanguinem Christi.

Adhuc priore tabernaculo habente statum, id est, manente priori tabernaculo, lege & ritibus Mosaicæ legis.

Vers. 15. Et ideo novi Testamenti mediator est. Particula, *& ideo*; hunc habet sensum: Quia sanguis eius emundat conscientiam nosrram ab operibus mortuis, nec sacrificia legis id præstare potuerunt, mediator factus est novi testamenti, quo non bona temporalia, sed æterna promittuntur. Mediator testamenti dicitur is, qui efficit ut alii consequantur quod in testamento promittitur, ut patet ex sequentibus.

Ut morte intercedente ὅπως θανάτου γενομένου, *ut morte facta*, cum prius ipse testator mortuus fuerit. Quod cur dicat exponit
Vers. 16. paullo post: *Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris*. Ne quis putaret mortem Christi, aut dedecori Christianis esse debere, aut ex imbecillitate eius esse, ostendit nos non potuisse hereditatem consequi, nisi prr ipsam & tantam fuisse eius potentiam, ut omnia percata delere possit.

In redemptionem earum prævaricationum, &c. Tantæ, inquit, virtutis fuit — Pars III.
passio Christi, ut ne sancti quidem, qui — Sect. II.
in veteri testamento fuerunt, salutem — Cap. VII.
sine ipsa consequi potuerint, quoniam — §. 6.
peccata illis remitti non potuerunt, nisi per sanguinem Christi, qui fundendus erat in pretium redemptionis, cuius effusionem sacrificiis suis præfigurabant, & per eum delenda esse peccata profitebantur.

Repromissionem accipiant, &c. Id est, ut vocati accipiant æternam hereditatem sibi promissam, ad quam vocati sunt.

Qui vocati sunt, eos intelligit, qui tempore legis vocati sunt ad vitam æternam.

Ioan. Gagnaeus, *Comment. in Epist. Paul. ad Hebr. cap. 9. vers. 8.* Hoc significante Spiritu sancto, per quæ scilicet quod in Sancta sanctorum ceteris Sacerdotibus non patebat accessus, significabat Spiritus sanctus, quod *priore tabernaculo*, id est, lege adhuc *statum habente*, id est, stante ac in suo robore perseverante, ante Christi mortem, *nondum propalata erat via Sanctorum*, id est, nondum ad Sancta Sanctorum, id est, ad ipsum cælum in illis figuratum patebat vel ipsis Iudæorum præcipuis Sacerdotibus accessus, in quod solus Sacerdos summus Christus prior ingressus, antiquata per mortem suam lege, nobis aditum fecit.

Vers. 11. Christus accedens in hunc mundum, ut Pontifex esset futurorum bonorum, scilicet cælestium gaudiorum, *per amplius & perfectius tabernaculum*, id est, corpus suum, quod eo amplius est & capacius tabernaculo Iudæorum, quod in eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter; & perfectius, quia perfecte nos per carnem suam iustificavit. Per hoc ergo tabernaculum introivit in Sancta sanctorum Christus... Quemadmodum autem Pontifici legali priusquam secundum tabernaculum intraret, per primum transire opus erat: ita Christus priusquam in cælum ascenderet, per tabernaculum sui corporis introivit. Et rursus, quemadmodum Pontifex non sine sanguine & præimmolata hostia introibat in Sancta; ita Christus, *non per san-* *Vers. 12.*
guinem hircorum aut vitulorum, quod legalis Pontifex faciebat, *sed per proprium sanguinem*, immolata scilicet in ara crucis sui corporis hostia, *semel introivit in Sancta sanctorum*, id est, in cælum, &

quo ritu significabat non nisi per Christum, qui Orientis nomine designatur (G), patefaciendam esse cælorum viam; nec prius obtinendam esse remissionem peccatorum omnimodam; quam *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum introiret, non in manufacta sancta, exemplaria verorum, sed in ipsum cælum;* illucque introiret *non in sanguine alieno, sed per proprium sanguinem; nec singulis annis, sed semel una*

Hebr. ix. v. 12.

æternam gloriam. Bene autem ait *semel*, quia sicut Pontifex legis semel tantum in anno cum sanguine introibat in Sancta: ita Christus semel tantum cum sanguine introivit in cælum. Quod enim mortuus est, mortuus est semel. Introivit autem *æterna redemptione inventa*: quia per illum ingressum, æternam nec opinantibus nobis redemptionem invenit, & perfectam iustificationem ac peccatorum emundationem peperit.

Vers. 13. *Si enim sanguis hircorum*, id est sanguis & cinis irrationabilium animalium emundare carnem potuit, *quanto magis sanguis Christi?* qui quum Pontifex esset, hostia quoque factus est, quando *semetipsum per Spiritum sanctum immaculatum Deo* Patri *obtulit* in ara crucis, & emundavit non carnem tantum, sed *conscientiam & mentem ab operibus mortuis*, id est peccatis *ad serviendum Deo viventi*, ut ab illis emundati vere Deo serviamus.

Verſ. 23. *Vers.* 18. Et necesse erat, inquit Paullus, *Exemplaria cælestium*, id est carnalia legis sacrificia, quæ typus & exempla sunt cælestium & spiritualium nostrorum sacrificiorum, *his* adspersionibus *mundari*, quæ Christi sanguinis adspersionem præfigurarent: *ipsa autem cælestia*, id est spiritualia Christianorom sacrificia, *melioribus*, ac perfectioribus *hostiis*: quod quidem per Christum Pontificem factum esse probat.

Vers. 24. *Non enim in manufacta*, &c. Quum sacrificia sacrificiis, Pontificem Pontificibus legalibus comparasset, nunc sancta cum sanctis comparat, dicens, quod Iesus nequaquam in sancta hominum facta manibus intravit, quæ nec vera erant, sed verorum tantum exemplaria; sed in ipsum cælum per illa figuratum, ut illic habitans *appareat vultui Deo pro nobis*, ac pro nobis interpellet, *non ut semetipsum sæpius* per sui

Verſ. 25. corporis hostiam & mortem *offerat*, *quemadmodum Pontifex* legalis, *per singulos annos* intrare in sancta debebat, idque *in sanguine alieno*, id est cum immolatione taurorum & hircorum: non sic autem Christus, qui semetipsum obtulit in hostiam, idque semel tantum quum sæpius non indigeret.

Emman. Sa, Soc. Iesu, *Comm. in Ep. ad Hebr. c.* 9. *vers.* 8. *Propalatam*, id est apertam: scilicet per plenam expiatiooem, quam Christus erat facturus.

Vers. 22. *Et sine* &c. quasi dicat, Nam revera nulla peccati remissio fieri potest sine Christi sanguine, cuius illa legalia figura erant.

Iac. Tirinus Soc. Iesu, *Comment. in cap.* 9. *Epist. ad Hebr. vers.* 8. *Significabat Spiritus sanctus, nondum propalatam esse* tempore legis Mosaicæ *viam sanctorum*, id est, nondum hominibus patefactum esse aditum in vera *Sancta sanctorum*, id est, in cælum, quia nondum facta erat expiatio peccatorum per sanguinem & mortem Christi. Ita Chrysostom. cum suis, & Primasius.

Vers. 23. *His legalibus & carnalibus hostiis necesse erat mundari exemplaria cælestium*, id est vetus tabernaculum, veterem Synagogam, & omnia quæ his continebantur, quæ erant exemplaria, id est typi & figuræ Ecclesiæ Christi, & novæ legis ac novi Testamenti, quæ hic *Cælestia* vocantur propter cælestem victimam, doctrinam, præmium & hereditatem: *mundanda melioribus* & nobilioribus *hostiis*, puta carne & sanguine Christi, partim cruente in cruce, partim incruente in Eucharistia oblato. Quæ hostia quia quotidie repetitur, & a multis Sacerdotibus offertur, ideo quasi multæ hostiæ censentur: & per illam Ecclesia tum militans, tum triumphans omnem suam munditiam & sanctitatem continuo accipit.

(G) Zachar. iii. 8. Adducam servum meum Orientem.

oblatione consummaturus in æternum sanctificatos, & apparens nunc iugiter vultui Dei pro nobis. Quod enim Iudæorum Pontifex singulis annis idem ageret, hoc declarabat veram peccatorum remissionem per illa umbratica sacrificia non potuisse conferri; sed isthæc omnia in figuris acta fuisse. Christus autem unò sacrificio divinam iram placavit, reconciliavit nos Deo, ianuas cæli reseravit & introduxit nos in abstrusissima sanctuarii cœlestis penetralia, unde iam non est aliud sacrificium offerendum (H).

I. Cur in sollemni illo sacrificio, quod semel in anno pro peccatorum expiatione fiebat, Pontifex non suis, sed Sacerdotum inferioris ordinis vestibus induebatur?

R. Ut oblaturus sollemne sacrificium pro suo populique peccato, pœnitentiam quodammodo profiteretur in exteriori habitu. Ideoque peracto hoc ritu, eoque quasi expiatus lavabat corpus; detractisque his vestibus, sumebat indumenta Pontificalia, ut iam purificatus offerret tam suum quam populi holocaustum, & adoleret adipem victimarum, quæ fuerant pro peccatis immolatæ.

I. Cuius rei typus erant sacrificia similæ?

R. Typus erant sacrosancti Missæ sacrificii, quo Christus sub specie panis & vini offertur sine sanguinis effusione.

I. Cur oleum & tus miscebantur huic sacrificio?

R. Oleo designabatur unctio Spiritus sancti, quo plenus est Christus hoc sacrificio adumbratus. Ture significabatur oratio, quæ turis instar ascendit ad Deum, & oblationes reddit acceptas Deo. Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 6.

I. Cuius rei typus erat sacrificium hirci emissarii?

R. Typus erat sacrosancti Missæ sacrificii, quod fit sine sanguinis effusione actuali.

I. Cur sumebantur hirci duo; quorum unus mactabatur, alter emittebatur, postquam cumulatus fuisset omnium imprecationibus & peccatis?

R. Hoc ritu multa significabantur.

1. Sacrificium Missæ unum quid futurum cum sacrificio crucis: siquidem hæc duplex hircorum immolatio, altera realis, altera mystica, unum esse sacrificium censebantur.

2. Missæ sacrificium vim omnem & efficaciam habere a sacrificio crucis: si quidem hircus emissarius adspergebatur sanguine hirci mactati.

3. Fore ut Christus innocens peccata omnium portaret, & poneretur super eo iniquitates omnium nostrum, & livore eius sanaremur. *Isai. LIII. 5. & 6.*

4. Mactatus hircus typus erat naturæ Christi humanæ, qua mortem subiit. Hircus emissarius adumbrabat naturam divinam, utique immortalem. Unum est utriusque hirci Deo oblati sacrificium: in quo moritur homo non Deus, sed homo Deus suscepit in se similitudinem carnis

vi. 12. Ecce vir, Oriens nomen eius. Luc. 1. 78. Visitavit nos Oriens ex alto.

(H) *Vide hæc fuse supra hocce §. littera* (F).

peccati, peccatis nostris onerari voluit, atque ita nos liberavit a peccatis (l).

I. Cuius rei typus erat sacrificium passeris in libertatem emissi?

R. Eiusdem fere rei quod sacri-

(l) Theodoret. *in Levit. quæst.* 23. Iussit .... pro universo populo duos hircos pro peccato sumere, & arietem unum in holocaustum. Præcepit hircos sorte distingui: & unum quidem sacrificari, alterum autem in solitudinem mitti . . . . *Et assumet hircus super se iniquitates ipsorum in desertum*. (Lev. xvi. 21.) Symmachus porro emissarium interpretatur, in hircum abscedentem ita ut emittatur in emissionem. Aquila autem in hircum qui dimittitur in solitudinem... Ambo quidem offerebantur Deo, sed unus mactabatur, alter autem assumptis peccatis populi in solitudinem emittebatur. Quemadmodum enim in purificatione leprosi, uno passere mactato, alter illius sanguine tinctus liberabatur: ita duobus hircis oblatis pro peccatis populi, unus sacrificabatur, alter emittebatur. Hæc vero typus erant Christi Domini, ita ut hæc duo animalia non pro duabus personis accipiantur, sed pro duabus naturis. Cum enim per unum hircum adumbrari commode non possent mortalitas simul & immortalitas Christi Domini, nam hircus mortalis est solum, necessario duos offerri iussit: ut ille qui mactabatur carnis passibilem naturam significaret; qui vero solvebatur, divinitatis indicaret naturam impassibilem..... Porro nemo existimet ineptum, hircos præfigurare passionem Christi, cum ipsum magnus Ioannes appellaverit Agnum: (Joan. i. 29.) sed perpendat potius, quod non pro iustis tantum, sed etiam pro peccatoribus seipsum obtulerit. Hœdis autem Dominus comparavit cœtum peccatorum: *Statuet enim*, ait, *agnos a dextris, hædos autem a sinistris*: (Matth. xxv. 33.) Et in lege pro peccato offerebatur hœdus. Ac Dominus ipse æneum serpentem sui ipsius esse figuram dixit: *Sicut enim Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*. (Joan. iii. 14. & 16.) Quamobrem si non quadrat hircorum figura, multo minus figura serpentis. Hæc ergo prænunciabant terræ salutem. Iudæos vero tamquam infantes delectabat, quod hircus peccata in desertum auferret: quia reducebat illis in mentem scelus in deserto prius admissum, & inenarrabilem Domini benevolentiam, per quam iustis suppliciis evitatis, in terram promissam ingressi sunt . . . . Ad hæc mandavit sanguine vituli & hirci adspergere digito e regione oraculi septies: & quia septem diebus vita revolvitur, & quotidie, ut verbo dicam, modicum aut graviter delinquimus, pro peccatis illis diebus commissis, sanguinis adspersio numero par offerebatur... Deinde subiungit: *Semel in anno fiet iuxta ritum quem constituit Dominus Moysi*. (Lev. xvi. 34.) Ceterum hoc quoque præfigurat dispensationem Salvatoris nostri.... Sicut enim semel in anno Pontifex ingrediens in Sancta Sanctorum sacrificium illud peragebat, ita Dominus Christus, postquam semel passionem salutarem pertulit, adscendit in cælum *æterna redemptione inventa*, (Hebr. ix. 12.) ut perhibet divinus Apostolus.

S. Cyrill. Alexandr. *Epist. ad Acacium de capro emissario*, *pag.* 124. *tom.* 5. *Umbram habet lex futurorum bonorum, & non ipsam imaginem rerum*, (Ibid. x. 1.) ut scriptum est: attamen umbræ veritatem pariunt, etsi ipsæ omnino veritas ipsa non sint.... Agedum igitur velamine legis ablato, depositoque operimento quod Moysis faciem exterius adumbrat, ipsam nudam veritatem contemplemur. (Ex. xxxiv. 33. 2. Cor. iii. 13. & seq.) Duos hircos offerri, & duas sortes illis inscribi præcepit: voluit autem, ut alter ex illis nominaretur *Dominus*, alter vero *emissarius*. (Lev. xvi. 8. &c.) Nomina itaque capris imposita *Dominus* & *emissarius*. Designatur autem per utrosque unus & solus Filius & Dominus Iesus Christus... Christus itaque secundum Scripturas factus est hostia pro peccatis nostris; & hac etiam de caussa peccatum nominatur. Quare scribit sapientissimus Paullus: *Eum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit*: (2. Cor. v. 21.) nimirum Deus & Pater. Neque enim dicimus Christum fuisse peccatorem; absit hoc: sed hunc iustum, immo illam ipsam iustitiam (peccare enim non novit) victimam fe-

Digitized by Google

ficium hirci emissarii: magna quippe est inter utrumque sacrificium convenientia (K).

I. Cuius rei gratia singulis sacrificiis adiungebantur similæ, vini, olei, salis & turis libamina?

[Isai. liii. 12.] cit Pater pro mundi peccatis. *Et cum iniquis reputatus est*, eum sententiam sustinuit iniquis convenientissimam. Cui quidem rei fidem facit Esaias divi- [Ibid. vi. 5.] nus Propheta. *Omnes*, inquit ille, *quasi oves erravimus, unusquisque in via sua erravit: & Dominus tradidit eum pro iniquitatibus nostris, & ipse pro nobis dolet, & livore eius sanati sumus*. Scribit & sapientissimus Petrus, dicens, [1. Pet. ii. 24.] quod *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*. Iis ergo, qui in terris erant, sors illa impendebat, ut mori nceesse esset; idque tum propter transgressionem in Adam, tum propter peccatum, quod ab eo ad nos usque tyrannidem suam extendebat. Verum Dei Patris Verbum illud, largum ad benignitatem atque clementiam, factum est caro, hoc est, homo nobis peccato obnoxiis conformis, & sortem nostram subiit. Nam ut optime Paullus scribit: [Heb. ii. 9.] *Gratia Dei pro omnibus gustavit mortem, suamque animam pro omnium vita redem-* [Matth. xx. 28.] *ptionem dedit. Sed & unus quoque pro omnibus mortuus est, ut omnes Deo vi-* [2. Cor. v. 15. Rom. iii. 24.] *vamus, sanctificati, & vivificati per sanguinem eius; iustificati etiam gratis per gratiam ipsius*. Nam & beatus Evange- [1. Ioan. i. 9.] lista Ioannes scribit: *Iesu Christi sanguis ab omnibus peccatis nos emundat*. Nomen itaque capro immolato erat Dominus; sorteque mactabatur, & sancta erat sacraque victima in typum Christi, qui non pro se ipso, sed.... pro nobis mortuus est, sanguineque suo Ecclesiam sanctificavit.... Considerandum est igitur in capro immolato Emmanuelem subiisse mortem seeundum carnem, sed hoc ad mortis peccatique destructionem. [Ps. lxxxvii. 6.] Erat enim inter mortuos liber, utpote neque a peccato victus, neque mortis sententiæ, sicut nos, obnoxius. In altero quoque, hoc est, in vivo ac demisso hirco, eumdem spectemus, dum in eo quod secundum humanam naturam patitur, non patitur seeundum divinam; & dum carne moritur, mortis victor evadit: neque secundum Iudæorum amentiam, nobiscum in monumento remansit, neque una cum aliis intra inferni portas detentus fuit. Nam ut Discipulus illius asserit: *Non derelicta est in inferno anima eius, neque caro* [Ps. xv. 10. Act. ii. 27. 31.] *eius vidit carruptionem*: revixit enim spoliatis inferis.... & ad supernum cælestemque Patrem, locum utique hominibus inaccessum, abscessit; peccatis nostris in se susceptis, & propitiatio pro illis exsistens. Scribit enim beatus Ioannes his qui in illum credebant: *Fi-* [1. Ioan. ii. 1. 2.] *lioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi....* Erat enim in utroque unus & solus Filius & Dominus Iesus Christus adumbratus; ut qui, licet secundum propriam carnem pateretur, tamen extra omnem passionem ageret: ut morti subiectus, & supra mortem. Vivebat enim Dei Verbum etiam interea dum sancta illius caro mortem gustabat: manebatque impatibile, quamvis proprii corporis passionem veluti propriam in se transferret.

(K) Levit. xiv. 48. *Vide supra huiusce cap. §. 4. litt.* (T)

S. Cyrill. Alexandr. *Epist. ad Acacium, ubi supra*. Videre est autem magnum hoc, profundumque mysterium, & alia quoque figura in Levitico delineatum.... duæ itaque sunt aviculæ inculpatæ, hoc est, mundæ, nullamque habentes maculam, quæ a lege notetur; & altera quidem mactabatur super aquam vivam; altera vero a cæde libera, deinde tincta sanguine super aquam vivam occisæ, ad exemplum hirci in solitudinem dimittitur. Et hic rursum typus magnum illud venerandumque Salvatoris nostri mysterium nobis indicat. Venerat enim Verbum e supernis, hoc est ex Patre & e cælo: quare recte admodum volueri comparatur. Descendit autem per carnis dispensationem ad nostram similitudinem, & formam servi accepit: verumtamen & hoc quoque pacto e supernis est..... Ceterum quod ante visum est in hircis, hoc ipsum & in passeribus ipsis observare licet; Verbum carne quidem passum esse secun-

Pars III. Sect. II. Cap. VII §. 6.

R. Hoc ritu fiebat ut sacrificia sacri convivii instar essent, in quo carnes, panis, vinum, oleum & sal apponerentur. Tus autem faciebat ad suavitatem convivii.

Sed missa hac interpretatione, quæ forte plus habet subtilitatis quam veritatis, longe satius est isthæc omnia ad mysticas rationes accommodare: siquidem constat ritus omnes veterum sacrificiorum mysterii caussa fuisse institutos apud eum populum, cui, ut ait Apostolus: *Omnia contingebant in figuris*. (1. Cor. x. 11.)

De olei & turis significatione iam diximus: cetera prosequamur. (Hocce §.)

Simila & vino designabatur Missæ sacrificium, quod sub panis & vini specie erat offerendum. Nam Christus ipse se panis nomine designat: *Ego*, inquit, *sum panis vivus qui de cælo descendi*. (Ioan. vi. 51.) Vino autem Christi sanguinem intelligi, vel ex illa Iacob prophetia patet, in qua de Christo dicitur: *Lavabit in vino stolam suam*, (Gen. xlix. 11) quibus verbis significari sanguinem Christi fundendum, unanimi sacrorum Interpretum consensione constat (L).

---

dum Scripturas: sed tamen quavis perpessione maius extitisse; & humanitus quidem mortuom, divinitus vero vivum permansisse. Verbum namqoe vita exsistit.... Verum enimvero licet Verbum secundum propriam naturam, passionis mortisque expers permanserit; at suæ tamen carnis.... passiones veluti proprias in se transtulit. Tingebatur enim passer vivus in sanguine occisi; & sanguine quidem illius cruentatus, passionisque propemodom particeps, in solitudinem dimittebatur. Ad cælum enim unigenitum Dei Verbum una cum carne sibi unita rediit.

(Lev. xiv.) Theodoret. *quæst.* 19. *in Levit. Quid significant duo passeres, qui in purificatione leprosi offeruntur*: Salutaris passionis typom continent. Nam quemadmodom ex passeribus, alter mactabatur, alter sanguine mactati tinctus dimittebatur: ita Dominus Christus pro homanitate lepra inquinata crucifixus est, carne quidem perferente mortem, divinitate vero passionem humanitatis sibi accommodante. Jam vero sicut leprosus reddebatur splendidus & purus, ubi adspersus fuisset sanguine passeris immolati mixto aqua pura cum ligno cedrino, hyssopo, & cocco retorto: ita qui credit Christo Salvatori, sacrosancti baptismatis aqua lustratus, peccatorum maculis abstergitur. Porro lignum cedrinum, quod corruptioni minime est obnoxium, repræsentat divinitatem passionis expertem: coccinum vero retortum, humanitatem ex anima & corpore constantem: hyssopus autem, calorem & suavem odorem sancti Spiritus. Per hæc enim qui baptizantur, ab animæ lepra liberantur. Hemina vero olei significat unguentum spiritale.... Porro qui leprosus perdurabat, extra castra degebat, quemadmodum is qui sine pœnitentia delinquit, expellitur extra Ecclesiam.

(L) Tertull. *adversus Marcion. lib.* 4. Ut autem & sanguinis veterem figuram in vino recognoscas, aderit Esaias: *Quis*, inquit, *qui advenit ex Edom? rubor vestimentorum eius ex Bosor. Sic decorus in stola violenta cum fortitudine? Quare rubra vestimenta tua, & indumenta sicut de foro torcularis pleno conculcato?* (Isai. lxiii. 1. & 2.) Spiritus enim propheticus velut iam contemplabundus Dominum ad passionem venientem, carne scilicet vestitum, ut in ea passum, cruentum habitum carnis in vestimentorum rubore designat, conculcatæ & expressæ vi passionis, tamquam de foro torcularis; quia exinde quasi cruentati homines de vini rubore descendant. Multo manifestius Genesis in benedictione Judæ, ex cuius tribu, carnis census Christi processurus, iam tunc Christum in Iuda delineabat. *Lavabit*, inquit, *in vino stolam suam & in sanguine uvæ amictum suum*; (Gen. xlix. 11.) stolam & amictum carnem demonstrans, & vinum sanguinem. Ita

Salem, prudentiæ & sapientiæ symbolum, in singulis sacrificiis adhiberi oportuit, ut intelligeremus necesse fuisse ad illorum sacrificio-

& nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit.

S. Iust. Mart. *Apol. 2. pag.* 73. Porro verbum istud *ligans ad vitem pullum suum, & lavans in sanguine uvæ stolam suam*: symbolum atque indicium fuit, ea quæ de Christo futura erant, quæque ab eo fieri debebant designans. Nam pullus quidam asinæ in introitu quodam vici ad vitem alligatus stabat: quem sibi tum adducere familiares suos iussit, cum eo conscenso Hierosolymam ingressus est, ubi maximum Iudæorum templum fuit, a vobis postea eversum. Et exinde, ut quod reliquum erat prophetiæ compleretur, in crucem est actus. Nam verbum: *Lavans in sanguine uvæ stolam suam*, passionem eius, quam subiturus erat, prænuntiavit; per sanguinem lustrans atque purificans sibi credentes. Quæ enim a divino Spiritu per Prophetam dicta est stola, fideles eius sunt; in quibus quod a Deo est semen, verbum, habitat. Quod vero *sanguis uvæ* dicitur, significat, eum qui appariturus fuerat, sanguinem quidem habiturum, verum non ex humano viri semine, sed ex virtute divina.

In Dialog cum Tryph. Iud. pag. 273. Et illud quod a Mose est in historiam relatum, & a Patriarcha Iacobo prænunciatum: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine vitis pallium, sive amictum suum*: Sanguine eius ablutum iri credentes in eum, significavit. Stolam namque eius vocavit Spiritus sanctus eos qui per illum remissionem peccatorum acceperunt: in quibus continenter virtute adest, manifesto autem adesit in secundo adventu suo. Quod vero Verbum *sanguinem uvæ* dicit, pereleganter declaravit, sanguinem quidem habere Christum, verum non ex hominis semine, sed ex Dei virtute. Quemadmodum enim vitis sanguinem non homo creavit, sed Deus: sic & ipsius Christi sanguinem non ex humano genere, verum ex Dei virtute fore prædixit.

S. Aug. *contra Faust. lib.* 12. *cap.* 42.... Si non lavit in vino stolam suam: ipsa est enim gloriosa Ecclesia, quam sibi exhibet, non habentem maculam aut rugam: cui dicitur etiam per Isaiam: *Si fuerint peccata vestra sicut Phœnicium, tamquam nivem dealbabo*. Unde nisi de dimissis peccatis? In quo ergo vino, nisi illo de quo dicitur, quod *pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Ipse est enim botrus ille qui pependit in ligno. Propterea & hic vide quid adiungat: *Et in sanguine uvæ amictum suum*.

Isai. 1. 18.

Matth. xxvi 28. Num. xiii 24.

De Civ. Dei, lib. 16. *cap.* 41. Stola porro eius quam lavat in vino, id est mundat a peccatis in sanguine suo, cuius sanguinis sacramentum baptizati sciunt, unde & adiungit: *Et in sanguine uvæ amictum suum*; quid est nisi Ecclesia? *Et fulvi oculi eius a vino*: Spiritales eius inebriati poculo eius, de quo canit Psalmus: *Et calix tuus inebrians quam præclarus est*.

Ps. xxii. 5.

B. Theodor. *Quæst.* 110. *in Genes.* Deinceps quoque prædicit passionem: *Lavabit in vino stolam suam: & in sanguine uvæ amictum suum. Gratiosi oculi eius supra vinum, & candidi dentes eius quasi lac*. Et corpus quidem eius stolam appellat, sanguinem vero vinum: quandoquidem mysticum etiam vinum sanguinem vocavit Dominus. Sed & Ioannem Evangelistam audimus docentem, cum miles latus ipsius sauciasset, sanguinem & aquam exiisse. Hi vero fontes per corpus effusi sunt. Idcirco dixit Patriarcha: *Lavabit in vino stolam suam*.

Gen. xlix. 11., & 12.

Ioan. xix. 34.

Emman. Sa, *Comm in Genes. c.* xlix. *In vino*, id est, in sanguine. Tertul. *contra Marc. lib.* 4. Iustinus *ad Anton*.

Stolam, id est, corpus, secundum Tertull. vel fideles, secundum Iustin.

Ioan Menoch. *Comm in Genes c.* xlix. *vers* 11. *Lavabit in vino*, sanguinis sui, *stolam suam*, carnem suam. *Et in sanguine uvæ pallium suum*, sanguine suo Ecclesiam suam, cum scilicet mortuus est in cruce, & in dies lavat mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.

Iacob. Tirin *Comm. in Genes. c.* xlix. *vers.* 11. Et vere alludit huc Patriarcha: sed principalius respicit ad Christum, illiusque passionem, & fructus inde toti orbi consequutos; ut eleganter exponunt Ambrosius, Augustinus, & alii SS. Patres.

rum saporem, ut Christi, æternæ Patris sapientiæ, sale condirentur; alioqui velut insipida fore reiicienda.

I. Cuius rei typus erat sacrificium thymiamatum?

R. 1. Sacrificium laudis, quo per orationem fertur anima nostra ad Deum, incenso thymiamate signabatur.

2. Nihil obstat oblationem thymiamatis videri typum Missæ sacrificii. Adolebatur enim in altari posito in medio sanctuarii; quod quidem sanctuarium, ut diximus, typus erat Ecclesiæ in statu præsenti. *Hocc.* 5.

Adde quod, quemadmodum in thymiamatum sacrificio præcipua habebatur ratio odoris qui ex incenso thymiamate prodibat, sic in Missæ sacrificio sub specie panis & vini offertur ipsa corporis & sanguinis Christi substantia, in quam per consecrationem (in qua posita est præcipua ratio sacrificii,) panis & vinum convertuntur.

I. Dixisti superius, octo præcipue consideranda esse in veteribus sacrificiis; nimirum, cui offerrentur, quæ victimæ, quis sacerdos, quis populus, quo ritu, quo in loco, qua intentione, quid tandem in his mysteriis comprehenderetur. Possuntne isthæc omnia observari in sacrificio Christi?

R. Isthæc omnia habentur in Missæ sacrificio, quod institutum fuit a Christo ad relligionis & divini cultus in lege nova significationem, quemadmodum erant in veteri lege ex Dei instituto sacrificia ad eiusdem cultus & relligionis testimonium. In hoc sacrificio victima Deo acceptissima offertur Deo per manus Sacerdotis, cum certis ritibus, quibus magna subsunt mysteria; offertur, inquam, in templis ad id consecratis, super altare, estque hoc sacrificium latreuticum, eucharisticum, propitiatorium, impetratorium. Est in eo populus qui materiam sacrificii tradat in manus Sacerdotis, & qui oblato sacrificio communicet. *Vide hæc fusius §. 22. n. 10. 11. & 20.* In sacrificio Crucis est quidem victima, Sacerdos, altare, immolatio: sed non est populus qui offerat, non est qui sacrificio corporaliter communicet. Dei optimi maximi paterno erga nos affectu factum est, ut esset in nova lege sacrificium, quo isthæc omnia continerentur, & impleretur perfectissime quidquid erat in veteris legis sacrificiis adumbratum, hoc Missam dicimus.

Quomodo autem Missæ sacrificio & isthæc omnia contineantur, & impleatur perfectissime quidquid erat in antiquæ legis sacrificiis adumbratum, patebit ex infra dicendis (M). *Huius c. §. 10.*

§. 7. *Probatur esse in Ecclesia sacrificium exterius & sensibile.*

I. Qua ratione nobis constat esse in Ecclesia sacrificium exterius & sensibile, quod Deo offerendum sit usque ad seculi consummationem?

R. Id constat ex Scriptura & Traditione.

(M) S. Aug. *Lib.* 10. *de civit. Dei, c.* 20. *vide supra huiusce c. §.* 3. *litt.* (A)

I. Quomodo ex Scriptura?

R. Id astruunt manifestissimis argumentis sacræ veteris & novi Testamenti paginæ.

Habemus in veteri Testamento figuras & Prophetias, quibus illud apertissime prænuntietur.

Huius c. §. 5. & 6. Superioribus paragraphis exhibuimus figuras, quibus illud adumbratum fuisse patet ex supra dictis; nimirum sacrificium Melchisedech, & sacrificia Iudaica.

Iam pauca de Prophetiis dicenda. In his habetur nulla evidentior quam quæ exstat apud Malachiam, cuius Malach. 1. 10. hæc verba sunt: *Non est mihi voluntas in vobis; dicit Dominus exercituum* (populo Iudaico) *& munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Quæ verba non abs re fuerit iuxta Hebræum sermonem de verbo ad verbum sic exhibere: *Non mihi voluntas in vobis, dixit Deus exercituum, & Minchah* (id est oblationem similæ) *non suscipiam de manu vestra; nam ab ortu Solis usque ad occasum eius magnum nomen meum in gentibus, & in omni loco suffimentum offeretur nomini meo, & Minchah* (oblatio similæ) *munda, quia magnum nomen meum in gentibus.*

Tria habentur in hac Prophetia.

1. Sacrificia Iudæorum esse reiicienda.

2. Horum loco substituendam esse oblationem mundam.

3. Hanc oblationem offerendam esse a gentibus ab ortu Solis usque ad occasum, & in omni loco.

Per hanc oblationem intelligi non potest sacrificium crucis: hoc enim non offertur in omni loco, & ab ortu Solis usque ad occasum.

Nec potest intelligi sacrificium interius amoris; neque enim hoc sacrificium novum est, & veteribus substituendum; hoc enim oblatum est semper, & ab omnibus qui Deo ex intimo cordis affectu litaverunt etiam in veteri lege. Quid quod non potest hoc sacrificium videri Protestantibus oblatio munda, multum enim asserunt adiunctum habere sordis ex infirmitate naturæ.

Nec intelligi potest hac oblatione sacrificium laudis & orationis, ut Protestantes opinantur. Nam in hac Prophetia sermo est non solum de hoc laudis sacrificio, quod per *suffimentum* intelligitur, sed etiam de sacrificio rei alicuius exterioris & corporalis: utrumque enim ponitur in Prophetia, suffimentum scilicet & *Minchah* munda. Porro Minchæ nomine certissimum est intelligi oblationem ex simila, oleo & vino, quæ singulis diebus vespere & mane Deo offerebatur ex Iudæorum lege (A).

Evidenter ergo constat, hac oblatione ex simila intelligi in hac Pro-

(A) SS. Patres *in hunc locum vide inf. litt.* (B) *hocce §.* Emman. Sa. Soc. Iesu *comm. in c. vii. Levit. vers. 29. Offerat simul & sacrifi-*

Pars III Sect. II. Cap. VII. §. 7.

cium, id est, libamenta eius. Heb. Chal. & 70. & alter, scilicet offerendum Domino.

Nicol. de Lyra Minorit. *in c.* VII. *Levit. vers.* 29. *Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat simul & sacrificium, id est libamenta eius.* Istud additur ad designandum quid significatur per sacrificium, scilicet illa quæ simul offerebantur cum animali immolando pro pacifica hostia, sicut sunt panes supradicti. Licet enim proprie loquendo sacrificium sit de animali, oblatio de aridis inanimatis, libamentum de liquidis; tamen unum frequenter ponitur pro alio.

Ioan. Menoch. Soc. Iesu *Comm. in capit.* II. *Levit vers.* I. Oblationem sacrificii Hebr. est oblationem מנחה, *Mincha*, quod est sacrificium rerum inanimatarum. Aliqua vertit, *Donum de frumento*: quia vero alia sacrificia sua peculiaria habent nomina, idcirco noster interpres hoc sacrificium, hoc est similæ, sive Mincha, absolute sacrificium appellat. Institutum est hoc sacrificium, 1. pro pauperibus, ne illos offerendi facultas deficeret. 2. Ut Sacerdotibus de pane & annona provideretur; magna enim eius pars Sacerdotibus cedebat. 3. Ut non solum animalibus, sed etiam terræ frugibus Deus coleretur 4. Quia sacrificium erat quasi convivium Deo instructum; ergo præter carnis, panis vel eius materia, vinum & sal adhiberi debuerant. Iussit autem Deus in omni sacrificio animalis offerri similam & vinum, ut patet n. 15. n. 4. 7. & 10. item sal, ut patet hoc c. n. 13 ut scilicet plenum, & perfectum esset convivium.

Simila erit eius oblatio. Quasi dicat, Similam putam sine furfuribus offeret, qui sacrificium, quod Mincha dicitur, offerre voluerit.

Iacob. Tirin. Soc Iesu *Comm. in c.* II. *Levit. vers.* I. *Anima*: id est, homo quispiam, *cum obtulerit oblationem sacrificii*, id est cum offerre voluerit oblationem Deo de rebus inanimatis; *simila erit eius oblatio*, id est poterit offerre similam, seu florem farinæ purissimum, inquit Isidorus. Inferius etiam panes coctos, & *spicas virentes* offerri permittit; nempe ne deesset, etiam pauperrimis, quod Deo in sacrificium offerre possent. Et hæc oblatio rei inanimatæ, quia simplicissima, Hebraice Mincha, Latine hic *sacrificium* generali nomine vocatur.

Dictionar. Hebraic. Buxtorf. *in illud verbum* מנחה Minchah. Munus, oblatio: munus, odoramenta, Daniel II. *vers.* 46.... *De simila muneris.* Levit. v. 15. *Et manus ipsorum*, Esdræ VII. 17. Est etiam Mincha, tempus vespertinum olim sacrificiis & precibus dicatum, ab hora tertia pomeridiana incipiens: *Donec adscenderet tempus vespertinum* I. Reg. XVIII. 29. ad offerenda scilicet sacrificia vespertina.. *Munus, donum, oblatio: dicitur tam de munere profano, quod homo homini dat, quam sacro frumentaceo, quod Deo offerebant. Illud munus & mane & vespere offerebatur.* R. Sal. Levit. XXIV 9. *Quodcunque venit ex proventu frumenti in genere, id* Mincha *dicitur. A vespertina oblatione tempus ipsum vocarunt Hebræi* Mincha, *& id duplex* Mincha magna, *quæ late accipitur*, & Mincha parva *quæ stricte dicitur*. Mincha magna, *seu vespera magna est quæ incipit ab hora sexta & dimidia, id est, statim post meridiem ante primam nostram. Hebræorum descriptio est*: Mincha seu vespera magna est initium temporis sacrificii iugis inter duas vesperas... *Mincha seu vespera parva est* ab hora nona & dimidia, id est *ab hora tertia nostra & dimidia, nempe circa quartam nostram. Hoc tempore durante Templo solebant sacrificia offerre, quæ vocatur* Mincha *: cessante Templo & sacrificiis, viri Synagogæ magnæ substituerunt eis preces, & precatio vespertina vocatur. . Sic tempore Minchæ magnæ precatus est Petrus ascendens in solarium* Act. x 9. *Ad Mincham parvam, seu horam precationis nonam, Petrus & Ioannes iverunt in templum.* Actor III. 1. *Centurio Cæsariensis preces peregit.* Actor. x. 3. 30. *Erat & Mincha sacrificium matutinum*, ut Numeror. XXVIII. 4. 2 Reg. III. 20. *Cui successit* oratio matutina, *cuius initium cum ipso die & finis ad horam quartam, id est ad nostram decimam, non quod per quatuor horas duraret, sed quod quilibet tenebatur eam ante finem horæ quartæ absolvere.* . Sed redeamus ad vocem: *Munus vel oblationem Domino*, Gen. IV. 3. *Et in munere vel oblatione vespertina.* Esd. IX. 5. id est tempore oblationis vespertinæ, *ad munus, vel oblationem eius.* Gen. IV. 4. *Memor sit omnium oblationum tuarum*, Ps. XX. 4. *Et munus.* Dan. II. 46. *& munus vel oblationem eorum*, Esdr. VII. 17.

phetia sacrosanctum Missæ sacrificium, oblationem sane mundissimam, quæ ab ortu Solis usque ad occasum per totum orbem, & in omni loco erat offerenda simul cum laudis & orationis sacrificio ab omnibus gentibus, loco sacrificiorum Iudaicorum. Et hoc sensu Patres omnes antiquissimi hanc Prophetiam intellexerunt quoties de illa sermo fuit. Legantur ea de re Iustinus Martyr, Irenæus, Tertullianus, Eusebius, Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus (B). Ceteros brevitatis

---

(B) S. Iustinus Martyr, *Dialog. cum Tryphone, edit. Paris. in fol. ann.* 1615. *pag.* 344. Verbo nunc vocationis eius tamquam igne inflammati, vere *sacerdotale genus Dei* sumus: prout & Deus ipse testatur, perhibens nos quovis loco in nationibus, victimas sibi placitas & mundas offerre. A nemine sane Deus hostias accipit, nisi a Sacerdotibus suis. Universos igitur, qui per nomen istius sacrificia offerunt quæ Iesus Christus fieri tradidit, hoc est in Eucharistia panis & calicis, quæ in loco omni a Christianis fiunt, prævertens Deus, gratos sibi esse testificatur. Quæ autem a vobis (Iudæis) & vestris illis Sacerdotibus offeruntur, Malach. I. 10. 11. & 12. renuendo abiicit, inquiens: *Et sacrificia vestra non suscipiam ex manibus vestris: quoniam ab ortu solis usque ad occasum, nomen meum glorificatur in gentibus; vos autem profanatis illud*... Porro supplicationes simul & gratiarum actiones quæ a dignis peraguntur, solas perfectas esse, & Deo caras victimas, ipse quoque affirmaverim. Has vero solas facere Christiani didicerunt in ipsius etiam alimoniæ suæ recordatione, aridæ iuxta & liquidæ, in qua & passionis quam pertulit per ipsum Deus Deum meminit.

D. Iren *adversus Hæres. lib.* 4. *cap.* 32. *circa finem*. Sed & suis Discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit, Matth. XXV. 26. 17. &c. & gratias egit dicens: *Hoc est corpus meum*. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis recipiens in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in novo Testamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificavit: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quoniam ab ortu solis usque ad occasum, nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum. Quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens*: Manifestissime significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessavit offerre Deo: omni autem loco sacrificium offertur Deo, & hoc purum, nomen autem eius glorificatur in gentibus. Malach. I. 10. & 11.

Tertull. *Advers. Iud. cap* 5. Denique cum per Moysen in Levitico lex sacerdotalis conscriberetur, invenimus præscriptum populo Israel, ut sacrificia nullo in loco offerrentur Deo, quam in terra repromissionis, quam Dominus Deus daturus esset populo Israel, & fratribus eorum; ut introducto Israel, illic celebrarentur sacrificia & holocausta tam pro peccatis quam pro animabus, & nusquam alibi nisi in terram sanctam. Cur itaque postea per Prophetas prædicat Spiritus futurum ut in omni terra, aut in omni loco offerantur sacrificia Deo, sicut per Malachiam angelum unum ex duodecim Prophetis dicit: *Non recipiam sacrificium de manibus vestris, quoniam ab oriente sole usque ad occidentem nomen meum clarificatum est in omnibus gentibus, dicit Dominus omnipotens. Et in omni loco offeruntur sacrificia munda nomini meo.* Item in Psalmis David dicit: *Adferte Deo patriæ gentium*, indubitate quod in omnem terram exire habebat prædicatio Apostolorum: *Adferte Deo claritatem & honorem, adferte Deo sacrificia nominis eius: Tollite hostias, & introite in atria eius*. Namque quod non terrenis sacrificiis, sed spiritualibus Deo litandum sit, ita legimus ut scriptum est: *Cor contribulatum & humiliatum ho-* Malach. I. 10. & 11. Ps. XCV. 7. & 8. Ps. L. 19.

stia Deo est: & alibi: *Sacrifica Deo sa-*
Pars III. *crificium laudis, & redde Altissimo vota*
Sect. II. *tua*. Sic itaque sacrificia spiritualia lau-
Cap. VII. dis designantur & cor contribulatum ac-
§. 7. ceptabile sacrificium Deo demonstra-
Ps. xlix. 14. tur. Itaque quomodo carnalia sacrificia
reprobata intelliguntur, de quibus & Esai-
Isai. i. 11. as loquitur, dicens: *Quo mihi multitu-*
dinem sacrificiorum vestrorum, dicit Do-
minus? Ita sacrificia spiritalia accepta
prædicantur, ut Prophetæ annuntiant:
Ibid. 13. *Quoniam etsi adtuleritis*, inquit, *mihi*
similam, vanum supplicamentum, execra-
Amos v. 22. *mentum mihi est*. Et adhuc dicit: *Holo-*
cautomata & sacrificia vestra & adipem
hircorum, & sanguinem taurorum nolo:
nec si venitis videri mihi. Quis enim ex-
quisivit hæc de manibus vestris? De spi-
ritualibus vero sacrificiis addit, dicens:
Malach. i. 11. *Et in omni loco sacrificia munda offeren-*
tur nomini meo, dicit Dominus.

Capit. 6. Igitur cum manifestum sit, &
sabbatum temporale ostensum, & sabba-
tum æternum prædictum; circumcisionem
carnalem prædictam, & circumcisionem
spiritalem præindicatam; legem quoque
temporalem, & legem æternalem denun-
tiatam; sacrificia carnalia, & sacrificia
spiritalia præostensa; sequitur ut præce-
denti tempore datis omnibus istis præce-
ptis carnaliter populo Israel, superveni-
ret tempus, quo legis antiquæ & cere-
moniarum veterum præcepta cessarent,
& novæ legis promissio, & spiritualium
sacrificiorum agnitio, & novi Testamenti
pollicitatio superveniret, fulgente nobis
lumine ex alto, qui sedebamus in tene-
bris, & in umbra mortis detinebamur.

Adversus Marcion. lib. 3. *cap.* 22. *ver-*
sus finem. Præmittens itaque, & subiun-
gens proinde passum etiam Christum,
æque iustos eius eadem passuros tam
Apostolos, quam & deinceps omnes fi-
deles prophetavit, signatos illa nota sci-
Ezechiel. ix. 4. licet, de qua Ezechiel: *Dicit Dominus*
ad me, Pertransi medio portæ in media
Hierusalem, & da signum Tau in fron-
tibus virorum. Ipsa est enim littera
Græcorum Tau, nostra autem T, spe-
cies crucis, quam portendebat futuram
in frontibus nostris, apud veram &
Catholicam Hierusalem, in qua fratres
Christi, filios scilicet Dei, gloriam Pa-
tri Deo relaturos, Psalmus vigesimus
primus canit ex persona ipsius Christi
Ps. xxi. 23. ad Patrem: *Enarrabo nomen tuum fra-*
tribus meis: in medio Ecclesiæ hymnum
tibi dicam. Quod enim in nomine & spi-
ritu ipsius hodie fieri habebat, merito a
se futurum prædicabat: & paullo infra: Ibid. 26.
A te laus mihi in Ecclesia magna: & in
sexagesimo septimo. *In Ecclesiis benedi-* Ps. lxvii. 27.
cite Dominum Deum; ut pariter concur-
reret & Malachiæ prophetia: *Non est vo-* Malach. i. 10. & 11.
luntas mea, dicit Dominus, & sacrificia
vestra non accipiam: quoniam ab ortu
solis usque in occasum nomen meum glo-
rificatum est in nationibus, & in omni
loco sacrificium nomini meo offertur, &
sacrificium mundum; gloriæ scilicet re-
latio, & benedictio, & laus, & hymni.
Quæ omnia cum in te quoque deprehen-
dantur, & signaculum frontium, & Ec-
clesiarum sacramenta, & munditiæ sa-
crificiorum, debes iam erumpere uti di-
cas, spiritum Creatoris tuo Christo pro-
phetasse.

Euseb. *lib.* I. *Demonstrat. Evangelicæ*,
cap 6. *pag.* 17. Deinde quasi imperfectis
illis (*Moses Iudæis*) simulacrorum cul-
tu interdicto, per quædam arcana seor-
sum signa, aut relligionem quam ipse
probabat complecterentur, edicens, sa-
crificiis & quibusdam corporalibus ce-
rimoniis, unum supra omnia Deum ut
colerent, præcepit: quam sane relligio-
nem cum admirabiliter divino monitus
Spiritu, non in perpetuum servari opor-
tere intelligeret: unum dumtaxat cir-
cumscripsit locum, addito præcepto, ne
usquam alibi eos, qui ab ipso tradeban-
tur ritus, quam certo illo in loco perfi-
cerent: hic autem erat Hierosolymis,
extra hunc vero neutiquam .... Cum &
ipse Moses divino Spiritu afflatus pro-
viderit novo per Christum instaurato te-
stamento, universisque gentibus nuntia-
to, supervacuum futurum esse, quæ ab
ipso posita est, legum observationem,
quam uno dumtaxat loco, merito termi-
navit, ut si quando ex illo loco pelle-
rentur & patriam libertatem amitterent,
non amplius illis fas esset quas ipse po-
suisset leges aut ritus servare; ut iam
confitendum sit, alterum testamentum
quod per Christum sit denuntiatum, ne-
cessario esse introductum ... Itaque pro-
tinus.... In spiritu & veritate adorandi
ratio per Salvatoris nostri adventum
omnibus gentibus insinuata est. Quod
quidem futurum etiam Prophetæ veteres
tanto ante cognoverant. Dicit itaque
plane Sophonias: *Apparebit Dominus su-* Sophon. ii. 11.
per eos, & perdet omnes Deos gentium

terræ, & adorabunt eum unusquisque de loco suo. Malachias autem simul, & ad eos qui ex circumcisione sunt, sermonem dirigit, & de gentibus talia prædicit: *Non est voluntas, dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non suscipiam de manibus vestris, quoniam ab ortu usque ad occasum nomen meum glorificatum est in gentibus, & omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium mundum*. (*Mal.* 1. 10. 11.) Quod enim in omni loco dicit, incensum & sacrificium offerri Deo, quid aliud significat, nisi non Hierosolymis, neque definite in hoc aut illo loco id futurum? sed in omni regione & in omnibus gentibus, quæ quidem & orationis incensum & sacrificium, quod mundum dictum est, non per cruores, sed pias actiones summo Deo essent oblaturæ?

S. IOAN. CHRYSOST. *adversus Iudaeos orat.* 5. *num.* 12..... Posquam rediissent ac restituta civitate templum extruxissent sacrificiaque peregissent: hanc præsentem desolationem prædicens, futuramque sacrificiorum sublationem; hoc pacto ex persona Dei loquitur Malachias: *Si accipiam facies vestras, dicit Dominus omnipotens, quoniam ab ortu solis usque ad occasum, nomen meum glorificatum est inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo & sacrificium purum. Vos autem prophanastis illud*. (*Mala.* 1. 11.) Quando hæc evenerunt, Iudæe? quando in omni loco incensum oblatum est Deo? Quando sacrificium purum? Non possis aliud proferre tempus, quam hoc, posteaquam Christus advenit. Quod nisi de hoc tempore prædixit, nisi de nostro sacrificio vaticinatus est, sed de Iudaico, etiam legi repugnat Prophetia. Nam cum Moses vetet ullo alio in loco sacrificium fieri, præterquam in eo, quem elegit Dominus Deus, cumque ille in unum locum sacrificia illa concluserit, (*Deut.* XVI.) sane Propheta dicens, quod in omni loco incensum adolendum sit, ac sacrificium purum, adversatur ac repugnat Mosi. Verum nulla est inter illos pugna, neque dissensio. Ille de alio loquutus est sacrificio, & hic de alio post vaticinatus est. Unde hoc declaratur? Tum ex iis quæ dicta sunt, tum ex aliis plurimis signis. Ac primum ex ipso loco: non enim in una civitate, quemadmodum sub Iudæis, sed ab ortu solis usque ad occasum prædixit hanc culturam esse celebrandam. Præterea ex sacrificii modo, siquidem purum illud appellans, declaravit de quo loqueretur. Denique a personis offerentium. Non enim dixit, in Israel, sed in gentibus. Ac ne putares quod in una duabusve aut tribus civitatibus hoc culturæ genus instaurandum esset, non simpliciter dixit: *In omni loco*, sed *ab ortu solis usque ad occasum*; demonstrans quod quantum terræ sol aspicit, tantumdem Evangelium esset occupaturum. Purum autem dicit sacrificium, quasi prius illud fuisset impurum, non quidem suapte natura, sed voluntate offerentium. Et ideo dixit: *Incensum abominatio est mihi*. (*Isai.* 1. 13.) Quamquam & alioqui si quis ipsum hoc sacrificium conferat cum illo, ingens immensumque discrimen inveniet, ut iuxta comparationis rationem solum hoc purum dici mereatur.

In Ps. XCV. *Vide infra huiusce cap.* §. 10. *litt.* (A)

S. AUG. *lib.* 18. *de Civ. Dei, cap.* 35. *num.* 3. *Vide superius* §. 5. *huiusce cap. litt.* (C)

S. HIERONYM. *in cap.* 1. *Malachiæ*. Offertis super altare meum panem pollutum: panes videlicet propositionis, quos iuxta traditiones Hebraicas ipsi serere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere debebatis, & nunc sumitis quoscumque de medio, & voce temeraria respondetis & dicitis: *In quo polluimus eos, sive te?* Dum enim sacramenta violantur, ipse cuius sunt sacramenta violatur... Polluimus panem, id est, corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus, & dicimus: Mensa Domini despecta est.... *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu*, &c. (*Malac.* 1. 10.) Regula Scripturarum est: ubi manifestissima prophetia de futuris texitur, per incerta allegoriæ non extenuare quæ scripta sunt. Ergo proprie nunc ad Sacerdotes Iudæorum sermo fit Domini, qui offerunt cæcum & claudum & languidum ad immolandum: ut sciant carnalibus victimis spirituales victimas successuras, & nequaquam taurorum, hircorumque sanguinem, sed thymiama, hoc est, sanctorum orationes Domino offerendas, & non in una orbis provincia Iudæa, nec in una Iudææ urbe Ierusalem: sed in omni loco offerri oblationem nequaquam

caussa prætermitto. Hanc fuisse veterum omnium Patrum sententiam fatentur ipsi Protestantes (C). Quæ Protestantium confessio nemo non

immundam, ut a populo Israel; sed mundam, ut in ceremoniis Christianorum. *Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen Domini in gentibus*, dicente Salvatore, *Pater manifestavi nomen tuum hominibus*.

Ioan. xvii. 16.

IOAN DE LA HAYE Minor. *in concord. & exposit. litt. in Malach. cap.* 1 *vers.* 11. Per hanc *oblationem mundam* intelligendom est sacrificium corporis & sanguinis Christi in Eucharistia.

NICOL. DE LYRA *in Malach. cap.* 1. *vers.* 11. Iste passus loquitur ad litteram de sacrificio novæ legis, quod est Eucharistia, quod est mundissimum & Deo acceptissimum. In omnibus etiam terræ nationibus sunt aliqui Christiani hoc sacrificium offerentes; & cum dicitor hic, *Quia magnum est*, loquitur Propheta de futuro per modum præsentis, proptee certitudinem prophetiæ.

GUILL. ESTIUS Doctor Lovan. *Comm. in Malach. cap.* 1. *vers.* 11. *Et in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus.* Hanc scripturam magno consensu veteres de sacrificio corporis & sanguinis Christi (qood reiectis antiquæ legis sacrificiis, per universam Catholicam Ecclesiam offertur) interpretati sunt; ut Irenæos *lib.* 4. *contra haeret cap.* 32. Iustinus *contra Tryphonem*, Cyprianus *contra Iudæos*, *cap.* 16. Eoseb. *demonstr. Evang. lib.* 1. *cap.* 6. *& ult.* Hieronymus & Theodoretus *in hunc locum*, Augustinus *lib.* 18. *de Civit. Dei*, *cap.* 35. & *lib.* 19. *cap.* 25. item *lib.* 1. *contra advers. leg. & proph. cap.* 20. & 22. & *in Psalm.* CVI. Chrysost. *Orat.* 4. *contra Iudæos*, Damasc. *lib.* 4. *cap.* 14. Sane & ipse propheticus loqoendi modus ostendit sermonem esse de sacrificio quodam novo & externo, in locum sacrificiorum veterum, qoæ sibi deinceps displicere dicebat, substituendo; sic enim proxime ante hæc verba præcedit: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra*: quasi diceret, Itaque iam aliud in eius locum constituam. Vide nostra in 4 sent. dist. 12

Malach.1.10.

EMM. SA e Soc. Iesu, *Comm. in eumdem locum*. Magnum est. LXX. *Glorificatum est, pro glorificabitur. Loquitur enim de tempore Evangelii.*

Nomini meo, id est mihi.

Oblatio, scilicet in Missa.

Munda, scilicet purissimum Christi corpus.

IOAN. MENOCH. e Soc. Iesu, *Comm. in eumdem locum*. *Ab ortu enim solis*, &c. Quasi dicat, Brevi igitur per Christum efficiam, ut nomen meum gentibus toto orbe prædicetur, illæque me ubique agnoscant, adorent, celebrent.

Sacrificatur, sacrificabitur.

Oblatio munda, sacrificium corporis & sanguinis Christi in Eucharistia.

IACOB. TIRIN. e Soc Iesu, *Comm. in eumdem locum*. *Ab ortu enim solis usque ad occasum*, id est, per oniversom mundum, etiam *in Gentibus*, seu in regnis Gentilium, ut per instantem adventum Christi, & prædicationem Discipulorum & legatorum ipsius, *magnum* & celebre *est nomen meum*, omnibus me pro summo & unico Numine agnoscentibus, colentibus, servientibus: ita etiam ex meo decreto, & Christi instituto, *sacrificatur* mihi *in omni loco, & offertur oblatio* absolute & perfecte *munda*, non multiplex & varia, ut apud vos, sed unica, quæ omnium oblationum vestrarum vim & energiam eminenter continet. Hebraice est Mincha, quod licet in genere *munus* seu *donum* significet, a Deo tamen appropriatur particulari speciei sacrificii ex pane vel farina confecti, ut dixi Levitici 2 quod accedente ordinario libamine vini, typos erat sacrificii novæ legis Eucharistici, in quod unum & solum quadrant omnia iam dicta, ut SS PP. & Doctores orthodoxi ad unum omnes, & etiam Rabbini non pauci, quos citat Galatinus, & Tridentinum Concilium expresse docent: & res ipsa loquitur. Nam in Eucharistia in honorem Dei, ad summum eius in omnia dominium contestandum, panis & vinum transubstantiata in corpus & sanguinem Christi offeruntur per oniversum orbem terrarum, oblatione mundissima, sive substantiam spectes, sive effectum, quæ nulla offerentium ministrorum immunditia inquinari potest. Vide Bellarminum, a Valentia, Suarez, Coninck, & alios Doctores.

Num. xv. 5.

(C) SYNOPSIS CRITICORUM *in cap.* 1. *Malach. vers* 11. *in omni loco* Id est per totum orbem. Confer Psalm. CXIII. 3. In-

Digitized by Google

videt quanti debeat esse ponderis apud omnes veritatis studiosos. Ex hac enim confessione sequitur id nos credere de sacrosancto Missæ sacrificio, quod credidit Ecclesia quinque prioribus seculis, quæ vocantur a Protestantibus optima & felicissima Ecclesiæ tempora.

Esse in Ecclesia sacrificium visibile demonstratur & ex novo Testamento.

1. Ex ipsis verbis, quibus Christus instituit sacrosanctum Eucharistiæ mysterium.

2. Ex scriptis Apostolorum, in quibus legitur fuisse in Ecclesiis altaria, oblatumque ab ipsis Apostolis esse sacrificium.

3. Ex celebri visione, quam refert Ioannes in Apocalypsi.

Primo, Apostoli & Evangelistæ unanimi consensu referunt Christum in Eucharistiæ institutione usum esse verbis, quæ verum sacrificium innuebant. Accipiens enim Christus panem ait secundum
Luc.xxii.19. Lucam: τῦτο ἐϛὶ το σῶμα μȣ, τὸ ὑπερ ὑμῶν διδόμενον; *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, Secundum Apostolum Paullum: τῦτο μȣ ἐϛὶ τὸ σῶμα, τὸ ὕπερ ὑμῶν κλώμενον; *Hoc meum est corpus, quod pro vobis ſrangitur*. Matthæus & Marcus nihil addunt his verbis: *Hoc est corpus meum*. Similiter Christus accepto calice, gratias agens ait secundum Matthæum: τῦτο ἐϛὶ τὸ αἷμά μȣ τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν; *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis eſſunditur in remissionem peccatorum*. Marcus sequitur Matthæum: τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον: Sanguis *qui pro multis eſſunditur*, Lucas: τῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἷματὶ μȣ, τὸ ὕπερ ὑμῶν ἐκχυνόμενον; *Hic calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis eſſunditur*. Paullus Apostolus referens institutionis verba, de sanguinis effusione non loquitur: hæc solum verba refert: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*. Magna vis facienda in his verbis: *Hoc est corpus meum*, Luc.xxii.19.

Pars III. Sect II. Cap. VII. §. 6.

1. Cor. xi. 24. Matth. xxvi. 28. Marc. xiv. 24. Luc. xxii. 20. 1. Cor. xi. 25.

signe hoc est vaticinium de vocatione gentium, simulque de repudiatione Iudæorum. Quamquam vos omnes abiecero, meo cultui nihil decedet; non deerunt qui me honorabunt... *In omni loco ſacrificatur*, &c. *ſuffumigatum & incensum... offeretur, incendetur, admovebitur*, vel *offertur nomini meo oblatio munda, munus purum*, id est, ex farina mundissima sine fermento.... Vetustissimi Patres magno consensu statuunt hanc clarissimam esse prophetiam de sacrificio Christiano; quo nomine non intelligebant nudum sacramentum corporis & sanguinis Christi, ut multi putant, sed totam sacram & sollemnem actionem, cuius illud pars præcipua erat. Huius ergo sacrificii partes duæ sunt; 1. pars rationalis, sive *ſacrificium quod*, nempe precatio, gratiarum actio & commemoratio; 2. pars materialis, sive *ſacrificium quo*, sive per quod prius sacrificium Deo acceptum est, nempe oblatio farrea, panis & vini. Hoc autem *Mincha purum* dicitur, vel 1. quod pure & spiritualiter offertur per preces, &c. non autem modo corporali, ut vetera sacrificia; vel 2. a pura offerentis conscientia; Vide Tit. 1. 15. 16. Iudæorum oblatio polluta erat infidelitate & contemptu Dei, &c: vel 3. respectu puri illius & perfecti sacrificii, Christi scilicet, agni Dei, quem significat & repræsentat; cui favet antithesis polluti sacrificii Iudæorum.

Matth xxvi 28.

quod pro vobis DATUR. Hic est sanguis meus, qui pro vobis EFFUNDITUR, & quidem *in remissionem peccatorum*. Loquitur Christus in tempore præsenti, quasi de actuali immolatione corporis, de actuali libatione sanguinis sui in peccatorum remissionem: quia reipsa immolabat tunc mystice corpus & sanguinem suum pro salute Apostolorum, & ceterorum hominum. Et verba quæ sequuntur in

Locis iisdem

Evangeliis: *Hoc facite in meam commemorationem*, significant veram institutionem sacrificii ad finem usque seculi celebrandi. Horum enim sensus est: Quemadmodum nunc immolo in remissionem peccatorum corpus meum, & sanguinem effundo; ita & vos hoc ipsum corpus immolate, hunc ipsum sanguinem libate in meam commemorationem. Quod feci modo, volo & vos ad finem usque seculi in mei commemorationem faciatis. Et quidem verba institutionis Eucharistiæ intellecta fuisse iuxta nostram explicationem unanimi SS. Patrum traditione constat. Nemo enim ex illis est, qui non fateatur his verbis veri & proprie dicti sacrificii institutionem contineri (D).

2. Ex scriptis Apostolorum con-

(D) Emman. Sa, *Comm. in Matth. cap.* xxvi. *vers.* 28. *Effundetur* scilicet in cruce, Græce *effunditur*, præsens pro futuro.

Ioan. Menoch. *Comm. in Matth. cap.* xxvi. *vers.* 23. *Effundetur*: in Græco est, [illegible] *qui effunditur*, id est, pro vobis, pro redemptione vestra Deo libatur, offertur & effunditur in hoc sacrificio. Dicitur enim fundi sanguis, dum in specie liquida in calice collectus offertur Deo, ac inde in eadem specie funditur in ora sumentium. Potest etiam, *effunditur*, intelligi tempore passionis, ita ut in Græco positum sit præsens pro futuro, *effunditur* pro *effundetur*. Et licet [illegible] iungatur cum [illegible] *Calix*, atque ideo de effusione in cruce sermo esse non videatur, dici tamen potest sumi calicem pro contento sanguine, per metonymiam; dicique effundendum calicem in passione, quia sanguis eo contentus tunc effusus est.

Iacob. Tirin. *Comment. in Matth. cap.* xxvi. *vers* 28. Christus vero suo sanguine hic effuso, id est, in sacrificium oblato (nam liquida offerri solent effusione sui) partim incruente in ultima hac cœna, partim cruente paullo post in cruce, confirmat novum fœdus, novam pro hoc tempore ultimam voluntatem suam, qua nobis legat spiritualia bona & cælestem hereditatem, hac conditione, ut præceptis eius inhæreamus, & sacramentis ab eo institutis utamur.

Emman. Sa, *Comment. in Lucam cap.* xxii. *vers.* 19. *Datur*, id est, offertur. Obtulit enim Christus tunc, ut nunc offerunt Sacerdotes. Vel *datur* pro dabitur, scilicet in mortem.

Iacob. Tirin *Comm. in Lucam, cap.* 22. *vers.* 19. *Hoc est corpus meum*, verum, reale, substantiale, ut alibi dixi: *quod pro vobis datur*, id est, offertur a me Deo Patri; & quidem propria mea specie & cruente in ara crucis: sed iam nunc incruente sub specie panis. Offertur autem *in remissionem peccatorum*: quia sacrificium est non modo eucharisticum, & latreuticum, sed & propitiatorium, pacificum, & satisfactorium pro peccatis. Matth. xxvi 28.

Vers. 20. *Hic est calix continens novum testamentum in sanguine meo*: id est, sanguinem meum, quo sancitur, confirmatur, & stabilitur novum fœdus, quod vobiscum ineo, & nova voluntas mea extrema, ut alibi dixi. Calix, inquam, *qui pro vobis*, & pro multis *fundetur*, id est, offeretur (nam liquida solent sui effusione offerri) non modo cruente crastina die in cruce, sed & incruente iam iam in hac cœna, vobis & me bibentibus. Clarius hæc in Græ- Matth. xxvi. 28.

Digitized by Google

stat fuisse in Ecclesiis altaria, oblatumque ab Apostolis sacrificium fuisse.

Quod Apostolorum tempore fuerit in Ecclesia altare, adeoque sacrificium (nullum enim sacrificium sine altari) constat ex 1. ad Corinthios Epistola, & ex Epistola ad Hebræos.

In 1. ad Corinthios Epistola cap.
1.Cor. x. 21. x. hæc habet Apostolus: *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum*. Mensæ nomine certum est Apostolum hic *Altare* intelligere, in quo sacrificium offertur. Ibi enim comparationem instituit inter altare, in quo sacrificabant Iudæi & Ethnici, & mensam in qua Christiani communicant corpori & sanguini Domini; aitque non licere participes esse simul sacrificiorum quæ in mensa dæmoniorum oblata sunt, & sacrificii quod in mensa Domini offertur. Hoc autem modo intelligendam esse mensam eo loci patet ex toto Apostoli contextu, quod non abs re fuerit hic oculis subiicere.
1 Cor. x 14. & seq. *Carissimi mihi*, inquit, *fugite ab idolorum cultura; ut prudentibus loquor, vos ipsi iudicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. Videte Israel secundum carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? Dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum*. Hic singula verba perpendantur: vis institutæ comparationis attendatur. Sane quemadmodum loquitur Apostolus de participatione hostiarum quæ in altari Iudaico immolatæ fuerant, de participatione victimarum quas gentes dæmoniis immolaverant; ita de participatione corporis & sanguinis Domini in altari Eucharistico oblati certissime loquitur.

Et hoc quidem argumentum non parum sumit roboris ex alio Apostoli loco, in quo scribens ad Hebræos Apostolus cap. XIII. 10. sic loquitur. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, ut*

---

eo: τοῦτο ποτήριον ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, *Hoc est poculum in sanguine meo, quod pro vobis effunditur*. Quod contra Calvinistas aliosque Sacramentarios notandum. Si enim poculum, quod Christus in cœna propinavit, effusum, id est oblatum fuit pro hominibus; clarissime sequitur, poculum istud non nisi ipsissimum Christi realem sanguinem continuisse: nam vinum, ut figura tantum est sanguinis, effundi, id est, offerri non potest pro hominum salute.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 7.

sanctificaret per suum sanguinem populum extra portam passus est.

Ex hoc Apostoli ratiocinio si paullo attentius inspiciatur, & enucleatius explicetur, mihi videtur luculentissime probari sacrosanctum Missæ sacrificium.

Ut autem intelligantur ea quæ hic Apostolus ait, meminisse iu-
Huiusce cap. § 4.
vat eorum quæ supra diximus de Iudaicorum sacrificiorum ritibus, quorum hic manifesta mentio fit. His positis, sic explicari potest totum hoc Apostoli ratiocinium, quod sequentibus propositionibus constat.

Longe sane potior est populi Christiani conditio, quam Iudæorum, etiam Sacerdotum, fuit; cum enim apud eos offerebatur sollemne sacrificium pro peccatorum expiatione, nemo de hoc sacrificio vescebatur, nemo victimis communicabat, nam corpora victimarum, quarum sanguis inferebatur in Sancta per Pontificem pro peccatorum expiatione, tota cremabantur extra castra; in quo typus erant Chri-
Hebr. xiii. 12
sti, qui, *ut sanctificaret per suum sanguinem populum extra portam* Ierosolymorum *passus est*. Nemo ergo huic umbratico & typico victimarum Iudaicarum sacrificio communicabat corporaliter.

At nos Christiani habemus altare in quo offertur Christus, his veteribus sacrificiis adumbratus. Huius victimæ sacratissimæ sanguis illatus est ab ipso Christo Pontifice simul & hostia, illatus est, inquam,
Hebr. ix. 24.
non in manufacta Sancta, exemplaria verorum, sed in ipsum cælum; & tamen illatus est, ut consummaretur peccatorum expiatio. Hanc nos victimam in sanctuarium illatam comedimus, huius corpori & sanguini communicamus. Edimus de altari nostro: quod facere nequeunt qui tabernaculo deserviunt: illis enim vetitum est edere de hostia illata in sanctuarium; hanc totam extra castra cremare tenentur.

Hoc totum esse Apostoli ratiocinium paullo distinctius explicatum cuilibet legenti facile constat. Hic enim loquitur Apostolus de vero altari, de vero sacrificio, de vera communione; quod probatur ex comparatione desumpta ex altari, ex sacrificiis, ex victimis Iudæorum extra castra crematis, & comestis a nemine. Si de communione spirituali loqueretur Apostolus, tantum in hoc Apostoli ratiocinio roboris non fore mihi videtur: nam Iudæi poterant & debebant communicare spiritualiter victimis, quarum sanguis illatus erat in Sancta per Pontificem. Quin & poterant debebantque communicare spiritualiter Christo, qui veteribus illis victimis adumbrabatur: idque docet Apostolus, cap. x. I. ad Cor. Epistolæ, his verbis: *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes,... in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eumdem potum spiritualem biberunt; (bibebant autem de consequente eos petra: petra autem erat Christus.)* Si ergo in eo Apostoli ad Hebræos testimonio de spirituali solum communione quæstio est, nihil est quo Iudaici tabernaculi ministris præ-

cellamus, siquidem & ipsi Christo spiritualiter communicare potuerunt, & debuerunt. Sed in hoc ipsis reipsa præcellimus, quod manducamus victimam extra castra crematam, cuius sanguis illatus est in Sancta per Pontificem: & habemus altare, quo grande hoc miraculum quotidie fit. In hoc præcellimus. Quid efficacius hoc Apostoli ratiocinio ad probandum sacrosanctum Missæ sacrificium?

Fateor S. Thomam aliosque Catholicos Interpretes nonnullos, altare hoc de quo loquitur Apostolus de crucis altari interpretari. Quibus Theologis hic videtur sensus huius loci, nimirum qui Iudaico tabernaculo inserviunt, non posse recipere fructum crucis Christi, adeoque non edere de altari illo, de quo nos edimus, qui non figuræ ut Iudæi, sed veritati hac figura adumbratæ adhæremus. Sed præterquam quod sensus ille, quem non negamus, non pugnat ullatenus cum nostro, quem nemo Catholicus reiicit, ex supra dictis constat multo probabiliorem videri, & dictis Apostoli accommodatiorem cum sensum quem nos exposuimus post S. Chrysostomum, Theodoretum, aliosque non paucos ex vetustioribus sacrarum Scripturarum Interpretibus (E).

Neque vero solum constat ex scri-

(E) S. Ioan. Chrys. *in Epist. ad Hebr. c.* xiii. *Homil.* 33. *num.* 2... *Habemus enim* inquit. *altare ex quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt*. Quæ sunt apud nos, non sunt talia qualia Iudaica, adeo ut nec Pontifici quidem liceat eorum esse particeps. Quamobrem, quoniam dixit, ne observetis: videbatur autem hoc esse eius qui sua destruit, hoc rursus invertit. Num nos quoque non observamus, inquit? observamus etiam vehementius, ne ipsis quidem Sacerdotibus hæc impertientes.
Hebr. xiii. 11. *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem: horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*. Vidisti figuram resplendentem? Extra castra, inquit, & extra portam. Quoniam ergo quæ offerebantur pro peccato, typus quidam erant, & extra castra in holocaustum incendebantur, iure merito extra portam passus est Iesus, qui pro peccatis nostris oblatus est. Quo circa etiam nos oportet eum qui pro nobis mortem tulit imitari, longeque a curis huius mundi recedere hoc est, extra mundum simus, & seorsum a rebus terrenis. Unde hoc aperte
Ibid. 13. subiunxit: *Exeamus ergo ad eum extra castra, improperium eius portantes*. Hoc est, eadem patientes, societatem cum eo habentes in perpessionibus. Tamquam condemnatus, foras actus est in crucem. *Favet quidem* Chrysost. *nostræ opinioni: licet clare sententiam suam non aperiat; uti etiam fatetur Estius in suo Comment.*

B. Theod. *in Epist. ad Hebr. c.* xiii. *vers.* 10 *Habemus altare de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt*. Hoc, inquit, est multo veteri præstantius: illud enim huius est umbra. Illud hostias rationis expertes recipit: hoc vero rationalem, & divinam. Quamobrem nullus illorum Sacerdotum huius fit particeps, nisi prius fidem in Dominum susceperit.

Theophylact. *Comm. in Epist. ad Hebr. c.* xiii. *v.* 10. *Habemus altare, de quo non habent edendi potestatem, qui tabernaculo serviunt*. Postquam dixerat non esse observandos cibos, ne viderentur nostra despicatui habenda, quod observatione careant, Nos, inquit, observationem habemus, verum haud eam quæ sit in huiusmodi cibis, sed super altari, sive incruenta hostia vivifici corporis. Huius enim ut sint participes, ne Pontificibus quidem legalibus permittitur, tantisper dum tabernaculo inserviunt.

Digitized by Google

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. 7.

OECUMEN. *in Epist. ad Hebr. c.* XIII. *vers.* 10. *Comm. c.* 21. *Habemus altare.* Quoniam dixerat quod non oporteat obſervare cibos, ne existimarent contemptibilia esse nostra, eo quod nihil obſervationis haberent, ait: An non & nos observationes habemus? Utique: at non ciborum, sed altaris nostri. Nam eorum quæ super illud ponuntur, neque ipsis Iudæorum Pontificibus liceret esse participes. Hi enim tabernaculo, hoc est, figuræ ac umbræ & non veritati serviunt. *De quo non est fas edere.* Non qualia, inquit, sunt Iudaica, talia sunt & nostra: adeo ut ne ipsi quidem summo Sacerdoti fas sit horum esse participem. *Animalium enim quorum sanguis infertur.* Deinde ostendit veneranda quæ apud Iudæos erant, nostrorum fuisse figuras, & ait: Quemadmodum in victimis, quæ pro peccato offerebantur, sanguis quidem in Sancta inferebatur per Pontificem, corpus vero extra castra cremabatur: ita & Christi sanguis pro mundi peccatis effusus omnem mundum purgavit: corpus vero ipsius extra civitatem Ierusalem in cruce suspensum est; eo quod etiam corpora victimarum pro peccato extra castra cremabantur. Hic itaque sanguis per Pontificem nostrum infertur super altare, quod apud nos est: idcirco non est fas Iudæorum Pontificibus ex ipso altari edere.

ANSELM. LAUD. *Comment. in Epist. ad Hebr.* XIII. 10. Altare est Ecclesia, ubi conſecratur corpus Christi, de quo non habent potestatem edere, qui deserviunt tabernaculo, id est, umbræ veritatis.

D. PRIMAS. *Comm. in Epist. ad Hebr.* XIII. 10 *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Legalem consuetudinem & mysterium, spiritualemque sensum refert. Legis quidem præceptum erat, ut decima die septimi mensis a festivitate Paschali, festivitate videlicet propitiationis, acciperent vitulum & hircum, & immolarent eum in castris: sanguinem autem illorum animalium ferret Pontifex in Sancta Sanctorum solus oraturus pro populo: carnes vero illorum portarentur extra castra, ibique concremarentur; nec esse licitum alicui tabernaculo deservienti ex illis comedere. Spiritaliter autem illa duo animalia vitulus videlicet & hircus, figuram tenent Domini Salvatoris: ipse est vitulus, quem pius pater in regressione filii prodigi immolavit: ipse & hircus: quoniam pro peccatoribus oblatus est. Pontifex quoque ille, qui cum sanguine illorum animalium intrabat in Sancta Sanctorum oraturus pro populo, typum gerebat istius veri Pontificis, qui cum sanguine passionis suæ interiora patriæ cælestis penetravit, oraturus pro fidelibus suis. Immolabantur illa animalia intra castra; sed carnes illorum extra castra comburebantur, quia & Redemptor noster in Hierusalem, quasi intra castra immolatus est, vocibus & iudicio filiorum Israel; sed carnes illorum extra Hierusalem in cruce combustæ sunt igne passionis: quando enim adiudicatus est morti, clamantibus Iudæis: *Reus est mortis, crucifige, crucifige eum*, quodammodo, quantum ad illos pertinet, immolatus est: quod Marcus Evangelista volens nobis ostendere, ita esse dicit: *Erat hora tertia quando crucifixerunt eum*; linguis videlicet suis. Nam hora sexta in cruce levatus est extra Hierusalem, ibique corpus eius combustum est igne passionis. Altare autem illud Iudæorum, quod fiebat extra castra, ubi consumebantur carnes, altare Ecclesiæ est, ubi quotidie consecratur corpus Christi. Habemus ergo altare Ecclesiæ ubi consecratur corpus Dominicum, de quo non habent potestatem edere, qui tabernaculo corporis sui deserviunt: fornicatores videlicet, adulteri, ebriosi, immundi, & ii qui seminant inter fratres discordias, omnesque qui voluptatibus & desideriis carnis suæ deserviunt. *Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit.* *Primasium exscribit* HAIMO Halberstadt. Episc. *in suo in hunc locum Comment.*

Luc. XXIII. 21.

Marc. XV. 25.

I. Cor. II. 29.

ESTIUS *Comment. in cap.* XIII. *Epist. ad Hebr. vers.* 10. Hac sententia docet Apostolus, ad Christi gratiam transire volentibus, necessario relinquendam esse legem Mosaicam. Neque enim eos, qui legi inhærent, haberent ius edendi de altari quod habent Christiani. In quo simul ostendit, nec Christianis deesse suum altare, cuius participes fiant Iudæi, si ad Christum transeant: ne querantur derelicto Moyse sine altari se futuros. Favet hæc pars iis, qui in eo quod præcedit escas interpretati

ſunt ſacrificales. Nam tabernaculo deſervientes ſeu miniſtrantes, græce λατρεύοντες non erant quilibet de populo, ſed ſoli Sacerdotes. Quamquam ex parte totum intelligendum eſt. Sic enim Sacerdotes non poterant eſſe participes altaris quod nos habemus; ergo nec populus utens Sacerdotum miniſterio.

Sed *quæritur* de quo altari loquatur Apoſtolus. Quod quidem Chryſoſtomus in ſuo *Comment.* inexplicatum reliquit. Plerique tam veteres quam recentiores ſignificari volunt menſam Dominicam, ex qua ſumitur a fidelibus corpus & ſanguis Domini, ut ſicut de ea dictum eſt ab Apoſtolo, 1. Cor. x. 21. *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum*: ita hic quaſi dicatur, non poſſunt edere de altari Dominico, qui adhuc tabernaculo deſerviunt in cibis & potibus, ut habetur *ſupra cap.* 9. Tradunt hunc ſenſum imprimis Græci, Theodoretus, Teophylactus, & Oecumenius: & inter Latinos, Primaſius, Sedulius, Anſelmus: item Auctor gloſſæ ordinariæ, Caietanus, Haſſelanus, & alii. Qui ſenſus confirmari videtur ipſis Apoſtoli verbis: nullum enim aliud altare habent Chriſtiani de quo edant, niſi menſam Dominicam. At vero S. Thomas altare hoc interpretatur crucem Chriſti, vel ipſum Chriſtum... Harum porro trium expoſitionum prima, quæ *altare* menſam Domini interpretator, opponi ſolet Hæreticis, qoi ſacrificium incruentom corporis & ſanguinis Chriſti pernegant. Si enim apud nos eſt altare, ex quo hæc ſumantur; eſt & ſacrificium, quo eadem hæc offerantur. Et recte quidem opponitur. Nam etſi non conſtet hunc eſſe ſenſum præſentis loci; tamen urget adverſarios auctoritas, & teſtificatio Patrum, qui ſic intellexerunt. Non enim ſic exponerent, ſi eiuſmodi ſacrificium & altare nullum in Eccleſia agnoſcerent.

Fromond *Comment. in cap.* xiii. *Epiſt. ad Hebr. verſ.* 10. *Habemus altare*, Eucbariſticum, in quo Chriſtus ſub ſpecie panis & vini quotidie immolatur, ut Theodoretus & Patres præſertim Græci exponunt: vox enim, *habemus*, videtur ſignificare aliquod altare, coius ſit præſens uſus in aliquo Eccleſiæ ſacrificio, quale nullum iam eſt præter Euchariſticum incruentum. *De quo* (de cuius hoſtia ſuper ipſum immolata) *edere non habent poteſtatem* (edendi non habent facultatem, lege Evangelica id prohibente,) *qui Tabernaculo deſerviunt*, Sacerdotes Levitici, qui olim in tabernacolo, aut iam in templo Salomonis inter ceremonias, & umbras rerum, quæ iam impletæ ſont, adhuc occupantur; & per conſequens nec omnes Iudæi, qui legalia adhuc obſervant. Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 7.

Ioan Gagnaeus *Commentar. in cap.* xiii. *Ep. ad Hebr. verſ.* 10. *Habemus altare, de quo edere non habent*, &c. Quom iudaicorum ciborum diſcretionem damnaſſet, oſtendit excellentiorem nobis eſſe cibum, a quo edendo arcerentur qoicumque legi inhærerent, & deſervirent. *Habemus*, inquit, *altare*, id eſt, hoſtiam in ara crucis oblatam, ipſum ſcilicet Chriſti corpus, de quo edere non poſſunt, *qui Tabernaculo deſerviunt*, id eſt legem mordicus tenent.

Ioan. Menoch. Soc. Ieſu *Comment. in eumdem locum Habemus altare*; ſcilicet quo offeremus ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti. *De quo edere non habent poteſtatem*, Græce ἐξουσίαν, id eſt, *facultatem, licentiam*: *Qui Tabernaculo deſerviunt*, ii qui legi inhærent.

Iacob. Tirin. Soc. Ieſu *Comment. in eumdem locum*. *Habemus* enim noſtrum quoque *altare* θυσιαστήριον, id eſt, *Sacrificatorium*, non ſolius crucis (ut volunt Hæretici) ſed & Euchariſtiæ & Miſſæ: Hoc enim adhuc habemus, & ex hoc edimus: de crucis autem ſacrificio iam a mille & fere ſexcentis annis peracto quomodo edemus? Ita S. Chryſoſtom. Theodor. Theophil. Anſelm. Sedulius, Primaſius, Haymo, & paſſim Doctores. *De quo*, id eſt, de cuius victima, ſcilicet corpore & ſanguine Chriſti, *edere non habent poteſtatem*, ſeu facultatem, qui *Tabernaculo Moſaico deſerviunt*, Levitæ & Sacerdotes Aaronici, qui legis antiquæ, & iam abrogatæ ceremonias ac ritus obſtinate adhuc ſervant. Neque enim capaces ſunt ſacrificii, & Sacramentorum Chriſti, qui ab Eccleſia ipſius extorres ſunt Ex hoc & ſimilibus locis colligitur, Euchariſtiæ oblationem vere ac proprie ſacrificium eſſe novæ legis: ubi enim *altare* eſt, ibi eſt & ſacrificium & victima, & Sacerdos: nam hæc omnia ſunt correlativa. Hebr. vii.

Digitized by Google

Pars III Sect. II. Cap. VII §. 7.

ptis Apostolorum, fuisse eorum tempore altare ad sacrificium in Ecclesia. Constat præterea oblatum ab his sacrificium fuisse. Hæc enim habet Lucas cap. XIII. Actuum Apostolorum: 1. *Erant in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & doctores, in quibus Barnabas, & Simon,... & Lucius,... & Manahen..... Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos*. Textus Græcus habet *Λειτυργέντων δὲ ἀυτῶν τῷ Κυρίῳ*. Quamvis autem vox illa *λειτυργέντων* ad litteram recte reddita sit in vulgata lectione per vocem *Ministrantibus*; certum est tamen ex tota traditione ministerium hoc nihil aliud fuisse quam ipsum Missæ sacrificium; quod quidem vel ex eo liquet, quod *Liturgiæ* vox usu apud omnem Ecclesiam iam a primis seculis recepto, ipsum Missæ sacrificium significet.

Idem dicendum de voce *fractionis panis*, quæ toties occurrit in Actibus Apostolorum, qua Missæ sacrificium & communionem intelligi non obscurum est ex sacræ Traditionis interpretatione (F).

3. Ex celebri visione quam refert Ioannes Apostolus in Apocalypsi eruitur non contemnenda auctoritas ad stabiliendum sacrosanctum Missæ sacrificium. Ait Apostolus, c. V. Apocalypsis vidisse se *in medio throni & quatuor animalium, & viginti quatuor seniorum, Agnum stantem tamquam occisum*, seu ut habet textus Græcus, tamquam immolatum (*ὡς ἐσφαγμένον*). Qui *cum aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram... Agno dicentes: Dignus es Domine accipere librum & aperire signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu & populo & lingua & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes*. Vers. 6. Ibid. 8. Ibid. 9. Ibid. 10.

Non pauci Interpretes, iique percelebres, merito contendunt his verbis, afflante Spiritu sancto, usum esse Apostolum, ut exhiberet aliquatenus modum, quo Christus offertur in sacrosancto Missæ sacri-

(F) Actor. II. 42. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus..... Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis.

XX. 7. Una autem sabbati cum convenissemus ad frangendum panem, Paullus disputabat cum eis... Ascendens autem frangensque panem, & gustans, satisque alloquutus usque in lucem, sic profectus est.

Act. XX. 11. S. Aug. *Epist.* 36. *alias* 86. *ad Casul.* c. 12. *num.* 28. *Ascendens autem*, inquit, *cum fregisset panem atque gustasset, satisque esset alloquutus usque ad diluculum, sic profectus est*. Absit ut hoc sic accipiatur, tamquam solerent Apostoli Dominico die sollemniter ieiunare. Una enim sabbati tunc appellabatur dies, qui nunc Dominicus appellatur... Aut ergo post peractum diem sabbati, noctis initio fuerant congregati, quæ utique nox iam ad diem Dominicum, hoc est ad unam sabbati pertinebat: & ita eadem nocte fracturus panem, sicut frangitur in sacramento corporis Christi, produxit sermonem usque ad medium noctis, ut post Sacramenta celebrata, rursus usque ad diluculum alloquens congregatos; quoniam multum festinabat, ut lucescente proficisceretur Dominico die.

ficio. Vivit Agnus ille occisus, ideoque videt illum Apostolus in medio throni *stantem*. Sed illum tamen Ecclesia sanctorum hic militans, quam vocat Petrus Apostolus *genus electum*, *Regale sacerdotium*, *gentem sanctam*, *populum acquisitionis*, illum, inquam, Ecclesia mystice immolat & offert quotidie in altari Eucharistico, ut dicemus infra; ideoque & videt illum Apostolus *tamquam occisum* (G). Huiusce c. 10. 1.Petr.II.9.

His omnibus probationibus e Scriptura petitis accedit plurimum ro-

(G) Lud. ab Alcas. e Soc. Iesu *Comm. in Apocal.* v. 6. In agno ergo Ioanni osteoso proculdubio respectum est ad antiquum iuge sacrificium, agni videlicet, qui quotidie offerebatur tam matutino tempore quam vespertino, ut præceptum erat, Exod XIX. 22. & Numer. XXVIII. 3. Animadversa autem allusione, mox facile intelligitur eius significatio, nimirum non deesse in Christi templo (id est, Ecclesia) mirandum sacrificium, idque iuge, & omnia veteris legis sacrificia obnubilans. In sacrificio enim Missæ mysticus agnus offertur. Atque huius agni, sive huius mystici sacrificii frequentiæ tanta est efficacia; ut huic iugi sacrificio debeat Ecclesia Christiana septem sigillorum apertionem, & adytorum sapientiæ cælestis perfectam penetrationem. Cohæret autem hic sensus mirifice & eum contextu, & cum mysterio capitis quarti, & cum rei ipsius veritate. Ac verba quidem ad agni descriptionem spectantia, Missæ sacrificio repræsentando aptissima sunt. Quoniam textui Latino (*Agnum stantem tamquam occisum*) respondet Græcus, Αρνιο ἑστηκὸς ὡς ἐσφαγισμένον, illa vero dictio ἐσφαγισμένον participium est passivum a verbo σφάττω vel σφαγίζω, quod est immolare. Hoc enim idem verbum posuerunt LXX. Genesis XXII. 10. ubi nos legimus, *ut immolaret filium suum;* ubi sermo est de sacrificio Abrahæ. Idem verbum posuere Levit. XIV. 13. Ubi Vulgatus, *immolabit agnum* &c...., Ex his vero palam fit id, quod legimus in Apocalypsi (nempe a Ioanne in medio throni visum fuisse agnum, *quasi occisum*) pro eodem esse, ac quasi immolatum, quasi mactatum, quasi sacrificatum, sanguine videlicet effuso. Porro altaris mysterio nihil aptius. Ibidem passionis Christi offertur victima: diciturque & recte & rite sanguis ipsius in eo sacrificio in scelerum remissionem effundi. Enim vero divini huius sacrificii, mira potentiæ agni revelatio est. Nam oblatus ipse & sanguinis largitor liberalis, exsurgit per mirabilem efficaciam, & ascendit ad thronum Dei, & aperit librum per gloriosam virtutem suam quam Ecclesiæ suæ per hoc sacrificium communicat. Atque ita Ecclesia ipsa semel & iterum in hoc ipso sacrificio quotidie repetit, celebrari, ac innovari in eo, non solum passionis Christi memoriam, sed etiam resurrectionis & ascensionis illius.

Petrus Aureolus Francisc. S.R.E.Card. *in comp. sacr. Script. in Apocal. c.* v. 6 Significabant autem hæc omnia, quod agnus hic est Christus, qui est in medio Romanæ Ecclesiæ, & quatuor Patriarchalium sedium, & viginti qaatuor seniorum: hoc ess, universalium Episcopalium Ecclesiarum sub sacramento Eucharistiæ, in quo continue immolatur ac repræsentatur occisus.

R. P. Iacob. de Bordes Capuc. *in Elucid. paraphrast. Apocal. cap.* 5. *vers.* 6. *Annot.* 4 §. 1. Nunc & agnum illum (*Christum*) esse asserimus in medio throni, quia per sacramentum & sacrificium Eucharistiæ, in quo tamquam agnus immolatur, quæ Deus decrevit in nobis fieri ad nostram iustificationem, & perfectam redemptionem ipse adimplet, &c. *Quod quidem fuse persequitur* § 2. & 3 *punctis* 7.

Nicol. de Lira *in cap.* v. *vers.* 6. Agnum, id est, Christum in medio Ecclesiarum per orbem in nomine eius constitutarum sicut ipse dicit, Matth. ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi*... Dicitur hic agnus ratione immolationis..., tamquam occisus, quia quotidie in Ecclesia immolatur; non moriendo secundum carnem, quia surrexit ad vitam immortalem:... sed secundum effectum & Matth. XXVIII. 20.

boris ex testimonio Traditionis, qua liquido demonstratur oblatum semper in Ecclesia fuisse sacrificium exterius; idque non esse aliud quam ipsum corpus & sanguinem Christi, sub panis & vini speciebus oblatum.

Multa id evidenter adstruunt.

1. Concilia: Nicænum œcumenicorum primum an. 325. Ancyranum, Laodicenum, Carthaginense secundum, habita seculo quarto: Agathense ann. 506. Aurelianense primum ann. 508. Aurelianense tertium ann. 540. Toletanum duodecimum an. 681.(H). Hæc & alia plurima Concilia, quæ brevitatis caussa prætermitto, de exteriori corporis & sanguinis Christi sacrificio in Ecclesia celebrato canones condunt.

---

repræsentationem; quia per oblationem Eucharistiæ communicatur nobis effectus suæ passionis... Non dicitur hic agnus occisus simpliciter, sed tamquam occisus.

Tirinus *in cap. v. vers. 6. Apoc. Agnum* innocentia, mansuetudine, immolatione; non tamen iacentem, ut putat Alcazar; sed *stantem*, tamquam occisum quidem in cruce, sed mox redivivum & immortalem. *Stantem*, inquam, quasi paratum ad perficiendum opus redemptionis a se inchoatum (inquit Richardus:) ad nobis opitulandum, (Ansbertus & Hugo:) ad mediandum inter nos & Deum, & instar advocati pro nobis interpellandum, (S. Augustinus:) ad iudicandum, (Pannonius) Instar occisi apparuisse vult Andr. Cæsariensis propter quinque vulnerum cicatrices, quas in corpore retinuit: Aureolus, Lyranus, & Alcazar, propter modum exsistendi quem habet in Eucharistia, repræsentare nobis occisionem & mortem Christi. Idem enim hic est *agnus*, idem sacrificium crucis & Eucharistiæ quoad victimam, quoad repræsentationem, denique quoad fructum, seu effectum.

(H) Conc. Nicaenum *an.* 325. *Tom.* II. *p.* 675. *can.* 18. Pervenit ad Sanctam Synodum, quod nonnullis in locis, & civitatibus Diaconi dant Presbyteris Eucharistiam, quod nec canon, neque consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt dent corpus Christi. Iam vero illud etiam cognitum est, quod iam quidam ex Diaconis etiam ante Episcopos Eucharistiam attingunt. Hæc ergo omnia auferantur, & Diaconi intra suas mensuras permaneant: scientes quod sunt quidem Episcopi Ministri, Presbyteris verò minores. Accipiant autem suo ordine Eucharistiam post Presbyteros, eis præbente Episcopo vel Presbytero.

Conc. Ancyranum *Can.* I. *an.* 314. *T.* II. *p.* 514. Presbyteros qui sacrificarunt, deinde contra reluctati sunt, non fraudulenter & insidiose, sed vere, nec hoc prius machinati sunt, nec consulto ac de industria id fecerunt, & persuaserunt, ut tormentis subiici viderentur, cum ea specie & opinione tantum inferrentur: visum est eos cathedræ quidem honoris esse participes, non licere autem ipsis offerre, seu sermonem conferre, vel omnino Sacerdotale aliquod munus obire.

Conc. Neocaesar. *an.* 314. *T.* II. *p.* 548. *can.* 13. Presbyteri qui conregionales sunt, in Ecclesia præsentibus Episcopis, vel Presbyteris civitatis, offerre non possunt, nec dare panem sanctificatum, nec calicem porrigere. Quod si absentes sint civitatis Sacerdotes, & fuerint invitati ad dandam orationem, soli poterunt dare. Vicarii autem Episcoporum, quos Græci Chorepiscopos vocant, constituti sunt quidem ad exemplum septuaginta seniorum: sed tamquam consacerdotes, propter solitudinem & studium, quod in pauperes agunt, offerant, & honorabiles habeantur.

Conc. Laodic. *sub* Sylvestro *an.* 320. *T.* II. *p.* 568. *Can.* 19. Oportere seorsum primum, post Episcoporum sermones, Catechumenorum orationem peragi; & postquam exierint Catechumeni, eorum qui pœnitentiam agunt, fieri orationem: & cum ii sub manum accesserint, & secesserint, fidelium preces sic ter fieri: unam quidem scilicet primam, silentio: secundam autem & tertiam per pronuntiationem impleri, deinde sic pacem dari. Et postquam Presbyteri pacem Episco-

po dederint, tunc laicos etiam pacem dare: & sic sanctam oblationem perfici, & solis licere sacratis ad altare accedere, & communicare.

Ex interpret. ISIDOR. MERCAT. Et posteaquam Presbyteri Episcopo pacem dederint, tunc etiam Laicos dare. Et sic oblatio offeratur. Solis autem Ministris altaris liceat ingredi ad altare, & ibidem communicare.

Can. 49. Quod non oportet in Quadragesima panem offerre, nisi sabbato, & solis Dominicis.

CONCIL. CARTHAG. II. *ann.* 390. *can.* 3. *T.* III. *pag.* 695. Chrismatis confectio, & puellarum consecratio a Presbyteris non fiant. Vel reconciliare quemquam in publica Missa, Presbytero non licere.

Can. 8. Felix Episcopos Selemselitanus dixit: Nec illud prætermittendum est, ut si quis forte Presbyter ab Episcopo suo correptus, aut excommunicatus, tomore, vel superbia inflatus, putaverit separatim Deo sacrificia offerenda, vel aliud erigendum altare contra Ecclesiasticam fidem disciplinamque crediderit, non exeat impunitus... Ab universis Episcopis dictum est: Si quis Presbiter a Præposito suo excommunicatus vel correptus fuerit, debet utique apud vicinos Episcopos conqueri, ut ab ipsis eius caussa possit audiri, ac per ipsos suo Episcopo reconciliari. Quod nisi fecerit, sed superbia, quod absit, inflatus secernendum se ab Episcopi sui communione duxerit, ac separatim cum aliquibus schisma faciens, sacrificium Dei obtulerit, loco amisso, anathema habeatur.

Can. 9. Quisquis Presbyter inconsulto Episcopo agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori soo contrarius exsistit.

CONCIL. AGATH. *ann.* 506. *T.* VIII. *pag.* 327. *can.* 14. Altaria placuit non solum unctioue Chrismatis, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari.

P. 332. *Can.* 47. Missas die Dominico a secularibus totas teneri speciali ordinatione præcipimus: ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat. Qui si fecerint, ab Episcopo publice confundantur.

CONC. AURELIAN. I. *ann.* 511. *p.* 355. *can.* 26. Cum ad celebrandas Missas in Dei nomine convenitur, populus non ante discedat, quam Missæ sollemnitas compleatur; & ubi Episcopus fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis.

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. 7.

CONC. AURELIANENSE III. *T.* IX. *p.* 13. *can.* 6. *ann.* 538... De ipsis quoque qoi ordinandi sunt Clerici, regulari custodiatur studio, ne aut duarum uxorum vir, aut renuptæ maritus, aut pœnitentiam professus, aut semus (*id est*, sectus, motilatus,) corpore, vel qoi publice aliquaodo arreptos est, ad supradictos ordines promoveatur. Quod si sciens Episcopus contra hæc statuta agendum esse crediderit, is quidem qui ordioatur, suscepto iuxta anteriores canones privetur officio: sed & ille pro ordinationis temeritate sex mensibus a celebrandis Officiis sequestretur. Quod si Missas intra statutum tempus facere præsompserit, anno integro ab omnium frattum caritate privetur.

Can. 7. *p.* 14.... Episcopus autem qui invitum aut reclamantem præsumpserit ordinare, annuali pœnitentiæ subditus Missas facere non præsomat.

Can. 14. *p.* 16. De Missarum celebritate, in præcipuis dumtaxat sollemnitatibus, id observari debet, ut hora tertia Missarum celebratio in Dei nomine inchoetur, quo facilius intra horas competentes, ipso officio expedito, Sacerdotes possint ad vespertina officia, id est, in vespertino tempore convenire: quia Sacerdotem vespertinis officiis ab Ecclesia talibus præterea diebus nec decet deesse, nec convenit.

CONCIL. TOLETANUM. XII. *ann.* 681. *T.* XI. *p.* 1033. *can.* 5. Relatum est nobis, qoosdam de Sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in uno die videantur Deo offerre: sed in uno die si plorima per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus a communicando suspenduut, & in sola tantum extremi sacrificii oblatione communionis sanctæ gratiam somont; quasi non sit toriens reus illius veri & singularis sacrificii, quotiens participator corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi esse destiterit. Nam ecce Apostolus dicit: *Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris?* Si ergo qui edunt hostias participes sont altaris, certum est, quod hi qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici Sacramenti. Quicumque ergo Sacerdotum deinceps divino altario sacrificium oblaturus accesserit, & se a 1. Cor 10. 18.

2. His adiungi potest argumentum desumptum ex Anathematismo decimo S. Cyrilli adversus Nestorium lecto & probato in Concilio generali Ephesino ann. 431.(I). Item ex querimonia Episcoporum Lybiæ adversus Dioscorum in Concilio Chalcedonensi an. 451. quod ille vinum ad sacrificii celebrationem necessarium præ avaritia diu non dederit; unde factum fuerat sacrosanctum sacrificium non fuisse per id temporis in Lybia celebratum: quæ quidem expostulatio admissa est in Concilio (K).

3. Idem probatur ex libris Liturgicis omnium omnino Ecclesiarum, Exstat etiamnum Liturgia sancti Basilii, item sancti Chrysostomi; exstant & aliæ antiquiores, quarum Auctor non ita certus est. Quæ viget in Occidente Liturgia non minus habet ex antiquitate ponderis. At ex libris illis Liturgicis patet, oblatum semper & ubique in Ecclesia fuisse sacrificium corporis & sanguinis Christi sub specie panis & vini.

4. Idem probatur ex nominibus *Altaris*, *Sacrificii*, *Oblationis*, *Immolationis mysticæ*, *Sacerdotum*, quorum iam a primis Ecclesiæ seculis sollemnem usum fuisse nemo inficiabitur (L).

5. Ex omnibus omnino Patribus qui de Eucharistia scripserunt. Sufficiat proferre Iustinum seculo primo. Irenæum & Tertullianum seculo secundo, Cyprianum tertio; quarto & quinto seculo Eusebium, Opta-

---

communiona suspenderit, ab ipsa, qua se indeceoter privabit gratia communionis, anno uno repulsum se noverit. Nam quale erit illud sacrificium; cui nee ipsa saerifieans participasse cognoscitur? Ergo hoe modis omnibus est tenendum, ut quotiescumque saerifirans eorpus & sanguinem Iesu Christi Domini nostri in altario immolat, toties perceptionis corporis & sanguinis Christi se participem præbeat.

(I) S. Cyrill. *Adversus Nestorium anathemat.* 10. Confessionis nostræ Pontifieem, & Apostolum factum esse Christum, Scriptura divioa docet; obrulisse quoque semetipsum pro nobis Deo & Patri in odorem suavitatis. Si quis ergo dixerit, Pontifieem & Apostolum nostrum non esse ipsum Dei Verbum, posteaquam caro & homo nobis similis factum est; sed hominem illum qui ex mulirre natus est, quasi altrrum quempiam ab ipso diversum: aut si quis Christum pro se ipso quoque, & non potius pro oobis solis saerificium obtulisse dixerit; (neque enim oblatione egebat qui peceatum oon novit:) anathema sit.

(K) Conc. Chalcedon. *ann.* 451. *Tom.* vi. *p.* 1014. *Libellus Ischyrionis Diaconi Alexandriæ sanctæ & œcumenicæ Synodo exhibitus adversus Dioscorum*... Tanta autem contra omnes (non sicut decebat Episcopum, & maxime tantæ civitatis, & Evangelieæ illius sedis Præsulem eonstitutum) perpetrare ausus est, ut etiam & frumentum, quod a piissimis nostris Imperatoribus Eeelesiis Lybiæ propter ariditatem illius provinciæ, & quia ibi omnino triticum non nascitur, præstitutum est; in primis quidem ut ineruenta ex ipso hostia offeratur, deinde ut & peregrini, nec non etiam & provinciales pauperes aliquod mereantur solatium, non permitteret suscipere sanctissimos Episcopos illius provineiæ, sed adæraret & roemerrt memoratum frumentum largissimis pecuniis, ipsum vero in tempore famis gravissimis æstimationibus venumdaret. Et ex hoe neque terribile & incruentum sarrifirium eelebratum rst, neque (sieut dixi) peregrini aut provinciales hoe solatio fruiti sunt.

(L) *Lege de ea re illustrissimi* DD. Episcop. S. Pontii, Tomeriarum. de Eueharistiæ Sacramento *doctissima mandata*.

Digitized by Google

tum, Cyrillum Ierosolymitanum, Hilarium, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum (M). Ceteros taceo; essent enim singuli appellandi.

6. Certum est cum Lutherus & Calvinus prodiere ad tollendum de medio sacrosanctum hoc Sacrificium, tunc illud apud omnes omnino Christianos, etiam apud eos quos vel hæresis vel schisma seiungit ab Ecclesia Romana, oblatum toto terrarum orbe fuisse, sicut etiamnum ab omnibus offertur, si Protestantes excipias. Nec assignari potest ullum tempus, quo sacrificium hoc offerri cœperit: ergo ritus ille ex §. 7. Apostolica traditione manat. Nam, ut probavimus parte 2. huius operis, ubi de Traditionis auctoritate, Sect. 1. cap. 2. § 4. certissime tenenda est illa regula quam tradit S. Augustinus: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis constitutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum certissime creditur.* Lib. 4 de Bapt. adv. Donat. c. 24. Cuius regulæ veritatem nemo non sentit.

(M) S. Iustinus Martyr *Dialogo cum Triphone. Vide superius hocce* §. *litt.* (B.)

S. Irenaeus *lib. 4. cont. hæreses, c.* 18. *alias* 34. *num.* 1. Igitur Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, & acceptum est ei: non quod indigeat a nobis sacrificium, sed quoniam is qui offert, glorificatur ipse in eo quod offert, si accepretur munus eius. Per munus enim erga Regem, & honos & affectio ostenditur: quod in omni simplicitate & innocentia Dominus volens nos offerre, prædicavit dicens: *Cum igitur affers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quoniam frater tuus habet aliquid adversum te: dimitte munus tuum ante altare, & vade primum reconciliari fratri tuo: & tunc reversus offeres munus tuum.* Matth. v. 23. & 24. Offerre igitur oportet Deo primitias eius creaturæ, sicuti & Moyses ait: *Non apparebis vacuus ante conspectum Domini Dei sui*: Deuter. xvi. 16. ut in quibus gratus extitit homo, in his gratus eis deputatus, eum qui est ab eo percipiat honorem. Et non genus oblationum reprobatum est; oblationes enim & illic, oblationes autem & hic: sacrificia in populo, sacrificia & in Ecclesia: sed species immutata est tantum, quippe cum iam non a servis, sed a liberis offeratur. Unus enim & idem Dominus, proprius autem character servilis oblationis & proprius liberorum, uti & per oblationes ostendatur indicium libertatis. Nihil enim otiosum nec sine signo, neque sine argumento apud eum. Exod. xxiii. 29. Et propter hoc illi quidem decimas suorum habebant consecratas: qui autem perceperunt libertatem, omnia quæ sunt ipsorum ad dominicos decernunt usus, hilariter & libere dantes ea, non quæ sunt minora, utpote maiorem spem habentes vidua illa & paupere hic totum victum suum Luc. xxi 2. mittente in gazophilacium Dei.

N. 3. Ab initio enim respexit Deus ad munera Abel, Gen. iv. 4. quoniam cum simplicitate & iustitia offerebat: Heb. xi. 4. super sacrificium autem Cain non respexit, quoniam cum zelo & malitia, quæ erat adversus fratrem, divisionem habebat in corde, quemadmodum occulta eius arguens Deus ait: Gen. iv. 7. *Nonne si recte afferas, recte autem non dividas peccasti? Quiesce*: Quoniam non sacrificio placatur Deus. Si enim quis solummodo secundum quod videtur, munde, & recte, & legitime offerre tentaverit; secundum autem suam animam non recte dividat eam quæ est ad proximum communionem, neque timorem habeat Dei; non per id quod recte foris oblatum est sacrificium, seducit Deum, intus habens peccatum: nec oblatio talis proderit ei aliquid, sed cessatio mali, quod est intus conceptum, ne per assimulatam operationem, magis autem peccatum ipsum sibi homicidam faciat hominem ... Igitur non sacrificia sanctificant hominem: non enim indiget sacrificio Deus: sed conscientia eius qui offert sanctificat sacrificium, pura exsistens, & præstat acceptare Deum quasi ab amico. *Peccatar autem*, inquit, *qui occidit mihi vitulum, quasi qui occidat canem.* Isai. lxvi. 3.

N. 4 Quoniam igitur cum simplicitate Ecclesia offert, iuste munus eius purum sacrificium apud Deum deputatum est. Quemadmodum & Paullus Philippensibus ait: *Repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quae a vobis missa sunt, odorem suavitatis, hostiam acceptabilem, placentem Deo.* (Philipp. iv. 18.) Oportet enim nos oblationem Deo facere, & in omnibus gratos inveniri fabricatori Deo, in sententia pura & fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione ferventi; primitias earum quæ sunt eius creaturarum offerentes. Et hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura eius. Iudæi autem non offerunt: Manus enim eorum sanguine plenæ sunt: (Isai. i. 15.) non enim receperunt verbum, quod offertur Deo. Sed neque omnes hæreticorum synagogæ. Alii enim alterum præter fabricatorem dicentes Patrem, ea quæ secundum nos creata sunt, offerentes ei, cupidum alieni ostendunt eum, & aliena concupiscentem. Qui vero ex defectione, & ignorantia, & passione dicunt facta ea, quæ sunt secundum nos, ignorantiæ, passionis & defectionis fructus offerentes, peccant in Patrem suum, contumeliam facientes magis ei, quam gratias agentes.

N. 5. Quomodo autem constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, id est, Verbum eius, per quod lignum fructificat, & defluunt fontes, & terra dat primum quidem fenum, post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica? Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ corpore Domini & sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quæ prædicta sunt. Nostra autem consonans est sententia Eucharistiæ, & Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram.

N. 6. Offerimus enim ei quæ sunt eius, congruenter communicationem & unitatem prædicantes carnis & spiritus. Quemadmodum enim qui est a terra panis, percipiens invocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cælesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia spem resurrectionis habentia. Offerimus autem ei, non quasi indigenti, sed gratias agentes dominationi eius, & sanctificantes creaturam. Quemadmodum enim Deus non indiget eorum quæ a nobis sunt, sic nos indigemus offerre aliquid Deo, sicut Salomon ait: *Qui miseretur pauperi, fenerat Deo.* (Prov. xix. 17.) Qui enim nullius indigens est Deus, in se assumit bonas operationes nostras, ad hoc ut præstet nobis retributionem bonorum suorum, sicut Dominus noster ait: *Venite benedicti Patris mei, percipite præparatum vobis regnum. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, sitivi & potastis me: hospes fui, & collegistis me, nudus & cooperuistis me: infirmus, visitastis me: in carcere, & venistis ad me.* (Matth. xxv. 34. & seq.) Sicut igitur non his indigens, vult tamen a nobis propter nos fieri, ne simus infructuosi: ita id ipsum Verbum dedit populo præceptum faciendarum oblationum, quamvis non indigeret eis, ut discerent Deo servire; sic & ideo nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione. Est ergo altare in cælis; (illuc enim preces nostræ, & oblationes nostræ diriguntur,) & templum, quemadmodum Ioannes in Apocalypsi ait: *Et apertum est templum Dei* (Apoc. xi. 19) & tabernaculum, *Ecce enim tabernaculum Dei, in quo habitabit cum hominibus.* (Apoc. xxi. 3)

Tertul. *lib.* 3. *contra Marcionem*, *c.* 22. *Vide superius hocce §. litt.* (B)

S. Cyprian. *Epist.* 1. *alias* 66. *ad Clerum & plebem Furnit.* Graviter commoti sumus ego & collegæ mei qui præsentes aderant, & compresbyteri nostri qui nobis assistebant, fratres carissimi, cum cognovissemus, quod Geminius Victor, frater noster, de seculo excedens, Geminium Faustinum Presbyterum tutorem testamento suo nominaverit: cum iam pridem in Concilio Episcoporum statutum sit, ne quis de Clericis, & Dei Ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat, quando singuli Divino sacerdotio honorati & in clerico ministerio constituti, non nisi altari & sacrificiis deservire, & precibus atque orationibus vacare debeant. Scriptum est enim: *Nemo militans Deo obligat se molestiis secularibus, ut possit placere ei qui se probavit.* (2. Tim. ii. 4.) Quod cum de omnibus dictum sit, quanto magis molestiis & laqueis secularibus obligari non debent, qui divinis rebus & spiritualibus occupati, ab Ecclesia recedere, &

Digitized by Google

ad terrenos & seculares actus vacare non possunt?

Num. XVIII. 20. Cuius ordinationis & relligionis formam Levitæ prius in lege tenuerunt, ut cum terram dividerent, & possessiones partirentur undecim Tribus, Levitica Tribus, quæ templo, & altari & ministeriis Divinis vacabat, nihil de illa divisionis portione perciperet; sed aliis terram colentibus, illa tantum Deum coleret, & ad victum atque alimentum suum ab undecim Tribubus de fructibus qui nascebantur, decimas reciperet. Quod totum fiebat de auctoritate & dispositione Divina, ut qui operationibus Divinis insistebant, in nulla re avocarentur, nec cogitare aut agere secularia cogerentur. Quæ nunc ratio & forma in Clero tenetur, ut qui in Ecclesia Domini, ordinatione clerica promoventur, in nullo ab administratione Divina avocentur, nec molestiis & negotiis secularibus alligentur; sed in honore sportulantium fratrum, tamquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari, & sacrificiis non recedant, sed die ac nocte cælestibus rebus & spiritalibus serviant.

Quod Episcopi antecessores nostri relligiose considerantes, & salubriter providentes, censuerunt ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros voluit avocare. Et ideo Victor cum contra formam nuper in Concilio a Sacerdotibus datam, Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est quod pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in Ecclesia frequentetur. Ut Sacerdotum decretum relligiose & necessarie factum servetur a nobis, simul & ceteris fratribus detur exemplum, ne quis Sacerdotes & ministros Dei altari eius & Ecclesiæ vacantes, ad seculares molestias devocet. Observari enim de cetero poterit, ne ultra hoc fiat circa personam Clericorum, si quod nunc factum est, fuerit vindicatum.

EUSEBIUS *lib.* 5. *Demonstrat. Evang. c.* 8. *Vide superius §.*5. *huiusce cap. litt.*(C) *& lib.* 1. *Demonstrat. Evang. c.* 6. *Vide supra hocce §. litt.* (B)

S. OPTATUS *lib.* 6. *de Donatist. schismate adversus Parmen. n.* 1. Ut mihi videtur liquido demonstratum est in Divinis sacramentis quid nefarie feceritis. Iam illa ostendenda sunt, quæ crudeliter ac stulte vos fecisse, negare minime poteritis. Quid enim tam sacrilegum, quam altaria Dei, (in quibus & vos aliquando obtulistis) frangere, radere, removere? In quibus & vota populi & membra Christi portata sunt. Quo Deus omnipotens invocatus sit: quo postulatus descenderit Spiritus sanctus: unde a multis & pignus salutis æternæ, & tutela fidei, & spes resurrectionis accepta est. Altaria, inquam, in quibus fraternitatis munera non iussit Salvator imponi, nisi quæ essent de pace condita: *Depone*, inquit, *munus tuum ante altare, & redi prius, concorda cum fratre tuo, ut possis pro te Sacerdos offerre*. Matth. v. 24. Quid est enim altare nisi sedes corporis & sanguinis Christi? Hæc omnia furor vester aut rasit, aut fregit, aut removit, Hoc igitur inexpiabile nefas, si de aliqua ratione descendit, uno modo fieri debuit. Sed ut æstimo, alio loco copia lignorum frangi iussit, aliis vero ut altaria raderent, lignorum inopia imperavit. Ut autem alii removerent, ex parte verecundia persuasit: ubique tamen nefas est, dum tantæ rei manus sacrilegas & impias intulistis. Quid perditorum conductam referam multitudinem, & vinum in mercedem sceleris datum? Quod ut immundo ore sacrilegis haustibus biberetur, calida de fragmentis altarium facta est. Si livoris iudicio non vobis sordidi videbamur, quid vobis fecerat Deus, qui illic invocari consueverat? Quid vos offenderat Christus, cuius illic per certa momenta corpus & sanguis habitabat? Quid offendistis etiam vos ipsi, ut illa altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum spatia sancte ut arbitramini obtulistis? Cum impie persequimini manus nostras illic ubi corpus Christi habitabat, feristis & vestras. Hoc modo Iudæos estis imitati: illi iniecerunt manus Christo in cruce: a vobis percussus est in altari.

Num. 2. Hoc tamen immane facinus a vobis geminatum est, dum fregistis etiam calices, Christi sanguinis portatores: quorum species revocastis in mas-

sas, merces nefariis nundinis procurantes, ad quam mercem nec emptores eligere voluistis: avari dum venditis, sacrilegi, dum inconsiderate vendidistis... eam rem cum passim vendi iussistis, emerunt forsitan in usus suos sordidæ mulieres, emerunt Pagani facturi vasa, in quibus incenderent idolis suis. O scelus nefarium! o facinus inauditum! auferre Deo, quod idolis præstes; subducere Christo, quod proficiat sacrilegio.

S. Gregor. Nazian. *Orat.* 1. *pag.* 31. Quis est qui veritatis propugnatorem, unius diecuIæ spatio, velut e luto statuam fingit: illum, inquam, qui cum Angelis stabit, cum Archangelis glorificabit, ad supernum altare sacrificia transmittet, cum Christo sacerdotio fungetur, figmentum instaurabit, imaginem exhibebit, superno mundo opificem aget, &, ut quod maius est dicam, Deus erit, aliosque Deos efficiet?

Pag. 38. Hæc igitur cum ego nossem, illudque insuper, neminem magno, & Deo, & sacrificio, & Pontifice dignum esse, nisi qui prius se ipsum
Rom. XII. 1. Deo *hostiam viventem sanctam exhibuerit, & rationabile obsequium* gratum atque acceptum ostenderit, Deoque sacrificium laudis, ac spiritum obtulerit (quod solum sacrificium, is qui omnia dedit, a nobis exposcit;) quo tandem modo externum illud sacrificium, illud magnorum mysteriorum antitypum ipsi offerre auderem, aut quo modo Sacerdotis habitum, & nomen subire, priusquam sanctis operibus manus purificassem?

Orat. 4. *contra Iulian.* 2. Mensam etiam habeo spiritalem hanc scilicet ac
Ps. XXII. 5. divinam, quam Dominus *paravit mihi in conspectu meo adversus eos qui tribulant me*: in qua reficior & delicior, nec propter saturitatem petulantia efferor: quin potius omnem turbidarum animi promotionum impetum consopio.

S. Cyrill. Hierosolym. *Catechet.* 5. *Mystag.* Postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsam propitiationis hostiam, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum salute, *Et paullo post*, Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus.

S. Hieronym. *in cap.* 1. *Malachia. Vide supra hocce §. litt.* (B)

S. August. *Epist.* 140. *alias* 120. *ad Honorat. seu de gratia novi Testamenti*, *cap.* 19. *num.* 48.... Gratias agimus Domino Deo nostro, quod est magnum sacramentum in sacrificio novi Testamenti, quod ubi, & quando, & quomodo offeratur, cum fueris baptizatus invenies.

Cap. 21. *num.* 61. Vota vero sua sacrificium vult intelligi corporis sui, quod est fidelium sacramentum. Ideo cum dixisset: *Vota mea reddam coram timenti-* Ps. XXI. 26.
bus eum; continuo subiunxit: *Edent pau-* & 27.
peres & saturabuntur. Ipsi enim saturabuntur pane, qui de cælo descendit, qui ei cohærentes, & eius pacem dilectionemque servantes imitantur eius humilitatem.

Lib. 9 *Confessionum*, *cap.* 13. *num.* 36. *Vide superius §.* 18. *cap.* 5 *sect.* 1 *huiusce part. litt.* (L)

Lib 10. *de Civit. Dei*, *cap.* 20. *Vide supra* § 3. *huiusce cap litt* (A)

Serm 2. *in Psal.* XXXIII. *num.* 2. Erat tibi sacrificium secundum ordinem Aaron. (scilicet apud Iudæos,) & postea ipse (Christus) de corpore & sanguine suo instituit sacrificium secundum ordinem Melchisedech.

S. Ioan Chrysost. *lib.* 3. *de Sacerdot. cap.* 4. Sacerdotium enim in terra peragitur sed cælestium ordinum classem obtinet:.... Idcirco Sacerdotium obeuntem ita purum esse decet, ac si in cælis inter potestates illas collocatus esset.... Cum enim videris Dominum immolatum, & iacentem, & Sacerdotem Sacrificio incumbentem, ac precantem omnesque pretioso illo Sanguine rubentes; an putas te adhuc cum hominibus & in terra esse? annon potius in cælos translatus?

Lib. 6. *cap.* 4. Cum autem Spiritum Sanctum invocaverit (Sacerdos), & horrendum illud Sacrificium obtulerit, & communem omnium Dominum assidue tractaverit, quo illum quæso, in ordine constituemus? Quamnam ab illo puritatem, quam pietatem exigemus? Cogita quales oporteat esse manus illas, qualem eam linguam, quæ illa verba effundat, qua denique non puriorem sanctioremque illam animam, quæ tantum Spiritum suscipiat? Tunc Angeli Sacerdoti adsunt totusque cælestium virtutum ordo clamat, ac vicinus altari locus, in illius, qui ibidem, iacet, honorem, iis repletus est: idque vel ex iis, quæ tunc peraguntur, credibile est.

Vide etiam Auctoritates SS. Patrum a nobis supra exscriptas tum §. 5. *litt.* (C) *tum hocce §. litt.* (B)

Digitized by Google

§. 8. *De Nominibus Liturgiæ & Missæ, quibus hoc sacrificium designatur.*

I. Quibus nominibus appellatur hoc sacrificium?

R. Varia est, sive apud Orientales, sive apud Occidentales sacrificii huius appellatio: hoc enim Græci Patres *Liturgiam*, *Mystagogiam*, *Synaxim*, *Anaphoram*, *Prosphoram* appellant; Latini *Missam*, *Collectam*, *Dominicum*, *Agendam*, *Oblationem*, *Communionem*. Sed mos iam invaluit ut apud Græcos *Liturgia*, apud Latinos *Missa* diceretur, omissis ceteris appellationibus.

I. Quid *Liturgiæ* nomine significatur?

R. *Liturgia* vox Græca est, qua significatur quodlibet publicum munus & ministerium. Ab Ecclesiæ autem exordio consecratum est hoc nomen ad significandum sacrosanctum corporis & sanguinis Christi sacrificium, quia nullum est in Ecclesia ministerium magis solemne quam actio Sacerdotis sacrificantis corpus & sanguinem Christi.

I. Cur SS. Patres hoc sacrificium appellavere aliis nominibus supra dictis?

R. *Mystagogiam* appellavere, id est, mysticam actionem, introductionem ad Mysteria.

Synaxim, id est, fidelium congregationem ad celebranda Mysteria.

Anaphoram, id est sursum elationem, quia sursum ad Deum fertur sacrificium hoc.

Prosphoram, id est, Oblationem.

Latini vero Patres & Concilia vocaverunt hoc sacrificium *Collectam*, id est, congregationem fidelium, sicut Græci *Synaxim* (A).

Dominicum, id est, Domini sacrificium (B).

Agendam, hoc est, sacram actionem.

Notum omnibus *Oblationis*, & *Communionis* nomen.

I. Quid sibi vult *Missæ* nomen? Cur huic sacrificio inditum?

R. Variæ a variis afferuntur huius nominis etymologiæ. Hoc quidam derivari asserunt a lingua Hebraica, alii a lingua quæ vulgaris erat apud Septemtrionales populos, qui se in Occidentem effuderunt, & partiti sunt inter se imperium Romanum Occidentis. Aliis alia

(A) *Acta* S. Saturnini, Dativi, &c. *apud* Theod. Ruinart, *pag.* 415. Non quæro utrum Christianus sis, sed an Collectam feceris, vel scripturas aliquas habeas? O stulta Iudicis & ridenda interrogatio! Christianus, inquit, utrum sis, tace. Et addidit: Si in Collecta fuisti, responde. Quasi Christianus sine Dominico esse possit; aut Dominicum sine Christiano celebrari. An nescis satanas, in Dominico Christianum & in Christiano Dominicum constitutum; ut nec alterum sine altero valeat esse? Cum nomen audieris frequentiam Domini disce; & cum Collectam audieris, nomen agnosce. Denique cognosceris a Martyre, & rideris. Tali responsione confunderis. Collectam, inquit, gloriosissime celebravimus, ad Scripturas Dominicas legendas in Dominicum convenimus semper.

(B) *Vide litt. sup. Acta SS. Saturnini, &c.*

PARS III SECT. II. CAP. VII §. 8.

origo magis arridet. Longe probabilius est Missæ nomen deducere a mittendo, adeo ut idem significet *Missa* quod *Missio* seu *Dimissio* (C). Nimirum sollemniter olim post Orationes & Lectiones, & Sermones habitos dimittebantur Catechumeni, Infideles, Pœnitentes

(C) BONA Cardinal. *lib.* 1. *rerum Liturg. cap.* 1. *num.* 1. De Missæ sacrificio clare & strictim disceptoro prima statim occorrit de nomine difficultas...; Quidam Doctores Hebraicæ antiquitati nimium addicti Hebraicum nomen esse putant, ex Deuter. cap. 16. vers. 10. ubi vox *Missah* reperitor, qox oblationem significat. Quam sententiam moedicus sustinent Ioannes Reuchlinus *lib.* 2. *Hebraicar. eruditionum*, Claudius de Sainctes *in Praf. ad Liturgias Patrum*, Baronius *ann.* 34. *num.* 59. Genebrardus *de Liturgia Apostolica cap.* 7. Antonius Demochares *adversus Misoliturgos*, *tom.* 2. *cap.* 1. & alii istorum asseclæ, qoi nollo aoffulti veterum testimonio asseront Apostolos ab Hebræis, Latinos a Petro Principe Apostolorum *Missæ* vocabulum accepisse, ac si nihil antiquom, nihil Catholicum foret nisi Hebræo nomine insignitum. Sed ut optime Bellarminus observat *lib.* 1. *de Missa cap.* 1. si vox ista Hebraica in usu Apostolis fuisset, eam certe retinuissent Græci & Syri, atque aliæ nationes, ut retinuerunt alias similes, ut *Amen*, *Alleluia*, *Sabbaoth*, *Osanna*, *Satau*, *Sabbatum*, *Pascha*. Vocabula enim Hebraica per Græcos ad nos devenerunt; cum ipsi etiam Apostoli, & primi Ecclesiæ Doctores Græce scripserint. Porro apud Græcos nulla est mentio huius vocis neque apud Patres Hebraicæ linguæ peritns, Origenem, Epiphanium, Iustinum, Hieronymum: quod certe admirandum videri posset, si ex Hebræis ad Christianos illa vox emanasset.

Num. 2. Aliam huius nominis originem proponit Genebrardus *loc. cit. cap.* 3. ex Greca voce [illegible], a verbo [illegible], quod est doceo, instituo, & spiritualiter initio: quod significat initiationem, seu mysticam doctrinam, quæ per divinam inspirationem in abdito mentis percipitur sine humano magisterio; ut docet Corderius *in Onomastico Dionysii*: hinc autem ait Genebrardus derivatum forsitan esse nomen Missæ mutata terminatione, quæ secundum diversitatem linguarum variari solet. Nam Græci, inquit, hanc vocem sic pronuntiant [illegible], unde mutata terminatione *Missa* a Latinis deduci potuit. At hæc levissima Genebrardi coniectura est, tanti viri doctrina & eruditione prorsus indigna. Neque obstat quod apud quosdam Græcos Scriptores aliquando vox *Missa* legatur, ut apod Constantinum *in Tacticis*, quem Ioannes Meursius citat *in Glossario Græco-Barbaro*; hi enim recentiores sunt post annum Christi millesimum, & hanc vocem sicut & alias a Latinis acceperunt, & alio sensu usurpant, præsertim Scriptores Tactici, qoi ea passim utuntur pro precibus, quas in exercitu milites Christiani mane & vespere recitabant.

Num. 3. Tertia & singularis hac de re opinio est viri doctissimi Gabrielis Albaspinæi, qui *lib.* 2. *de Sacrament. Euchar. cap.* 3. reiectis aliorum etymologiis Missam dici autumat a nomine *Mess.* quod apud gentes Septemtrionales significat festum sive congregationem. Quia vero populi, ut sacrificio intersint, in unum adunantur, ideo Missæ nomen ipsi sacrificio inditum arbitratur. Ut autem probet Missæ nomen pro festo accipi, & pro populi adunatione, multa congerit ex Capitularibus & Conciliis Franciæ: sed ex illis potius deducitur Missæ nomen ad festum & conventum populi denotandum translatum fuisse... Nec verisimile videtur quod a gentibus Septemtrionalibus Missæ nomen emanare potuerit, quia cum serius ad eas Evangelii prædicatio pervenerit, illud potius ab illis acceperunt a quibus fidei mysteriis imbuti sunt.

Num. 4. His explosis, quarta sententia, eaqoe vera & indubitata stabilienda est, Missæ vocabulum Latinum esse a mittendo dictum. Est enim Missa idem ac Missio, sicut *remissam* pro remissione dicebant antiqui. Tertol. l. 4. advers. Marcionem cap. 18. *Diximus de remissa peccatorum*. Cyprian. de bono patient. *Dominus baptizatur a servo, & remissam*

Digitized by Google

peccatorum daturus ipse non dedignatur lavacro regenerationis corpus abluere. Optat Milevit lib. 1. *Non potuit in remissam peccatorum tingi.* Victor Tunnunensis in Africa Episc. lib. de pœniten. cap. ultimo: *Merebimur remissam omnium peccatorum.* Huius autem appellationis caussam non omnes eamdem tradunt. Quidam volunt Missam dictam a mittendo, quod olim fieret ex donis a populo missis & in unum collatis; quæ expositio Sectariorum est, Missam cum Agape seu convivio Christianorum confundentium.

Num. 5. Aliis placuit Missam dici quasi transmissam, eo quod populus per ministerium Sacerdotis preces & oblationes ad Deum transmittat. Stephanus Eduensis l. de Sacram. altaris cap. 18. *Hac salutatione, nempe,* Ite Missa est, *monentur astantes recedere, quia missa est hostia: propterea ministerium sacrosanctum Missa nuncupatur.* Petrus Cluniacensis l. 2. Miraculorum c. 28. *Sacrificium offertur, quod ex usu iam veteri tracto nomine, quia Deo mittitur, Missa vocatur.* Rupertus Abbas l. 2. de Divinis officiis c. 23. *Sacrosanctum altaris ministerium idcirco Missa dicitur, quia ad placationem inimicitiarum, quæ erant inter Deum & homines, sola valens & idonea mittitur legatio.* D. Thomas 3. part. quæst. 83. art. 4. ad 9. *In fine Missæ Diaconus populum licentiat dicens,* Ite Missa est, *scilicet hostia ad Deum per Angelum; ut scilicet sit Deo accepta.* Alio sensu Magister sententiarum l. 4. Dist. 13. *Missam a mittendo dictam* asserit, *quod Angelus a Deo mittatur, ut assistat sacrificio.* Nicolaus Beguinius Rhemensis lib 3. de Paschate cap. 3. *a mittendo derivatam,* ait, *eo sensu, quo Christus a Patre missus dicitur: quia hæc hostia & a Deo Patre primum ad nos salutis nostræ caussa missa est, & eamdem eius quoque caussa ad eumdem rursus mittimus.* Alcuinus l. de Divinis officiis c. 40. aliam rationem commemorat, *quia nos mittit ad Deum.*

Num. 6. Alii denique, quorum non ambigimus verissimam esse sententiam, *a missione seu dimissione populi, Missæ nomen ortum esse* asseverant, ita ut Missa idem sit ac missio populi, & licentia discedendi. Audiendus primo loco Avitus Viennensis Archiepiscopus, qui circa finem quinti seculi & initio sexti floruit. Is Epistol. 1. ad Gondobaldum Burgundionum Regem, *Non missam facitis,* inquit, *nihil est aliud quam non dimittitis. A cuius proprietate sermonis in Ecclesiis Palatiisque sive Prætoriis Missa fieri pronuntiatur, cum populus ab observatione dimittitur. Nam genus hoc nominis etiam in secularibus Auctoribus, nisi memoriam vestram per occupationes lectio desueta subterfugit, invenietis.* Hæc Avitus, qui non exprimit seculares Auctores, apud quos nomen Missæ hoc sensu reperitur. Mihi vero occurrunt, Cicero, qui in fine Philip. 5. placere dixit, *Legiones bello confecto missas fieri*: & Svetonius in Caligula cap. 25. ubi agens de Lollia Paullina, quam in uxorem duxerat, *brevi,* ait *missam fecit,* hoc est, dimisit. Porro verbis Aviti nihil efficacius ad supra memoratos Scriptores redarguendos, qui Missæ nomen exoticum fingunt, & aliunde derivant. Missio autem in veteri Ecclesia duplex erat: una post Evangelium & sermonem, quando Catechumeni, Infideles, Pœnitentes, & alii quibus vetitum erat Sacramentorum participationi interesse, a Diacono dimittebantur hac voce: *Si quis est Catechumenus, exeat foras*: vel ut dicit Gregor. l. 2. Dialog. c. 23. *Si quis non communicat, det locum*: & hæc dicebatur Missa seu missio Catechumenorum... Altera erat initiatorum, cum re divina peracta eos Diaconus dimittebat dicens; *Ite Missa est*; & hæc Missa fidelium vocabatur. Isidorus l. 6. Orig. cap. 19. *Missa tempore sacrificii est quando Catechumeni foras mittuntur, clamante Levita,* Si quis Catechumenus remansit, exeat foras: *& inde Missa.* Subscribit Isidoro iisdem verbis Rabanus Maurus *l. de Institut. Clericorum cap.* 32. Florus Magister & Remigius Antissiodorens. in fine expositionis Missæ: *Missa,* inquiunt, *nihil aliud intelligitur quam dimissio, id est, absolutio, quam celebratis omnibus tunc Diaconus esse pronuntiat, cum populus a sollemni observatione dimittitur*: quæ verba ab Alcuino transcripserunt. S Gregor. in lib. Sacrament. feria sexta Parasceves: *Deinde communicat ipse, & omnis Clerus, & fiant Missæ.* Ubi Pamelius ad marginem adnotavit: *Ex postrema hac clausula colligere est cur Missa nuncupetur, nempe a dimittendo populo.* Menardus & ordo Romanus ibidem sic le-

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 8.

gunt: *Et communicant omnes sub silentio, & expleta sunt universa*. Cassianus lib. 11. Institut. cap 15 vanitatem describens cuiusdam Solitarii, qui in cella sua quasi in Ecclesia sacrum agebat: *Tum*, inquit, *quasi Diaconus Missam Catechumenis celebrabat*. Hugo Victorinus lib. 2. de Eccles. officiis cap. 41. *Dicit Diaconus*, Ite Missa est, *quasi revertimini ad propria. Ab hac missione, id est, dimissione Missam dicunt appellari*. Bernoldus Presbyter Constantiensis in expositione Ordinis Romani apud Cassandrum in Liturgicis cap. 26. *Missam ideo appellari dicimus, quia lecto Evangelio foras mittuntur ex pronunciatione Diaconi, qui minime offerendo vel communicando non poterant interesse sacramentis divini mysterii*. Cassianus *lib. 3. Institut. cap.* 7. mores describens veterum Monachorum, ait illum qui ad diurnam orationem non occurrebat, priusquam primus Psalmus finiretur, non audere Oratorium introire, sed congregationis Missam pro foribus præstolari, hoc est, dimissionem Monachorum peracto officio. Et *ibidem cap.* 11. ait die Dominico unam tantum Missam, hoc est, dimissionem ante prandium celebrari; quia nimirum semel tantum conveniebant, & officia quæ ante prandium dici consueverant, sine intervallo & dimissione uno contextu simul cum sollemni sacrificio recitabant. Apud Goldastum *Tom. 2. rerum Alamannicarum* exstat interpretatio vocabulorum barbaricorum Keronis Monachi S. Galli, qui ait; *Missa, quia mittitur populus*.

Messire Jacques Benigne Bossuet Eveque de Meaux, *Explication de la Messe num.* 2 Quod Missæ nomen spectat, sine cunctatione definio, originem Latinam esse. Verbum *Missa* alia inflexio est verbi *Missio*. Dicta est *Missa* loco verbi *Missio*; quemadmodum dicitur *remissa* pro *remissio*, *oblata* pro *oblatio*, *ascensa* pro *ascensio*, & forte etiam *secreta* pro *secretio*. *Cetera vide infra §. 22. huiusce capitis*.

Quidquid tamen sit de origine verbi *Secreta*, verbi *Missa* certa origo est; compertumque est, Latinos id nominis Sacrificio dedisse ideo, quia cum ad oblationem ventum esset, Catechumeni, pœnitentes, & a dæmone correpti, in fine vero omnis populus per sollemnem proclamationem dimittebantur.

Catechumenorum aliorumque dimissio item per Diaconi proclamationem fiebat, qui elata voce clamabat: *Exeant Catechumeni*. Qui ad Pontificem accedebant benedictionem accepturi per manuum impositionem, & preces ipsis convenientes; deinde vero humiliter ac tacite recedebant. Idem fiebat a pœnitentibus, postquam recessio ipsis indicta esset. Lymphati item a fideli populo segregabantur, tum quia ob vilitatem suam & diaboli possessionem indigni sunt qui mysteriis assistant; tum quia periculum erat, ne ceremoniam & silentium actu indecenti, inconditoque aliquo clamore turbarent.

Sollemnis hæc Catechumenorum, pœnitentium & lymphatorum exclusio maiorem populo erga veneranda mysteria reverentiam incutiebat; ex qua intelligebant, qua puritate assistendum esset.

Neque minus veneratione digna erat fidelis populi dimissio post completam sollemnitatem, cum ob oculos poneret quod a pluribus Canonibus sancitum est, nefas nimirum esse discedere sine facultate abeundi concessa ab Ecclesia, quæ filios suos, postquam veneratione erga sacra mysteria impleverit, dimittit; ita ut ad propria ministeria remeantes recordarentur, se ab Ecclesia, a qua dimissi abibant, per id admoneri de propriis obeundis muneribus ea religione, quæ suæ vocationi, & spiritui, quo repleti erant, responderet.... Dimissio hæc augusti aliquid præseferebat.... nihilque erat in Sacrificio, quod magis populi oculos perstringeret. Hinc Missæ nomen, & quia hæc missio tribus vel quatuor vicibus sollemniter indicebatur, sacrificium minime singulari numero dicebatur, sed plurali *Missæ*: hinc *Missas facere*, *Missarum sollemnia*, & reliqua; quia non unica tantum dimissio fiebat, sed postquam, ut dictum est, Catechumeni, a dæmone obsessi, pœnitentes dimissi essent, in fine actionis omnis populus abire iubebatur.

M. Bocquillot, *Traitè historique de la Liturgie lib. 1. cap. 1. Hunc vide infra huiusce cap. §. 21. litt.* (B)

ceterique quibus vetitum erat interesse sacrificio. Item peracto Sacrificio sollemniter dimittebantur fideles, sicut dimittuntur etiamnum, per hæc verba: *Ite Missa est*. Ex utraque illa dimissione vulgaris hæc loquendi ratio introducta est, *fit Missa catechumenis*, *fit Missa fidelibus*: id est, dimittuntur catechumeni, dimittuntur fideles. Hinc usus obtinuit ut *Missa catechumenorum* appellaretur corpus illud Orationum quibus poterant interesse catechumeni & pœnitentes; & *Missa fidelium* sacrosanctum Sacrificium, cui interesse soli fideles poterant. Hinc sollemnis illa loquendi formula in Conciliis: *Intra Missarum sollemnia fient preces*, *fient denuntiationes*, &c. Sic frequenti populorum usu factum est ut Missæ nomine intelligeretur sacrosanctum corporis & sanguinis Christi Sacrificium oblatum in Ecclesia per manus Sacerdotis.

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. 8.

I. Antiquusne est hic usus?

R. Antiquissimus; a quarto siquidem ut minimum seculo ad incruentum altaris Sacrificium designandum Missæ vocabulum usurpatum est (D).

(D) S. AMBROSIUS *Epist.* 20. *alias* 14. *aut* 33. *ad sororem Marcellin. num.* 4. Sequenti die, erat autem Dominica, post lectiones atque tractatum dimissis catechumenis, Symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicæ. Illic nunciatum est mihi comperto quod ad Portianam basilicam de palatio decanos misissent, & vela suspenderent, pupuli partem eo pergere. Ego tamen mansi in munere, *Missam* facere cœpi.

Num. 5. Dum offero, raptum cognovi a populo Castulum quemdam, quem Presbyterum dicerent Ariani. Hunc autem in platea offenderant transeuntes. Amarissime flere, & orare in ipsa oblatione Deum cœpi, ut subveniret, ne cuius sanguis in caussa Ecclesiæ fieret, certe ut meus sanguis pro salute non solum populi, sed etiam pro ipsis impiis effunderetur.

S. LEO *Epist.* 11. *alias* 81. *ad Dioscor. Alexandr. Episc. cap.* 2 Ut autem in omnibus observantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri, ut cum sollemnior quæque festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & ea fidelium multitudo convenerit, quam recipere basilica simul una non possit, sacrificii oblatio indubitanter iteretur: ne his tantum admissis ad hanc devotionem, qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodum confluxerint, non recepti: cum plenum pietatis atque rationis sit ut quoties basilicam in qua agitur præsentia novæ plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem ut quædam pars populi sua devotione privetur, si unius tantum MISSAE more servato, Sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte convenerint.

BONA Cardinal. *lib.* 1. *Liturg. cap.* 3. *num.* 1. Exstat primo loco Epistola Pii ad Iustum Episcopum Viennensem (quam recipiunt Orthodoxi, nec audent omnino reprobare Sectarii) scripta, ut Baronio visum est, anno Christi 166. Eius initio sic loquitur S. Pontifex: *Soror nostra Euprepia, sicut bene recordaris, titulum domus suæ pauperibus assignavit, ubi nunc commorantes Missas agimus*. Exstat etiam alia Cornelii Papæ ad Lupicinum eiusdem Viennensis Ecclesiæ Episcopum, in qua ait non licuisse tunc Christianis, neque in cryptis notioribus publice *Missas* agere, propter acerrimam persequutionem. Scripta est circa ann. 254 & inter pseudepigraphas, nec quidem ab Eterodoxis recensetur. Quarto seculo vixit Ambrosius, qui Epist. 13. ad Marcellinam sororem, & sermone 34. *Moneo vos, ut qui iuxta Ecclesiam est, & sine gravi impedimento potest quotidie audiat Missam*. In Ora-

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 9.

§. 9. *Quid sit Missæ Sacrificium.*

I. Quid est stricte loquendo Missæ sacrificium?

R. Est sacrificium corporis & sanguinis Christi, quod Christus & Ecclesia offerunt Deo per ministerium Sacerdotum sub specie panis & vini, ad continuandum & repræsentandum sacrificium crucis.

I. Quam tradidisti superius externi sacrificii stricte sumpti definitionem, convenitne Missæ sacrificio?

R. Competit certe. Hoc enim sacrificium est oblatio rei externæ & sensibilis, Deo facta per Ministrum legitimum, cum immolatione, aliaque mutatione rei oblatæ, idque ad exhibendum Deo quidquid supremo Numini debet creatura rationalis. Rem explico.

Est oblatio rei externæ, & sensibilis, idest, corporis & sanguinis Christi sub specie externa, & sensibili panis, & vini.

Oblatio Deo facta: nam soli Deo offertur Missæ sacrificium, sicut & cetera sacrificia. Fit quidem in eo memoria Sanctorum, sed non offertur ipsis sacrificium, ait S. Augustinus (A). *Lib. 20. contra Faust. c. 21.*

Per Ministrum legitimum; nempe per Episcopos vel Presbyteros, qui eo in munere sunt Ministri, & Christi cuius vices gerunt, & populi pro cuius salute illud offerunt.

Cum immolatione aliaque mutatione rei oblatæ. Hæc immolatio reipsa facta est in cruce, in qua Christus mortuus est. Sed in altari Eucharistico exhibetur solum & repræsentatur mors Christi; nec necesse est ad sacrificii veritatem, ut sit in eo realis immolatio distincta ab ea quæ in cruce facta est; sacrificium enim Missæ aliud non est quoad substantiam a sacrificio crucis; ex utroque unum constat. Cum in veteri lege Pontifex offerebat Deo in sanctuario sanguinem

---

tione item præparatoria ad Missam inter genuinos eius partus agnita a Casaubono; Anselmo autem contra fidem veterum codicum a nupero Scriptore perperam tributa: *Concede mihi*, ait, *hodie & semper Missarum sollemnia puro corde & pura mente celebrare*. Augustinus Ambrosio æqualis serm. 91. de temp. *In lectione quæ nobis ad Missas legenda est*. Item serm. de temp. 237. *Ecce post sermonem fit Missa Catechumenis, manebunt fideles*. Ruffinus Aquileiensis in Latina interpretatione Clementis Romani, Missæ nomine usus est, cum in textu Græco nomen Liturgiæ, sive synaxis invenit. Quinti seculi testis & assertor est S. Leo cognomento Magnus.... Victor Africanus eiusdem temporis scriptor initio lib. 2. Wandalicæ persequutionis: *Liberum arbitrium habetis in Ecclesiis vestris Missas agere*. Paullinus, non ille celebris Nolanus Episcopus, sed alius, qui paucis post illum annis vixit, in vita S. Martini lib. 4.

> *Precedat Missam miseratio, gratior hec est*
> *Hostia, mandatum facient prius obtege nudum.*

Porro Ambrosius, Augustinus & alii citati Auctores eo nomine usi sunt tamquam consueto & dudum fidelibus usitato.

(A) S. Aug. *lib.* 20. *contra Faustum cap.* 21. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit, Offerimus tibi, Petre, aut Paulle, aut Cypriane: sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit. *Cetera vide huiusce operis p.* 2. *Sect.* 3. *cap.* 2. §. 3. *litt.* (H).

Digitized by Google

victimæ iuxta altare holocauſtorum immolatæ, illumque ſanguinem fundebat ad baſes altaris thymiamatum, hac ſanguinis oblatione & litatione vere ſacrificabat Deo, non immolabatur tamen denuo victima.

Eſt tamen in Miſſa immolatio quædam myſtica rei oblatæ, in eo poſita quod res oblata exhibeatur quaſi immolata, quemadmodum in Apocalypſi dicitur viſum ab Apoſtolo Ioanne *Agnum* fuiſſe *ſtantem tamquam occiſum*.

Apocal. v. 6. Vide ſupra §. 7. huius capitis.

Primo enim conſecratio ſeparata corporis Chriſti ſub ſpecie panis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini exhibent ſeparationem eiuſdem corporis & ſanguinis reipſa factam in cruce.

Deinde verba conſecrationis, quorum vi corpus Chriſti præſens ſiſtitur ſub ſpecie panis, & ſanguis ſub ſpecie vini, faciunt ſeparationem quamdam myſticam corporis Chriſti ab eius ſanguine. Nam vi verborum corpus Chriſti reipſa ſub ſpecie panis iſteretur ſeparatum a ſanguine, ſi aliunde corpus illud non eſſet vivens.

Adde quod in hoc ſacrificio materia ſacrificii remota, quæ ex pane & vino conſtat, reipſa tranſmutatur in corpus & ſanguinem Chriſti, qui vera & ſola eſt huius tanti ſacrificii hoſtia. Quemadmodum olim in ſacrificiis thymiamatum ideo ſolum incendebantur thymiamata, ut ex eorum conſumptione prodiret fumus odoriferus, cuius oblatio unicus erat ſacrificii ſcopus.

Tandem per ſacrificium Miſſæ *exhibetur Deo quidquid exhiberi poteſt a creatura rationali:* nimirum hoc ſacrificium latreuticum eſt, propitiatorium, euchariſticum, & impetratorium; quod patebit fuſius ex infra dicendis.

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. 9. & ſeq.

I. Qua ratione probatur in Miſſa offerri vere corpus & ſanguinem Chriſti?

R. Præcipuas huius rei probationes exhibuimus ſuperioribus paragraphis: ceteræ deſumendæ ex iis quæ diximus ſectione prima huius partis, ubi de præſentia reali corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtiæ ſacramento diſſeruimus.

Cap. 4. §. 2. 3. & 4.

I. Cur ais in hoc ſacrificio Epiſcopos & Preſbyteros Chriſti vices agere, eiuſque eſſe Miniſtros?

R. Quia Chriſtus eſt primus & præcipuus huius ſacrificii Sacerdos, ipſe panem & vinum in ſuum corpus & ſanguinem tranſmutat, ipſe offert ſe Deo patri hoſtiam hac ineffabili tranſmutatione.

I. Numquid & Epiſcopi & Preſbyteri hanc ineffabilem tranſmutationem operantur?

R. Operantur quidem, ſed ut organa Chriſti, ut inſtrumenta viventia, quibus utitur Chriſtus. Chriſtus ipſe per Epiſcoporum & Preſbyterorum os loquitur, ipſe per manus eorum agit, & offert ſe Deo. Hinc ubi venitur ad conſecrationem, non iam ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti, & in eius perſona loquitur: *Hoc eſt corpus meum*, inquit, *Hic eſt calix ſanguinis mei* (B).

(B) S. AMBROS. *ſeu* AUCTOR *lib.* 4. *cap.* 4. *de Sacramentis*, *num.* 13. Ergo auctor Sacramentorum quis eſt, niſi Dominus Ieſus? De cælo iſta Sacramenta

I. Id si ita est, Episcopi & Presbyteri dici debent solummodo Ministri Christi, non Sacerdotes: nomen quippe Sacerdotis solis sacrificis competit, qui immolant victimas?

R. Quamvis hæc quæstio videatur esse de solo nomine, cum alioqui constet Christum esse unicum Sacerdotem illum æternum, qui se ipsum reipsa in cruce immolavit, & sanguinem suum offert pro nobis

---

venerunt; consilium enim omne de cælo est.

Num. 14. Tu forte dicis: Meus panis est usitatus. Sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur adstruamus. Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur in superioribus, a Sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro Regibus, pro ceteris: ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, iam non suis sermonibus utitur Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.

Num. 15. Quis est sermo Christi? Nempe is quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, & factum est cælum; iussit Dominus, & facta est terra; iussit Dominus, & facta sunt maria: iussit Dominus, & omnis creatura generata est. (*Genes.* 1. & *seq.*) Vides ergo quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse quæ non erant; quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur? Cælum non erat, mare non erat, terra non erat, sed audi dicentem David: *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt.* (*Ps.* CXLVIII. 5.)

Num. 16. Ergo tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem: sed post consecrationem, dico tibi quia iam corpus est Christi. Ipse dixit, & factum est: ipse mandavit, & creatum est. Tu ipse eras, sed eras vetus creatura: postquam consecratus es, nova creatura esse cœpisti. Vis scire quam nova creatura? *Omnis*, inquit, *in Christo nova creatura.* (2. *Cor.* V. 17.)

Num. 17. Accipe ergo quemadmodum sermo Christi creaturam omnem mutare consueverit, & mutet, cum vult, instituta naturæ. Quomodo requiris? Accipe, & primo omnium de generatione eius sumamus exemplum. Consuetudo est ut non generetur homo, nisi ex viro & muliere, & consuetudine coniugali: sed quia voluit Dominus, quia hoc elegit sacramentum, de Spiritu sancto & Virgine natus est Christus, hoc est, *Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* (1. *Tim.* II. 5.) Vides ergo quia contra instituta & ordinem natus est, homo est natus ex Virgine?

Num. 18. Accipe aliud. Urgebatur populus Iudæorum ab Ægyptiis, interclusus erat mari: divino imperio virga Moyses tetigit aquas & se unda divisit; (*Exod.* XIV. 21) non utique secundum suæ naturæ consuetudinem, sed secundum gratiam cælestis imperii. Accipe aliud. Sitiebat populus, venit ad fontem: (*Exod.* XV. 23. & *seq.*) amarus erat fons, misit lignum sanctus Moyses in fontem, & factus est dulcis fons qui amarus erat: hoc est, mutavit consuetudinem naturæ suæ, accepit dulcedinem gratiæ. Accipe & quartum exemplum. (4. *Reg.* VI. 6.) Ceciderat ferrum securis in aquas, quasi ferrum sua consuetudine demersum est: misit lignum Eliseus, statim ferrum elevatum est, & aquis supernatavit: utique contra consuetudinem ferri, est enim materies gravior quam aquarum est elementum.

Num. 19. Ex his igitur omnibus non intelligis quantum operetur sermo cælestis? Si operatus est in fonte terreno, si operatus est sermo cælestis in aliis rebus, non operatur in cælestibus Sacramentis? Ergo didicisti quod ex pane corpus fiat Christi, & quod vinum & aqua in calicem mittitur; sed fit sanguis consecratione verbi cælestis.

Num. 20. Sed forte dicis, Speciem sanguinis non video sed habet similitudinem: sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis; ut nullus horror cruoris sit, & pretium tamen operetur redemptionis. Didicisti ergo quia quod accipis, corpus est Christi.

Digitized by Google

iugiter sedens ad dexteram maiestatis in excelsis; tamen non immerito Sacerdotum nomen Episcopis Presbyterisque tribuitur. Tum quia Christus fecit illos Sacerdotii sui participes, in quantum eorum lingua & manu utitur ad sacrificii oblationem, ceteraque Sacerdotalia munia, qualis est remissio peccatorum, ut diximus: tum quia & ipsi vere sunt Sacerdotes & sacrifici, licet Christo supremo Sacerdoti subiecti, in quantum vere offerunt Christum Deo, ipsumque mystice immolant in altari Eucharistico, pronuntiando verba consecratoria, quæ eamdem non haberent efficaciam si ab homine non Sacerdote pronuntiarentur.

I. Cur ais Sacerdotes esse quoque Ministros Ecclesiæ?

R. Quia electi, & delegati sunt ab Ecclesia ad offerendum Ecclesiæ nomine sacrificium. Rem explico.

In Missæ sacrificio Ecclesia Christum offert, simulque offert se cum Christo, & in Christo, & per Christum; & id agit per ministerium Sacerdotum (C). Est ergo Missa sacrificium Christi, sacrificium Episcopi vel Presbyteri offerentis sacrificium cuiuscumque Christiani qui vel adest sacrificio, vel hoc pro se facit offerri.

Sacrificium Christi, qui solus est Sacerdos, cui proprie & absolute nomen hoc competat, utpote qui solus immolavit reipsa victimam cuius oblatio fit.

Sacrificium Episcopi vel Presbyteri offerentis, quia Episcopi & Presbyteri sunt Sacerdotes, ut diximus, quorum ministerio Christus immolat se mystice & offert in altari. Pars III. Sect. II. Cap VII. §. 9 Malac. I.

Sacrificium Ecclesiæ, & fidelium, quia Ecclesia & fideles per manus Sacerdotis Christum & sese cum Christo offerunt sacrificium Deo (D).

Dixi a Christo solo factam fuisse victimæ immolationem; quamvis enim Iudæi & Gentiles Christum cruci affixerint, ipse se tamen solus immolavit in cruce; tum quia carnifices Christum affigendo cruci nullatenus cogitabant de oblatione sacrificii, tum quia ipse ait: *Nemo tollit animam meam a me, sed ego ponam eam a me ipso.* Ioan. x. 18.

I. Cur ais Missæ sacrificium esse continuationem sacrificii in cruce oblati?

R. Quia in utroque sacrificio eadem victima, Sacerdos idem: nec differt alterum ab altero, nisi in oblationis modo. Rem explico.

In cruce & in altari Eucharistico Christus Sacerdos, ut diximus, Christus victima: sed offert se Christus in cruce, suum fundendo sanguinem; offert se in altari Eucharistico, sine sanguinis effusione.

Hæc varia & multiplex oblatio unum non multiplex sacrificium est. Offert enim se Christus Deo Patri in cælo, ut docet Apostolus (E), in propitiationem peccatorum, *semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Quam facit in cæ- Hebr. ix. 24. Hebr. vii. 25.

(C) S. AUGUST. *lib.* 10. *de civit. Dei cap.* 6. *Vide superius* §. 1. *huiusce cap. litt.* (A) *& cap.* 20. *Vide* §. 3. *eiusdem cap. litt.* (A)

(D) S. AUGUST. *loco citato supra litt. præced.* (C)

(E) HEBR. IX. 24. Non enim in manufacta Sancta Iesus introivit, exemplaria

lo iugiter oblationem sanguinis sui in cruce effusi, nihil aliud est quam quædam sacrificii in cruce litati continuatio; quam ergo facit per manus Sacerdotum eiusdem sanguinis oblationem in altari Eucharistico, est quoque continuatio sacrificii in cruce litati. Non multiplex oblatio eiusdem victimæ, multiplicitas autem victimarum immolatarum sacrificia multiplicat. Et certe licet plures quotidie Missæ celebrentur, certum est tamen unicum esse in Ecclesia sacrificium, nimirum sacrificium Christi in cruce immolatum & in altari Eucharistico continuatum & exhibitum. Cum ergo quis, commendans se orationibus Episcopi, vel Presbyteri, ait, *velim habeas me commendatum tuis sacrificiis*, sensus non est esse plura in Ecclesia sacrificia; idem Christi sacrificium intelligitur, cuius in qualibet Missa nova oblatio fit. Huius rei typus exstat in sacrificio sollemni quod Iudæorum Pontifex singulis annis offerebat pro peccatorum expiatione. In eo quippe sacrificio offerebatur victima immolatione, deinde sanguis huius victimæ offerebatur denuo in Sancto sanctorum, tum offerebatur tertio in Sancto, fundebaturque circa altare thymiamatis: unum tamen erat sacrificium. De his vide supra capite 3. §. 4.

I. Quandonam Christus instituit hoc sacrificium?

R. Pridie quam pateretur, ut iam diximus, cum accepto pane & calice ait: *Hoc est Corpus meum quod pro vobis frangitur; hic est calix sanguinis mei qui pro vobis effunditur: hoc facite in meam commemorationem.* His verbis, *Hoc facite* &c. Christus Apostolis eorumque successoribus dedit potestatem id faciendi, donec veniret iudicaturus vivos & mortuos, quod ipse fecerat, & offerendi sacrificium quod ipse obtulerat (F). 1. Cor. xi. 24. Luc. xxii. 19.

---

ver rum: sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis:

(F) Concil. XII Toletanum ann. 681. can 5. *Vide supra §. 7. huiusce cap. litt* (H)

Concil. Trident. *ses. 22. cap 1. de Missæ sacrificio.* Quoniam sub priori Testamento, teste Apostolo Paullo, propter Sacerdotii Levitici imbecillitatem consummatio non erat, oportuit, Deo patre misericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Iesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare, & ad perfectum adducere. Is igitur Deus & Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis morte intercedente Deo patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem Sacerdotium eius extinguendum non erat; in cœna novissima qua nocte tradebatur, ut dilectæ suæ sponsæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur; eiusque memoria in finem usque seculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit; & iisdem eorumque in Sacerdotio successoribus ut offerrent, præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, uti semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit. Nam celebrato veteri

Hebr. vii. 9. & 11. 1. Cor. x. 24. Ps. cix. 4. Luc. xxii. 19. 1. Cor. xi. 25.

§. 10. *Cur & quem ad finem offeratur Missæ sacrificium.*

I. Cur offertur Missæ sacrificium? quem ad finem?

R. Missæ sacrificium ex Christi instituto offertur ad eum omnem finem, propter quem poterant olim, ut diximus, offerri sacrificia quæcumque tandem illa essent: veterum enim omnium sacrificiorum Missa complementum est (A). (§. 1 Hainſie cap. & seq.)

Est ergo Missa holocaustum, id

(Exod. xiii.) Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, (Coloſ. 1. 13.) *eripuitque de potestate tenebrarum, & in regnum suum transtulit*. Et hæc quidem munda oblatio est, qua nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest: (Malach. 1. 11) quam Dominus per Malachiam nomini suo quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit: & quam (1. Cor. x. 21.) non obscure innuit Apostolus Paulus Corinthiis scribens, cum dicit non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri: per mensam altare utrobique intelligens. Hæc denique illa est, quæ per varias sacrificiorum naturæ & legis tempore similitudines figurabatur; utpote quæ bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio & perfectio complectitur.

Quæ de cruento altaris sacrificio dicta sunt hocce § maxime illustrantur auctoritate S. Ioannis Chrysost. *in Epist. Pauli ad Hebr. cap. 7 Homil.* 13. *num.* 3.. Hoc ergo hic subindicat magnitudinem sacrificii, quod, unum cum esset, suffecit, & semel oblatum tantum potuit, quantum non potuerunt omnia.... Non est aliud sacrificium: unum nos purgavit.

In Cap. x *homil* 17 *n* 3 An non nos quotidie offerimus? Offerimus quidem, sed eius mortem revocamus in memoriam: & ipsa una est, non multæ. Quomodo una est, non multæ? Quoniam semel fuit oblata sicut illa fuit in sancta sanctorum. Hoc est figura illius & ipsa istius. Eumdem enim semper offerimus: non nunc aliam, cras aliam ovem, sed semper eamdem. Quamobrem unum est sacrificium propter hanc rationem. Quoniam multis in locis offertur, multine sunt Christi? Nequaquam, sed unus ubique Christus, qui & hic est plenus, & illic plenus, unum corpus. Ut ergo multis in locis oblatus, unum est corpus & non multa corpora ita etiam unum est sacrificium. Pontifex noster ille est qui illam obtulit hostiam, quæ nos mundat. Illam nunc quoque offerimus quæ tunc fuit oblata, quæ non potest consumi. Hoc fit in recordationem eius quod tunc factum est. *Hoc enim facite*, inquit, *in meam commemorationem*. (Luc. xxii. 19.) Non aliam hostiam sicut Pontifex, sed eamdem semper facimus, vel potius sacrificii facimus commemorationem.

(A) S. Ioan. Chrysost. *in Psalm.* 95. *Cantate Domino n.* 2. Ob hanc caussam, Fratres, etiam canticum loco circumscriptum est, & altare loco definitum, & populus ille loco conclusus. At Ecclesia pudica & honesta quæ ubique Christum in se circumfert, innumerosque Martyres opposuit ob caritatem quam gerit erga virum, a nullo prohibetur loco: sed in omni loco altaria, & doctrina. Hæc prædicit Deus per Prophetam: nam & Ecclesiasticam exprimens prosperitatem, & alterius populi ingratum animum traducens, ad illos loquitur: *Non* (Mal. 1. 10 & 11.) *est mea voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens. nec accipiam hostias de manibus vestris: quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum glorificatum est inter gentes. & in omni loco sacrificium offertur nomini meo, & sacrificium purum.* Vide quam luculenter, quamquam dilucide mysticam interpretatus est mensam, incruentum sacrificium. Thymiama vero purum appellat sacras preces, quæ cum sacrificio offeruntur: hic enim suffitus Deum refocillat, non is qui a terrenis radicibus sumitur, sed qui a puro corde exhalatur. *Dirigatur* igitur *oratio mea sicut in censum in conspectu tuo*. (Pſ. cxl. 2.) Vides ut ubique

Pars III. Sect. II Cap. VII. §. 10.

est, sacrificium latreuticum. Est sacrificium pro peccato, hoc est propitiatorium. Est sacrificium gratiarum actionis, quod Eucharisticum dicitur. Est sacrificium hostiæ pacificæ ad impetrationem omnium omnino beneficiorum.

1. Est *Holocaustum*, quo defertur Deo supremus latriæ cultus. In eo quippe Christus offert se totum Deo Patri, quemadmodum obtulit se semel in cruce, & offert se iugiter in cælo. Nec possumus adorare Deum per actum religionis præstantiorem, & supremæ Maiestati acceptiorem, quam si Christum & nos cum Christo offeramus sanctissimæ Trinitati.

2. *Est sacrificium pro peccato; sacrificium propitiatorium*. Id patet ex verbis quibus institutum esse hoc sacrificium iam diximus. Sic enim in illius institutione loquitur Christus: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Hic est calix sanguinis mei, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*. Id probatur quoque Traditione. Semper enim Ecclesia existimavit sacrificium hoc offerri in remissionem peccatorum: multas ea de re superius protulimus sanctorum Patrum auctoritates, quibus sequentes addere licet ex S. Cyrillo, qui in altari Eucharistico ait offerri *hostiam propitiationis*: Eusebii, qui ait ibidem offerri *pro toto mundo piaculum, pro anima cunctorum sacrificium, pro omni macula & peccato purissimam hostiam*: S. Chrysost. asserentis in altari offerri *hostiam salutarem, illibatam victimam pro peccatis, sacrificium pretii nostri, victimam sanctam, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis, unicum sacrificium pro salute nostra*. Eadem fere habet S. Hieron. & S. August: qui q. 57. in Levitic. sic loquitur: *Quid sibi vult quod a sanguine sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, si illis sacrificiis hoc unum sacrificium significabatur in quo vera fit remissio peccatorum; a cuius tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur qui volunt habere vitam*. Plurimæ aliæ possent auctoritates afferri, quas brevitatis caussa prætermitto. His accedit ratio in eo posita quod ni-

1. Cor. xi. 24. Matth. xxvi. 28.

Super. §§.

S. Cirill Catech. 5. Mystag.

Euseb. lib. 1. Demonstrat. Evang. c. 10.

S. Chrysost. Homil. 3. in Ep. ad Eph.

S. Hier. c. 1. Ep. ad Tim. S. Aug. Confes. l. 9. c. 12. & 13. & l. 1. contra Crescon. c. 25.

---

locorum concessum est angelicum illud sacrificium inclarescere? Vides nullis finibus circumscriptum neque altare neque canticum? *In omni loco thymiama offertur nomini meo*. Est igitur Sacrificium purum prima quidem mystica mensa, cælestis summeque veneranda hostia. Est autem & in nobis varia sacrificiorum differentia. Posteaquam enim lex in veteri Testamento multas habuit hostias, aliam pro peccatis, aliam quæ dicta est holocautoma, aliam vocatam laudis, aliam salutaris, aliam pro leprosis mundandis, breviter alias & multas & varias pro his qui innumeris expiationibus censebantur, omnino magnus erat & modo carens numerus sacrificiorum in lege; quæ omnia nova gratia superveniens uno complectitur sacrificio, unam ac veram statuens hostiam.

S. August. *lib.* 10. *de Civit. Dei, cap.* 20. *num.* 2. *Vide superius* §. 3. *huiusce cap. litt* (A) & *lib.* 17. *cap.* 20. *num.* 2. *Vide eiusdem cap.* §. 6. *litt.* (B)

Digitized by Google

hil est quo placari Deus magis possit, & propitius nobis fieri, quam si offeratur ipsi corpus, & sanguis Christi, qui obtulit semetipsum Deo Patri semel propitiationem pro peccatis nostris. In veteri lege victimis immolatis in remissionem peccatorum placabatur Deus per virtutem sanguinis Christi cuius typus erant, Quanto magis in novo Testamento corpus, & sanguis Christi non typice sed reipsa oblatus, ut probavimus, valet ad exhaurienda peccata. (§. 4. huiusce cap.) Ex solo Christi sacrificio in cruce oblato vim habebant, & efficaciam vetera sacrificia, quæ Christi sacrificium exprimebant in typo. Ex solo Christi sacrificio in cruce oblato vim habet Missæ sacrificium, quod cruentum Christi sacrificium & continuat, & exhibet. Numquam nisi per sanguinem Christi in crucis ara fusum peccata deleri potuerunt. Fuerunt tamen vetera sacrificia suo modo propitiatoria, at multo magis propitiatorium est sacrificium novum. Vetera enim sacrificia non erant per se propitiatoria, quia crucis sacrificium adumbrabant solum in typo: sacrificium autem Missæ per se propitiatorium est, quia non solum exhibet in mysterio cruentum Christi sacrificium, sed etiam victimam ipsam, qua *deletum est* in cruce *chirographum decreti, quod erat contrarium nobis*, reipsa continet, & veritatem figuris expressam complectitur. (Coloss. II. 14.)

3. Missæ sacrificium *Eucharisticum* est, ideoque Eucharistia per antonomasiam appellatur. Nihil enim est efficacius ad reddendas Deo gratias pro acceptis beneficiis, quam si offeratur ipsi fons gratiarum omnium Christus ipse, de cuius *plenitudine nos omnes accepimus* (B). (Ioan. I. 16.)

4. Tandem hoc sacrificium *impetratorium* est; offertur enim ad impetrandum quidquid nobis ad salutem animæ & corporis necessarium est. Nihil possumus impetrare a Deo nisi per Christum; at offerimus in hoc sacrificio Christum ipsum, qui solus est mediator *per quem habemus accessum ad Patrem*. (Ephes. II. 18.) Qui autem dat nobis Christum offerendum in hoc sacrificio, *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit*? (C) (Rom. VIII. 12.)

(B) S. Ioan. Chrysostom. *Hom.* 18. *in* 2. *ad Corinth. num.* 3 . . . . Rursus ea oratio, qua Deo gratiæ aguntur utrisque communis est. Neque enim ipse solus gratias agit, sed etiam plebs universa. Nam cum prius illorum vocem sumsit, atque illi assenserunt, id digne ac iuste fieri, tunc demum GRATIARUM ACTIONEM auspicatur.

S. August. *Epist.* 140. *alias* 120. *ad Honorat. cap.* 19. *Vide supra* §. 7. *huiusce cap. litt* (M) & *Ep* 149. *alias* 59. *ad Paullin. Vide hocce* §. *litt. seq.*

(C) S. August. *Epist.* 149. *alias* 59. *ad Paullin. cap.* 2. *num.* 16. Sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut *Precationes* accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici: *Orationes* cum benedicitur & sanctificatur. & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Dominica oratione concludit... Voventur autem omnia quæ offeruntur Deo, maxime sancti altaris oblatio, quo Sacramento prædicatur nostrum illud votum maximum, quo nos vovimus in Christo esse mansuros, utique in compage corporis Chri-

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 10.

I. Si Missæ sacrificium propitiatorium est, sufficit ergo illud offerri a Christianis cum fide & ex intimo cordis affectu, ut habeatur remissio peccatorum; nec necesse est accedere ad sacramentum Pœnitentiæ?

R. Valet oblatum ex intimo cordis affectu Missæ sacrificium, ad peccatorum venialium remissionem, absque sacramento Pœnitentiæ. Circa mortalia autem peccata id agit hoc sacrificium, ut per hoc placatus Deus det gratiam compunctionis, ceteraque necessaria ad sacramentum Pœnitentiæ rite suscipiendum.

Id ipsum ait Tridentina Synodus his verbis; *Docet sancta Synodus hoc* (Missæ) *sacrificium vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus*, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. *Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia dimittit.* Conc. Trid. Sess. 22. de Missæ Sacr. cap. 2. Hebr. IV. 16.

Et certe non alia ratione propitiatorium est crucis sacrificium, unde vim suam omnem habet sacrificium Missæ; neque enim peccata delentur post sacrificium cru-

---

1. Cor. x. 17. sti. Cuius rei sacramentum est, *quod unus panis, unum corpus multi sumus.* Ideo in huius sanctificationis præparatione, existimo Apostolum iussisse proprie fieri [illegible], id est *Orationes*, ... hoc est enim ad votum, quod usitatius in Scripturis nuncupatur [illegible] *Interpellationes* autem, sive, ut vestri codices habent, *postulationes*, fiunt cum populus benedicitur: tunc enim Antistites velut advocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati. Quibus peractis, participato tanto Sacramento *gratiarum actio* cuncta concludit, quam in his etiam verbis ultimam commendavit Apostolus.

Num. 17. Hæc autem caussa præcipua fuit ista dicendi, ut his breviter perstrictis atque significatis, non putaretur negligendum esse quod sequitur.
1. Tim II. 8. *Pro omnibus hominibus, pro Regibus, & his qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caritate*: Ne quisquam, sicut se habet humanæ cogitationis infirmitas, existimaret non esse ista facienda pro his, a quibus persequutionem patiebatur Ecclesia, cum membra Christi ex omni essent hominum genere colligenda. Unde adiungit & dicit: *Hoc enim*
Ibid 3. *bonum & acceptum est coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Et ne quisquam diceret posse esse salutis viam in bona conversatione, & unius Dei omnipotentis cultu, sine participatione corporis & sanguinis Christi:
Unus enim Deus, inquit, *& unus media-* Ibid. 5.
tor Dei & hominum homo Christus Iesus; ut illud quod dixerat, *Omnes homines vult salvos fieri*, nullo alio modo intelligatur præstari, nisi per mediatorem, non Deum, quod semper Verbum erat, sed
hominem Christum Iesum, cum *Verbum* Ioan. I. 4.
caro factum est, & habitavit in nobis.

Tertull. *ad Scapulam*, *cap* 2. Itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius, sed quomodo præcipit Deus, pura prece... Oramus pro salute Imperatoris, ab eo eam postulantes, qui præstare potest.

Eusebius *de Vita Constantini Magni*, *lib.* 4. *cap.* 45. Qui vero ad hæc aspirare non poterant, incruentis sacrificiis & mysticis immolationibus Deum placabant: pro pace communi; pro Ecclesia Dei; pro Imperatore tot bonorum auctore, eiusque piissimis liberis, preces Deo suppliciter offerentes.

S. Cyrill. Hierosolymit. *Catech.* 5. *mystag. Vide infra* §. 22. *huiusce cap. num.* 16.

Digitized by Google

cis, nisi per Sacramenta, iuxta ea quæ superius exposita sunt, ubi de cuiusque Sacramenti necessitate & efficacia. Sed Sacramenta suam omnem habent efficaciam & virtutem a sacrificio crucis, cuius merito fit ut placatus Deus det gratiam compunctionis, ceteraque omnia necessaria ad Sacramenta rite suscipienda.

§. 11. *Cui Missæ sacrificium offeratur, & cur fiat in eo memoria Sanctorum.*

I. Cui Missæ sacrificium offertur?

§. ſuper. *R.* Soli Deo, ut diximus. Id patet ex ipso Missæ Canone, quod sic incipit: *Te igitur clementissime Pater, supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata, in primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica*, &c.

Idem patet ex Liturgia Græca, in qua Sacrificii preces & oblationes omnes diriguntur ad Deum (A).

Id quoque aperte profitetur Ecclesia in Concilio Tridentino his verbis: *Quamvis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere solet, Offero tibi sacrificium Petre, vel Paulle, sed Deo de eorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.* (Seſſ. 22. cap. 3. de ſacrif. Miſſæ.)

I. Cur ergo usu invaluit hæc loquendi formula, Missa S. Petri, Missa S. Paulli, Missa B. Mariæ Virginis, Missa Mortuorum?

R. Hac loquendi formula nunc intelligitur Missa celebrata in honorem & memoriam S. Petri, S. Paulli, B. M. Virginis, Missa celebrata pro defunctis.

Missæ nomen adhibitum quandoque fuit ad significationem festi, adeo ut *Missa sancti Martini* idem esset quod *festum S. Martini*. Nomine Missæ intellecta quoque fuere aliquando omnia officia quæ publice canuntur in Ecclesia. Iam usus invaluit ut Missæ nomen nihil aliud exprimeret quam sacrosanctum Sacrificium altaris Eucharistici. Quo sensu Missa Sanctorum vel de Sanctis appellatur ea Missa, in qua publicæ preces & lectiones, quæ recitantur ante Sacrificium, præcipue ordinatæ sunt ad memoriam Sanctorum: & Missa defunctorum vel pro defunctis ea dicitur, quæ dicitur cum ornamentis & vestibus funebribus, & in qua orationes & lectiones quæ præcedunt Canonem spectant maxime defunctos fideles. Sed reipsa Missa quælibet offertur Deo soli, in memoriam Sanctorum pro vivis & defunctis (B).

I. Cur Missa quælibet offertur in

(A) S. AUGUST. *lib.* 20. *contra Faustum, cap.* 21. *lib.* 8. *de Civit Dei, cap.* 27. *lib.* 22 *cap.* 10. *Vide superius par.* 2. *sect.* 3. *cap.* 2 §. 3. *litt.* (H) & (I) & *Serm.* 273. *alias de divers.* 101. *cap.* 4. *num.* 4. & *cap.* 7. *num.* 7. *Vide infra hocce* §. *litt.* (D)

(B) BONA *de rebus Liturg. lib.* 1. *cap.*

Pars III. Sect. II. Cap VII. §. II.

memoriam Sanctorum, & pro vivis & defunctis?

R. Quia Missa est sacrificium totius Ecclesiæ. Hoc Christus, totius Ecclesiæ caput, offert. Ecclesia militans iungit se Christo, simulque cum illo & in illo offert hoc sacrificium; iungit se ob eamdem rationem cum Ecclesia triumphante, quæ Christo capiti intime adhæret, & unum cum eo corpus efficit. Et utraque Ecclesia tam triumphans quam militans Divinam misericordiam per Christum implorat pro Ecclesia patiente. Hæc fusius tractabimus infra in explicatione singularum orationum, quibus Missa constat. § 22 *In infra* cap. num. 12. 17. 24.

Neque ea sola ratio est cur in qualibet Missa agatur memoria de Angelis & de Sanctis: Id agimus quoque tum ut gratulemur ipsis, & gratias agamus Deo de eorum victoriis & triumphis; tum ut excitemur eorum exemplo & victoria ad eorum imitationem; tum ut eo-

---

2. *num.* 5. Quia Missa actio præcipua est, quæ in die festo peragitur, ideo nomen Missæ pro ipsa festivitate a mediæ ætatis Scriptoribus passim usurpatur, apud quos Missa S. Martini, vel S. Ioannis idem est ac festum S Martini vel S. Ioannis. Ivo Carnotensis in Decret. pag. 15. cap. 190. *Et si totam Quadragesimam ante Missam S. Ioannis implere non potest, post Missam impleat, id est, post festam;* & infra permittens in quibusdam festivitatibus aliquam publice pœnitentibus indulgentiam, inter ceteras numerat *Missam S. Ioannis Baptistæ, & S. Mariæ*. In Concilio Pistensi sub Nicolao I. cap. 3. *Communi placito constituimus, ut usque ad Missam S. Remigii, id est, Kalendas Octobris, spatium habeant.* Heraldus Turonensis Archiepiscopus *in suo Capitulari*, cap. 61. agens de Festivitatibus anni, in quibus feriari oportet, *Missam* recenset *S. Ioannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Paulli, S. Martini, & S. Andreæ*. Eginardus Abbas Epist. 23. *Volumus circa Missam S. Martini ad palatium venire.* Frodoardus in Chronico ann. 921. *Facta pactione usque ad Missam S. Martini;* & an. 945. *Circa Missam S Ioannis Hugo Dux placitum cum Rege habuit*. Aimoinus lib. 5. cap. 34. refectiones commemorat *in Missa S. Germani*. Annales Bertiniani ann. 877. *Richildis veniens ad Ludovicum in Missa S. Andreæ attulit ei preceptum.* Idem frequentius reperitur in Capitularib. Caroli Magni, & Ludovici Pii, ut lib. 2. cap. 18. *Spatium usque ad Missam S. Martini dare decrevimus;* & cap. 29. edicit, *ut pontes ad Missam S. Andreæ restaurati fiant.* In edicto quoque Pistensi in Capitulari Caroli Calvi sect. 31. § 51. *Qui lucrum de vineis in illis partibus promeruerit, octo dies post Missam S Remigii sibi provideat, & si necesse illi fuerit ad Missam S Martini ad suam conductam redeat.* In Appendice *tomi* 2. Scriptorum historiæ Francorum Andreæ Duchene exstat Epistola cuiusdam Catrulphi ad Carolum Magnum, in cuius fine eum hortatur, ut cum consilio Synodi Francorum celebrari constituat in regno suo *Missam S. Michaelis, & Passionem S. Petri*. Eamdem ob caussam ad quemcumque populi cœtum, sive congregationem indicandam, Missæ nomen translatum legimus, quia populi multitudo numquam frequentius solet in unum congregari, quam ut Missæ sacrificio intersit. Hinc apud Baronium ann. 519. in indiculo, seu relatione de scelere Thessalonicensium, statuerunt Episcopi, *ne quis Missas foras Civitatem teneret, ut multitudo esset futura seditioni congregata*. Hinc etiam Germanis, teste Kiliano in Dictionario, *Francfurter Misse, Strasburger Misse*, idem est ac nundinæ Francofurti, & Argentorati; quæ nominatio, ut Ioachimus Vadianus ait *lib.* I. *de veteribus Germaniæ Monasteriis*, inde nata videtur, quia multis in locis statæ & annuæ nundinæ festis diebus annectuntur, idque ob populi frequentiam ad Missas celebriores confluentis.

Digitized by Google

rum intercessione impetremus per Christum, quæ nobis necessaria sunt ad salutem (C).

I. Estne iam pridem in more positum, ut in Missæ sacrificio agatur memoria Sanctorum?

R. Mos ille ex Apostolica traditione manavit, ut patet tum ex Liturgiis antiquissimis, tum ex scriptis Sanctorum qui primis Ecclesiæ seculis floruere, quales sunt S. Iustinus, S. Cyprianus, S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Chrysostomus, S. Augustinus, &c. (D).

Num. 6 Tandem sumitur Missa pro tota divini Sacrificii celebratione, quatenus utramque comprehendit Catechumenorum & fidelium: quæacceptio adeo in ore omnium communis est, ut recentiores vix agnoscant alism huius nominis significationem.

(C) Concil. Tridentin. *Sess.* 22. *cap.* 3. *de sacrificio Missæ. Vide superius in ipso Textu.*

(D) S. Iustinus Martyr. *pro Christianis Apolog.* 2. *pag.* 56. Profitemur quidem nos talium qui habentur Deorum esse expertes & atheos: sed non verissimi illius Dei, Patris videlicet iustitiæ & castitatis & virtutum aliarum, & ab omni vitiositatis mixtione & labe alieni, expertes. Verum hunc ipsum, & qui ab eo veniat atque ista nos, & aliorum obsequentium exæquatorumque (ad voluntatem eius) bonorum Angelorum exercitum docuit, Filium & Spiritum propheticum, colimus & adoramus; cum ratione & veritate venerantes, atque unicuique discere atque nosse volenti, pro eo atque edocti sumus, candide (hæc) tradentes.

S. Cyprianus *Epist.* 39. *alias* 34. Avia eius (Celerini Lectoris) Celerina iam pridem martyrio coronata est. Item patruus eius & avunculus Laurentinus & Ignatius,... veri & spiritales Dei milites, dum diabolum Christi congressione prosternunt, palmas Domini & coronas illustri passione meruerunt. Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniversaria commemoratione celebramus.

Epist. 12. *alias* 37. Denique & dies eorum quibus excedunt annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus: quamquam Tertullus fidelissimus & devotissimus frater noster pro cetera sollicitudine & cura sua, quam fratribus in omni obsequio operationis impertit, (qui nec illic circa curam corporum deest,) scripserit & scribat, ac significet mihi dies quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt; & celebrentur hic a nobis oblationes & sacrificia ob commemorationes eorum, quæ cito vobiscum Domino protegente celebrabimus.

S. Cyril. Hierosolym. *Catech.* 5. *mystag. Vide inferius huiusce capit.* §. 22. *num.* 17.

S. Ioan. Chrysost. *Homil.* 21. *in Acta Apost. num.* 4...... Non frustra clamat Diaconus: pro iis qui in Christo defuncti sunt, & pro iis qui illorum memoriam faciunt. Non Diaconus hanc emittit vocem, sed spiritus; non sanctus dico, sed donum eius. Quid dicis? In manibus est hostia, & omnia parata prostant. Adsunt Angeli, Archangeli: adest Filius Dei: cum tanto horrore adstant omnes; adstant illi clamantes omnibus silentibus: & putas hæc frustra fieri? Ergo & alia frustra, & quæ pro Ecclesia, & quæ pro Sacerdotibus offeruntur & quæ pro plenitudine? Absit. Sed omnia cum fide fiunt. Quid putas pro Martyribus offerri, quod vocentur in illa hora? Licet Martyres sint, etiam pro Martyribus, magnus honor nominari Domino præsente, dum mors illa perficitur, horrendum sacrificium, ineffabilia mysteria. Quemadmodum enim sedente Imperatore, quæcumque voluerit quispiam, perficit: ubi autem surrexerit, quæcumque dixerit, frustra dicit; ita ut tunc; quamdiu prostant mysteria, omnibus honor maximus est in memoria haberi. Vide enim: annunciatur tunc mysterium horrendum, quod pro mundo seipsum Deus dederit. Cum miraculo illo opportune memorat ille eos qui peccaverunt. Sicut enim quando triumphalia regum ducuntur, tunc celebrantur etiam quot-

§. 12. *Pro quibus Missæ sacrificium offeratur.*

I. Pro quibus offertur Missæ sacrificium?

R. Pro omnibus hominibus viventibus, maxime pro fidelibus: & pro defunctis in pace Ecclesiæ quiescentibus. Explico responsionem.

In Ecclesiæ Romanæ Canone, quo utitur Occidentalis Ecclesia, nulla mentio fit infidelium: oratur expresse *pro solis & omnibus Orthodoxis atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus*. Sola feria sexta parasceves post lectionem Passionis Domini nostri Iesu Christi orat expressis nominibus Ecclesia Romana, pro *Schismaticis*, *Hæreticis*, *Paganis*, *Infidelibus*, *Iudæis*. Quæ quidem orationes olim in singulis Missis, saltem in Missis Pontificalibus recitabantur (A). Et etiamnum

In Can. Missæ.

---

quot victoriæ socii fuerunt: dimittuntur etiam ii qui in vinculis sunt ob temporis eelebritatem. Elapso autem tempore, qui nihil assequutus est, nullo fruitur. Ita saue hic. Triumphalium tempus est: nam ait: *Quotiescumque manducatis panem hunc, mortem Domini annunciatis*. Itaque ne utcumque aeeedamus, nec temere hæc fieri putemus. Alioquin autem Martyres memoramus, & hoe in fidem quod iam Dominus mortuus non sit, & hoe signum est mortuam esse mortem, quod ille mortuus fuerit.

1. Cor. xi. 26.

S. AUGUST. *Lib.* 8. *de Civit. Dei*, *cap.* 27. *lib.* 22. *c.* 10. *& lib.* 20. *contra Faustum*, *cap.* 21. *Vide supra huiusce operis part.* 2. *sect.* 3. *cap.* 2. *§.* 3. *litt.*(H) *&* (I)

Serm. 273. *alias de divers.* 101. *in natali Martyrum Fructuosi*, *&c. cap.* 4. *n.* 4. . . . Templum autem solus Deus verus habere debet, saerificium soli Deo vero offerri debet.

Cap. 7. *n.* 7. Nos Martyres nostros . . . pro Diis non habemus, non tamquam Deos colimus. Non eis templa, non eis altaria, non saerificia exhibemus. Non eis Sacerdotes offerunt: absit. Deo præstantur. Immo Deo ista offeruntur, a quo nobis cuncta præstantur. Etiam apud memorias sanctorum Martyrum cum offerimus, nonne Deo offerimus? Habent honorabilem locum Martyres sancti. Advertite: in recitatione ad altare Christi loco meliore recitantur; non tamen pro Christo adorantur. Quando audistis dici apud memoriam sancti Theogenis, a me, vel ab aliquo fratre & collega meo, vel aliquo Presbytero, Offero tibi, sancte Theogenis? aut offero tibi, Petre? aut offero tibi, Paulle? Numquam audistis. Non fit: non licet. Et si dicatur tibi, Numquid tu Petrum colis? Responde quod de Fructuoso respondit Eulogius: Ego Petrum non colo, sed Deum colo, quem colit & Petrus.

Serm. 159. *alias de verb. Apost. c.* 1. *n.* 1. . . . Ideoque habet Ecelesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur: pro ceteris autem commemoratis defunctis oratur. Iniuria est enim, pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari.

Serm. 284. *alias* 1. *inter editos maioris Carthus.* MS. *n.* 5. . . . Scitis quo loco Martyres recitentur? Non pro illis orat Ecclesia. Nam merito pro aliis defunctis dormientibus orat Ecclesia: pro Martyribus non orat, sed eorum potius orationibus se commendat.

Serm. 285. *alias* 4. *inter editos maioris Carthus.* MS. *n.* 5. Martyrum perfecta iustitia est, quoniam in ipsa passione perfecti sunt. Ideo pro illis in Ecclesia non oratur. Pro aliis fidelibus defunctis oratur, pro Martyribus non oratur: tam enim perfecti exierunt, ut non sint suscepti nostri, sed advocati. Neque hoc in se, sed in illo cui capiti perfecta membra cohæserunt.

(A) S. CAELESTINUS *Epist.* 1. *ad Episcopos Galliæ*, *cap.* 11. *in Appendice tom.* 10. S. AUG. *edit.* *BB.* *pag.* 131. Obsecratio-

Digitized by Google

in Belgio in singulis Ecclesiis orthodoxis additur quotidie in Missa Collecta pro vocatione infidelium ad fidem. Orat saltem pro iis Ecclesia secreto. Hæc vota Ecclesiæ pro Infidelibus, Hæreticis, Schismaticis, Excommunicatis, continentur saltem implicite in petitionibus orationis Dominicæ, ut supra diximus, ubi egimus de oratio-

---

num qooque Sacerdotalium sacrameota respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni Catholica Ecclesia uniformiter celebrantur; ut legem credendi lex statuat supplicandi. Cum enim sanctarum plebium Præsules mandata sibimet legatione fungantur apud divinam clementiam, humani generis agunt caussam, & tota secum Ecclesia congemiscente postulant & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Iudæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant, ut schismatici Spiritum redivivæ caritatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedia cooferantur, ut denique Catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis cælestis misericordiæ aula reseretur. Hæc autem non perfunctorie; neque inaniter a Domino peti rerum ipsarum monstrat effectus: quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos
Coloſs. 1. 11. erutos *de potestate tenebrarum transferat*
Rom. ix. 22. 23. *in regnum filii caritatis suæ*, & ex vasis iræ faciat vasa misericordiæ. Quod adeo totum Divini operis esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum semper actio laudisque confessio pro illominatione talium vel correctione referantur.

AUCTOR. *lib. 1. de vocat. Gentium, c. 12. apud* S. LEONEM ... Scribens itaqoe ad
1. Tim. ii. 1. Timotheum Paullus Apostolus ait: *Obsecro igitur primo omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, & pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt: ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caritate. Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, & unus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* De hac ergo doctrinæ Apostolicæ regula, qua Ecclesia universalis imbuitur, ne in diversum intellectum nostro evagemur arbitrio, quid ipsa universalis Ecclesia sentiat, requiramus; quia nihil dubiom esse poterit in præceptu, si obedientia concordet in studio. Præcepit itaque Apostolus, immo per Apostolum Dominus, qui loquebatur in Apostolo, *fieri obsecrationes & postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, ac pro iis qui in sublimitate sunt*. Quam legem supplicationis ita omnium Sacerdotum & omnium fidelium devotio concorditer tenet, ut nulla pars mundi sit, in qua huiusmodi orationes non celebrentur a popolis Christianis. Supplicat ergo ubique Ecclesia Deo non solum pro sanctis & in Christo iam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus & inimicis crucis Christi, pro omnibus idolorom cultoribus, pro omnibus qui Christum in membris ipsius persequuntur, pro Iudæis quorom cæcitati lumen Evangelii non refulget, pro hæreticis & schismaticis qui ab unitate fidei & caritatis alieni sunt. Quid autem pro istis petit, nisi ut relictis erroribus sois convertantur ad Deum, accipiant fidem, accipiant caritatem, & de ignorantiæ tenebris liberati in agnitionem veniant veritatis? Quod quia ipsi præstare sibi nequeunt, malæ consuetudinis pondere oppressi, & diaboli vincolis alligati, neque deceptiones suas evincere valent, quibus tam pertinaciter inhæserunt, ut quantum amanda est veritas, tantum diligant falsitatem, misericors & iustus Dominus pro omnibus sibi vult hominibus supplicari, ut cum videmus de tam profundis malis innumeros erui, non ambigamus Deum præstitisse, quod ut præstaret oratus est: & gratias agentes pro his qui salvi facti sunt, speremus etiam eos qui necdum illuminati sunt, eodem divinæ gratiæ opere eximendos de potestate tenebrarum, & in regnum Dei priusquam de hac vita exeant transferendos.

Digitized by Google

Pars III. Sect. II Cap VII. §. 12.

tione Dominica. Adeoque orat pro iis Ecclesia saltem implicite, dum hanc in Missa recitat orationem. Et hæc quidem mens fuit Apostoli, qui in priore ad Timotheum Epistola sic loquitur: *Obsecro fi.ri obsecrationes, orationes, postulationes pro omnibus hominibus.... Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* (B).

1.Timoth.II. 1.

1. Tim. II. 3. & 4.

I. Offerturne Sacrificium & pro omnibus hominibus mortuis?

(B) Tertul. *Apologet, cap.* 30. *&* 31. *Vide superius hacce sect. cap.* 1. § 3. *litt.*(B)

S.Ioan. Chrysost *Hom. vi in Epist.* 1. *ad Timoth.c* 2. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus & pro omnibus qui in sublimitate sunt constituti.* 1.Tim. II. 1.

N. 1. Quasi communis totius orbis pater Sacerdos est. Curam igitur omnium gerat oportet, sicut & Deus, cuius Sacerdos est. Ideo ait: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, & orationes*. Duo enim hinc oriuntur bona; odium quod erga extraneos habemus, solvitur. Nemo enim odio habere poterit eum, pro quo obsecrationes emittit: & illi ipsi meliores fiunt, & quia orationes pro ipsis emittuntur, & quod ipsi feritatem adversum nos deponant. Nihil enim ita confert ad doctrinam, ut cum quis amat & amatur. Cogita vero quantum illud esset, cum audirent illi qui insidiis appetebant, qui flagellabant, pellebant, necabant, quod ii qui talia paterentur, pro iis qui hæc pararent, intentas precationes ad Deum emitterent. Viden ut Christianum omnibus superiorem esse velit? Sicut enim in infantibus, etiamsi gestatus puellus patris faciem percutiat, nihil hinc paternus affectus minuitur; ita etiamsi ab extraneis illis percutiamur, non debemus nostram erga eos benevolentiam minuere. Quid sibi vult illud, *primum omnium*? id est in cultu quotidiano. Et hoc sciunt initiati, quomodo quotidie fiant & vespere & mane; quomodo pro toto mundo, pro Regibus, & omnibus qui magistratum gerunt, obsecrationem emittamus. At dicet fortasse quispiam, illum non pro omnibus dixisse, sed pro fidelibus. Cur ergo dixerit pro Regibus? Reges enim seu Imperatores tunc veram religionem non sectabantur; sed longo postea tempore impii impiis succedebant. Deinde ne res adulatio esse videretur prius dixit pro omnibus, ac deinde, pro Regibus. Si enim dixisset pro Regibus tantum, fortasse quis hoc suspicatus esset. Postea vero, quia verisimile erat ut Christianus animus hæc audiens torpesceret, neque monitum hoc admitteret, si pro gentili mysteriorum tempore preces oporteret offerri; vide quid dicat, & quomodo lucrum apponat ut sic ille admonitionem admitteret, *ut securam*, inquit, *& quietam ducamus vitam*; idest illorum salus nobis tranquillitatem parit; sicut & in epistola ad Romanos hortans illos ut obediant principibus, dicit: *Si non propter necessitatem sed propter conscientiam*. Deus enim principatus constituit ad communem utilitatem. Quomodo ergo non absurdum fuerit, ipsos quidem ideo militare & arma circumferre, ut nos in tranquillitate vivamus; nos autem non supplicationes offerre pro iis qui pericula subeunt & militant?..... *Obsecrationes*, inquit, *orationes, postulationes, gratiarum actiones*. Deo quippe gratiæ agendæ sunt etiam de bonis quæ aliis conferuntur; verbi gratia quod solem suum oriri faciat super malos & bonos, quod pluat super iustos & iniustos. Vides ut ille non modo per orationem, sed etiam per gratiarum actionem nos coniungat, & conglutinet? nam qui cogitur gratias agere Deo pro bonis proximi, cogitur etiam illum diligere, & erga illum bene affectus esse. Quod si pro iis qui proximi nobis sunt oporteat gratias agere, multo magis pro iis qui ad nos vel palam vel clam accedunt, sive libenter sive inviti, pro iis etiam qui molesta inferre videntur. Etenim ad utilitatem nostram omnia dispensat Deus.

1. Tim. II. 2.

Rom. XIII. 5.

Matth. V. 45.

R. Non offertur pro mortuis reprobis & damnatis; horum enim revocari sententia nequit: pœnis sunt æternis addicti, quæ nec minui, nec finem habere possunt (C).

Pro ceteris hominibus mortuis offertur.

Pro Sanctis quidem cum Christo regnantibus, in gratiarum actionem de eorum felicitate.

Ex actis disput. S. Agatii Episc. & Martyr. *ann.* 201. *apud* Theodor. Ruinart. *in actib. Martyr. sinceris, Edit. Veron. ann.* 1731. *p.* 129. *n* 1 Cui magis cordi est, vel a quo sic diligitur Imperator, quemadmodum ab hominibus Christianis? Assidua enim nobis est pro eo ac iugis oratio, ut prolixum ævum in hac luce conficiat, ac iusta populos potestate moderetur: & pacatum maxime imperii sui tempus accipiat. Deinde pro salute militum, & pro statu mundi & orbis.

S. August. *Epist.* 217. *aliat* 107. *ad Vitalem, c.* 1. *n* 2. *Vide superius hacce sect. cap.* 1. §. 3. *litt.* (B)

S. Thomas *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *ar.* 1. *ad* 1. Ecclesia orat pro eis qui extra Ecclesiam sunt, sicut pro hæreticis & paganis. Ergo etiam & pro excommunicatis, qui extra Ecclesiam sunt; & sic eis suffragia Ecclesiæ valent.

Ad primum ergo dicendum, quod pro infidelibus oratur; sed ipsi fructum orationis non percipiunt, nisi ad fidem convertantur. Similiter & pro excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes quæ pro membris Ecclesiæ fiunt; & tamen fructum non participant quamdiu in excommunicatione manent; sed oratur ut detur eis spiritus pœnitentiæ, ut ab excommunicatione solvantur.

(C) S. August. *lib.* 3 *de anima & eius origine, c.* 12 *n.* 18. Noli credere, nec dicere, nec docere, *Sacrificium Christianorum pro iis qui non baptizati de corpore exierint offerendum*, si vis esse Catholicus. Quia nec illud quod de Machabæorum libris commemorasti sacrificium Iudæorum, pro iis qui non circumcisi de corpore exierant, ostendis oblatum. (2. *Machab.* XII. 43.) In qua tua sententia tam nova, & contra Ecclesiæ totius auctoritatem disciplinamque prolata, verbo etiam insolentissimo usus es, dicens: *Pro his sane oblationes assiduas & offerenda iugiter sanctorum censeo sacrificia Sacerdotum*: ut te homo laicus Sacerdotibus Dei nec discendo subderes, nec saltem simul quærendo misceres, sed censendo præponeres.

Enchirid. de fide, spe, & caritate cap. 110. *num.* 29. *Vide superius huiusce part. sect.* 1. *cap.* 5. §. 18 *litt.* (C)

De Civit. Dei, lib. 21. *cap* 24. *num.* 1.... Hæc igitur caussa, qua fit ut nunc Ecclesia non oret pro malis angelis, quos suos esse novit inimicos, eadem ipsa caussa est, qua fiet ut in illo tunc iudicio etiam pro hominibus æterno igne cruciandis, quamvis perfecta sit sanctitate, non oret. Nunc enim propterea pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ. Nam quid maxime pro eis orat, nisi ut *det illis Deus*, sicut dicit Apostolus, *Pœnitentiam, ut resipiscant de diaboli laqueis, a quo captivi tenentur secundum ipsius voluntatem?* (2. *Tim.* II. 26.) Denique si de aliquibus ita certa esset, ut qui sint illi, etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem, ire cum diabolo; tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso. Sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus dumtaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis: nec tamen pro omnibus exauditur. Pro his enim solis exauditur, qui etsi adversantur Ecclesiæ, ita tamen sunt prædestinati, ut pro eis exaudiatur Ecclesia, & filii efficiantur Ecclesiæ. Si qui autem usque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis convertentur in filios, numquid iam pro eis, id est, pro talium defunctorum spiritibus orat Ecclesia? Quid ita, nisi quia iam in parte diaboli computatur, qui, dum esset in corpore, non est translatus ad Christum?

Num. 2. Eadem itaque caussa est, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne puniendis, quæ caussa est, ut neque nunc, neque tunc oretur pro angelis malis: quæ itidem caussa est, ut quamvis pro hominibus, tamen iam nec

Pars III. Sect. II Cap. VII. §. 12. *In Missa pro Defunctis.*

Pro fidelibus autem in igne purgatorio detentis, ut *liberentur de profundo lacu, & locum refrigerii lucis & pacis obtineant*.

I. Qua ratione probatur offerri Missæ sacrificium pro defunctis fidelibus?

R. Id probatur ex continua seculorum & Ecclesiarum omnium traditione.

Probatur autem hæc traditio, 1. ex SS. Patribus, etiam antiquissimis, Tertulliano, S. Cypriano, Eusebio, Cyrillo Hierosolymitano, Innocentio I., Epiphanio, qui inter Aerii hæreses recenset quod vivorum preces, sacrificia, eleemosynas prodesse defunctis negaret, Ambrosio, Augustino (D). Patres ceteros proferre superfluum est, essent enim omnes appellandi.

2. Ex Conciliis: Carthaginen-

---

nunc oretur pro infidelibus impiisque defunctis,

S. Ioan. Chrysost. *homil.* 3. *in Epist. ad Philip. n* 4. *Vide infra hocce §. litt.* (D)

Concilium Bracarense II. *an.* 563. *Tom.* ix. *p.* 779. *can.* 16. Item placuit, ut hi qui sibi ipsis aut per ferrum, aut per venenom aut per præcipitium, aut suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur: multi enim sibi hoc per ignorantiam usurpaverunt. Similiter & de his placuit, qui pro suis sceleribus puniuntor.

Can. 17. Item placoit, ut catechumenis sine redemptione baptismi defunctis, simili modo, neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium: nam & hoc pee ignorantiam usurpatum est.

Concilium Triburiense *ann.* 895. *Tom.* xviii. *pag.* 147. *can.* 31. Nos quæ Dominus diligit diligentes, & quæ odit odio habentes, statuimus & iudicamus, ut si quis... inventus fuerit furtum aut rapinam exercere, & in ipso diabolico actu mortem mereatur incurrere; nullus pro eo præsumat orare, aut eleemosynam dare. Et eleemosyna pro eo data in memoriam clericorum nec pauperum veniat, sed execrabilis sordescat.

(D) Tertullianus *de corona militis*, *cap.* 3. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.

De exhortat. castit. cap. 11. In secundo matrimonio duæ uxores eumdem circumstant maritum, una spiritu, alia in carne. Neque enim pristinam poteris odisse, cui etiam relligiosiorem servas affectionem, ut iam receptæ apud Dominum pro cuius spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddis. Stabis ergo ad Dominum cum tot uxoribus, quot in oratione commemoras? Et offeres pro duabus, & commendabis illas duas per Sacerdotem, &c.

Lib. de Monogam. cap. 10. Pro anima eius orat, (*nempe uxor pro anima coniugis sui defuncti*,) & refrigerium interim adpostulat ei, & in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis eius.

S. Cyprianus *Epist.* 1. *alias* 66. *Vide superius §.* 7. *huiusce cap. litt.* (M)

Eusebius. *Lib.* 4. *de vita Constantini magni, cap.* 71. *Vide supra huiusce part. sect.* 1. *cap.* 5. §. 18. *litt.* (L)

Auctor. *Constitut. Apost. Lib.* 6. *cap.* 29. Sine ulla vero huiusmodi observatione convenite in cœmeteriis ad legendum sacros libros, & canendum Psalmos pro mortuis Martyribus, & sanctis omnibus, qui sunt a seculo defunctis, ac pro fratribus vestris, qui in Domino mortui sunt; & Eucharistiam Deo acceptam antitypon, id est Sacramentum regalis corporis Christi offerte in Ecclesiis vestris, & in cœmeteriis.

S. Cyrill. Hierosolym. *Catechet. Mystag.* 5. *Vide infra huiusce cap.* §. 22. *num.* 24. *litt.* (B)

S. Epiphanius *heret.* 75. *lib.* 3. *Tom.* 1. *num.* 3. Quæ ratio est, inquit, (Aerius,) post obitum mortuorum appellare nomina? Nam ut vivus oret, aut in pauperes bona sua dispenset; quid ex ea re tandem ad mortuum redit? Quod si su-

perstitum preces iis, qui ex hac vita discesserint, opitulari possunt; nemo pie deinceps agat aliquid, neque boni quidquam faciat: sed amicos sibi aliquos, quacumque ratione velit, adiungat: sive pecuniarum largitione, sive precibus hoc ab illis sub vitæ finem impetret, ut pro se Deum exorent, ut ne illic aliquid incommodi patiatur, nec immanium a se facinorum pœnæ repetantur.

Num. 7. Quod vero spectat ad ritum illum, quo mortuorum nomina pronunciantur, quid eo esse potest utilius? nempe ut qui adsunt certissime sibi persuadeant mortuos vivere, nec in nihilum redactos esse; sed exsistere adhuc, atque apud Dominum vivere: tum ut relligiosissimum illud dogma prædicetur; quo qui pro fratribus precantur, bene de illis sperare constat, quasi peregre profectis. Ceterum quæ pro mortuis concipiuntur preces, iis utiles sunt, tametsi non omnes culpas extinguant. Verum ex eo prosunt, quod plerumque, dum adhuc in terra degimus sponte aut inviti titubemus; ut id quod perfectius est significetur. Nam & iustorum pariter, & peccatorum mentionem facimus: peccatorum quidem, ut iis a Domino misericordiam imploremus: iustorum autem & patrum, ac Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Episcoporum, Anachoretarum, ac cœtus illius universi, ut Dominum Iesum Christum singulari quodam honore prosequentes ab ceterorum hominum ordine segregemus, debitumque cultum illius maiestati tribuamus.

Num. 8. Necessario facere illud Ecclesiam dico; quæ traditum sibi ritum illum a maioribus acceperit.

S. Ioan. Chrys. *in Epist. ad Philipp. Homil.* 3. *num.* 4. Luge eos qui in divitiis sunt mortui; cum ex divitiis nullum animabus suis solatium comparassent: eos quibus abluendi peccata sua potestas facta erat, & noluerunt, Hos quidem nos omnes & publice & privatim lugeamus, sed ita, ut a decoro ne recedatur; ut gravitatem tueamur; ut ne nos ipsos ludibrio exponamus. Hos lugeamus non unum, aut alterum diem, sed per omne vitæ nostræ tempus. Lacrimæ hæ non sunt amentis perturbationis, at veri ac germani amoris: illæ vero amentis plane affectionis: propterea etiam cito are-scunt. Quæ enim ex Dei timore proficiscuntur semper durant. Hos igitur lugeamus, opem pro viribus feramus, aliquod ipsis auxilium comparemus, exiguum illud quidem, sed quod tamen auxiliari queat. Quomodo, quave ratione? cum ipsi preces fundant, tum alios, ut pro ipsis fundant, obsecrantes, ac pro ipsis frequenter dantes eleemosynas pauperibus. Affert hæc res aliquid solatii. Audi enim Deum ita dicentem: *Protegam urbem hanc propter me, & propter David servum meum.* Si sola iusti memoria tantum valuit, ubi opera præterea pro mortuo fiant, quid non poterunt? Non frustra hæc ab Apostolis sunt legibus constituta: ut in venerandis, inquam, atque horrificis mysteriis memoria eorum fiat, qui decesserunt. Noverant hinc multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis. Eo enim tempore, quo universus populus stat manibus pansis ac cœtus Sacerdotalis, & illud horrorem incutiens Sacrificium, quomodo Deum non placabimus pro istis orantes? Atque id quidem de iis, qui in fide decesserunt. Catechumeni vero neque hac dignantur consolatione: sed omni auxilio sunt destituti, uno quodam excepto. Quale vero hoc? licet pauperibus pro ipsis dare atque hinc aliquid percipiunt refrigerationis. Vult enim Deus, ut nobis mutuum auxilium afferamus. Ecquid enim aliud caussæ sit, cur pro pace, & bono mundi statu precari iusserit? cur pro omnibus hominibus? nam hic quidem inter omnes sunt etiam latrones, sepulcrorum effossores, fures, atque alii sexcentis scatentes malis; attamen pro omnibus precamur: erit enim fortasse quædam ipsorum conversio. Quemadmodum igitur pro viventibus istis precamur, qui nihil a cadaveribus differunt; ita pro illis etiam precari licet.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 13.

4. Reg. 20. 6.

S. Ambros. *Epist.* 39. *alias* 8. *aut.* 61. *ad Faustinum de morte sororis, num.* 4. (Sororem) itaque non tam deplorandam, quam prosequendam orationibus reor: nec mœstificandam lacrimis tuis, sed magis oblationibus animam eius Domino commendandam arbitror.

S. August. *lib.* 9. *Confess. cap.* 12. *& alios Ecclesiæ* Patres *vide superius* §. 18. *cap.* 5. *sect.* 1. *huiusce partis, litt.* (L).

Enchiridii cap. 110. *num.* 29. *Vide supra huiusce part. sect.* 1. *cap.* 5. §. 18 *litt.* (C).

Digitized by Google

si IV. Vasensi III. Bracarensi I. & II. Autissiodorensi, aliisque multis quæ brevitatis caussa prætermitto (E). Nec proferri ullum potest quod Protestantibus ulla ratione faveat.

3. Ex Liturgiis omnium seculorum. Nullam habemus quæ preces pro defunctis non contineat. Hæc est etiamnum Ecclesiarum omnium consuetudo, ut pro defunctis Sacrificium offeratur. Hanc fuisse Ecclesiarum omnium praxim tradit suo tempore S. Chrysostomus (F). Idem ait S. Augustinus (G). Hanc per totum orbem nemine contradicente servabat Ecclesia, cum Lutherus, & Calvinus eam Aerii exemplo abrogarunt: nec ullum tempus assignari potest quo in Ecclesiam de novo introducta fuerit. Ergo Apostolica traditione ad nos usque pervenisse certissime tenendum est, ut toties post S. Augustinum observavimus (H).

Huiusce oper. part. 2. sect. 2. cap. 2. §. 4. &c.

De cura pro mortuis gerenda, *cap.* 1. & 18. *Vide supra* §. 18. *cap.* 5. *sect.* 1. *huiusce part. litt.* (G)

Serm. 159. *alias* 17. *de verbis Apostoli*, *cap.* 1. *num.* 1. *Vide* §. *super. litt.* (D)

(E) Concil. Carthagin. IV. *an.* 398. *can.* 79. *Vide supra* §. 17. *cap.* 5. *sect.* 1. *huiusce partis*, *litt.* (L)

Concil. Bracarense II. *an.* 563. *can.* 16. & 17. *Vide superius hocce* §. *litt.* (C)

Concil. Vasens. III. *an.* 529. *Tom.* VIII. *pag.* 727 *can.* 3. In omnibus Missis, seu in Matutinis, seu in Quadragesimalibus, seu in illis quæ pro defunctorum commemoratione fiunt, semper *Sanctus*, *Sanctus*, eo ordine, quo modo ad Missas publicas dicitur, dici debeat.

Concil. Aurelian. II. *an.* 533. *Tom.* VIII. *pag.* 837. *can.* 15. Oblationes defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere censemus, si tamen non ipsi sibi mortem probentur propriis manibus intulisse.

Concil. Autissiod. *an.* 578. *Tom.* IX. *pag.* 913. *can.* 17. Quicumque se propria voluntate in aquam iactaverit, aut collum ligaverit, aut de arbore præcipitaverit, aut ferro percusserit, aut qualibet occasione voluntariæ se morti tradiderit, istorum oblatio non recipiatur.

(F) S. Ioan. Chrysost. *homil.* 3. *in Epist. ad Philip. n.* 4. *Vide superius hocce* §. *litt.* (D)

(G) S. August. *Serm.* 172. *alias* 32. *de verbis Apost. cap.* 2. *num.* 2. Orationibus vero sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuvari; ut cum eis misericordius agatur a Domino quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum Sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cum vero eorum commendandorum caussa opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est, ista prodesse defunctis; sed talibus qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem. Nam qui sine fide quæ per dilectionem operatur, eiusque sacramentis, de corporibus exierunt, frustra illis a suis huiusmodi pietatis impenduntur officia, cuius, dum hic essent, pignore caruerunt, vel non suscipientes, vel in vacuum suscipientes Dei gratiam, & sibi non misericordiam thesaurizantes, sed iram. Non ergo mortuis nova merita comparantur, cum pro eis boni aliquid operantur sui, sed eorum præcedentibus consequentia ista redduntur. Non enim actum est, nisi cum hic viverent, ut eos hæc aliquid adiuvarent, cum hic vivere destitissent. Et ideo istam finiens quisque vitam, nisi quod meruit in ipsa, non poterit habere post ipsam.

Vide alias auctoritates SS. Patrum §. *super. litt.* (D)

(H) S. August. *lib.* 4. *de Baptismo contra Donatistas*, *cap.* 24. *num.* 31. Quod

I. Cur offert Ecclesia Sacrificium pro viventibus?

R. Ut infideles ad Deum convertantur, peccatores pœnitentiam agant, iusti perseverent in iustitia, omnes salutem consequantur. De reliquis offerendi Sacrificii caussis & intentionibus satis superque supra diximus. §. 10. huius cap.

§. 13. *Explicantur specialius multa pertinentia ad Missam pro Defunctis.*

I. Quis Ecclesiæ scopus dum offert sacrificium pro defunctis?

R. Is est, ut accipiant in igne purgatorio refrigerium, & inde educti ad cælestem patriam perducantur.

I. Estne hæc Ecclesiæ fides, si certus quidam Missarum numerus pro defunctis celebretur, vel si dicatur Missa super altare quod Privilegiatum vocant, mox animam certissime liberari ab igne purgatorio?

R. Nullatenus. Ubi de adserenda Ecclesiæ fide agitur, non ultra progrediendum quam Ecclesia definierit. Hoc autem unum ea de re Ecclesia definivit in Concilio Tridentino, iuxta traditionem Apostolicam: *Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuvari.* Id ipsum tradiderat S. Augustinus his verbis; *Orationibus sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuvari, sed tales qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem.* Sess. 25. decreto de Purgat. S. Aug. serm. 172. al. 32.

Quidquid ultra dici potest incertum est, nec pertinet ad fidem Ecclesiæ. Abstinendum hic a quæstionibus quæ plus habent ad curiositatem quam ad pietatem fovendam utilitatis, & tenendus ea in re modus quem tenendum esse docet Tridentina Synodus his verbis: *Præcipit sancta Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam, a SS. Patribus & sacris Conciliis traditam, a Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores ac subtiliores quæstiones quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta autem, vel quæ specie falsi laborant, evulgari ac tra-* Sess. 25. decret. de Purgat.

universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.

S. Isidor. Hispal. *lib.* 1. *de Ecclesiast. officiis, cap.* 18. Sacrificium pro defunctorum fidelium requie offerre, vel pro eis orare, quia per totum hoc orbem custoditur, credimus quod ab ipsis Apostolis traditum sit. Hoc enim ubique Catholica tenet Ecclesia, quæ nisi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus vel eleemosynam faceret, vel Deo sacrificium offerret. Nam & cum Dominus dicit: *Qui peccaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro:* demonstrat quibusdam illic dimittenda peccata, & quodam purgatorio igne purganda. Matth. xii. 32.

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. 13.

ctari non permittant. Ea vero, quæ ad curioſitatem quamdam aut ſuperſtitionem ſpectant, vel turpe lucrum ſapiunt, tamquam ſcandala & fidelium offendicula prohibeant (A).

I. Fuitne hoc olim in more poſitum, ut pro ſingulis defunctis, ut nunc fit, offerretur Miſſæ ſacrificium?

R. Quemadmodum olim ita & nunc numquam offertur Miſſæ ſacrificium pro uno homine vivo vel defuncto, quin ſimul offeratur pro omnibus. Miſſa enim eſt & fuit ſemper ſacrificium totius Eccleſiæ.

Sed præter generalem hanc vivorum & defunctorum memoriam, is præterea mos fuit ſemper ut ſpecialis fieret memoria ſeu vivorum ſeu mortuorum, pro quibus nominatim ſacrificium offertur. Id patet tum ex Conciliis ſupra laudatis, tum ex SS. Patribus & Scriptoribus Eccleſiaſticis, Tertulliano, S. Cypriano, Euſebio, S. Ambroſio, S. Auguſtino, S. Gregorio (B): tum ex omnibus Liturgiis antiquioribus.

I. Quibus maxime diebus offerri Sacrificium pro ſingulis defunctis mos olim fuit?

R. 1. Ipſa die obitus, corpore præſente (C).

2. Tertia poſt obitum die, quia

(A) *De his omnibus vide quæ diximus ſupra huiusce partis ſect. 1. cap. 5. § 21.*

(B) TERTUL. *de Monogamia, cap. 10. Vide ſuper. §. litt.* (D).

S. CYPRIAN. *Epiſt. 1. alias 66. ad Clerum & plebem Furnit. vide ſupra §. 7. huiusce cap. litt.* (M).

EUSEB. *lib. 4. de vita Conſtantini, cap. 71. &* S. AMBROS. *de obitu Valentini conſol. & de obitu Theodoſii, &* S. AUGUST. *lib. 9. Confeſs. cap. 12. Vide ſuperius huiusce part. ſect. 1. c. 5. §. 18. litt.* (L)

S. GREG. MAGN. *in Sacramentario, pag. 3. Edit. Pariſ. in 4. an. 1642. col. 2. ſuper diptycha.* Memento etiam Domine, famulorum famularumque tuarum *ill.* qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis. Ipſis Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus, locum refrigerii, lucis & pacis, ut indulgeas deprecamur. Per eumdem, &c.

HUGO MENARDUS Monach Bened. Congr. S. Mauri. *Nota 69. in S. Gregor. Sacramentar.* Diptycha ſacra tabellæ ſunt, in quibus ſcripta erant nomina vivorum & defunctorum fidelium, quorum commemoratio in Miſſa fiebat.

Nota 70. Hæc autem defunctorum commemoratio habetur in omnibus Liturgiis, iuxta antiquum morem Eccleſiæ, cui ſemper oratio pro fidelibus defunctis in hoc liturgico Sacrificio cordi fuit, ut videre eſt in Catecheſi S. Cyrilli, ... & *Myſtag. 5.* apud S. Auguſtinum lib. de cura pro mortuis gerenda c. 1. Et lib. 9 Confeſſ. c. 11. S. Monica dicit: *Tantum illud rogo, ut ad altare Domini memineritis mei, ubi fueritis.*

Nota 71. Et dormiunt in ſomno pacis. Dicuntur animæ, pro quibus hic oratur, dormire in ſomno pacis, non quia exemptæ ſint cruciatu Purgatorii: ſed quia nulla iam animi perturbatione vexantur, nullis vitiorum ſtimulis lancinantur, vitam æternam omni cum ſecuritate exſpectantes.

Nota 72. Et omnibus in Chriſto quieſcentibus Superior memoria eſt eorum, quorum nomina de diptychis recitata ſunt: hæc autem eorum eſt, quorum nulla eſt apud homines recordatio, parentum, aut amicorum defectu: de qua S. Auguſtinus lib. de cura pro mortuis gerenda c. 4.

Vide SS. PATRUM *auctoritates ſupra allatas §§. 11. & 12. litt.* (D)

(C) TERTUL. *de anima cap. 51.* Scio feminam quamdam vernaculam Eccleſiæ, forma & ætate integra functam, poſt unicum & breve matrimonium, cum in pace dormiſſet, & morante adhuc ſepultura, interim oratione Presbyteri componeretur, ad primum halitum orationis manus a lateribus dimotas in habitum ſupplicem

Digitized by Google

Dominus tertia post mortem die resurrexit (D).

3. Die septima, quia hac die requievit Deus ab operibus suis (E).

---

conformasse, rursumque condita pace, situi suo reddidisse.

Euseb. *lib. 4. de vita Constantini, cap. 71. & S.* Aug. *lib. 9. Confess. cap* 13. *num.* 3. *Vide superius huiusce part. sect.* 1. *cap* 5 §. 18. *litt.* (L)

(D) S. Clemens, *seu* Auctor *Constitut. Apostol. lib. 3. cap.* 42. Exsequiæ vero mortuorum fiant tertia die adhibitis Psalmis, Precibus, & Lectionibus, propter eum, qui tertia die a mortuis suscitatus est: die nono ad recordationem eorum, qui sunt superstites, & eorum, qui defuncti sunt: quadragesimo fiant secundum veterem
Deut. xxxiv. typum. Moysen enim sic populus flevit: item anno exacto ad habendam memoriam ipsius defuncti, & suppeditetur ex bonis eius pauperibus ad recordationem eiusdem.

Amalarius *lib.* 3 *de Divinis Officiis. Vide infra hocce* §. *litt.* (E)

Alcuinus *de Divinis Officiis, cap.* 50. Pro nostris defunctis certare debemus, quatenus possint participes fieri eorum quos Christus a claustris revocavit inferni. Simili etiam modo celebramus Officia pro ipsis, quomodo celebrantur in illis diebus, quando Christus descendit ad inferna, in quibus & creditur mortuus. Denique in aliquibus locis generaliter pro omnibus defunctis omni tempore, exceptis Pentecostes, & festis diebus, oratur in officio vespertinali; in aliquibus quotidie pro eis Missa celebratur. In Kalendis etiam, seu diebus anniversariis, per novem Psalmos & Responsoria, seu lectiones, simili modo officia persolvuntur.... Quapropter rite celebrantur illi tres dies generaliter ab omnibus infra trigesimam, qui vocantur tertius, septimus, atque tricesimus.... Offerimus sacrificium Deo tertia die... In expiatione vero diei tertii commendati defuncti, possumus ad memoriam reducere tertiam diem Resurrectionis Domini, in qua devotius est generaliter supplicandum. De septimo vero die habemus auctoritatem in libro Geneseos; mortuo enim Iacob in Ægypto, & translato a Ioseph trans Iordanem, cum comitatu maximo, celebraverunt ibi lem
Gen. L. 10. *exsequias cum planctu magno, & fecerunt septem dies*, & alibi, *Luctus mortui septem dierum*... Sane septimus dies in Scripturis auctoritatem habet, quia septenarius
Eccli. xxii. 13. numerus propter sabbati sacramentum præcipue quietis indicium est. Unde merito mortuis tamquam quiescentibus exhibetur. De tricesima die scriptum est in libro Numerorum: *Omnis autem*
Num. xx. 30. *multitudo videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus. Et Moysen fle-*
Deut. xxiv. 8. *verunt filii Israel in campestribus Moab triginta diebus*... Sed & hoc notandum, quia quod Missæ mortuorum absque *Gloria & Alleluia*, seu pacis osculo celebrantur, quod est indicium lætitiæ; ad imitationem agitur Officiorum, quæ aguntur in morte Domini.

Cap. ultimo. Tertia dies specialiter pro animæ absolutione celebratur... Dies septimus nihilominus officiis deputatur eisdem... Ceterum de trigesima die in Dialogorum libris legimus B. Gregorium præcepisse diebus triginta continuis pro quodam Monacho nomine Iusto... quem ipse ob scelus rei peculiaris damnaverat, Missas & Orationes percelebrari. Quibus expletis divina manifestatum est revelatione, communionem Sanctorumque societatem recepisse. Hæc ergo salutifera inolevit consuetudo, ut trigesima dies defunctorum devotis frequentetur officiis.

(E) S. Ambros. *de fide resurrect. lib.* 2. *de excessu fratris sui Satyri, num.* 2. Die septimo ad sepulcrum redimus, qui dies symbolum futuræ quietis est.

Num 5 Nos quoque ipsi natales dies defunctorum, & eum quo obierunt diem, celebri sollemnitate renovamus.

Amalarius *lib.* 3 *de Divinis officiis, cap* 44. Missa pro mortuis in hoc differt a consueta Missa, quod sine *Gloria*, & *Alleluia* & pacis osculo celebratur. *Gloria & Alleluia* suavitatem & lætitiam nostris mentibus inculcant.... Notandum est etiam, quod officium pro mortuis ad imitationem agitur Officiorum, quæ aguntur in morte Domini... Solemus eorum memorias generaliter celebrare tertia & septima & tricesima die... Triginta enim diebus completur mensis... Quando studemus, ut opera amicorum no-

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 13.

4. Die trigesima, propter elapsum mensem a die obitus (F).

5. Die anniversario, propter elapsum annum (G).

I. In hac dierum observatione, vereor ne quid superstitionis esse videatur?

R. Superstitio quidem est, si observentur dies absque ulla legitima ratione. Nihil autem superstitionis est, si dies observentur, ubi subest ratio legitima. Numquid superstitiosam quis dixerit observationem diei Dominicæ, ceterorumque dierum, quibus Mysteria Christi, vel Sanctorum natalitia celebrantur? Probandus itaque mos celebrandi Missam pro defunctis ipso die obitus, itemque die tertio, septimo, tricesimo, & anniversario post obitum.

I. Putasne nullum irrepsisse abusum in Missarum celebratione pro defunctis?

R. Irrepserant sane non pauci, de quibus ita loquitur Tridentina Synodus: *Cum multa iam sive temporum vitio, sive hominum incuria & improbitate, irrepsisse videantur, quæ a tanti Sacrificii dignitate aliena sunt; ut ei debitus honor & cultus ad Dei gloriam & fidelis populi ædificationem restituatur, decernit sancta Synodus, ut Ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere atque e medio tollere sedulo curent ac teneantur, quæ vel avaritia, idolorum servitus, vel irreverentia, quæ ab impietate vix seiuncta esse*

Sess. 22. Decret. de observ. & evitand. in celebr. Miss.

strorum sint plena coram Deo, triginta diebus pro eis sacrificamus. Non opinor ut aliquis velit dicere, quod non liceat nobis orare quotidie & sacrificare Deo pro mortuis. Sed quod agitur in tertia & septima & tricesima die, publice agitur, & generaliter ab omnibus amicis, ac convenitur simul ad hoc in precibus Missarum, atque eleemosynis & ceteris bonis studiis.

(F) Alcuin. & Amalar. *Vide supra hocce §. litt.* (D) & (E)

(G) Tertullian. *De corona Militis, cap.* 3. *Vide super. §. litt.* (D)

Constit. Apostol. *lib.* 8. *cap.* 42. *Vide superius hocce §. litt.* (D)

Amalarius *de Ecclesiast. Officiis, lib.* 3. *cap.* 44. *in fine.* Anniversaria dies ideo repetitur pro defunctis, quoniam nescimus qualiter eorum caussa habeatur in alia vita. Sicut Sanctorum anniversaria dies, in eorum honore ad memoriam nobis reducitur super utilitate nostra; ita defunctorum, ad utilitatem illorum & nostram devotionem implendam, credendo eos aliquando venturos ad consortium Sanctorum. Alioquin omni tempore bonum est orare pro defunctis, etiamsi dies nesciatur defuncti per oblivionem seu per ignorantiam, vel prætermittatur propter occupationem aliquam terrenam; agatur tamen eorum sollemnitas iuxta decretum devotissimarum mentium, credo apud eum, apud quem non est vicissitudinis obumbratio, acceptum esse quasi anniversaria sit.

Alcuinus *de Divinis Officiis. cap.* 50. *Vide supra hocce §. litt.* (D)

Dom. Ioan. Mabillon. Monach. Benedict. Congregat. S. Mauri *Liturg. Gallic. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 4. Itaque Missæ oblatio fiebat etiam pro requie eorum, qui sancti credebantur, ut in Mozarabico *pro spiritibus pausantium*, seu Confessorum: nempe ut pro eorum requie Deo gratiæ agerentur... Gregorius in lib. de Gloria Confess. cap. 65. utitur etiam verbo *celebrandi*, agendo de muliere quæ *per annum integrum assidue orationi vacabat, celebrans quotidie Missarum sollemnia, & offerens oblationem pro anima viri, non diffisa de Domini misericordia, quod haberet defunctus requiem, in die qua Domino oblationem pro eius anima delibaset; semper sextarium Gazeti vini præbuit in sacrificium basilicæ sanctæ.* Locus sane insignis ad probandum sacrificium pro defunctis.

Digitized by Google

poteſt, vel superstitio, veræ pietatis imitatrix, induxit.

I. Quosnam abusus ibi notat Tridentina Synodus?

R. Superfluum est eos hic recensere, qui iam Episcoporum vigilantia & auctoritate sublati sunt, multi subinde in dies irrepunt, quibus Episcopi medentur quantum in ipsis est: hos singulos referre nihil prodest. Id dixisse sufficiat, hanc esse Ecclesiæ mentem, ut in curandis exsequiis recedant fideles a sumptibus superfluis, & fugiant quidquid sapit vanitatem & pompam seculi. Ceterum ritus omnes ab Ecclesia præscriptos servent & teneant: nihil enim aliud est abusus, quam usus introductus contra vel Dei vel Ecclesiæ leges. Horum abusuum unum exemplum proferre sufficiat, qui reprehenditur ubique, & tamen multis adhuc in locis viget, quidquid moneant Episcopi.

Id præcipiunt Rubricæ Missalis, ut Missæ officium quantum fieri potest cohæreat cum Officio canonico quod ea die celebratur, nec dicantur in Festis, quæ duplicia appellantur, ceterisque diebus sollemnioribus, Missæ votivæ pro defunctis, nisi corpore præsente, vel alia gravi de caussa, ob exsequiarum sollemnitatem. Uno verbo, quo die rite dici possit Missa pro defunctis, quo die non possit, monent omnium Ecclesiarum Missalia. Tamen plebs rudis & ignara sæpe postulat sibi celebrari Missam pro defunctis parentibus & propinquis, eo die, quo id fieri non licet; nec desunt Presbyteri, qui ignaræ plebi nimium obsequentes dicant fere quotidie Missam votivam pro defunctis per fas & nefas. Hoc abusum appello. Is ut tollatur, docendi sunt a Parochis populi, nullam dici Missam, ut exposuimus, quæ non prosit vivis & defunctis. In Missis, quæ dicuntur de officio diei, non secus ac in Missis, quas pro defunctis vocant, fit specialis memoria defunctorum pro quibus nominatim sacrificium offertur. Non nisi ad sollemnitatem exsequiarum, ceterorumque officiorum quæ pro defunctis celebrantur diebus supra dictis, vel ad devotionem Sacerdotis Missam votivam die non impedita quandoque celebraturi, ordinatæ sunt Orationes & Lectiones, ex quibus constant Missæ quæ pro defunctis appellantur. Ceterum has Missas singulis fere diebus celebrari non licet. Ordinem Ecclesiæ pervertunt populi, qui id quandoque importunius efflagitant, falso existimantes, quæ est eorum ignorantia, Missam eiusmodi esse suis amplius profuturam; quem etiam Presbyteri præ nimia facilitate fovent sæpius abusum, a quo verisimile est plebem, si edoceretur a Sacerdote, non ita difficulter esse recessuram.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 13. §. Super.

I. Fuitne antiquitus in more positum, ut in sollemnioribus exsequiis haberentur ad populum Orationes, quas funebres vocant?

R. Fuit. Exstant etiamnum Orationes habitæ a S. Ambrosio in funere Valentiniani, in funere Theodosii, in funere Satyri fratris sui: item Oratio habita a S. Gregorio Nazianzeno in funere patris sui, S. Gregorii Episcopi Nazianzeni, in funere S. Basilii, &c.

Digitized by Google

Harum Orationum is scopus esse debet ex mente Ecclesiæ, ut excitetur Christiana plebs ad mundi contemptum, ad pœnitentiam, ad mortis meditationem; & proponantur ei vel exempla virtutum ad imitationem, vel rationes propter quas specialius orandum sit pro defunctis, quorum exsequiæ celebrantur.

§. 14. *De Missis Maioribus, de iis quæ Privatæ dicuntur, item de iis in quibus solus Sacerdos communicat.*

I. Quot modis celebrari potest Missæ sacrificium?

R. Duobus modis: scilicet, vel sollemniter & cum omni cæremoniarum Ecclesiasticarum apparatu; vel sine sollemnitate, sine cantu, sine Diaconi & Subdiaconi ministerio. Missa primo modo celebrata dicitur Missa maior vel sollemnis; altero modo, dicitur Missa minor vel privata; non quod reipsa privata sit, omnes enim Missæ publicæ sunt, ut dicemus infra: sed tamen ut Missa sine cantu celebrata privata diceretur usus obtinuit.

I. Exstant ne antiquitus exempla utriusque Missæ?

R. Exstant plurima. Ordo Missæ sollemnis habetur apud S. Iustinum Martyrem, in Apologia secunda pro Christiana religione (A): item in libro Constitut. Apostolicarum, qui S. Clementi tribuitur, & quem constat esse primæ antiquitatis (B). Huius & vestigia exstant apud Ter-

---

(A) S. Iustinus Martyr *Apolog.* 1. *n.* 65. *paullo ante finem*. Nos autem postquam eum qui credidit & assensum præbuit sic baptizavimus, ad fratres, qui dicuntur adducimus, ubi illi congregati sunt, communes preces, cum pro se ipsis, tum pro illuminato, & aliis ubique gentium omnibus, animo intento fusuri; ut digni simus, qui veritate agnita, per opera etiam boni rerum administratores & mandatorum custodes inveniamur, quo salute servemur sempiterna. Precibus finitis mutuo nos invicem osculo salutamus. Deinde ei qui fratribus præest offertur panis & poculum aquæ & vini: quibus ille acceptis, laudem & gloriam rerum universalium Patri per nomen Filii & Spiritus sancti offert: & gratiarum actionem pro eo, quod nos donis suis hisce dignatus sit, prolixe exsequitur. Qui ubi Eucharistiam perfecit, populus qui adest omnis acclamat, *Amen* dicens: *Amen* autem voce Hebræa, *Fiat* significat. Postquam vero præsidens gratiarum actionem absolvit, & populus universus acclamavit, qui apud nos vocantur *Diaconi* distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum & aquam, & ad absentes perferunt.

Paullo post. Atque in omnibus quas offerimus oblationibus, benedicendo laudamus factorem omnium, per Filium eius Iesum Christum, & Spiritum sanctum: & Solis, qui dicitur, die, omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eumdem locum conventus fit: & commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde Lectore quiescente, Præsidens orationem, qua populum instruit, & ad imitationem tam pulcrarum rerum cohortatur, habet. Sub hæc consurgimus omnes, & precationes profundimus: & sicuti retulimus, precibus peractis panis offertur, & vinum, & aqua: & Præpositus itidem, quantum pro virili sua potest, preces & gratiarum actiones fundit; & populus faoste acclamat, dicens, *Amen*. Et distributio communicatioque fit eorum in quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti: absentibus autem per Diaconos mittitur.

(B) S. Clemens *seu* Auctor *Constit. quæ*

tribuuntur Apost. lib. 8. *cap.* 5.... Post lectionem legis, & Prophetarum, & Epistolarum nostrarum, & Actorum, atque Evangeliorum, salutet Ecclesiam ordinatus, diceos, *Gratia Domini nostri Iesu Christi. & caritas Dei Patris, & communicatio Spiritus sancti cum omnibus vobis;* & omnes respondeant, *Et cum Spiritu tuo:* & post salutationem alloquatur populum sermone hortatorio. Quo sermone habito ad docendum, statuo ego Andreas frater Petri, ut cunctis consurgentibus, edicat Diaconus ex loco alto, *Ne quis adsit audientium, at quis infidelium.* Et silentio facto, dicat, *Orate Catechumeni.* Et omnes fideles attente pro ipsis orent, dicentes, *Kyrie Eleison.* Ministret vero pro eis Diaconus, dicens; *Omnes pro Catechumenis Deum obsecremus*, &c.

2. Cor. XIII. 13.

Cap. 6..... *Adhuc intentis mentibus pro eis supplicemus, ut adepti per Baptismum veniam peccatorum, habeantur digni sanctis mysteriis Eucharistie, & cum sanctis commorari ac permanere. Surgite catechumeni, petite pacem Dei per Christum eius, ac diem quietum, & a peccato vacuum, immo omne tempus vita vestra: petite ut vitam Christiane finiatis, ut propitius & benevolus sit vobis Deus, & ut peccata remittat. Commendate vos soli ingenito Deo per Christum eius; inclinate, & accipite benedictionem.* In singulis horum, quæ Diaconus dicit, ut ante diximus, respondeat populus, *Kyrie Eleison*, & ante omnes respondeant pueri, & inclinantibus eis capita, benedicat Episcopus ordinatus huiusmodi benedictione, *Deus omnipotens*, &c..... Et postea dicat Diaconus, *Exite Catechumeni in pace*, & postquam exierint, dicat, *Energumeni, quos spiritus immundi agunt, adhibete cuncti preces Deo. Intente pro eis precemur, ut summa in homines caritate Deus increpet per Christum immundos & malos spiritus...... Deprecemur adhuc intente pro ipsis, libera & suscita eos Deus tua potentia: Inclinate Energumeni, & accipite benedictionem.* Et Episcopus precetur illis dicens: *Qui fortem ligasti*, &c.

Cap. 7. Et dicat Diaconus: *Exite energumeni:* ac post egressum eorum dicat, *Orate, qui Baptismum petitis. Omnes fideles intente pro eis oremus, ut Dominus faciat eos dignos, ut baptizati in mortem Christi cum ipso resurgant.* ... Deinde postquam se signaverint in nomine Dei Patris per Christum eius, seque inclinaverint, accipiant ab Episcopo hanc benedictionem: *Qui per tuos sanctos Prophetas*, &c.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 14.

Cap. 8. Et dicat Diaconus, *Exite qui illuminamini.* Et postea dicat, *Precamini intente, qui in pœnitentia estis. Omnes pro fratribus, qui in pœnitentia sunt, preces adhibeamus, ut misericors Deus ostendat eis viam pœnitentia... Deprecemur adhuc intentius pro eis*, quoniam gaudium est in cælo super uno Peccatore pœnitentiam agente: *Deprecemur, inquam, ut aversi ab omni opere illicito, applicent se ad omne opus bonum.... adhuc intente omnes pro ipsis dicamus*, Kyrie Eleison. *Salva eos Deus, & misericordia tua suscita. Qui suscitati estis Deo per Christum eius, inclinate, & accipite benedictionem.* Precetur igitur Episcopus in hunc modum: *Omnipotens Deus aterne*, &c.

Luc. XV. 7.

Cap. 9. Et dicat Diaconus, *Exite, qui in pœnitentia estis*, & adiiciat: *Nemo eorum, quibus non licet, exeat. Omnes fideles flectamus genu, oremus Deum per Christum eius, omnes intente obsecremus Deum per Christum eius.*

Cap. 10. *Oremus pro pace, & pro tranquillitate mundi, & sanctarum Ecclesiarum, ut Deus universi pacem suam perpetuam, & qua tolli non possit, nobis tribuat, ut conservet nos perseverantes in plenitudine virtutis ex pietate erga Deum. Oremus pro Catholica & Apostolica cuncti orbis Ecclesia, ut custodiat eam Dominus, ac conservet a motibus & turbulentis fluctibus liberam, fundatam usque ad consummationem seculi super petram. Oremus etiam pro hac sancta parœcia, ut Dominus universorum benigne nobis tribuat, ut spem eius calestem non remisse insequamur, & perpetuum precationis debitum ei solvamus. Oremus etiam pro omni Episcopatu totius orbis, eorum qui recte tractant verbum tua veritatis, & pro Episcopo nostro Iacobo, & pro parœciis eius; item pro Episcopo nostro Clemente, & pro parœciis eius: item pro Episcopo nostro Evodio, & pro parœciis eius, ut Deus miserationem concedat Ecclesiis suis sanctis, ut salvi, roborati, & diuturna vita sint, tribuatque eis honoratam senectutem in pietate & iustitia. Oremus praterea pro Presbyteris nostris, ut Dominus liberet eos ab omni re fœda & prava, detque eis honoratum Presbyterii gradum. Oremus item pro omnibus Diaconis,*

& Ministris, ut tribuat eis Dominus ministerium sine querela ullius. Oremus quoque pro lectoribus, cantoribus, virginibus, viduis, & orphanis. Oremus etiam pro iis qui sunt in coniugio, & liberorum procreationi operam dant, ut tribuat eis Dominus misericordiam. Oremus pro Eunuchis sancte ambulantibus. Oremus pro iis qui vivunt in continentia, & reverentia erga Deum. Oremus pro iis qui in Ecclesia oblationes faciunt, & pauperibus largiuntur eleemosynas. Oremus pro iis qui sacrificia & primitias offerunt Domino Deo nostro: ut qui est undique bonus Dominus, suis cælestibus donis eos re-
Matth. XIX. 29. *muneret*, detque eis in hoc seculo centuplum, & in futuro vitam sempiternam, *largiaturque eis pro caducis æterna, & pro terrenis cælestia. Oremus pro fratribus nostris recens baptizatis, ut firmet stabiliatque eos Dominus. Oremus pro fratribus nostris, qui morbis conflictantur, ut Dominus liberet eos ab omni morbo & omni invaletudine, & restituat sanos Ecclesiæ suæ sanctæ. Oremus pro navigantibus, & iter facientibus. Oremus pro iis qui sunt propter nomen Domini in metallis, & exiliis, & custodiis & vinculis. Oremus, pro iis, qui dura servitute premuntur. Oremus pro inimicis, & qui nos oderunt. Oremus pro iis, qui nos propter nomen Domini persequuntur, ut mitigato eorum furore, eorum adversus nos iram dissipet. Oremus pro iis, qui foris sunt, & in erroribus versantur, ut Dominus convertat eos. Recordemur etiam infantum Ecclesiæ, ut eos Dominus perfectos in timore suo reddat, & ad mensuram ætatis perducat. Oremus pro nobis mutuo, ut nos Dominus gratia sua usque ad finem custodiat, ac nos ab omni malo omnibusque scandalis operantium iniquitatem eripiat, & salvos in regnum suum celeste servet. Oremus pro omni anima Christiana: salva & suscita nos Deus misericordia tua. Surgamus intente orantes, nosque ipsi, & alii alios Deo viventi per Christum eius commendemus*. Oret Episcopus, & dicat; *Domine omnipotens celsissime*, &c.

Cap. 11. Ac postea dicat Diaconus: *Attendamus*, & salutet Episcopus Ecclesiam & dicat, *Pax Dei cum omnibus vobis;* & respondeat populus, *Et cum spiritu tuo*. Et Diaconus dicat omnibus, *Osculamini vos mutuo, osculo sancto*, & Clerici osculentur Episcopum, & viri laici laicos, & feminæ feminas. Pueri stent apud suggestum, & præsit eis alius Diaconus, ne turbent ordinem. Alii item Diaconi deambulent, & contemplentur viros & mulieres, ne quis fiat strepitus, ne quis nutus faciat, aut mussitet, aut dormitet. Diaconi autem stent ad ianuas, quibus viri in templum ingrediuntur; & Hypodiaconi ad ianuas, quibus mulieres, ne quis egrediatur, neve aperiatur ianua tempore oblationis, quamvis sit aliquis fidelis: unus autem Hypodiaconus ministret aquam Sacerdotibus ad lavandum manus, quod est signum puritatis animarum, quæ Deo dicatæ sunt.

Cap. 12. Statim edicat Diaconus: *Ne quis ex catechumenis: ne quis ex audientibus: ne quis ex infidelibus: ne quis ex hæreticis. Qui primam precationem fecistis, exite. Quæ matres estis, pueros assumite. Ne quis contra quempiam. Ne quis in hypocrisi: Stemus erecti Domino cum metu & tremore, ad offerendum*. His peractis adhibeant Diaconi dona ad altare Episcopo, & Presbyteri ad dexteram & lævam eius, ut discipuli magistro assistant. Duo vero Diaconi ex utraque parte altaris teneant flabella ex tenuibus membranis, aut ex pennis pavonis, aut ex linteo, ut parva animalia volitantia abigant, ne in calicem incidant. Igitur Episcopus precationem silentio faciens una cum Sacerdotibus, & splendidam vestem indutus, & stans ad altare, & facto manu in fronte trophæo crucis, dicat: *Gratia omnipotentis Dei, & caritas Domini nostri Iesu Christi, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis*. Et omnes una voce respondeant: *Et cum Spiritu tuo*. Ac rursum Episcopus, *Sursum mentem*, respondeant omnes: *Habemus ad Dominum*. Et Episcopus: *Gratias agamus Domino*: & omnes: *Dignum & iustum est*. Deinceps dicat Episcopus. *Vere dignum & iustum est, laudare ante omnia te Deum verum: te, qui ex æternitate ante conditum universum exsistis;* ex quo omnis paternitas Ephes. III. 15.
in cælo & in terra nominatur; *te solum ingenitum, etc*.... Et omnis populus dicat, *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Sabaoth, plenum est cælum & terra gloria eius, benedictus in secula, Amen*. Et dicat postea Episcopus: *Sanctus enim vere es, & ex omni parte sanctus, excelsus, & supraquam excelsus in secula. Sanctus autem unigenitus tuus Filius De-*

Digitized by Google

minus noster & Deus Iesus Christus, qui.... excitatusque est a mortuis die tertio; & cum discipulis quadraginta diebus commoratus, assumptus est in cælos, & sedet ad dexteram suam, qui Deus, & Pater eius est. Memores igitur eorum, quæ caussa nostra sustinuit, gratias agimus tibi, Deus omnipotens, non quas debemus, sed quas possumus. 1.Cor.xi.23. *Constitutionemque eius implemus*: in qua enim nocte tradebatur, cum accepisset panem *Sanctis & ab omni labe puris manibus suis, sustulissetque oculos ad te Deum suum, ac Patrem, ac fregisset, dedit discipulis suis, dicens, Hoc est* Ibid. 24. & seq. *Mysterium novi Testamenti*: Accipite ex eo, comedite: hoc est corpus meum, quod pro multis frangitur in remissionem Matth. xxvi. 28. peccatorum. Similiter & calicem *postquam miscuit ex vino & aqua & sanctificavit, dedit eisdem*, dicens, Bibite ex eo omnes: hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem; quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & biberitis calicem hunc, mortem meam annuntiabitis, donec veniam. *Quare memores passionis eius, & mortis, eiusque resurrectionis a mortuis, & reditus in cælum, atque adventus eius secundi, qui futurus est cum veniet cum gloria & potestate, ad iudicandos vivos & mortuos, & reddendum unicuique secundum opera eius, offerimus tibi Regi & Deo, sicut ipse constituit, panem hunc, & calicem hunc, gratias agentes tibi per eum, quia a te dignati sumus stare in conspectu tuo, & tibi fungi Sacerdotio. Ac te precamur, ut in hæc munera coram proposita benevole aspicias tu Deus nullius indigens, & bene placeas in eis in honorem Christi tui, & mittas super hoc sacrificium sanctum tuum Spiritum testem passionum Domini Iesu; ut efficias panem hunc corpus Christi tui, & calicem hunc sanguinem Christi tui; ut qui eum participarint, ad pietatem firmentur; remissionem peccatorum consequantur; a fallaciis diaboli liberentur; Spiritu sancto impleantur; digni Christo tuo fiant, vitamque sempiternam adipiscantur, te illis reconciliato, Domine omnipotens. Adhuc precamur te, Domine, pro Ecclesia tua sancta a finibus usque ad fines propagata, quam pretioso sanguine Christi tui acquisivisti, ut eam extra motus, & fluctus, ac tempestates usque ad consummationem sæculi conserves, & pro omni Episcopatu recte tractante verbum veritatis. Adhuc obsecramus te pro me qui sum nihili, qui tibi oblationem facio, & pro universo Presbyterio, pro Diaconis, & toto Clero, ut omnes sapientiam doceas, & Spiritu sancto impleas. Adhuc obsecramus te, Domine, pro Rege, & omnibus qui in sublimitate sunt, & pro toto exercitu, ut pacem habeant nobiscum; ut totum vitæ nostræ tempus in quiete & concordia traducentes, glorificemus te per Iesum Christum, qui est spes nostra. Adhuc offerimus tibi pro omnibus Sanctis, qui a sæculo tibi placuerunt, Patriarchis, Prophetis, Iustis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Hypodiaconis, Lectoribus, Cantoribus, Virginibus, Viduis, Laicis, & pro omnibus quorum tu nosti nomina. Adhuc offerimus tibi pro populo hoc, ut in laudem Christi tui declares eum regale Sacerdotium, gentem sanctam: pro virginibus & castis, pro viduis Ecclesiæ, pro iis qui sunt in coniugio honesto, & dant operam liberis, pro infantibus populi tui, ut nullum nostrum repudies. Adhuc rogamus te pro hac urbe, & incolis eius; pro ægrotis, pro dura servitute pressis, pro exulibus, pro proscriptis, pro navigantibus, & iter facientibus ut eis auxiliator, omnium adiutor & susceptor. Adhuc obsecramus te etiam pro iis qui oderunt nos, & nos propter nomen tuum insectantur; pro iis qui sunt foris, & errant, ut convertas ad id quod bonum est, & eorum furorem mitiges. Adhuc obsecramus te pro Catechumenis Ecclesiæ, & pro iis qui vexantur ab alieno spiritu, & pro iis qui sunt in pœnitentia; ut Catechumenos in fide perficias, energumenos expulso actu mali dæmonis repurges: pœnitentes recipias, & delicta tum eis, tum nobis nostra remittas. Adhuc offerimus tibi pro temperatione aeris, & frugum ubertate, ut bonis tuis sine penuria fruentes, sine intermissione laudemus eum, qui dat pastum omnibus animantibus. Obsecramus te quoque pro iis qui sunt absentes, qui scilicet habent absentiæ suæ caussam probabilem; ut nos omnes in pietate conserves, & congreges in regno Christi tui....* Et omnis populus respondeat. *Amen*. Et dicat Episcopus, *Pax Dei sit cum omnibus vobis*. Et cunctus populus respondeat,

Digitized by Google

tullianum in Apologetico (C). Uno verbo de hoc tota antiquitas.

Nec recentior est usus Missarum quæ privatæ dicuntur: ut constat ex

---

Et cum spiritu tuo. Ac rursus dicat Diaconus:

Cap. 13. *Etiam atque etiam deprecemur Deum per Christum eius pro munere oblato Domino Deo: ut Deus, qui bonus est, suscipiat illud per mediatorem Christum in cæleste suum altare in odorem suavitatis; item pro hac Ecclesia, & populo; item pro omni Episcopatu, pro cunctis Presbyteris, & pro omni ministerio cum Christo, & pro famulatu totius cœtus Ecclesiæ; ut universos conservet ac custodiat Dominus: pro Regibus, & iis qui in sublimitate sunt, ut sit illis nobiscum pax: ut quietam & tranquillam vitam degentes in omni pietate & honestate vivamus. Memoremus Martyres sanctos, ut mereamur certaminis eorum participes fieri. Precemur quoque pro iis qui fide requieverunt: item pro cæli temperatione, & maturitate frugum. Precemur etiam pro recenter baptizatis, ut omnes in fide stabiliantur, cuncti se mutuo exhortentur: suscita nos Deus in gratia tua; & suscitati per Christum ipsum commendemus nos Deo*. Et dicat Episcopus, *Magne*... Et postquam omnes responderint, *Amen*; Diaconus dicat, *Attendamus*; & Episcopus edicat populo in hunc modum, *Sancta sanctis*. Et populus subaudiat. *Unus sanctus, unus Dominus, unus Christus in gloriam Dei Patris benedictus in secula, Amen. Gloria in altissimis Deo, & in terra pax: in hominibus bona voluntas: Osanna filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus, Dominus, & apparuit nobis: osanna in altissimis*. Et postea sumat Episcopus, deinde Presbyteri, & Diaconi, & Hypodiaconi, & Lectores, & Cantores, & Ascetici, & ex feminis Diaconissæ, ac Virgines, & Viduæ: postea pueri, & deinde cunctus populus ordine cum pudore & reverentia, sine tumultu & strepitu. Atque Episcopus quidem tribuat oblationem dicens, *Corpus Christi*. Et qui accipit, dicat, *Amen*. Diaconus vero teneat calicem: & tribuens aliis, dicat *sanguis Christi calix vitæ*: & qui bibit, dicat, *Amen*. Recitetur vero Psalmus trigesimus tertius, dum ceteri omnes communicant. Et post communionem omnium tum virorum, tum mulierum, sumant Diaconi relliquias, & inferant in tabernaculum: & Disconus, postquam finem fecerit qui psallit, dicat: *Qui pretiosum corpus*, *etc.*

Cap. 14. *Surgamus in gratia Christi, & nos ipsi Deo soli ingenito Deo, & Christo eius commendemus*. Et Episcopus agit gratias; *Domine Deus omnipotens*, &c.

Cap. 15. Et dicat Diaconus; *Deo per Christum ipsius inclinate, & accipite benedictionem*, & Episcopus precetur, dicens; *Deus omnipotens*, &c. Et Diaconus dicat, *Ite in pace*.

Vide eiusdem Auctoris lib. 2. *cap.* 57. *infra huiusce cap.* §. 21. *littera*. (C)

(C) Tertull. *Apolog. cap* 39. Corpus sumus de conscientia relligionis, & disciplinæ unitate, & spei fœdere. Coimus ad Deum, quasi manu facta precationibus ambiamus. Hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro Ministris eorum ac Potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Coimus ad Litterarum divinarum commemorationem; si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus. Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina. Nam & iudicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu; summumque futuri iudicii præiudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii relegetur. Præsident probati quique seniores honorem istum non pretio, sed testimonio adepti; neque enim pretio ulla res Dei constat.... Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit. Id vocatur quod dilectio penes Græcos. Quantiscumque sumptibus constet: lucrum est pietatis nomine facere sumptum. Siquidem inopes quosque refrigerio isto iuvamus, non qua penes vos parasiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis sub auctoramento ventsis inter contumelias saginandi; sed qua penes Dsum maior est contemplatio medio-

Tertulliano, S. Cypriano, Eusebio, Sozomeno, S. Gregorio Nazianzeno, Paullino in Vita S. Ambrosii, S. Augustino, S. Gregorio magno (D).

---

erium. Si honesta causa est convivii, reliquum ordinem disciplinæ æstimate, qui sit de relligionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit. Non prius discumbitor, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum esurientes cupiunt: bibitur quaotum pudicis est utile: ita saturantur, ut qui memioerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse: ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem & lumina, ut quisque de Scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo caoere. Hinc probatur quomodo biberit. Æque oratio convivium dirimit. Inde disceditur non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eamdem curam modestiæ, & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam disciplinam. *Hæc Tertullianus de Agapis quæ ante vel post sacrificium suo tempore fiebant.*

(D) Tertull. *De fuga in persequut. cap.* 14. Quomodo colligemus, inquis, quomodo Dominica sollemnia celebrabimus? Utique quomodo & Apostoli, fide, non pecunia tuti... Esto sapientia, non præmio cautus... Postremo, si colligere interdiu non potes, habes noctem, luce Christi luminosa adversus eam. Non potes discurrere per singulos, sit tibi & in tribus Ecclesia.

S. Cyprian. *Epist.* 5. *Presbyt. & Diacon.* Peto quoque ad procorandam quietem sollertia & sollicitudo vestra non desinat: nam & si fratres pro dilectione sua copidi sunt ad conveniendum & visitandum Confessores bonos... tamen caute hoc, & non glomeratim, nec per multitudinem simul iuoctam puto esse faciendum: ne ex hoc ipso iuvidia concitetur, & introeundi aditus denegetur, & dum insatiabiles multum volumus, totum perdamus. Consulite ergo & providete, ut cuoi temperamento hoc agi totius possit: ita ut Presbyteri quoque qoi illic apud Confessores offerunt, singuli cum singulis Diaconis per vices alternent: quia & mutatio personarum, & vicissitudo convenientium minuit invidiam. Circa omnia enim mites & humiles, ut servis Dei congroit, temporibus servire, & quieti prospicere, & plebi providere debemus.

Eusebius *lib.* 4. *de vita Constant. cap.* 17. *Vide §. seq. lit.* (E) *& cap.* 45. *Vide supra §.* 10. *huiusce cap. litt.* (C)

Sozomenus *lib.* 1. *Hist. Eccles. cap.* 8. Constantinus in palatio Ecclesiam ædificavit, & quoties ad bellum proficisceretur, tabernacolum ad Ecclesiæ similitudinem fabricatum circumferre consueverat: ita ut ne quidem io solitudine coustitutus, tam ipse, quam exercitos eius, sacra æde careret, in qua Deum laudare, ac preces fundere, & sacra mysteria percipere possent. Sequebantur enim Sacerdotes & Diaconi tabernaculo assidentes, qui iuxta Ecclesiæ ritum eiusmodi officia obirent. Atque ex eo tempore, Romanorum legiones quæ nunc Numeri vocantur, singulæ proprium sibi tabernaculum facere cœperunt, & Sacerdotes ac Diaconos proprios ac peculiares habere. Præterea die Dominico, quem Hebræi quidem primum Sabbati appellant, gentiles vero Soli consecraverunt, & eo qoi Sabbatum antecedit, cunctos a iudiciis aliisque negotiis feriari præcepit, precibusque ac supplicationibus Deum colere: ac Dominicum quidem diem ideo honoravit, quod Christus eo die a mortuis surrexisset: diem verum, qui Sabbatum antecedit, eo qood Christus crucifixus tum fuisset.

S. Gregor. Nazianz. *Orat.* 19. *funebr. in laudem patris sui mortui, num.* 32. (Paschalis) mysterii tempus aderat, & veneranda statio, atque ordo, ad ea quæ celebrantur, quietem & silentium tenens, cum ille ab eo qui mortuos ad vitam revocat, & a nocte sacrosancta excitatur. Primo paullum se movet, deinde firmius: mox exigua admodom & obscura voce famulum quemdam ex iis, qui ei assistebant nominatim accitum præsto esse, ac vestem porrigere, manumque subiicere iubet. Qui cum non sine stupore adesset, prompteque obsequeretur, ipse manu tamquam bacolo ductus, Mosem illom in monte orantem imitatur. Fractis ac debilitatis ma-

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. 14.

nibus ad orationem compositis, alacri animo cum populo, vel ante populum mysteria peragit, paucis quidem, & quibus poterat, verbis, mente autem, ut mihi videtur, perquam integra (rem miram!) sine sacrario in sacrario, sine altari sacrificus, Sacerdos e mysteriis procul remotus..... Postea cum Eucharistiæ verba, ita ut consuetudo fert, effatus esset, ac populum benedixisset, in lectulum rursus se coniicit... In templum se confert, ac cum omni Ecclesiæ agmine salutis encœnia celebrat, atque in grati animi significationem sacrificium offert.

Num. 41. Nam cum numquam non dolore premeretur, & quidem persæpe singulis diebus, atque interdum etiam horis, ex sola Liturgia robur concipiebat, ac morbus tamquam ex edicto & imperio fugatus, se subducebat.

Oratio 11. *in laudem sororis suæ Gorgoniæ*, *num.* 22. Desperatis omnibus aliis auxiliis, ad mortalium omnium medicum confugit, atque intempesta nocte capta, cum morbus nonnihil remisisset, ad altare cum fide procumbit, eumque, qui super ipso honoratur, cum ingenti clamore invocans..., eam, quæ Christi fimbria sanguinis profluvium compresserat, imitatur..... Cum caput suum pari cum clamore, lacrimisque, quibus abundabat (mulierculæ illius instar, quæ olim Christi pedes rigavit) altari admovisset, nec se prius illud dimissuram esse denuntiasset, quam sanitatem obtinuisset, ac deinde hoc suo pharmaco corpus totum perfudisset, & si quid uspiam antityporum pretiosi corporis aut sanguinis manus recondiderat, id lacrimis admiscuisset; (o rem admirandam!) statim liberatam se morbo sentit, atque & corpore, & animo, & mente levis discedit, pro spei mercede, id, quod speraverat, consequuta, & per animæ robur, corporis robur accipiens.

PAULLINUS Diac. *in vita S. Ambrosii in append. tom.* 2. *Operum* S. AMBROS. *edit. B. B. num.* 10. Per idem tempus cum trans Tiberim, apud quamdam clarissimam invitaretur, ut sacrificium in domo offerret, quædam balneatrix quæ paralytica in lecto iacebat, cum cognovisset ibidem esse domini Sacerdotem, in sellula se ad eamdem domum, ad quam ille invitatus venerat, portari fecit, atque orantis & imponentis manus vestimenta attigit: quæ cum exoscularetur, statim sanitate recepta, ambulare cœpit.

S. AUGUST. *de Civit. Dei*, *lib.* 22. *c.* 8. *n.* 6. Vir Tribunitius Hesperius apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum, ubi cum afflictione animalium & servorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, me absente, Presbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante cessavit.

S. GREG. MAGN. *Homil.* 37. *in Evang. n.* 7...., Mittamus ad hunc (ad Christum).... legationem nostram, flendo, tribuendo, sacras hostias offerendo. Singulariter namque ad absolutionem nostram, oblata cum lacrimis, & benignitate mentis, sacri altaris hostia suffragatur: quia is qui in se resurgens a mortuis iam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus.

Num. 8.... Non longe a nostris fertur temporibus factum, quod quidam ab hostibus captus longe transductus est; cumque diu teneretur in vinculis, eum uxor sua cum ex eadem captivitate non reciperet, extinctum putavit. Pro quo iam velut mortuo hostias hebdomadibus singulis curabat offerre. Cuius toties vincula solvebantur in captivitate, quoties ab eius coniuge oblatæ fuissent hostiæ pro animæ eius absolutione. Nam longa post tempora reversus, admirans valde suæ indicavit uxori, quod diebus certis, hebdomadibus singulis, eius vincula solvebantur. Quos videlicet dies eius uxor atque horas discutiens, tunc eum recognovit absolutum, cum pro eo sacrificium meminerat oblatum. Hinc ergo, fratres carissimi, hinc certa consideratione colligite, oblata a nobis hostia sacra quantum in nobis solvere valeat ligaturam cordis, si oblata ab altero potuit in altero solvere vincula corporis.

Num. 9. Multi vestrum, fratres carissimi, Cassium Narniensis urbis Episcopum noverunt: cui mos erat quotidianas Deo hostias offerre, ita ut pene nullus dies vitæ eius abscederet, quo non

Item ex Conciliis, Agathensi an. 506. Aurelianens. I. an. 511. Vasionensi ann. 529. (E). Quid plura ex venerabiliori antiquitate, ex seculis purioribus, ut cum protestantibus loquar (F).

---

omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. Cui cum sacrificio valde concordabat vita. Nam cuncta quæ habebat, in eleemosynis tribuens, cum ad horam offerendi sacrificii venisset, velut totus in lacrimis defluens, semetipsum cum magna cordis contritione mactabat... Levis hunc (*Episcopum Cassium*) in vigiliis calor attigit, atque ipso die natalitio filiis suis se exspectantibus, Missarum sollemnia implere se posse recusavit. Illi vero quia de eius erant pariter egressione suspecti, simul ad eum omnes venerunt, sese unanimiter astringentes, ut die eodem nequaquam acquiescerent Missarum sollemnia celebrari, nisi pro eis apud Dominum idem Antistes suus intercessor accederet. Tunc ille compulsus, in Episcopii oratorio Missas fecit, & manu sua corpus Dominicum pacemque omnibus tribuit. Qui cuncto ministerio oblati sacrificii peracto, ad lectulum rediit, ibique iacens, dum sacerdotes suos ac ministros circumstetisse cerneret, quasi vale ultimum dicens, de servando eos vinculo caritatis admonebat, & quanta debuissent concordia inter se uniri prædicabat.

Epist. 43 *lib.* VI. *alias* 42. *lib.* 5. *ad Venantium Patritium*... Nos tamen ut hoc eo scribente comperimus, illic ei scripsimus, (*Ioanni Episc. Syracus.*) admonentes ut & oblationes vestras sicut ante susciperet, & Missas in domo vestra non solum celebrari permitteret, sed si velitis ipse peragerет.

Epist. 44. *lib.* 6. *alias* 43. *lib.* 5. *ad Ioann. Episc. Syrac.* Quamvis caussa fuerit, quæ fraternitatis vestræ animos ad iracundiam non immerito provocaret, ut nec oblationes Domni Venantii voluissetis suscipere, nec in domo ipsius sacra Missarum sineretis sollemnia celebrari; tamen quia ita terrena agi debet utilitas, ut nullum nos iurgium a caritatis valeat connexione disiungere, proinde sanctitatem vestram sicut dudum scripsimus, adhortamur, quatenus & oblationes antedicti viri omnimodo in dulcedine & Deo placita debeatis sinceritate suscipere, & in domo ipsius Missarum peragi mysteria permittatis... (Et) si fortasse voluerit, per vos debeatis accedere, & celebrando apud eum Missas priorem gratiam reformare.

URANIUM *in vita S. Paullini vide* §. *seq. litt.* (C)

(E) CONCIL. AGATHENS. *Tom.* VIII. *Conc. Lab. p.* 328. *an.* 506. *can.* 21. Si quis etiam extra parochias, in quibus legitimus est ordinariusque conventus, Oratorium in agro habere voluerit; reliquis festivitatibus, ut ibi Missas teneat propter fatigationem familiæ, iusta ordinatione permittimus: Pascha vero, Natale Domini, Epiphaniam, Ascensionem Domini, Pentecostem, & Natalem S. Ioannis Baptistæ, vel si qui maximi dies in festivitatibus habentur, non nisi in civitatibus aut in Parochiis teneant. Clerici vero si qui in festivitatibus quas supra diximus, in Oratoriis, nisi iubente aut permittente Episcopo, Missas facere aut tenere voluerint, a communione pellantur.

CONCIL. AURELIANENSE I. *Tom.* VIII. *Concil. Labb. p.* 355. *an.* 511. *can.* 25. Ut nulli civium Paschæ, natalis Domini, vel Quinquagesimæ sollemnitatem in villa liceat celebrare, nisi quem infirmitas probabitur tenuisse.

CONC VASENSE II. *al.* III. *Tom.* VIII. *Conc. Labb p.* 727. *an.* 529. *can.* 3.... Placuit etiam nobis, ut... & in omnibus Missis, seu in matutinis, seu in quadragesimalibus, seu in illis quæ pro defunctorum commemoratione fiunt, semper *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* eo ordine, quomodo ad Missas publ cas dicitur, dici debeat.

(F) BONA Cardin. *Liturg. lib.* I. *cap.* 14 *n.* 1. Semper viguit in Ecclesia privatæ Missæ, uno saltem præsente & ministrante, laudabilis consuetudo... Sive enim dicatur privata a loco, quia in privato aliquo Oratorio agitur: sive a tempore, quia non festis, sed privatis diebus fit: sive ab assistentibus, quia vel unus dumtaxat, vel pauci ei intersunt: sive ex eo quod solus Sacerdos in ea communicet, sive alia quacumque ex caussa semper eam licitam semperque

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 14.

in usu fuisse probatissimis veterum Patrum testimoniis & exemplis demonstrabo. Nam 1. Apostoli circa domos panem frangebant, Eucharisticum videlicet, ut illorum Acta testantur. Viros deinde Apostolicos, qui eos proxime sequuti sunt, sæpe psivatim celebrasse in domibus, in carceribus, in cryptis, in cœmeteriis, in tuguriis, ex his quæ hic . . . dicemus manifestum erit. Tertull. *lib. de fuga in persequut. c.* 14. . . . . ac si diceret, Si die lucescente, atque omnibus congregatis celebrare non potes noctu celebra & privatim; etiam si vel tres soli præsentes sint . . . . Scribit Eusebius *in vita Constantini l.* 4. *cap.* 17. eum statim post baptismum Oratorium in palatio exstruxisse, quin & ambulatoriam Ecclesiam sive motorium templum habuisse, cum in castra proficiscebatur, cuius exemplum nobiles Palatinos postea sequutos esse uarrat Sozomenus *lib.* 1. *c.* 8. ne Missæ Sacrificio etiam in castris carerent . . . . Marcellum Papam sæpe in domo Lucinæ celebrasse acta eius commemorant. Gregorius Nazianz. *Orat.* 19. *in laudem patris*, eum in cubiculo suo sacrum egisse asseverat, & *in encomio sororis suæ Gorgoniæ* domesticum ei altare fuisse testatur. Meminit etiam Oratorii privati Avitus Viennensis *Epist.* 6. *ad Victorium Episc.* Paullinus Nolanus ante lectulum suum parari sibi altare iussit, ibique Sacrificium obtulit, Uranio teste *in eius vita*, paucis horis aute quam moreretur. De Ambrosio hoc refert Paullinus Presbyter qui gesta eius conscripsit. . . . S. Augustinus *lib.* 22. *de Civit. c.* 8. missum fuisse ait unum ex suis Presbyteris in domum cuiusdam Esperii a malignis spiritibus vexatam, qui obtulit ibi sacrificium corporis Christi, & cessavit vexatio. „Cabades Rex Persarum, *ut Theophenes* „ *scribit ann. Christi* 508. audiens ingen„tium pecuniarum, & pretiosi lapidis „ congeriem in quodam castro repositam „ esse, ipsum occupare conabatur. Dæ„mones autem ipsum thesaurum custo„dientes impedimento illi erant; quare „ admota Magorum & Iudæorum arte, „ nec eo potitus, Episcopum Christia„num præcepit adduci, qui peracta syn„axi & particeps factus divinorum my„steriorum dæmones expulit . . . . . Chrysostom. *Homil.* 3. *in Epist. ad Ephes. &* 17. *ad Hebræos*, quotidianam oblationem suo tempore fieri solitam affirmat; idemque Hieronymus asserit *in C.* 1. *Epist. ad Titum*. Concil Agathen. *can.* 21. . . . . S. Gregor. Magn. *lib.* 5. *Epist.* 43. ut & *Homil* 37. *in Evangel.* Ioannes Eleemosynarius, ut Leontius narrat in eius Vita cap. 42. . . . *Ego propter vos descendo in sanctam Ecclesiam, nam Missas poteram mihimet facere in Episcopio*. Barlaam Presbyter, ut ex Ioannis Damasceni narratione didicimus, in cubiculo Iosaphat, ipso solo præsente, sacrum peregit. Venerab. Beda *lib.* 4. *Histor. Anglor. c.* 14. pestiferam mortalitatem intercessione Osvvaldi Regis sublatam describens, Missas ait celebratas fuisse pee cuncta monasterii Oratoria pro gratiarum actione. Plura autem Oratoria loco & situ separata in Monasteriis exstruere usus antiquissimus fuit, nam S. Benedictus, teste Gregor. Magn. *lib.* 2. *Dialog. cap.* 8. in montis Cassini summitate duo ædificavit, unum S. Ioannis Baptistæ, alterum S. Martini: & Maurus eius discipulus, teste Fausto *in vita ipsius*, quatuor in suo monasterio construxit, in honorem sanctorum Petri Apostoli, Martini, Severini, & Michaelis Archangeli. Concil. Toletan. XVI. *cap.* 8. quotidie Missas peculiares pro Rege & filiis celebrari præcepit. Exstat & rescriptum Zachariæ Papæ ad Pipinum Regem, mandans nullum Oratorium pro Missis privatis, nisi prius dotatum, ab Episcopo consecrari. Theodulphus Aurelianens. *In suo capitulari cap.* 45. decrevit, ut Missæ, quæ per dies Dominicos, peculiares a Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus a publicis Missarum sollemnibus, quæ hora tertia canonice fiunt, abstrahatur. In Chronico Centulensi *Tom.* 4. *Spicilegii lib.* 2. *cap.* 11. exstat Constitutio Angelberti Abbatis, qua præcipit singulis diebus triginta saltem Missas in diversis altaribus a Monachis agi, in quibus memoria haberetur Adriani Papæ, & Caroli magni, qui tunc vivebant: Grodegandus Metensis Episcopus, qui tempore Pipini vixit *in Regula canonicor. Tom.* 1. *Spicil. edita, cap.* 42. meminit eleemosynæ datæ Sacerdotibus pro Missis privatis . . . . Ionas Aurelian. *l.* 1. *Instit. Laical. c.* 11. *Tom.* 1. *Spicil.* ait Sacerdotes tunc solitos fuisse Sacrificium Deo offerre in ædiculis extra templum ædificatis. *Cetera vide apud Auctor. & num.* 3. *infra §.* 16. *litt.* (K)

Vide sup. hocce §. litt. (D)

Vide §. seq. litt. (E)

Vide sup. hocce §. litt. (D)

Vide sup. ibid.

Vide §. seq. litt. (C)

Vide sup. hocce §. litt. (D)

Vide ibid.

Vide sup. hocce §. litt. (B)

Ibid. litt. (C)

I. Licetne celebrare Missam cui nemo sacramentaliter communicet?

R. Sacerdos Missam celebrans debet sacramentaliter communicare sacrificio. Populus adstans sacrificio, tenetur huic communicare saltem spiritualiter. Quin & optaret Ecclesia fieri posse, ut in Missis singulis fideles adstantes, aut saltem eorum aliquis sacramentaliter communicaret. Nec propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos communicat, damnat Ecclesia ut illicitas; immo eas & probat & & commendat (G).

I. Cur Sacerdos Missam celebrans tenetur sacramentaliter communicare sacrificio?

R. Quia communio Sacerdotis necessaria est saltem ad integritatem sacrificii. Hinc in omnibus omnino liturgiis tum Græcis tum Latinis, iisque antiquissimis, communio Sacerdotis celebrantis ut necessaria præcipitur. Et si quando Sacerdotes celebrantes voluerunt alicubi abstinere a communione sacramentali, hoc statim Ecclesia repressit & fieri prohibuit, ut patet ex canone 5. Concilii Toletani XII. (H).

I. Cur populus adstans sacrificio tenetur huic communicare modo saltem spirituali?

R. Quia Missa, ut diximus, sacrificium est populi non secus ac Sacerdotis, tametsi ratione diversa. Hoc Christiana plebs per manus Sacerdotis offert. Debet ergo sacrificii particeps esse, si non quantum ad communionem corporalem, quod Ecclesia vehementer optaret fieri posse, saltem quantum ad communionem spiritualem. PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. 14.

I. Cur optaret Ecclesia fieri posse, ut fideles adstantes sacrificio communicarent sacramentaliter?

R. Tum quia uberior ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus proveniret, si non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent sacrificio, ut loquitur Tridentina Synodus. *Seſs. 22 c. 6. de sacrif. Miſſæ.* Tum quia modo perfectiori participes essent sacrificii, quod utique ipsi simul cum Sacerdote modo suo offerunt.

I. Si Missa sacrificium est populi non secus ac Sacerdotis, nec licet Sacerdoti Missam offerre quin ipse sacramentaliter communicet, videtur populi communio necessaria non minus, quam communio Sacerdotis, adeoque improbandæ essent Missæ in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat?

R. Missæ in quibus solus Sacer-

(G) CONCIL. TRIDENT. *sess.* 22. *cap.* 6. *de Missæ sacrificio*. Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberior proveniret; nec tamen si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat. Siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero, quod a publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.

(H) CONCIL. TOLETAN. XII. *an.* 681. *can.* 5. *Vide superius* §. 7. *huiusce cap. litt.* (H)

PARS III
SECT. II
CAP. VII
§ 14

dos sacra mentaliter communicat probandæ sunt & commendandæ. *Si quidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent: partim quod in eis populus spiritualiter communicet, partim vero, quod a publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur*. Verba sunt Concilii Tridentini. *Conc. Trid. ubi supra.*

Et certe Missæ huiusmodi veram habent & omnimodam sacrificii rationem non secus ac sacrificia legis Mosaicæ, in quibus solus Sacerdos comedebat de hostiis immolatis. Sunt sacrificium vere latreuticum, propitiatorium, eucharisticum, impetratorium. Ad varios hos sacrificii fines neutiquam necessaria est sacramentalis communio populi.

Nec nova est illa celebrandæ Missæ ratio. Exstant illius exempla non pauca, eaque antiquissima; nec legimus reprehensam umquam ab Ecclesia fuisse hanc offerendi sacrificii rationem. Cuius initium unde sumi debeat non video, nisi ex traditione Apostolica, secundum ea quæ superius dicta sunt, ad traditionem Apostolicam pertinere quidquid ubique videmus observatum, nec ab ulla Episcoporum Synodo præscriptum (I). *S. 12. litt. (B)*

§. 15. *De locis in quibus celebrari Missam oporteat; & de privatis & domesticis Oratoriis.*

I. Quo loco debet Missa celebrari?

R. Hanc primitus Apostoli ut plurimum celebrabant privatis in domibus. *Frangentes circa domos panem*, inquit Lucas in Actibus Apostolorum. Quod de oblatione Sacrificii intelligendum esse constat, iuxta id quod eodem Actuum capite superius dicitur: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*. *Act. II. 46.* *Ibid. 42.*

Fuere tamen tunc temporis loca Deo dicata, in quibus solebat populus orare, synaxim agere, audire verbum Dei; illaque loca Ecclesiæ dicebantur, ut colligitur ex Apostolo ad Corinthios scribente: *Convenientibus vobis in unum audio scissuras esse inter vos*. Et paullopost, *Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* *1 Cor. XI.*

Sævientibus persequutionibus, ubicumque posset conventus fidelium fieri, ibi Sacrificium celebrabatur, in carceribus, in diversoriis, in cryptis &c. (A).

(I) BONA *Liturg. lib.* 1. *cap.* 14. *Vide supra hocce §. litt.* (F) *ut &* BOCQUILLOT *Histor. Liturg lib.* 2. *cap.* 7. *Vide si lubet librum Gallice scriptum, cui titulus:* Collationes Lucionensis Diœcesis *Collat.* 15. *in qua eadem iisdem fere Auctoribus probantur*.

(A) EUSEB. *Eccles. Hist. lib.* 7. *c.* 22. Cumque soli ab omnibus fugaremur atque opprimeremur, nihilominus tunc quoque festos egimus dies. Quivis denique locus in quo varias ærumnas sigillatim pertulimus: ager, inquam, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar Templi ad sacros conventus peragendos fuit.

Lib. 9. *c.* 2. Primum quidem nostros a conventibus qui in cœmeteriis fieri solebant, nescio quo prætextu arcere aggressus est (Maximinus).

DOMN. THEOD. RUINART. *in Act. Martyr. sincer. in S.* LUCIAN. Presb. Antioch.

Sed quamdiu licuit Christianis simul ad sacra facienda convenire, habuerant semper Oratoria publica ad sacram synaxim faciendam, quæ Ecclesiæ dicebantur: nec alibi licuit publicum conventum agere (B).

---

ann. 312. *pag.* 562. *in notis*. Die Theophaniorum beatus Martye dicitur in actis supra pectus snum, cum altare deficeret, sacra mysteria in carcere peregisse paullo ante suam ipsius passionem, cum iam ita vulneribus esset attritus, ut vix posset moveri. Idem asserit Philostorgius *lib.* 2. *Hist. Eccles. n.* 14 Quod videtur imitatus fuisse Theodoritus Cyri Episcopus, qui ut ipsemet narrat *in Hist. relligiosa cap.* 20. in cella Maris monachi Sacrificium mysticum peregit, Diaconorum manibus pro altari utens.

S Gregor. Turon. Episc *Hist. Franc. lib.* 1. *c* 43. *& ultim.* Qui Christiani eo tempore videbantur, occulte & per latebras Divinum afficium celebrabant.

Lib 10. *c.* 31. Pee cryptas & latibula cum paucis Christianis, ut diximus, per eumdem conversis, mysterium sollemnitatis diei Dominici clanculo celebrabat (S. Gratianus Turon. Enisc.)

(B) Tertull. *de Pudicitia c.* 4. Ideo penes nos occultæ quoque coniunctiones, id est, non prius apud Ecclesiam professæ iuxta mœchiam & fornicationem iudicari periclitantur.... Reliquas autem libidinum furias impias & in corpora & in sexus ultra iura naturæ non modo limine, verum omni Ecclesiæ tecto submovemus; quia non sunt delicta, sed monstra.

Euseb *Hist. Eccles. lib.* 8. *c.* 1. Iam vero quis innumerabilem hominum quotidie ad fidem Christi confugientium turbam, quis numerum Ecclesiarum in singulis urbibus, quis illustres populorum concursus in ædibus sacris, cumulate possit describere? Qun factum est ut priscis ædificiis iam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis exstruerent Ecclesias.

Lib. 10. *cap.* 2. Divina quædam hilaritas in omnium vultu emicabat; cum loca cuncta quæ tyrannorum impietas paullo ante subruerat, tamquam ex diuturna ac pestifera labe reviviscere videremus: templaque tursus a solo in immensam altitudinem erigi, & longe maiore cultu ac splendore quam illa quæ prius expugnata fuissent nitescere.

Cap. 3. *Vide infra c.* 8. *huiusce sect.* §. 7. *litt.* (A)

S. Irenaeus *lib.* 4. *advers. heres. cap.* 20. Sacerdotes autem sunt omnes Domini Apostoli, qui neque agros neque domos hereditant hic sed semper altari & Deo serviunt.

Cap. 18. *alias* 34. *vide supra* §. 7. *huiusce c. litt* (M)

Origen. *Hom.* 11. *in Numerorum cap.* xviii. *pag.* 131. *col.* 1. *edit. Paris. in fol. an.* 1619. Indecens & indignum existimo & impium, ut is qui Deum colit, & ingreditue Ecclesiam Dei, qui scit Sacerdotes & Ministros adsistere altari, & aut verbo Dei aut ministerio Ecclesiæ deservire, ut de fructibus terræ quos dat Deus solem suum producendo, & pluvias suas ministrando, non offerat primitias Sacerdotibus.

S. Optatus Milevit. *de schismate Donatist. lib.* 1. Post persequutionem apud Cirtam civitatem, (quia Basilicæ necdum fuerant restitutæ) in domum Urbani Carisii consederunt (Episcopi catholici.) Conventus non leves patiebatur angustias. Erant enim Ecclesiæ ex auro & argento quam plurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec secum portare poterat. Quas fidelibus senioribus commendavit (Mensurius Episc.)... Interea ad Basilicam, ubi cum Cæciliano tota civitas in frequentia fuerat, nullus de supradictis accessit.... Conferta erat Ecclesia populis plena: erat cathedra Episcopalis: erat altare suo loco, in quo pacifici Episcopi retro temporis obtulerunt, Cyprianus, Lucianus & ceteri.

Lib 2 *num.* 19. Donatistarum Episcopi (Donatistæ) iusserunt Eucharistiam canibus fundi, non sine signo Divini iudicii: nam iidem canes accensi rabie, ipsos dominos suos, quasi latrones, sancti corporis reos, dente vindice, tamquam ignotos & inimicos laniaverunt. Ampullam quoque chrismatis per fenestram, ut frangerent, iactaverunt, & cum casum adiuvaret abiectio, non defuit manus angelica quæ ampullam spiritali subvectione deduceret: proiecta casum sentire non potuit; & Deo muniente, illæsa inter saxa consedit.

Quamquam & in privatis quandoque cubiculis Missam ob speciales quasdam rationes celebratam fuisse constat (C).

Si speciales illas rationes exceperis, quæ extra ordinem sunt, & probari semper debuerunt Episcopo, non licuit umquam nec licet etiamnum Missam celebrare extra Ecclesias vel Oratoria speciali benedictione ad id consecrata (D). Agemus infra de consecratione Ecclesiarum, Cap. 8. huius sect. §. 7. & 8.

I. Privatorum Oratoriorum usus antiquusne est, & laudabilis, & probandus?

R. Oratorium in palatio suo æ-

Num. 21. Quid iniquius quam exercizare Spiritum sanctum, altaria frangere, Eucharistiam animalibus proiicere?

Lib. 6. *num.* 1 In altaribus & vota populi & membra Christi portata sunt, quo Deus omnipotens invocatus sit; quo postulatus descenderit Spiritus sanctus: unde a multis & pignus salutis æternæ, & tutela fidei & spes resurrectionis accepta est... Quid est enim altare nisi sedes & corporis & sanguinis Christi? Hæc omnia furor vester aut rasit, aut fregit, aut removit. *Cetera vide superius* §. 7. *huiusce c. litt.* (N)

(C) S. August *Lib* 22. *de Civit. Dei*, *c.* 8. *num.* 6 *Vide super* § *litt.* (D) *uti &* S. Gregor. Nazianz. *orat.* 19 *in laudem patris sui*, *num.* 32. *&* Paullin. *in vita S. Ambros. n.* 10. *& alios*

Uranius *in vita S. Paullini Episc Nolan. Epist. ad Pacatum*, *n.* 1. *Reperitur p.* 143. *ad calcem edit. operum* S Paullin. *in* 4. Quasi profecturus ad Dominum, iubet sibi ante lectulum suum sacra ministeria exhiberi: scilicet ut una cum sanctis Episcopis (Symmacho & Benedicto Acindyno) oblato sacrificio animam suam Domino commendaret.

(D) Conc Trident. *Sess.* 22. *decret. de observand & evitand in celebr. Missæ*. Deinde, ut irreverentia vitetur, singuli in suis diœcesibus interdicant; ne cui vago & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat: neminem præterea, qui publice, & notorie criminosus sit, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittant: neve patiantur privatis in domibus atque omnino extra Ecclesiam, & ad Divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinariis designanda & visitanda, sanctum hoc sacrificium a secularibus aut regularibus quibuscumque peragi; ac nisi prius qui intersint, decenter composito corporis habitu, declaraverint se mente etiam ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse.

Bochell. *Decret Eccles Gallic. lib.* 1. *tit.* 6. *c.* 32. *ex* Synod. Lingon. *ann.* 1404. In Ecclesiis Missæ sunt celebrandæ, non in Oratoriis sive Capellis non dedicatis quæ sunt in domibus, neque super altare portatili in villis, domibus, neque super campis, nisi de licentia procederet Superioris.

Cap. 42. *ex* Concil. Bitur. *ann.* 1584. Missa neque in profanis locis, neque in privatis domibus celebretur.

Cap. 70. *ex* Concil Rhem. *an.* 1583. At extra Ecclesiam, & Oratoria Divino cultui dicata, nemini rem sacram facere liceat.

Cap. 122 *ex* Synod. Rothom. *an.* 1581. Neminem præterea, qui publice & notorie criminosus sit, præsertim per sententiam declaratus, altari ministrare permittant: neve patiantur parœci privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, aut ad Divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab Ordinariis visitanda, sanctum hoc sacrificium Missæ a quovis Sacerdote peragi.

Lib. 4. *tit.* 1. *cap* 12 *ex* Caroli Magni *lib.* 1. *Capitul.* Ut Ecclesiæ vel altaria, quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur.

Cap. 19. *ex* Concil. Bitur. *an.* 1584. In parochiis ubi Ecclesiæ dirutæ sunt, nec est exercendis sacris locus, ematur aut conducatur sumptu populi, aut eorum ad quos pertinebit, domus congrua: in qua cum licentia Episcopi super altari portatili Missæ Divinum officium celebretur: donec locus idoneus perpetuo Ecclesiæ destinetur, aut Ecclesia antiqua ædificetur.

Cap. 23. *ex eod. Concil.* Altaria diruta restituantur, nova & polluta consecrentur & benedicantur.

dificandum curavit Constantinus Imperator, teste Eusebio (E). Ampridem facultatem eamdem concedunt Episcopi viris Principibus & Primariis, ut constat ex Concilio sexto Parisiensi *lib.* 1. *cap.* 4. (F). Quin & aliis passim concedi solet urgente necessitate, verbi gratia, si parochialis Ecclesia nimium distet, si propter difficultatem itinerum aliasve causas instantes vix possit ad publicam Ecclesiam familia convenire (G).

PARS III. SECT. II. CAP VII. §. 15.

Cap. 33. *ex lib.* 5. *Capitul.* CAROLI MAGNI Ecclesiam in qua mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet: sed si apta videtur ad consecrandum, inde evolsis corporibus, & rasis vel lotis lignis eius reædificetur. Si hæc consecrata prius fuit, Missas in ea celebrare licet, si tamen fideles fuerint, qui in ea sepulti sunt.

Cap. 99. *ex* CONCIL. TOLOSAN. *an* 1590. Altare, sive sacro sive profano loco, iniussu Episcopi nemo exstruat; hic vero locum adeat, crucem figat, atrium designet, diligenterque provideat, ut qui ædificationi fundationique census adscribitur, luminarium sumptibus custodumque alimentis sufficiat.

Cap. 100 *ex eod. Concil.* Qui intra Ecclesiam loco non consecrato Sacerdos celebrarit, quique non impetrata Episcopi venia, altare temere laicus exstruendum curaverit, sacris Canonum sanctionibus puniendi subiiciantur.

Cap. 101. *ex eod Concil.* Quæ consecratæ capellæ altariave non fuerint, ea ab Episcopis consecrentur, eorumque iura & privilegia, licet auctoritates interciderint, aut etiam nullæ umquam fuerint, recentis probatorum virorum testimoniis, conserventur & constituantur.

Cap. 115. *ex eod Concil* Sancta in sanctis locis tractanda sunt. Quæ igitur templa, altariave nondum consecrata sunt, ea saltem intra biennium consecrentur.

S CAROLUS *in* CONCIL. PROVINCIAL. MEDIOLAN. I. *part* 2. *tit. de his quæ pertinent ad celebrationem Missæ.* Nullus Sacerdos quemadmodum a Tridentina Synodo statutum est, in privatis ædibus, & omnino extra Ecclesiam, & Oratoria quæ Divino tantum cultui dicata, & a locorum Episcopis designata, ac visitata sint, Missam celebret.

(E) EUSEB. *de vita Constantin. Magn. lib.* 4. *cap.* 17. Verum his longe augustiora perspiciet quicumque attendere voluerit, qualiter ille in palatio quamdam velut Ecclesiam Dei constituit. Ac diligentia quidem & alacritate præibat cunctis qui in Ecclesiam illam erant adscripti: & sacros codices in manus sumens, oracula a Deo edita attento animo meditabatur. Posthac sollemnes preces cum universo aulicorum cœtu recitabat.

SOZOMEN. *lib.* 1. *Hist. Eccles. cap.* 8. *Vide superius* §. 14. *huiusce cap. litt.* (D).

(F) CAROL. MAGN. *lib.* 6. *Capitul cap.* 102. Qui in domo sua Oratorium habuerit, orare ibidem potest; Missas tamen in eo celebrare non audeat, nec agere cuiquam permittat, sine permissu vel dedicatione Episcopi loci illius. Quod si fecerit, domus illius fisci viribus addicatur. Comes vero qui hoc cognovit, & non prohibuit, publica pœnitentia mulctetur, vel honore privetur. *Ex* CAPIT. 6 INGILENHEIMENSI *an.* 826. *Habetur etiam in Canon.* ISAACI Episc. Lingon. *can.* 15.

Lib. 5. *cap.* 383. Qui in domo sua Oratorium habuerit, orare ibi potest. Tamen non audeat in eo sacras facere Missas sine permissu Episcopi loci illius. Quod si fecerit, domus illius fisci viribus addicatur. Comes & missi eius qui hoc cognovit & non prohibuit, libra auri molctabitur, & ab Episcopo loci illius canonicam suscipiat excommunicationem, vel exclusionem. *Habetur etiam in addit.* 3. *estque cap.* 75

(G) CAROL. MAGN. *lib.* 5. *Capitul. cap.* 334 Placuit nobis ut sicut ab Episcopis, & reliquis Sacerdotibus ac Dei servis admoniti fuimus, nec Capellæ in palatio nostro vel alicubi, absque illa nostra, sive permissu vel iussu Episcopi in cuius est Parochia, fiant; & ut omnes per dies Dominicos vel Festivitates præclaras sacræ Eucharistiæ communicent, nisi quibus abstinere præceptum est, Et ut ob-

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. 15.

Sed in privatorum Oratoriorum concessione adhiberi solent cautiones quædam, ne iis forte fideles abutantur.

1. Non licet in iis sacra facere diebus sollemnioribus, sed eundum ad parochialem Ecclesiam (H).

2. Nefas in iis quemquam Presbyterum ignotum & extraneum celebrare sine licentia Episcopi, alteriusve vices agentis hac in parte Episcopi (I).

3. Non sic uti licet illa facultate, ut propterea existimetur fas esse abesse a Missa parochiali tribus continuis Dominicis, si commode ad eam convenire quis possit. Immo singulis Dominicis ad eam accedere tenentur qui commode possunt (K).

4. Servanda relligiose statuta Synodalia Episcoporum circa privata Oratoria, quas Capellas domesticas vocant.

5. Curandum ut vasa sacra, lintea, libri, ornamenta nitide & decenter habeantur, nec quidquam desit eorum quæ ad tanti sacrificii decentiam necessaria sunt.

6. Tenentur Parochi singula domestica Oratoria intra suæ Parochiæ fines subinde visitare; & si quid forte in iis indecens vel contra Canones esse vel fieri deprehenderint, monere Episcopum & curare ut omnia rite & secundum ordinem in iis fiant.

Hæc & alia passim statuunt Episcopi in suis Synodis circa Oratoria domestica (L).

---

servatio omnium dierum Dominicorum a mane usque ad vesperam secundum canonicam auctoritatem ab omnibus fiat.

Idem legere est in CONCIL. PARIS. VI. *lib.* 3. *cap.* 19.

(H) CONCIL. AGATHENSE *ann.* 506. *can.* 21. *Vide superius* §. 14. *huiusce cap. litt.* (E).

(I) CONCIL. PARIS. *Tom* XXII. *Conc. Lab. p.* 821. *an.* 1212. *p.* 1. *cap.* 9 Ad hæc inhibemus districtius, ne Sacerdotes ignoti, de quorum Ordinatione non constat ad Divinorum celebrationem admittantur, sine litteris testimonialibus, vel testimonio bonorum virorum; & eos qui contra hæc venerint, decernimus puniendos arbitrio Prælatorum.

CONCIL. TRIDENT. *Vide supra hocce* §. *litt.* (D).

(K) CONCIL. ELIBERIT. *can.* 21. & CONCIL. SARDIC. *ann.* 374 *can.* 11. *Vide supra Part.* 2. *Sect.* 4. *cap.* 3 *litt.* (G) *cum plurimis aliis sacrorum Concil. sanctionibus.*

CONCIL. VAURENSE *in Gallia Tom.* XXVI. *Concil. Lab. p.* 520. *an.* 1368. *can.* 84. Ut honor debitus parochialibus Ecclesiis observetur, & animarum periculis obvietur, salubriter duximus statuendum; quod Parochiani diebus Dominicis & festivis ad suam Parochialem Ecclesiam veniant, Missas integras audituri. Et si per duos Dominicos dies continuos Missas in dictis Ecclesiis, legitima caussa cessante, non audierint: ex tunc habeant parochiales Presbyteri commonere non venientes, se revelaturos in Ecclesiis nominatos, postea excommunicandos.

(L) CONC. TRIDENT. *Vide supra hocce* §. *litt.* (D).

CONC. MEDIOL. Provinc. I. *part.* 2. *quæ pertinent ad celebrationem Missæ.* Oratoriorum autem ædificationem, aut usum, ne facile sed magna de caussa permittant iidem Episcopi.

In eis autem designandis vel probandis, hæc servent.

Ne sint in interiorum ædium partibus, in quibus domini vel familia frequentius versentur; sed commodo & honesto loco, a cubiculis, tricliniis, & ab aula separato, ad templi formam & regulam propius accedant.

Nec ita angusta sint, ut qui Missam audierint ad ostium aut fenestram stare cogantur; aut denique ibi sacris interesse, ubi promiscue profanum aliquod exerceatur; quod fieri omnino prohibemus.

§. 16. *De altari in quo Missa celebratur; itemque de sacris linteis, vasis, & ornamentis altarium.*

I. Altarium usus ad Sacrificii celebrationem vigetne iampridem in Ecclesia?

R. Hunc ex Apostolica traditione manasse constat. De eo loquitur Apostolus in suis ad Corinthios & ad Hebræos Epistolis, ut supra probavimus (A). Mentionem altaris ad sacrificii nostri celebrationem faciunt Tertullianus, Irenæus, Cyprianus, Optatus, Chrysostomus, Augustinus &c. (B).

I. Qua ex materia constabant olim altaria?

R. Nihil fuit tribus quatuorve prioribus Ecclesiæ seculis ea de re definitum, maxime persequutionum tempore, quo sacra fiebant indiscriminatim ubicumque possent Christiani simul colligi. Nec introductus tum temporis erat portatilium, ut vocant, altarium usus. Quarto seculo altaria lignea an lapidea forent perinde erat. Mentionem facit S. Gregorius Nyssenus altaris lapidei (C). S. Athanasius lignei (D). Fuerunt & altaria ex auro vel argento conflata. Iampridem id Ecclesiæ lege sancitum est, ut altaria lapidea solum erigerentur. Decretum illud quidam sancto Sylvestro tribuunt, qui seculo quarto tempore Constantini Imperatoris Romanæ præerat Ecclesiæ, sed huius Sylvestrini decreti vestigium nullum exstat apud veteres Scriptores. Quidquid sit,

---

Cui autem id permissum fuerit, is eo rarius utatur; ne distracti homines illa commoditate, Ecclesiam Dei minus frequentent; quod exemplo etiam noceat aliis.

Ornamenta & instrumenta altarium pro celebratione Missæ, pura ac munda sint; præsertim Corporalia ac Purificatoria.

(A) 1 Cor. x. 21. Non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum.

Hebr. xiii. 10 Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.

(B) Tertull. *lib. de orat. cap.* 14. Nonne sollemnior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris?

Lib. 1. *ad uxorem cap.* 7. Aram enim Dei mundam proponi oportet. Tota illa Ecclesiæ candida de sanctitate conscribitur.

S. Irenaeus *lib.* 4 *advers. Heres. cap.* 34 *novæ edit.* 18. *in fine.* (Christus) nos quoque offerre vult munus ad altare, frequenter sine intermissione.

S. Cyprian. *Epist.* 1. *alias* 66. *ad Clerum & pop. Furn. Vide superius §.* 7. *huiusce cap. litt.* (M)

S. Athanas. *in Epist. ad Episc. encyclica, n.* 3. *pag.* 113. *tom.* 1. *edit. BB* In sacram mensam quanta impietas iniquitasque commissa! Aves strobilosque sacrificabant, idola quidem sua laudibus efferentes; Dominum autem Salvatorem nostrum Iesum Christum Filium Dei viventis, in ipsis Ecclesiis maledictis insectantes.

S. Optatus *lib.* 6. *Vide superius §.* 7. *huiusce cap. litt.* (M)

S. Chrysost. *lib.* 6 *de Sacerdotio, cap.* 4.... Vicinus altari locus in illius, qui ibidem iacet, honorem iis (Angelis) repletus est &c.

S. August. *lib.* 9. *confess. cap.* 11. *n.* 27. Ad Domini altare memineritis mei ubi fueritis.

(C) S. Gregor. Nyssen. *Orat. in Christi baptisma Vide inferius §.* 7. *cap.* 8. *huiusce sect. litt.* (C)

(D) S. Athanas. *in Hist. Arianor. ad Monachos, n.* 56 Cum rapuissent subsellia, & cathedram & mensam, erat enim lignea, & vela Ecclesiæ, &c.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 16.

certum est, antiquissimo usu Ecclesiæ id esse in more positum, ut altaria non nisi ex lapide fierent. Quamquam & ligneum sit etiamnum altare Ecclesiæ Lateranensis, in quo solus summus Pontifex sollemniter celebrat, & ex speciali summorum Pontificum concessione vigeat quoque nunc forte alicubi lignei altaris usus (E).

I. Cur decrevit Ecclesia ut altaria lapidea essent?

R. Quia altare figuram exprimit Domini nostri Iesu Christi, qui dicitur in Scripturis, petra & lapis angularis (F), estque simul altare, hostia, Sacerdos.

I. Ut Sanctorum relliquiæ sub altari condantur, estne id prisco in more positum?

R. Quo tempore introducta sit illa consuetudo non liquet. Certum est eam ubique seculo quarto obtinuisse (G). Huius consuetudinis duplex forte ratio fuit: 1. Quod scribit Ioannes Apostolus in Apocalypsi vidisse se *subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei*. *Apoc. vi. 9.* 2. Quod olim sæviente persequutione, super sepulcra Martyrum in cryptis Missa celebraretur.

Quidquid sit de illius ritus origine, certe hoc innuit Ecclesia, Sanctos quid unum esse cum Christo, qui in supra laudato Apocalypseos testimonio per altare designatur (H).

I. Ut plura in uno templo altaria erigantur estne prisco in more positum?

R. Apud Orientales nefas est intra septa eiusdem templi sacrificium eadem die iterare; adeoque unum in

---

(E) Cerem. Paris. *pag.* 8. Altaria olim aliquando lignea, ut Romæ altare basilicæ Lateranensis, in quo nunc solus Pontifex, aut Cardinalis rem sacram facit; & in Galliis apud Compendium altare maius abbatialis Ecclesiæ sancti Cornelii a Ioanne octavo Papa consecratum anno 877. 5. die Maii. Ita fert traditio huius civitatis.

(F) Psal. cxvii. 22. & Matth. xxi. 42. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.

Ephes. II. 20. Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.

(G) S. Hieron. *advers. Vigilant.* Male facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Paulli, secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria?

S. August. *Lib.* 20. *contra Faust. cap.* 21. *Vide superius part.* 2. *sect.* 3. *cap.* 2. §. 3. *litt.* (H)

Acta S. Theon Ancyr. *apud* Theod. Ruinart, *pag.* 359. Athleta Christi ad Presbyterum subridens: Quam aptum, inquit, video locum ad sacrarium Relliquiarum susceptionem! Quid cunctaris? Respondit Presbyter: Tu satage, ut habeam in quibus laborem; & tunc me argue tarditatis, de sanctarum Relliquiarum allatione loquens. Oportet enim, inquit, obtinere illas, ac tum de ædificio inchoando cogitare. Tunc Martyr, Nostrum, inquit, est sollicitius agere; seu potius Dei, Relliquias tibi subministrare: tuum vero, præparare diligenter ædem sacram. Quapropter obsecro, Pater, ne cuncteris in opere; sed cura ut quamprimum illud perducas ad finem. Cito enim advenient Relliquiæ. Atque hæc dicens, detraxit digito annulum, deditque Presbytero, & ait: Dominus testis sit inter me & te, quia brevi tibi providebitur de Relliquiis: indicans scilicet vel alium se missurum, vel ipsummet venturum. Festinabat enim certaminis sui cursum absolvere.

(H) S. Ambros. *aut* Auctor. *lib.* 4. *de Sacramentis*, *cap.* 2. *num.* 7. Forma corporis altare est, & corpus Christi est in altari.

quolibet templo, ex antiquissimo ritu, altare erigunt. Sed plura iuxta quodlibet templum erigunt Sacella & Oratoria muro disiuncta, & in sacellis singulis altare ad privatam Sacrificii celebrationem.

Apud Occidentales privata illa sacella & altaria non disiunguntur muro ab Ecclesia maiori. Et ex antiquissimo ritu mos obtinuit ut plura essent in uno templo altaria. Huius ritus vestigia quædam exstant apud S. Ambrosium in Epistola ad Sororem (I). S. Gregorius magnus ad Palladium Santonensem Episcopum, scribens meminit tredecim altarium ab illo Episcopo positorum in una Ecclesia, mittitque ad eum relliquias Sanctorum in iis collocandas, monetque ne ibidem servientibus Presbyteris alimonia desint (K).

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. 16.

I. Estne iam pridem in more po-

Lib. 5. *cap.* 2. *num.* 7. Quid est altare nisi forma corporis Christi?

Idem quoque scripserunt SS. Patres; & Auctores Liturgici pene omnes Altare, Christum *interpretantur*.

(I) S. AMBROS. *Epist.* 20. *alias* 33. *aut* 14. *ad sororem Marcell. num.* 8. Nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratius immolabor.

Num. 24. Cum fratribus Psalmos in Ecclesiæ basilica minore diximus.

(K) S. GREG. MAGN. *lib.* 5. *Epist.* 50. *ad Palladium Episc. de Santonibus, nunc lib.* 6 *Epist.* 49. Veniens lator præsentium Leuparicus Presbyter vester insinuavit nobis Fraternitatem vestram, Ecclesiam in honorem beati Petri & Paulli Apostolorum, necnon Laurentii atque Pancratii Martyrum construxisse, atque illic tredecim altaria collocasse, ex quibus quatuor necdum dedicata comperimus remansisse, ob hoc quod supradictorum Sanctorum relliquias illic collocare Deo annuente disponitis. Et quia relliquias Sanctorum Petri & Paulli, necnon Laurentii atque Pancratii Martyrum cum veneratione præbuimus; hortamur, ut eas cum reverentia suscipere & collocare, auxiliante Domino, debeatis: provisuri ante omnia, ut servientibus ibidem non debeant alimoniarum deesse suffragia.

IOAN. BONA S. R. E. Cardinal. *rerum Liturg. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 3. Non leve tandem indicium Missæ peculiariter actæ præbet altarium multitudo in eadem Ecclesia, de quibus veterum Patrum testimonia non desunt. Gregorius Magnus lib. 5. Epist 50. ad Palladium Santonensem Episcopum: *Veniens*, inquit, *lator præsentium insinuavit nobis Fraternitatem vestram Ecclesiam construxisse, atque illic tredecim altaria collocasse, ex quibus quatuor necdum dedicata comperimus remansisse*. Loquitur autem de altaribos ad usum Sacrificii, nam & relliquias Sanctorum ipsi Episcopo mittit in iis nondum consecratis collocandas, atque eidem præcipit ut provideat, ne ibidem servientibus alimoniarum suffragia desint. Acca Episcopus, ut refert Beda *lib.* 5. *hist. cap.* 21. acquisitis undecumque relliquiis beatorum Apostolorum & Martyrum, in venerationem illorum altaria ædificavit distinctis porticibus intra muros Ecclesiæ. Plura item altaria Romæ fuisse in basilica principis Apostolorum, non solum, ad Orientem iuxta ritum Ecclesiæ, sed & in alias partes distributa scribit Walfridus *cap* 4. Apud Bedam Missas actas in cunctis Oratoriis Monasterii; plura item Oratoria constructa a sanctis Benedicto & Mauro, iam supra commemoravimus. Alia huiusmodi occurrunt passim in Actis Sanctorum, & in Chronicis ac Ritualibus Monachorum, sive fuerint oratoria a corpore Ecclesiæ muro seiuncta, sive altaria sub eodem tecto; quæ sane multiplicatio inutilis procul dubio fuisset, si non nisi semel in die Sacrificium offerre in eadem Ecclesia licuisset. Græcorum alia est consuetudo, unicum enim altare in singulis Ecclesiis habent, nec fas esse putant intra septa eiusdem templi Sacrum eadem die iterare. Ideo Patres & Historici Græci unius tantum altaris in una Ecclesia mentionem faciunt; cuius unitatis analogiam inde accipi ferunt, quia

situm, ut in usum sacrificii consecrentur ab Episcopis, ad modum altaris, tabellæ marmoreæ vel lapideæ ponendæ in altaribus non consecratis?

R. Altarium portatilium usus sic enim vocantur tabellæ illæ lapideæ, iam pridem obtinuit in Ecclesia Latina. Horum meminit venerabilis Beda seculo septimo (L): meminit & Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, ineunte seculo nono (M). Nullum exstat vestigium altarium eiusmodi ante venerabilis Bedæ tempora.

Græci non habent portatilium altarium usum, sed horum loco consecrant cum magno rituum apparatu pannos quosdam, qui deinceps sternuntur in altaribus non consecratis quoties in iis agenda liturgia est. Hos vocant *Antiminsia* (N).

---

unus est Christus, una fides, una Ecclesia, unicum Sacrificium. Unigenam aram vocat Tyrius Orator *in Panegyrico* Encæniorum templi a Paullino Episcopo ædificati, quem *lib.* 10. suæ Historiæ inseruit Eusebius. An vero hic ritus ab Ecclesia Latina olim receprus fuerit, non liquet; nisi quod huc respexisse videtur Concilium Antisiodorense anno 578. ut Sirmondus docet, celebratum, cum *cap.* 10. edicit non licere super uno altario una die duas Missas dicere. Verum hæc Synodus œcumenica non fuit, & fortassis de Missis sollemnibus intelligi debet: nam statim subdit, non licere Presbytero Sacrum facere in altario in quo illa die Episcopus Missas dixerit: quod de quacumque Missa interpretor, ne eadem sanctio bis inutiliter repetita censeatur. Porro Græci tametsi unicum in Ecclesia altare habeant, plura tamen ipsi Ecclesiæ proxima, muroque disiuncta construunt sacella sive oratoria, quæ Parecclesiæ ab illis vocantur, quasi Ecclesiarum appendices, in quibus profestis diebus, ut refert Goar *in notis ad Euchologium*, *pag.* 16. Liturgias privatim agunt, feria secunda de Angelis, tertia de B. Virgine, quarta de S. Ioanne Baptista, quinta de Apostolis, sexta de cruce, sabbato pro defunctis. Non omnes tamen Parecclesiæ templi muro adhærent, sed quædam longe absunt, & per ambitum Monasterii dispersæ sunt, celebrantque in his Hebdomadarii per vices, ut notat Leo Allatius *in Ep. ad Ioan. Morinum* de Græcorum recentiorum templis. Et Græci quidem pristinum morem constanter retinuerunt; Latini autem, quamvis antiquitus plura oratoria loco dissita in Monasteriis habuerint, ea iampridem in maiorem Ecclesiam, variis ædificatis altaribus transtulerunt.

Num. 4. Aiunt nonnulli, quorum sententiæ non invitus accedo, crevisse numerum altarium & Sacerdotum, postquam populus qui Missæ aderat, (aderant autem omnes) desiit communicare: nam cum omnes uni Missæ præsentes erant, & communicabant, pluries celebrare necessarium non erat.

Bocquillot *Traité hist. de la Liturgie lib.* 2 *cap* 7. *Vide supra* §. 14 *litt.* (F)

(L) Ven Beda *lib* 5. *Histor. cap.* 11. Uterque Heuvualdus, albus & niger... hymnis semper & orationibus vacabant, & quotidie sacrificium Deo victimæ salutaris offerebant, habentes secum vascula sacra & tabulam altaris vice dedicatam.

(M) Hincmar. Archiep. Rhemens. *in capitulis editis anno* XII. *sui Episcopatus*. Nemo Presbyterorum in altario ab Episcopo non consecrato cantare præsumat. Quapropter si necessitas poposcerit, donec Ecclesia vel altaria consecrentur, & in capellis etiam, quæ consecrationem non merentur, tabulam quisque Presbyter, cui necessarium fuerit, de marmore vel nigra petra, aut litio honestissimo, secundum suam possibilitatem, honeste affectatam habeat, & nobis ad consecrandum afferat, quam secum cum expedierit deferat, in qua sacra mysteria secundum ritum Ecclesiasticum agere valeat.

(N) Iacob Goar. Ord. FF. Prædicat. *in notis Euchol. Græc. pag.* 653. *col.* K

I. Lintea, corporalia, pallæ, calices, patenæ ceteraque quibus nunc ornantur & vestiuntur altaria, adhibentur..c ex veteri ritu?

de antimensiis. Altaria Episcopi benedictione consecrata cuicumque sacris operanti necessaria esse, unanimi Orientalis Ecclesiæ & Occidentalis consensu, statutum est. Non dedicatis autem Oratoriis quum plurimis cum abundet Orientis plaga nec lapideis altaribus huc illuc deportandis se facilem reddiderit, quibusdam pannis altarium ritu & vice consecratis uti, iam a multis seculis decrevit... De his Iuris Græco-Romani *lib. 5. in respons.* Ioan. Citri Episcop... Hæc autem in sanctis ponuntur mensis quas consecratio non sanctificavit: nam ex antimensiis ipsa nobis consecrata mensa & sacrificata oblatio, sanctificationem sumunt... Si igitur haud dedicatum est templum; quod ei deest; sanctificatoria antimensii vis implet; ideoque templo nondum consecrato, sacris operari sine antimensio, numquam concessum est. Quonam enim modo altare sanctificabit donum, si sanctificationis non fuerit particeps? Et Sacerdoti qui hoc usus fuerit pœna erit depositio... Quærit autem Balsamon *in 7. can. Synodi.* vii. utrum in Oratoriis in quibus ut in consecratis solorum antimensiorum est usus, liceat Episcopo sicut & Sacerdoti sacra facere? Scitu dignam profert ille responsionem. Perfecta a Pontificibus antimensia eo tempore quo dedicatio templi peragitur, per oratorias domos distributa loco dedicationis sufficiunt, id est, encœniis, apertione, & Reliquiarum inthronizatione... Propterea enim antimensia vocantur, vicaria nimirum & formam referentia multorum sæculorum quæ sacram Dominicam mensam perficiunt. Pontifices autem sacra non celebrant in Oratoriis, templis non dedicatis; quia nimis demittitur præsulatus dignitas, ubi non adest thronus in quo Apostolicus Episcopus constituitur: & desunt alia, quæ templi consecrationem decoremque componunt..

Ioan. Bona S. R. E. Card. *rerum liturg. lib.* 1 *cap.* 20 *num.* 2. Græci altaria portatilia non habent, sed eorum vice utuntur antimensiis, cuius nominis ratio hæc est, quod ea adhibeant loco mensæ sive altaris. Extat horum consecratio in Euchologio Græcorum *pag.* 648. & ibi *in notis* Iacobus Goar longam & insulsam affert Ioannis Citri Episcopi disputationem cœcutientis in huius nominis assignanda etymologia. Quid sint explicat idem Goar ex Scriptoribus Græcis. Sunt videlicet quidam panni altarium ritu & vice consecrati, quibus a multis seculis utitur Ecclesia Orientalis, cum Liturgiam celebrare contingit in altari non consecrato. Theodorus Balsamon in expositione can 31. Concilii Trullani: *Ideo*, inquit, *reperta sunt antimensia, & fiunt a Pontificibus, quo tempore celebrant dedicationem Ecclesiæ, ut ponantur in sacris mensis, quando permissu Antistitis oblatio Liturgiæ fit in Oratorio*. Et Manuel Charitopulus *lib.* 3. *Iuris Orientalis*, antimensia non in omnibus altaribus poni docet, sed in his tantum, de quibus nescitur an sint consecrata.

Glossarium mediæ & infimæ Græcitatis a D. Ducange. [illegible] vero sequioribus Græcis appellantur segmenta panni, vel mappæ, quæ sacræ mensæ insterni tur in die Encæniorum ædis sacræ: quæ precibus & ritu Ecclesiastico consecrata, in varias partes discinditur, quæ *altarium*, ut Latini vocant, *portatilium* vicem præstant, adeo ut absque iis in Oratoriorum aut aliarum ædium sacrarum mensis non consecratis, absque huiusmodi antimensiis, sacras Liturgias peragere non liceat... Antiminsia dicuntur scribi, id est, signari crucis signo in iis inscripto .. Ea vero licet secundum Balsamonem a locorum Antistitibus consecrentur, possunt tamen in alias provincias mitti, quemadmodum sacrum chrisma... Ponitur autem [illegible] in ipsa mensa sacra, & sub linteo quod [illegible] vocant, quod illud sit, quod mensam ipsam primum tangat; uti est in Typico S. Sabæ *cap* 41. vel potius supra [illegible] ut est in Euchologio... Igitur apud Græcos in oratoriis non dedicatis, immo in ædiculis navium pietati destinatis, sed & in campis aut desertis, si necessitas id postulet, cum antimensiis sacra peragere licuit... Absque antimensiis non licet sacra facere... Qui secus ageret Sacer-

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. 16.

R. Horum omnium usus antiquissimus. Sed varius tamen pro variis Ecclesiarum & seculorum ritibus, sive materiam, sive formam, sive usum ipsum spectes (O).

I. Flores ad altaris ornamentum

---

dos pœnitentiæ subiiciebatur. Si lotum per ignorantiam fuerit, sanctificationem non deponit.

(O) BONA Cardinal. *Liturg. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 1. De calicis origine nemo qui credat Evangelio ambigere potest. Ibi enim legimus Redemptorem nostrum in ultima cœna, postquam tradidit Discipulis suis sub specie panis corpus suum, accepisse calicem, & dedisse illis, ac dixisse, ut omnes ex eo biberent sanguinem suum, qui mox pro illis & pro multis effundendus erat in remissionem peccatorum. Hoc testatur Apostolus se accepisse a Domino, & fidelibus tradidisse; *quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit, Accipite & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Similiter & calicem postquam cœnavit, dicens, Hic calix novum testamentum est in meo sanguine...* (1. Cor. 11. 23. 24. 25.) A Christo igitur initium calicis habemus, quem ab Apostolis & deinceps a Patribus in Sacrificiis adhibitum fuisse extra controversiam est, cum sacrum celebrari sine illo non possit. Ex qua vero materia primis Ecclesiæ seculis fabricari soleret, hic primo loco investigandum est. In Concilio Triburiensi sub Formoso cap. 18. celebre apophtegma refertur S. Bonifacii Episcopi Moguntini: *Vasa quibus sacrasancta conficiuntur mysteria, calices sunt & patenæ, de quibus Bonifacius Martyr & Episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere, respondit: Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc e contra lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus*. Honorius quoque in Gemma animæ l. 1. c. 89. *Apostoli*, inquit, *& eorum successores in ligneis calicibus Missas celebraverunt*. Sed Honorio id asserenti sine legitimo teste non credo: & ex verbis Bonifacii inferri non potest, quod usus lignei calicis communis fuerit in primitiva Ecclesia. Crediderim potius S. Antistitem zelo Dei succensum præteritorum comparatione sua tempora redarguisse, id quod homines passim solent. Fuisse in aliqua Ecclesia calicem ligneum vel propter rerum penuriam, vel propter incuriam Sacerdorum, non inficior, neque enim Concilium Triburiense loco citato statuisset, ne quis deinceps sacra Mysteria in ligneis vasculis conficere præsumeret, nisi hic abusus alicubi irrepsisset. Canones quoque editi in Anglia sub Edgaro Rege *cap* 41. calicem fusilem esse decernunt, vetantque ne omnino in ligneo fiat consecratio. Pixidem ligneam & in ea corpus Domini commemorat Rupertus Abbas *lib. de incendio Tuitiensi cap.* 5. sed hæc conservandæ Eucharistiæ, non conficiendæ destinata erat. Inter abusus etiam recenseo lapideos & corneos calices. De lapideis sive marmoreis mentio fit in vita S. Theodori Archimandritæ apud Surium *die* 22. *Aprilis*: narrat enim Georgius Presbyter eius Scriptor, quod cum monasterium ab illo ædificatum auctum esset, sed argentea supellectili careret, & vasa tantum marmorea in mysteriis adhiberentur, misit sanctissimus Theodorus Archidiaconum suum ad regiam civitatem, ut argenteum vas ad sacrorum mysteriorum usum emeret. Ex lapide item onychino factos legimus, nam Synodo Duziacensi edita a Cellotio *pag.* 2. *cap.* 5. inter crimina Hincmari Laudunensis hoc numeratur, quod calicem onychinum auro & gemmis ornatum a Rege donatum ab Ecclesia sustulerit. In actis S. Bernuardi Episcopi Hildeshrimensis scriptum est plures ab eo calices datos Ecclesiæ, & unum ex lapide onychino, alterum crystallinum mira industria. Leo Ostiensis *in fine lib.* 3. *Chronici Cassinen.* inter ornamenta a Victore III. Cassinensi Ecclesiæ relicta, duos calices onychinos recenset. Similis lapidi onychino est sardonyx, ex qua gemma Sugerius Abbas se altaris officiis calicem pretiosum comparasse ait *in lib. de gestis suis*, cum regnum administrabat. Cornei meminit Synodus Calcutensis in Anglia sub Adriano I. quæ eius usum prohibuit *cap.* 10. Thomas item Bartholinus *lib. de medicina Danorum domestica* scribit penes

se esse calicem corneum, quo olim in sacrificio Missæ utebantur Norvegi. Fuerunt & calices vitrei, qui procul dubio mundiores & decentiores erant: & ideo antiquior ac frequentior eorum usus. Putant nonnulli a Zephyrino Papa statutum fuisse, ut calices vitrei essent; in libro enim Pontificali sic de eo scriptum est: *Hic fecit constitutum de Ecclesia, ut patenas vitreas Ministri ante Sacerdotes portarent, dum Episcopus Missam celebraret*. At hic de calicibus nec verbum quidem; extendere autem ad calices statutum de patenis, ut plerique faciunt, ego non audeo, Pontifice nihil de illis decernente: cum præsertim nos lateat ad quem usum portarentur illæ patenæ a Ministris, quas probabiliter crediderim distribuendæ potius populo communioni, quam Sacrificio deservisse. Alii huc pertrahunt Tertullianum, qui *lib. de pudicitia cap.* 7. ait: *Procedant picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius*, ovis scilicet perditæ & a Domino requisitæ, & humeris eius revectæ. Et infra cap. 10 *Si forte patrocinabitur pastor, quem in calice depingis*. Et post pauca: *At ego eius pastoris scripturas haurio, qui non potest frangi*. Sed hic Tertullianus nihil de materia calicis exprimit, deque sola pictura & tractura loquitur, quæ non solum vitreis, sed etiam argenteis convenire possunt, illius præsertim Scriptoris stylo, qui metaphoris abundat, & obscuritatem ubique affectavit, ut de illo testatur Lactantius *lib.* 5 *c.* 1. Continent autem citata verba, ut hoc obiter notem, illius iam hæretici adversus Catholicos amarulenta convitia, ac si pastorem ovem perditam gestantem in calicibus pingerent, ut hinc in omne scelus animarentur, tamquam pœnitentiam summi Pastoris misericordia recepturi post lapsum, quam ipse negabat. Alii ad adstruendum vitrei calicis usum plurima concervant veterum Patrum testimonia, in quibus fracti calicis mentio fit, ac si nihil frangi possit, nisi sit vitreum. At hos redarguunt Grammatici, apud quos frangi dicitur quidquid rumpi, discerpi, scindi, secari, collidi, conteri, comminui potest. Unde Cicero Orat. 6. in Verrem: *Aureus annulus, quem habebat, fractus est & comminutus*. Et lib. 4. ad Atticum Epistol. 3. *Quinti fratris domus coniectu lapidum fracta est*: Certiores vitrei calicis probationes probæ notæ Scriptores suppeditant. Apostolicis temporibus proximus fuit Marcus hæreticus & magus, qui testibus Irenæo *lib.* 1. *cap.* 9 & Epiphanio *hær.* 34. vitreum calicem, Catholicorum morem æmulatus, ut putat Baronius, in mysteriis adhibens, vinum album præstigiis suis mutabat in rubrum, ac si per eius invocationem sanguis stillaret in calicem. Donatus quoque Episcopus Aretinus & martyr calice vitreo utebatur, quem fractum a Paganis fusa oratione reparavit, ut scribit Gregorius Magnus *lib.* 1. *dialog. cap* 7. S. Hieronymus *in fine Epistolæ* 4. *ad Rusticum* laudans Exuperium Episcopum Tolosanum, *Nihil*, inquit; *illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, & sanguinem portat in vitro*. Cæsarius item Arelatensis, ut narrat Cyprianus eius discipulus in vita ipsius, vitreo calice usus est, cuius illa verba referuntur, *an non in vitro habetur sanguis Christi*? quia nimirum aurea & argentea vasa pro redimendis captivis distraxerat. Calicis quoque vitrei fracti, & meritis S. Laurentii Martyris in eius basilica Mediolanensi reparati meminit Gregorius Turonensis *lib.* 1. *de gloria Martyrum c.* 46. Quod vero plures, præcipue in Gallia, tam Episcopi, quam Presbyteri vitreo calice usi sint, non in aliquam Ecclesiæ legem, neque in Ecclesiæ Gallicanæ consuetudinem, sed in temporum calamitatem referendum est, ob barbarorum incursiones, quæ coegerant omne aurum Ecclesiæ pauperibus & in captivitate degentibus erogari, ut Hieronymus & Cyprianus supra citati asseverant. S. Benedictus Ananiensis, ut vitæ eius Scriptor ait, vasa ad conficiendum Christi corpus nolebat sibi esse argentea: siquidem primum ei fuerunt lignea, deinceps vitrea; sic tandem conscendit ad stannea. Sanctus item Columbanus æneo calice usus est, cuius exemplum Gallus eius discipulus imitatus vasa argentea recusavit, ut habent eius acta apud Surium *die* 16. *Octobris*. Verum hæc privata illorum opinio fuit, & idem Benedictus mutata postmodum sententia non solum calices, sed & lampades & candelabra aliaque ornamenta ex argento admisit. Porro Gratianus *de consecr. dist.* 1 *c.* 45. & Ivo *p.* 2. *c.* 131. ex quodam Concilio Rhemensi canonem afferunt,

Pars III. Sect. II. Cap. VII. § 16.

Digitized by Google

PARS III. SECT. II. CAP VII. §. 16.

quo præcipitur, ne quis in ligneo aut vitreo calice præsumat celebrare. At quale fuerit hoc Concilium, & quo tempore celebratum nec illi dicunt, nec mihi libet divinare, licet non ignorem, a quibusdam recentioribus ad ævum Caroli magni referri, qui tamen sui dicti nullam afferont certam rationem. Pluries itaque vetitum, numquam statutum aut approbatum legimus calicis lignei, aut vitrei, sive lapidei, vel cornei usum. Prohibetur similiter in eodem canone Rhemensi calix ex ære vel auricbalco, *quia ob vini virtutem parit æruginem, quæ vomitum provocat*. Mandat autem ut si non ex auro, saltem ex argento fiat. Quod si quis tam pauper est, ut argenteum habere non possit, saltem stanneum habeat. Richardus vero Cantuariensis Archiepiscopus immediatus S. Thomæ martyris successor in Synodo a Rogero Hovedensi relata præcepit, ne consecraretur Eucharistia nisi in calice aureo vel argenteo, & ne stanneum calicem Episcopus benediceret. Cui consonans Petrus Damiani *opusc.* 23 *c.* 1 acriter invehitur adversus incuriam Sacerdotum, qui stanneis, vel etiam supparis cuiuscumque metalli calicibus, eisque sordidis utebantur, quos propriis adhibere labiis vir quilibet potens non dignaretur

Num. 2. Hæc mihi de calicibus ex ligno, vitro, aliave materia præter aurum & argentum non fabricandis ex veterum monumentis comperta sunt; ex quibus colligitur orthodoxam Ecclesiam semper & ubique in hoc conspirasse, ut aureis vel argenteis calicibus Sacerdotes uterentur.... Hic mos fuit primorum Christi fidelium, qui venditis possessionibus pretia Apostolis in communem Ecclesiæ usum afferebant. Non ergo deerant Apostolis nummi, quibus & fratrum necessitatibus providerent, & quæ spectabant ad usum sacrificii compararent. Curasse autem ut ea maxime decentia essent, & ut vasa sacra ex pretioso metallo fabricarentur, non levi coniectura inferre possumus ex eorum pietate & maxima veneratione, qua divina mysteria corporis & sanguinis Christi prosequebantur. Derivata ab illis ad posteros hæc cura & religio est, adeo ut etiam sæviente persequutione aureos & argenteos calices Ecclesiam habuisse fide dignissimi Scriptores testentur. Optatus Milevitanus *l.* 1. loquens de Mensurio Episcopo, *Erant*, inquit, *Ecclesiæ ex auro & argento quam plurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec secum portare poterat*. In his autem ornamentis potiorem locum calices obtinuisse nulli dubium esse potest; nam *lib.* 6. inter scelera Donatistarum hoc etiam recenset, quod calices fregerint. *Fregistis*, inquit, *calices Christi sanguinis portatores, quorum species revocastis in massas, mercem nefariis nundinis procurantes. Emerunt fortitan in usus suos sordida mulieres: emerunt Pagani facturi vasa in quibus incenderent idolis suis.* Ex quibus verbis duo evidenter deducuntur, unum quod etiam sub ethnicis Principibus Christianorum persequuturibus, quibus imperantibus Donatistæ eruperunt in Africa, habebat Ecclesia vasa aurea & argentea; alterum, quam inepte viri alias non indocti eam Optati sententiam, *Fregistis calices*, afferant ad probandum, quod calices tunc vitrei fuerint, a qua inconsulta opinione procul dubio recessissent, si integrum Optati textum legissent: neque enim vitri fragmenta vendi poterant, & in Paganorum vasa conflari. Exstant acta Proconsularia adversus traditores sub Diocletiano & Maximiano apud Baronium *tom.* 2. *ann.* 303 quorum meminit Augustinus *Epist.* 165. *ad Generosum*, & *in libris adversus Cresconiam*, ex quibus constat, traditos a Donatistis non solum sacros codices iuxta edictum Diocletiani, sed etiam calices aureos & argenteos. Huc item spectat quod Gregorius Turonensis scribit *l.* 1. *de gloria martyrum c.* 38. in cryptis subterraneis, in quibus olim fideles metu persequutionis sacris operari consueverant, varia ministeria argentea reperta fuisse. Sopitis vero persequutionibus sub Constantino magno & deinceps, cœperunt Ecclesiæ aureis, argenteis, & gemmatis calicibus abundare. Ipse Constantinus, ut liber Pontificalis in Sylvestro recenset, Ecclesias quas ædificavit sacris donariis locupletavit, inter cetera fecisse dicitur calices minores ex auro purissimo XL. pensantes singulos libras singulas; calices ministeriales L. pensantes singulos libras binas; calices argenteos XX. pensantes singulos libras decem. Celebre est viri impii convitium, quem cum misisset Iulianus Apostata ad expilandum templum Antiochenum, ut refert Theo-

Digitized by Google

doretus *lib.* 3. *Hist. Eccles c* 8 sacrorum vasorum, quæ Constantinus donaverat, magnificentiam admirans, *En*, inquit, *cuiusmodi vasis filio Mariæ ministratur*. Basilicam Principis Apostolorum plurima ex auro & argento vasa & ornam nta possedisse, quando Alaricus Gothorum Rex urbem diripuit, Paulus Orosius *lib.* 7. iucunda & memorabili historia enarrat. Augustinus *Conc.* 2. *in Psal* 113 explicans versiculum *simulacra gentium, argentum & aurum*, ait: „ Sed enim & nos pleraque instrumenta & vasa ex huiusmodi materia vel metallo habemus in usum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur „ Chrysostomus aureum calicem & gemmis ornatum commemorat *hom.* 51. *in Matth.* Agathias *lib.* 2. *de reb. Iustin.* gentem Alemannicam templa expilasse ait, amulas, calices, acerras, & alia vasa ex puro auro diripuisse. Ipsemet Chosroes Rex Persarum tametsi infidelis, ut refert Theophylactus Simocatta *lib.* 5. *Hist c* 13. Sergio martyri crucem auream & gemmatam dono dedit ob victoriam eius ope obtentam; itemque calicem & discum, & turibulum, aurea omnia, ut eius intercessione prolem haberet a Sira coniuge, quæ erat Christiana. S Perpetuus Turonensis Episcopus duos calices aureos Ecclesiæ suæ legavit, ut legimus in eiusdem testamento nuper edito *tom.* 5 *Spicilegii*. Childebertum Regem sexaginta calices aureos gemmis pretiosis ornatos ab Hispania in Galliam detulisse scribit Gregorius Turonen. *lib.* 3. *Hist Franc. c.* 10. Omitto reliquos eiusdem vel sequentium seculorum, quorum testimonia in re clarissima superflua sunt.

Num 3 Annexa calici est patena, quæ reponendæ hostiæ inservit... Patenas magni ponderis, gemmisque ornatas sæpe memorat Anastasius inter donaria Pontificum pensantes xxv vel xxx libras Et in Leone III meminit patenæ maioris aureæ cum gemmis & ansis duabus. Porro istæ cum tantæ magnitudinis essent, usui esse non poterant Sacerdoti celebranti. Erant autem & patenæ ministeriales ceteris ampliores, quæ distribuendæ populo Eucharistiæ deserviebant. Erant & chrismales ad usum Baptismatis & Confirmationis. Ex eadem materia, qua calices, conflatas fuisse, cum par utrorumque sit ratio, credibile est. Zephyrinus vitreas fieri sancivit, Urbanus argenteas, quod qualiter intelligi debeat, iam supra dictum est. An Christus consecratum panem in disco seu patena posuerit, non exprimunt Evangelistæ: eius tamen usum ævi Apostolici esse Liturgia Iacobi ostendit. Sculptum in patena vultum Salvatoris referunt Anastasius in vita Gregorii IV. & Ioannes Diaconus in vita sancti Anastasii Episcopi Neapolitani Utriusque vero tam calicis quam patenæ exstat in ordine Romano consecratio. unctione chrismatis certisque precibus adhibitis, quem ritum e veteri Testamento ad novum profluisse reor. Ideo vetitus utriusque tactus profanis hominibus decreto Sixti I. a quo ait liber Pontificalis, constitutum, ut ministeria sacrata non tangerentur nisi a ministris.

PARS III. SECT. II. CAP VII. §. 16.

Num. 11 Post vasa & instrumenta proxima est supellex, & primo quidem palla linea sive sindon, in qua corpus Christi consecratur, cui propterea *Corporalis* nomen ab Ecclesiasticis scriptoribus inditum fuit. Apostolos non in nudo altari, sed pannis seu linteis ornato sacrum celebrasse omnino credendum est, ob maximam reverentiam, qua sanctissimum Christi corpus venerabantur. At vero Sylvester in libro Pontificali constituisse dicitur, ut sacrificium altaris non in serico neque in panno tincto, sed tantum in lineo ex terra procreato consecraretur: sicut corpus Domini in sindone linea & munda sepultum fuit. Græci etiam velo lineo quadrato utuntur, instar nostri Corporalis, quod explicatur lecto Evangelio, & expleta synaxi complicatur.... Glaber Rodulphus Monachus *lib.* 5. *Hist cap* 1. applicatione corporalis fugatos morbos, extincta incendia narrans, vocat illud Chrismale: quod nomen illi etiam tribuitur a Beda, in suo pœnitentiali, nescio qua de caussa. Olim multo longius & latius fuit, quam hodie sit; nam totum altare e tegebatur, & ideo palla & linteamen vocabatur... Iden autem totum altare tegebat ut tot in eo panes commode possent collocari, quot necessarii erant pro multitudine communicantium; qua cessante & ipsum strictius factum est. Unicum quoque fuit olim corporale, nec aderat parva illa palla qua nunc calicem operimus: cum enim palla corporalis latior esset, ea

Pars III. Sect. II Cap. VII. §. 16.

etiam utebantur ad tegendum calicem ... Manet hodie hic ritus apud Carthusianos. Ecclesia autem Romana ad tegendum calicem parvam adhibet pallam, de qua loquitur Innocentius III. *lib.* 2. *de mysteriis Missæ cap* 56. dicens: *Duplex est palla, quæ dicitur Corporale, una quam Diaconus super altare totam extendit, altera quam super calicem plicatam imponit* .... De sudariolo seu purificatorio, quo nunc utimur ad tergendum calicem, nullam apud antiquos Scriptores mentionem factam invenio. In Ordine autem Romano nihil præscribitue de teegendo calice peracta communione. Ait enim: *Hoc officio iuxta altare peracto, & pugillari cum quo confirmetur populus per Subdiaconum regionarium iam accepto, traditur calix ab Archidiacono eidem Subdiacono perferendus Acolytho, ut reponatur in paratorio*. Et alibi ait: *Diacona nimis caute procurandum est, ne quid in calice aut patena sanguinis vel corporis Christi remaneat*. Quomodo autem tam calix quam patena abstergerentur, priusquam reponerentur in paratorio non dicit. Obscurum similiter est quid per *paratorium* intelligatur, an arca sive armarium, quo universa sacra supellex reconderetur, an capsula soli calici asservando destinata. Monachi olim ad tergendum calicem linteolo utebantur in cornu Epistolæ cuiusque altaris appenso, ubi etiam erat parva piscina, in quam secundam calicis ablutionem proiiciebant, ut adhuc apparet in antiquis Ecclesiis, præsertim Cisterciensium. Græci spongia utuntur, qua & calicem & discum detergunt, ut docet Goar *in notis ad Liturgiam Chrysostomi num*. 177. Eam vero in Sacrificio incruento usurpant, quia sacrificii cruenti a Christo oblati pars fuit & instrumentum. Usus veli, quo calix operitur, antiquissimus est: nam *can*. 72. *Apostolorum* sancitue, ne quis velum sanctificatum in usus suos convertat: & in Concilio Bracarensi III. tempora Adeodati Papæ *cap*. 2. illi excommunicatione damnantur, qui Ecclesiastica ornamenta & vela in usus suos transferre, vel aliis donare aut vendere præsumpserint. Hormisda quoque Romanus Pontifex *Epist*. 73 gratias agit Epiphanio Constantinopolitano ob calices & vela ab eo sibi directa. Græci tribus velis sacra tegunt: uno discum, altero calicem, tertio eoque maiori, utrumque simul. Hunc vero *aerem* vocant, quia per modum aeris circa terram expansi sacra dona ambit, cuius nomen & formam ab Ecclesia Hierosolymitana in reliquas Orientales derivasse Typicon Sabæ testatur apud Goar *in Liturgiam Chrysostomi n*. 51.

Num. 13. Spectant etiam ad sacram supellectilem pro Missæ celebratione necessaria tegumenta altaris, lintea scilicet, quæ velamina, pallæ, operimenta, mappæ & mantilia dicuntur: spectant & amicula anteriora, quæ pallia & frontalia a recentioribus, ab antiquis vestes nuncupantur: Denique ad idem pertinent vasa aurea & argentea, flores, thecæ pretiosæ cum relliquiis Sanctorum, & alia eiusdem genoris, quæ licet necessaria non sint, solent tamen ad ornamentum altaris adhiberi. Exstat in ordine Romano, & in antiquo Ordine dedicationis Ecclesiæ apud Menardum benedictio linteaminum. Ivo Carnotensis 2. p. *Decreti cap*. 132. ex Concilio quodam Rhemensi ait: *Observandum est ut mensa Christi, id est, altare, ubi Dominicum corpus conficitur, ubi sanguis eius hauritur, ubi Sanctorum relliquiæ reconduntur, ubi preces & vota populi in conspectu Dei a Sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur: & mundissimis linteis & palliis diligentissime cooperiatur, nihilque super eo ponatur, nisi capsæ cum sanctorum relliquiis, & quatuor Evangelia*. Optatus Milevitanus *lib*. 6. tamquam morem ubique receptum commemorat, quod altaria linteis operirentur. Ait enim, *Quis fidelium nescit in peragendis mysteriis ipsa ligna*, altaria scilicet quæ in Africa lignea erant, *linteamine cooperiri? Inter ipsa Sacramenta velamen potuit tangi, non lignum*. Victor Episcopus *lib*. 1 *de persequut. Africana*, Proculum quemdam ab impio Geiserico in provinciam Zeugitanam adversus Catholicos missum scribit, qui rapaci manu cuncta devastans, de pallis altaris camisias sibi & femoralia fecit. Theodoretus *lib*. 1 *Hist. Eccles. cap*. 29. loquens de Encæniis sive consecratione templorum, quæ a Constantino magno Hierosolymis ædificata fuerunt, divinum altare aulæis regalibus, vasisque aureis omni genere gemmarum collucentibus ornatum fuisse refert. Iustinianus *Epist. ad Hormisdam Romanum Pontificem* se duo pallia serica eidem direxisse ait ad

Pars III. Sect. II. Cap. VII. § 14.

in vase ponere fuitne moris olim ut nunc est in multis Ecclesiis?

R. Ut flores in vase positi super altare collocarentur numquam moris fuit in veteri Ecclesia, sicut nec nunc est in cathedralibus ceterisque insignioribus Ecclesiis; id enim cautum erat veteri Canone, *Ne super altare quidquam poneretur, nisi capsæ cum relliquiis Sanctorum, aut forte quatuor sancta Dei Evangelia, aut pixis cum corpore Domini ad viaticum pro infirmis*. Verba sunt Leonis Papæ IV. in Homilia, quæ habetur *tom.* 8. Concil. editionis Philippi Labbe, *pag.* 33.

Ceterum ut flores vel in altari spargerentur, vel circa altare ad ornatum & suaveolentiam ponerentur, mos antiquissimus fuit, ut patet ex S. Augustino *lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 8. his verbis: „ Fuit Calamæ
„ vir in ordine suo primarius, no-
„ mine Martialis, ævo iam gravis,
„ & multum a relligione abhorrens
„ Christiana. Habebat sane fidelem
„ filiam & generum eodem anno
„ baptizatum. Qui cum eum ægro-
„ tantem multis & magnis lacrimis
„ rogarent, ut Christianus fieret,
„ prorsus abnuit, eosque a se tur-
„ bida indignatione submovit. Vi-
„ sum est genero eius, ut iret ad
„ memoriam sancti Stephani, & il-
„ lic pro eo quantum posset ora-
„ ret, ut Deus illi daret mentem
„ bonam, qua credere non differret
„ in Christum. Fecit hoc ingenti
„ gemitu & fletu & sinceriter ar-
„ dente pietatis affectu. Deinde abs-
„ cedens, aliquid de *altari florum*,
„ quod occurrit, tulit; eique, cum
„ iam nox esset, ad caput posuit:
„ tum dormitum est. Et ecce ante
„ diluculum clamat, ut ad Episco-
„ pum curreretur, qui mecum for-
„ te tunc erat apud Hypponem.
„ Cum ergo audisset eum absentem,
„ venire Presbyteros postulavit.
„ Venerunt, credere se dixit, ad-
„ mirantibus atque gaudentibus o-
„ mnibus baptizatus est. Hoc quam-
„ diu vixit in ore habebat, *Christe,*
„ *accipe spiritum meum*, cum hæc
„ verba beatissimi Stephani, quan-
„ do lapidatus est a Iudæis, ultima
„ fuisse nesciret; quæ huic quoque
„ ultima fuerunt: nam non multo
„ post etiam ipse defunctus est. „

In hoc uno sancti Augustini testimonio quot & quanta sunt ad Ecclesiæ catholicæ dogmata stabilien-

ornamentum altaris sanctorum Apostolorum. Adrianum fecisse vestes duas super altare testatur Anastasius, maiorem unam ex auro purissimo atque gemmis, in qua expressa Dei genitricis in cælum assumptio; aliam de stauracio ornatam in ambitu blattis. Leo III. apud eumdem fecit vestem super altare tyriam, habentem gryphas maiores & duas notas chrysoclavas cum cruce; aliasque pretiosissimas pro diversis Ecclesiis. Idem fecit ante confessionem principis Apostolorum Angelos ex argento purissimo dextera lævaque, pensantes libras CCLVI. nec non & alios Angelos duos ex argento purissimo deauratos, stantes in trabe maiori, & pensantes simul libras LXIII. & alios Angelos quatuor minores ex argento purissimo deauratos, pensantes simul libras LXVIII. Paschalis fecit in altari sancti Petri vestem miræ magnitudinis, pulcram & decoratam nimis, ex auro gemmisque contextam, præfigurantem historiam qualiter idem Apostolus a vinculis per Angelum ereptus est. Sergius II. fecit vela alba holoserica, ex quibus sacrum circumdatur altare.

Digitized by Google

da contra Hæreticos! nec minora vel pauciora exstant in aliis miraculis, quorum historiam prosequitur eodem capite sanctus Doctor. Altaria quoque floribus ornari non improbat Venantius Fortunatus (P).

I. Quales debent esse calices & patenæ in usum Sacrificii?

R. Mentio quidem fit apud antiquos calicum ligneorum, & vitreorum, & corneorum, & æneorum, & stanneorum; sed iampridem Ecclesia solos calices aureos vel argenteos probat: qui quidem si argentei sint, debent intus deaurari. Idem dicendum de patena (Q).

Exstant etiamnum quibusdam in Ecclesiis pauperrimis calices stannei; hos Episcopi reprobant, statuuntque ut saltem vas calicis in Ecclesiis vel pauperrimis argenteum sit. Quod quisque Episcopus in sua diœcesi ea de re statuerit, id tenendum.

I. Licetne in sacris calicibus & patenis gentilitia stemmata sculpere?

R. Non licet omnino. Id solum tolerari potest, si infra pedem calicis in parte interiori sculpantur. In parte vero exteriori patenæ & pedis calicis Crux sculpi debet.

§. 17. *De sacris vestibus Episcoporum, Presbyterorum, & Ministrorum in sacrosancti Sacrificii celebratione.*

I. Cur alias ad sacrificii celebrationem adhibent Sacerdotes ceterique Ecclesiæ Ministri vestes, ab iis quibus utuntur extra Sacra?

R. Non alia fuit olim Sacerdotibus & Ecclesiæ Ministris vestium sacrarum forma a vestibus profanis, nisi quod ad sacra vestes nitidiores & pretiosiores adhibebantur. Ut iam alia forma sit, hinc factum est, quod Ecclesia veterem vestium formam retinuerit in sacris, in usu vero quotidiano novum genus vestium sensim introductum sit; & si quæ accidit mutatio in forma sacrarum vestium, alia illa fuit ab ea quæ usu venit in quotidianis indumentis (A).

I. Decetne veterem hanc vestium formam in sacris retineri, aliasque esse vestes sacras a profanis?

R. Quidni deceat? Numquid & Magistratus, ad ius dicendum, & Doctores ad disputandum in scholis, & Reges, Equites, viri nobiles ad sollemnium ceremoniarum ap-

(P) Venantius Fortunat. *Lib.* 8. *carm.* 9. *ad Radegundem.*

Inde viri postes & pulpita floribus ornant.
Hinc mulier roseo complet odore sinum.
At vos non vobis sed Christo fertis odores:
Has quoque primitias ad pia templa datis.
Texistis variis altaria festa coronis,
Pingitur ut filis floribus ara novis.

(Q) *Vide supra* Ioan. Bona & D. Bocquillot. *hocce* § *litt.* (O)

(A) *Vestes sacras nosse penitus qui cupiet, adeat* Ferrarii *librum* de re vestiaria, *Patavii ann.* 1654 *editum*: Thomassini *congr. Orat. D. I. Sacerd. librum* de veteri & nova Ecclesiæ disciplina, *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 45 47. 49. & 52. D Bocquillot Tractatum historicum de Liturgia, *Gallice* Traité historique de la Liturgie *lib.* 1. *cap.* 7. & *alios* Rei liturgicae Scriptores, *qui omnes*

Digitized by Google

paratum vestes adhibent forma varias prorsus a quotidianis? Si in augustissimo religionis sacrificio & ministerio idem fiat, quid mirum, quid alienum a ratione, a fide Christiana? Numquid & in lege Mosaica ex Dei instituto Sacerdotibus & Levitis ad Sacra obeunda suæ vestes non erant sollemni ritu consecratæ, & a profanis plane diversæ? Hunc eumdem ritum ab Apostolis acceptum Catholica Ecclesia ad nostram transmisit ætatem, ut probat doctissimus Cardinalis Bona in eximio opere de rebus Liturgicis, itemque Thomassinus noster in novo-antiqua Ecclesiæ Disciplina (B). Hunc ritum cur pluribus in locis Protestantes tollerent non alia ratio fuit, quam quod fixum ratumque illis

---

habentur Tom. 10. Biblioth. PP. Hittorpii, *Paris.* 1624. *in fol.*

(B) R. P. Lud. Thomass. Congr. Orat. D. I. Sacerd. *in vet. & nov. Eccl. disc. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 45. *num.* 1..... Dico Ecclesiæ sua semper ornamenta propria, propria vestimenta fuisse, tum in altaris ministerio, tum in officiis divinis: etsi ea maxima ex parte communium vestium simillima essent; nec ad eam, qua nunc abundamus, & diversitatem & multitudinem, nisi annis plurimis & seculis volventibus deventum sit. *Quod fuse probat integro hocce capite, in quo agit* de sacris vestibus in ministerio altaris, prioribus quinque seculis.

Ioan. Bona S. R. E. Card. *de rebus Liturgic. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 1. Sacerdotem Sacris operaturum non communi & quotidiano habitu, sed alio peculiari & augustiore uti oportere notissimum est: quem ritum Catholica Ecclesia ab Apostolis acceptum usque ad nostram transmisit ætatem, quamvis in vestium numero & forma aliquid fuerit successu temporis immutatum. Præcesserat huius rei typus in veteri Testamento; nam Sacerdotibus & Levitis specialia vestimenta certis ritibus & ceremoniis consecrata in usu erant, cum legales Deo victimas immolabant... Immo etiam in lege naturæ propria fuisse Sacerdotibus indumenta, cum sacrificia Deo offerrent, Auctores graves asseverant: & Rupertus Abbas *lib. de incendio oppidi Tuitiensis cap.* 16. postquam dixit iuri primogeniti annexam fuisse Sacerdotii dignitatem, ad ipsum spectasse putat vestes Esau valde bonas, quibus Rebecca induit Iacob, cum simulans fratris personam benedictionem ei surripuit. Huc autem pertinet penula a Paullo Troade relicta, quam fuisse vestem Sacerdotalem suo loco indicabo. Huc lamina, seu mitra Episcopalis, quam gestasse Ioannem Evangelistam Polycrates Ephesi Episcopus auctor est apud Eusebium *lib.* 3. *Hist. cap.* 31. Huc infulæ, quarum meminit Tertullianus *lib. de Monogamia cap.* 12. Huc querelæ Optati Milevitani de profanatis a Donatistis Ecclesiæ ornamentis. Huc Stephani I. Decretum, qui, ut ait Anastasius, Sacerdotes & Levitas vestibus sacratis in usu quotidiano non uti, nisi tantum in Ecclesia, constituit. Huc tunica, qua Presbyter Nepotianus in ministerio Christi utebatur, quam sibi relictam Hieronymus scribit *in Epist. de eius morte ad Heliodorum*. Huc eiusdem Hieronymi testimonium *in caput* 44. *Ezechielis*, ubi ait: *Relligio divina alterum habitum habet in ministerio altaris, alterum in usu vitaque communi*. Huc denique exempla divinæ ultionis referenda adversus eos qui sacris vestibus abusi sunt, qualia legimus *lib.* 1. Vandalicæ persequutionis apud Victorem de Proculo, qui cum divina ministeria & Ecclesiæ ornamenta profanasset, sibi linguam frustatim comedens turpissima morte consumptus est: & apud Theodoretum *lib.* 2. *Hist. Eccles. cap.* 27. de Thymelico Saltatore, qui vestem sacram in theatro gestans exspiravit. Serica autem atque auro argentoque contexta hæc indumenta ut plurimum fuisse, præsertim post Constantinum ea vitis summorum Pontificum apud Anastasium, qui eorum donaria recenset, & ex aliis Scriptoribus haud obscure colligimus: neque enim credimus, aliquid vile aut indecorum

fuerit non ab Ecclesiæ solum fide, sed & a moribus & ritibus illius plane discedere. Quamquam & in majori Britannia aliisque regionibus nonnullis vetus ille mos retentus sit etiamnum ab iis qui ab Ecclesia desciverunt. Quod cur alii reprehendant certe non video, nisi quod, ut ex aliis pluribus rebus constat, illi in ipsa luce meridiana caligant & cœcutiunt.

I. Cur non unum in sacris vestibus colorem adhibet Ecclesia? Cur mox albam, mox viridem, mox rubeam, mox atram, mox violaceam vestem in sacris induunt Sacerdotes?

R. Si varios ad sacra facienda colores in vestibus adhibet Ecclesia, nil mirum; nihil enim caussæ est cur uno dumtaxat colore utatur. Ut autem omnia rite & ordinate fiant, prudenter constituit ut suus cuique diei color assignaretur pro varietate sollemnitatum, adeoque ut ipse indumentorum color sollemnitati congrueret. Itaque colorem album adhibet gloriosis Christi Mysteriis verbi gratia Resurrectioni, Ascensioni, Transfigurationi, Nativitati, Epiphaniæ: item festis B. M. Virginis ceterarumque Virginum. Rubeum Martyribus, ob fusum sanguinem; violaceum diebus pœnitentiæ luctuosis; nigrum funebribus exsequiis; viridem Dominicis, & feriis per annum. Quamquam in illis sicut & in ceteris rebus Episcoporum arbitrio relictis varius est variarum Ecclesiarum ritus.

I. Estne quid mysterii significatum singulis his vestibus, amictu, alba, superpelliceo, cingulo, manipulo, tunica, dalmatica, stola, casula, ceterisque Pontificalibus indumentis?

R. Mysticas illis significationes tribuit Pontificale Romanum; tradunt & sancti Patres mysteria his vestibus designata (C). Nec propterea putes vestes illas esse mysterii caussa adhibitas. Id unum vult Ecclesia, ut mysticis illis significationibus propositis, mentem ad Deum & ad pias cogitationes convertant sacrorum Ministri, dum his vestibus induuntur.

Amictus itaque quo Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotes caput primum deinde collum tegunt est velut galea salutis, quam ex Apostoli præcepto accipere debemus, ad expugnandos diabolicos insultus. Hoc amictu monemur quoque coercendam esse oculorum & vocis lasciviam (D). *Ephes. VI. 17. I. Thess. V. 8.*

divini sacrificii usibus adhibuisse fideles, qui omnia ad ipsum spectantia summa & incredibili veneratione prosequebantur. De colore nihil memini me legisse, nisi quod candidi in festis Paschalibus mentio fit a Gregorio Turonensi *in vita sancti Nicetii Lugdunensis Episcopi*; & nigri a Theodoro Lectore, qui *lib.* 1. *Collectan.* refert Acarium Constantinopolitanum seipsum, & sedem, & altare nigro amictu operuisse in signum mœstitiæ ob impium edictum adversus Synodum Chalcedonensem a Basilisco Imperatore ann. 476. promulgatum. Hieronymus quoque *lib.* 1. *adversus Pelagian.* *Vide infra hocce §. litt. (E)*

(C) S. Ioan. Chrysost. *Homil.* 82. *aut* 83. *in Matth. Vide infra hocce §. litt.* (E)

(D) *Sacerdos amictum induens, ait*: Impone, Domine, capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus.

Alba indicium est candoris quo fulgere debent Sacerdotum & Ministrorum mores. Idem candor designatur ea veste quæ superpelliceum & rochetum dicitur, quæ nimirum sunt albæ decurtatæ (E).

Pontif. Rom. *in Ordinat. Subdiacon. pag.* 28. Accipe amictum, per quem designatur eastigatio voeis.

Ioan. Bona S. R. E. Cardin. *Rerum Liturg. lib* 1. *cap.* 24. *num.* 3. Prima vestis quam Sacerdos sumit, est amictus, qui primum capiti, deinde humeris iniicitur. Antiquus Scriptor de ritibus veteris Ecclesiæ sub nomine Caroli Magni: *Post Sandalias in Ecclesia vestimentis sequitur superhumerale, quod fit ex lino purissimo*. Amalsrius lib. 2. cap. 17. *Amictus est primum vestimentum nostrum, quo collum undique cingimus*. Rupertus Abbas lib. 1. de Divinis officiis cap. 19. *Sacerdos in officio altaris amictu caput suum obnubit* Gemma animæ lib. 1. cap. 201 *Hinc humerale, quod in lege* Ephod, *apud nos amictus dicitur, sibi imponit, & illo caput & collum & humeros, unde & humerale dicitur, cooperit, & in pectore copulatum duobus victis ad mammillas cingit* Sunt quidam qui amictui ex holoserico vel aurea textura plagulam assuunt colori & opificio casulæ sive stolæ consimilem; sed huius assumenti nullum vestigium reperio apud antiquos Scriptores. Ambrosiani tertio loco amictum sumunt post albam & cingulum. Varia ei nomina tribuuntur; nam sicut vidimus humerale vocatur & per analogiam ad legalium Sacerdotum indumenta *Ephod*; quia ut Hieronymus docet *Epist.* 128. *ad Fabiolam*, ubicumque in Exodo seu in Levitico superhumerale leglitur, apud Hebræoi *Ephod* appellatur. An vero amictos noster idem prorsus sit cum Ephod veteris legis, quæstio anceps est, quam tractat Saussaius *Panoplia Sacerdotalis par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2 In Ordine Romano *ambolagium*, rectius autem anabolagium, sive *anaboladium* nuncupatur; anabole enim Græce ἀναβολὴ idem est ac Latine amictus. Isidor. lib. 19. Orig. cap. 25. *Anaboladium*, inquit, *amictorium lineum feminarum quo humeri operiuntur*.

(E) S. Hieron. *Dialog.* 1. *adversus Pelag. pag.* 502. *edit. BB.* Quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem: si Episcopus, Presbyter, Diaconus, & reliquus ordo Ecclesiasticus in administratione sacrificiorum candida veste processerint?

S. Ioan. Chrysost. *Homil.* 82. *aut* 83. *in Matth. num.* 6.. Hæc vestra dignitas, hæc securitas, hæc corona non ut alba splendenteque tunica induti circumeatis. Græce λευκὸν χιτωνίσκον albam tunicam. *Forsan non magis ad albam quam ad casulam vel aliud quodlibet indumentum alludunt Chrysost. & Hier. Certe album colorem ad Sacrificium præ alio adhibitum fuisse evincunt*.

Ioan. Bona *ubi supra num.* 4. Linea tunica talaris erat prima vestis Sacerdotalis in veteri Testamento, quæ nobis secunda est. Græce ποδήρης *Poderis* dicitur, quia descendit usque ad pedes, quos illi πόδας *podas* vocant. Paullinus Tyriorum Episcopus orationem habitam in Templi dedicatione apud Eusebium *lib.* 10. *cap.* 4 sic exorditur. *Amici & Sacerdotes Dei, qui podere induti estis*, sacra scilicet tunica talari, ut Latinus Interpres loquitur. A Scriptoribus Ecclesiasticis alba a colore nuncupatur: cuius nominis mentio fit in Concilio Carthaginensi sub Anastasio I. *can.* 41. quo præcipitur ut Diaconus tempore tantum oblationis vel lectionis alba utatur. Et in Narbonensi sub Pelagio II. ubi decernitur, ne Diaconus aut Subdiaconus vel Lector, antequam Missa consummetur alba se præsumat exuere. Legitur quoque in Ordine Romano, & in Tractatu de ritibus Ecclesiæ, quem sub nomine Caroli magni edidit Wolfangus Lazius. Alii camisiam vocant. Amalarius *lib* 2. *cap.* 18. *Postea camisiam induimus, quam albam vocamus*. Isidorus *lib.* 19. Originum c. 21 *Poderis est tunica Sacerdotalis linea corpori astricta usque ad pedes descendens. Hæc vulgo camisia vocatur*. Et cap. sequenti, *Camisias*, inquit, *vocamus, quod in his dormimus in camis, id est, in stratis nostris*. Camisiæ igitur nomen ei tribuerunt, quia similis est tunicæ lineæ interiori, qua utimur in camis, id est, in lectulis nostris. Camas enim dixerunt

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 17. — Luc. xii. 35. Homil. 13. in Evang.

Cingulo, quo stringitur alba ne diffluat, castitas designatur, secundum id quod ait Dominus: *Sint lumbi vestri præcincti*. *Lumbos enim præcingimus*, ut ait S. Gregorius Magnus, *cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus*.

Manipulo supra brachium sinistrum posito designatur fructus bonorum operum, vel labor pœnitentiæ; siquidem manipulum illud nihil aliud olim fuit, quam lintea sindon & mappula, qua sudor & sordes abstergebantur. Succedente tempore, detracto linteo transiit in ornamentum sacrum (F).

Græci strata humilia & terræ propiora. Anastasius in vita Benedicti III. inter donaria, quæ Rex Sassonum misit Ecclesiæ S. Petri, enumerat *camisias albas sigillatas holotericas cum chrysoclavo*. Camisias autem auro clavatas non ad ornatum templi, ut credidit Casaubonus, sed ad usum Sacerdotum sacrificantium comparatas observavit Ferrarius *lib.* 3. *de re vestiaria c.* 5. Neque enim hic agitur de tunicis lineis interioribus, in quibus aurum mitti Alexander apud Lampridium dementiam indicabat, propter auri rigorem & asperitatem; sed de camisiis quæ super alias vestes iniiciuntur, in quibus auri rigor & asperitas gestantibus non est incommoda. Ordo Romanus, ubi loquitur de Episcopi consecratione, *lineam*, sine addito vocat dicens, *Induunt eum lineam & cingulum*. Lineam vero tunicam etiam ab Ethnicis in sacris adhibitam testatur Apuleius in Apologia, *Mundissima lini seges inter optimas fruges terra exorta, non modo induendi & amiciendi sanctissimis Ægyptiorum Sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris usurpatur*. Idem *Fabulæ Milesiæ lib.* 2. Sacerdotes describit lineæ vestis candore puro luminosos. De Sacerdotibus Isidis nota sunt Ovidii carmina.

Nec tu linigeram fieri quid possit ad Isim
Quæsieris.
Et alibi:
Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba

.... Porro alba ne defluat, & gressum impediat cingulo stringitur, quod in lege baltheus, a Græcis zona dicitur. De eius profano usu multa congerunt Saussaius *lib.* 3. *citata Panoplia*, & Ferrarius *lib.* 1. *de re vestiaria*: Varias autem cingulorum formas describit Isidorus *lib.* 19. *Originum*, *c.* 33.

(F) Pontif. Rom. *in Ordinat. Subdiacon.* Accipe manipulum, per quem designatur fructus bonorum operum.

Sacerdos vero manipulum accipiens ait: Merear, Domine, portare manipulum fletus & doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.

Ioan. Bona S. R. E. Card. *ubi supra*, *num.* 5. Manipulus posterioris ævi additamentum est, neque in antiquis Ritualibus commemoratur, nec a priscis Patribus inter sacras vestes recensetur: Erat autem linea sindon, sive mappula brachio sinistro alligata, qua sudor & sordes abstergebantur, ut illi passim testantur qui de divinis Officiis tractatus ediderunt. Alcuinus: *Mappula, quæ in sinistra parte gestatur, qua pituitam oculorum & narium detergimus, præsentem vitam designat; in qua superfluos humores patimur*. Amalarius lib. 2. c. 24. *Sudarium ad hoc portamus, ut eo detergamus sudorem. In manu sinistra portatur, ut ostendatur in temporali vita tædium nos pati superflui humoris*. Rabanus Maurus lib. 1. de Instit. Cleric. c. 18. *Quartum Sacerdotis indumentum mappula sive mantile est, quod vulgo fanonem vocant*. Est autem fano vox Saxonica, quæ expansum vel extensum significat, ut docet Vossius *lib.* 2. *de vitiis serm. c.* 7. In Ordine Romano qualiter Missa celebretur: *Deinde Subdiaconus regionarius posuit mappulam in sinistro brachio Pontificis super planetam*. Tempore Gregorii magni soli Clerici Romanæ Ecclesiæ mappulis utebantur: sic enim ille loquitur l. 2. Epist. 54. ad Ioannem Archiepiscopum Ravennatem: *Illud autem quod pro utendis a Clero vestro mappulis scripsistis, a nostris est Clericis fortiter obviatum*,

Digitized by Google

r Tunica Subdiaconalis, & dalmatica Diaconalis, ornamenta utique sollemnitatis & lætitiæ, quæ propterea non induuntur diebus ieiunii & luctus, monent ministrandum esse altari Domini cum interiori lætitia, quæ nequit a iustitia & pietate separari (G): ut enim ait Apostolus: *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum; gloria autem & honor & pax omni operanti bonum.* Rom. ii. 9.

---

dicentibus nulli hoc umquam alii cullibet Ecclesiæ concessum fuisse. Sed nos servantes honorem fraternitatis tuæ, licet contra voluntatem antedicti Cleri nostri, primis Diaconibus vestris in obsequio dumtaxat tuo mappulis uti permittimus: alio autem tempore, vel alias personas hoc agere vehementissime prohibemus. Duravit autem hic mappulæ sive sudarii lintei usus, donec in locum eius manipulus non ad tergendas sordes, sed ad ornatum suffectus est, qui propterea eius materiæ & texturæ est, ex qua stola & planeta fieri solent. Hanc vero mutationem mappulæ in manipulum seculo undecimo factam coniicio: nam Alcuinus & Amalarius, qui seculo nono vixerunt, mappulæ usum tunc viguisse ostendunt. Manipuli autem mentio fit in veteri Missa ex codice Ratoldi Abbatis Corbeiensis apud Menardum, qui Ratoldus vixit anno 980. Olim ut apparet ex antiquis picturis, eius forma longior erat & strictior, vix duos pollices excedens, quemadmodum & stola, & linea utrimque æquali a summo ad imum limbum defluebat: nec erat extrema pars latior, sicut nunc est. Quod vero manipulus proprium Subdiaconi indumentum, ut Scholastici existimant, veteri usu non fuerit, argumento esse inter cetera potest, quod illo uterentur qui nullo Ordine initiati erant. Testis est Lanfrancus Cantuariensis Epist. 13. dicens: *In cœnobiis Monachorum etiam laici cum albis induuntur, ex antiqua Patrum institutione solent ferre manipulum*, Verum hæc consuetudo, ut in notis ad eamdem Epistolam vir eruditus Lucas Dacherius observat, abrogata postmodum fuit in Concilio Pictaviensi sub Paschali II. can 5. *Ut nemo Monachorum deinceps manipulis utatur, nisi fuerit Subdiaconus.* Manipulo nostro respondet apud Græcos *Epimanicion*, de quo agit Goar in notis ad Chrysostomi Liturgiam, *n.* 12.

(G) Pontif. Rom. *in Ordinat. subdiac.* Tunica iucunditatis & indumento lætitiæ induat te Dominus.

In Ordinat. Diac. Induat te Dominus indumento salutis & vestimento lætitiæ, & dalmatica iustitiæ circumdet te semper.

Ceremoniale Paris. Tunica breviores manicas olim ad brachia aptatas habebat; nunc infra apertas & libere fluentes.

Diaconus .... amictu, alba, cingulo & manipulo ornatus, stolam, quæ olim vestis erat, a sinistro humero in latus dextrum ante & retro defluentem sub brachio dextro religat: tum dalmaticam superinduit eiusdem coloris eiusdemque fere formæ cum tunica Subdiaconi, nisi quod ad brachium sinistrum fimbriis exornata est dalmatica, non autem tunica.

Vestis eius forma & nomen a Dalmatis venit, eratque vestis laxa ad talos demissa: super brachium sinistrum Diaconi revoluta; idque ne defluendo incommodo esset: pars autem brachio dextro respondens ad maiorem facilitatem amputata est, ne manus dexteræ officiis noceat, hincque in illa parte vestis iam fimbriæ desunt.

Ioan. Bona S.R.E. Card. *ubi supra num.* 19. Subdiaconi Romanæ Ecclesiæ, sedente in Apostolico throno Gregorio magno, sola alba induti suo ministerio fungebantur: quem morem alias Ecclesias ab ipsa Romana accepisse idem Gregorius asserit *lib.* 7. *Epist.* 64. *ad Ioannem Syracusanum.* Postea, teste Honorio *in Gemma animæ lib.* 1. *c.* 229. duæ illis vestes peculiares tributæ sunt; tunica quam *subtile* vocat, quia subtilius contexta; & sudarium sive mappula, cui hodie successit manipulus. Constat autem ex Ordine Romano magnum olim discrimen inter dalmaticam Diaconi & tunicam Subdiaconi extitisse: nam *titulo de ordine processionis ante Missam* loquens de vestibus Diaconorum, stolas & dalmati-

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 17.

Stola vestis olim fuit totum hominem ambiens & ad talos usque protensa. Ad oram huius vestis assutus erat limbus, torquis instar, a collo per humeros ad pectus pendens, & ad pedes hinc inde descendens. Iampridem detracta veste remansit solus limbus, qui stolæ nomen obtinet. Hoc veteres *orarium* dixere, ab *ora* vestimenti cui erat hic limbus assutus. Hanc stolam dum Sacerdotes induunt, dicunt etiamnum, *Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis*. Et Pontifex eam in Ordinatione tradens sollemni ritu novo Presbytero ait, *stola innocentiæ induat te Dominus*. Hinc patet hac veste innocentiam designari. Hæc vestis est & symbo-

Miss. Rom.

Pontif. Rom. in Ordin. Presb.

eas recenset; Subdiaconis vero sibi congruas vestes præbendas esse dicit, *quæ apud quosdam*, inquit, *subdiaconales nominantur; & mappulæ in sinistra manu ferendæ*. Sed quæ illæ fuerint nominatim non exprimit. Nulla nunc differentia reperitur inter dalmaticam Diaconi & tunicam Subdiaconi, nisi quod huius manicæ strictiores & breviores sunt: quæ differentia sæpe etiam negligitur.

Num. 18. Diaconorum proprium indumentum nunc est dalmatica ex institutione sancti Sylvestri, qui, ut legimus in eius Actis, præcepit ut dalmaticis in Ecclesia uterentur, cum antea, teste Alcuino, colobiis uti solerent. Erant autem colobia tunicæ sine manicis, non quod prorsus manicis carerent, sed quia ad cubitum tantum pertingebant. Dalmaticæ vero manicatæ erant, talares, sericæ, albæ, auro ornatæ, & plagulis seu clavis ex purpura assutis distinctæ. In Dalmatia primum inventæ, & illinc Romam translatæ sunt, unde & nomen acceperunt, sicut ait Isidorus *lib.* 19. *Orig. cap.* 22. Clavatas fuisse purpura præter Isidorum *ibidem*, asserunt alii Scriptores Ecclesiastici diversis vocibus clavos explicantes. Ait enim Rabanus habuisse duos tramites, Alcuinus duas virgulas, Amalarius duas lineas, alii duas zonas purpureas. Remansit itaque in dalmaticis priscus mos angustorum clavorum, ut scribit Rubenius *lib* 1. *de re vestiaria cap.* 8 qui ideo existimat, datam Diaconis dalmaticam angusticlaviam, ut inferiores Presbyteris censerentur, qui latum clavum portabant, quæ erat vestis Senatoria unico clavo purpureo distincta, qualia fuisse colobia Monachorum docet Dorotheus *Serm.* 1. dicens, *Signum purpureum assumimus in colobium nostrum, innuentes nos in Christi militiam adscriptos esse, & universas afflictiones eius sustinere debere: etenim quando passus est Dominus noster, gestavit purpureum vestimentum*. Purpura autem etiam Clericos quondam usos, patet ex Concilio Narbonensi apud Baronium *anno* 598. nam usum purpuræ Clericis interdixit. Hodie duobus angustis clavis ornatur dalmatica, nulla habita ratione coloris purpurei, immo aliquando sine clavis fit. Planeta vero uno lato clavo distinguitur, qui in multis adhuc apparet ex utraque parte in crucis figuram formatus; quia ut ait Tertullianus lib. de coron. milit. c. 13. *Illic purpura tua sanguis Domini, & latus clavus in cruce ipsius*. Dalmaticam Romanis in usu fuisse Lampridius testis est, qui de Commodo & Heliogabalo Imperatoribus scribit in dedecus & probrum ipsorum, quod dalmaticati in publicum processerint: vel quia mollium, & delicatorum vestis censebatur, vel quia exotica & Romanorum oculis insueta erat. Eius fit mentio *in Actis S. Cypriani*, sed sacrane an communis illa fuerit, diversæ sunt sententiæ. Ego omnino communem fuisse credo: illo enim ævo nondum ad usum sacrum translata fuerat. Eutychianus Papa constituisse dicitur in libro Pontificali, ut quicumque fidelium Martyrem sepeliret, sine dalmatica aut colobio purpurato nullatenus sepeliret; quod honoris caussa constitutum reor. Sed cum idem honos summis Pontificibus, ac ipsis etiam Diaconis tribueretur, ut Gregorius indicat, *lib.* 4. *Dialog. c.* 40. decreto suo idem *lib.* 4. *Epist.* 44. sancivit, ne feretrum quo Romani Pontificis corpus ad sepeliendum ducitur, dalmaticis tegeretur.

lum potestatis sacerdotalis. Hanc olim Episcopi & Presbyteri non deponebant umquam etiam extra sacra: quem priscum morem solus nunc Papa retinet (H).

Est & Diaconis sua stola, quæ

(H) Gavantus *in Rubr. Missal. part.* 2. *tit.* 6. *Rub.* 6. Orator Romæ non utitur stola super cottam, ob reverentiam Papæ, qui extra Sacramenta stola utitur.

Pontific. Rom. *in Ordinat. Diac.* Accipe stolam candidam de manu Dei; Adimple ministerium tuum, potens enim est Deus, ut augeat tibi gratiam suam.

Ioan. Bona S. R. E. Card. *ubi supra*, *n.* 6. Stolæ nomen apud profanos Scriptores tam Græcos a quibus fluxit, quam Latinos, muliebrem vestem significat ad talos usque demissam. Unde Cicero mores effeminatos Marci Antonii redarguens *Philip.* 2. ait: *Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti*. Erat autem proprie matronarum vestimentum, ut docet Ferrarius *de re vestiaria lib.* 3. *c.* 17. adeo ut impudicæ mulieris nota foret brevior tunica; & Tertullianus *lib. de Pallio c.* 4 inter signa eiuratæ pudicitiæ recenset matronam in publico sine stola. Interdum tamen sumptam legimus pro quolibet genere vestimenti, Regum, Sacerdotum, & privatorum. Nam *Genes.* 41. cum Pharao constituit Ioseph super universam terram Ægypti, vestivit eum stola byssina; & ipse Ioseph *Genes.* 45. singulis fratribus suis proferri iussit binas stolas; Beniamin vero dedit quinque stolas optimas. In libro quoque Esther *cap.* 6. cum dixisset Aman eum quem Rex honorare vellet, debere indui vestibus regiis; tum sequitur tulisse stolam, & induisse Mardochæum. Filium item prodigum de se reverentem iussit pater indui stola prima, maxima scilicet, & omnium quæ domi erant pretiosissima. Zosimus *lib.* 4. ait Iulianum concessisse Procopio, ut regiam stolam haberet; & Diodorus Siculus *lib.* 2. narrat Arbacem qui primus ex Medis Assyriorum imperium defuncto Sardanapalo occupavit, indutum regia stola Regem appellatum fuisse. De stola summi Sacerdotis in lege veteri agit Iosephus *lib* 15. *antiquit.* *c.* 14. *&* *lib.* 18. *cap.* 6. Sacerdotes item stantes ante altare cum stolis Sacerdotalibus commemorat *lib.* 2. *Machabaeorum* *c.* 3. Zosimus *lib.* 4. loquens de titulo Pontificis maximi Imperatoribus olim tributo, ait: *Simul ac summum Imperium quisque consequebatur, stola Sacerdotalis ei offerebatur a Pontificibus, & continuo Pontificis maximi titulus ei tribuebatur*; tum refert Gratianum eam stolam sibi oblatam aversatum fuisse, quod illicitum existimaret Christianum eo habitu uti. Stolæ formam expeimit Xenophon *lib.* 8. *Cyriped.* his verbis: *Elegit itaque stolam Medorum & ipse ferre, & ut familiares ea induerentur persuasit. Hæc enim visa est ei occultare si quis defectum aliquem haberet in corpore*: quia nimirum totum corpus tegebat præter caput & collum. Simili modo describit stolam Sacerdotalem S. Germanus Constantinopolit. *in theoria Liturg.* quam esse ait ignicolorem demissam usque ad pedes instar poderis Aaron. Nec dubito quin talis fuerit stola illa auro contexta, quam scribit Theodoretus *lib.* 2. *Hist.* *c.* 27. a Constantino magno donatam Macario Episcopo Hierosolymitano, ut ea indutus divini Baptismatis ministerium perficeret, a Cyrillo autem venditam, ut illi adversarii obiiciebant. Et hæc quidem erat stolæ forma apud veteres Ethnicos, Iudæos, Christianos: at nunc stola nostra non vestis, sed veluti torques est a collo per humeros ad pectus pendens, & usque ad genua protensus. Quod sane ornamentum, quando cœperit a Sacerdotibus in sacris adhiberi, & cur ei stolæ nomen tributum sit, sollerti indiget disquisitione. Quidam ævo Apostolorum cœpisse scribunt, eo quod legerint stolam S. Iacobi Apostoli missam fuisse a Theodosio Hierosolymorum Episcopo ad S. Ignatium Constantinopolitanum; & stolam S. Stephani protomartyris a Macario item Hierosolymitano datam Helenæ Augustæ, & ab ea Vesontionem transmissam. Sed hos Scriptores vocis æquivocatione deceptos fuisse evidens est; stola enim illorum temporum, ut ex dictis constat, vestis oblonga erat totum corpus ambiens, nihilque habet commune cum stola hodierna præter nomen. Durandus *in Rationali lib* 3. *capit.* 5. stolæ initium ad illud tempus refert, quo

Luc. 15. 22.

Pars III. Sect. II Cap VII. §. 17.

alba deferei cœpit. *Notandum*, inquit, *quod antiquitus stola erat vestis candida pertingens usque ad vestigia, qua Patriarchæ utebantur ante legem: quam primogeniti, cum benedictionem patris acciperent, induebant, & Domino victimas ut Pontifices offerebant. Sed postquam alba cœpit portari mutata est in torquem.* Hæc tamen levis coniectura est & nos certiora huius rei indicia dabimus ex Conciliis mox referendis. Unde autem nomen stolæ huic ornamento? An quia successit veteri stolæ, ut innuit Durandus? an potius deducta est nomenclatura a fascia, quæ in limbo eius vestis assuta erat, quæ olim stola dicebatur, retento totius vestis nomine in parte quadam illius? Ita coniicit, & mea quidem sententia probabiliter, Vincentius Ricaedus *in commentariis ad orationem sextam sancti Proculi*. In extrema namque parte antiquæ stolæ, ut observat Baifius *de re vestiaria c.* 17. assuta erat fasciola seu limbus ipsam vestem ambiens, cui cum sit valde similis hodierna stola, hinc fieri potuit, ut hoc illi nomen tributum sit. In actis Sancti Sylvestei, quæ Damaso adscribuntue, ab eo constitutum legimus, ut Diaconi dalmaticis in Ecclesia uterentur, & palla linostima læva eoeum tegeretur: Zosimus item constitotum fecisse dicitur, ut Diaconi lævas tectas haberent de pallis linostimis; ubi forte legendum linostema, id est ex lino & lana contexta, quæ ut ait Isidorus *lib.* 19. *Orig. c.* 22. dicta est linostima, quia in stamine linum, in trama lanam habet. Nomine autem huius pallæ nihil commodius intelligi potest quam stola Diaconalis, quæ in humeeo sinistro ab ipsis defertur ad differentiam Sacerdotalis a collo ante pectus pendentis. Stolæ item mentio fit sub nomine orarii, in concilio Laodiceno tempore eiusdem Sylvestri habito *cap.* 22. & 23. quibus Subdiaconis & Lectoribus prohibetur, ne orariis utantur. Ex quo duplici testimonio infertur ante annos mille & trecentos usum stolæ in Ecclesia invaluisse.

Porro nomine orarii stolam, qua nunc utimur, intelligi, omnes Ecclesiastici Scriptores testificantur. Gemma animæ *lib.* 1. *cap.* 204. *Deinde circumdat collum suum stola, qua & orarium dicitur.* Rabanus Maurus *lib.* 1. *cap.* 19. *Quintum est quod orarium dicitur, licet hoc quidam stolam vocent.* Alcuinus *de div. offic. cap.* 39. *Sequitur orarium, id est stola.* Ordo Romanus: *Subdiaconi regionarii accipiunt ad induendum Pontificem vestimenta, alius orarium, alius planetam.* Anastasius in vita Agathonis, *Ea hora sancta Synodus una cum Principe eius orarium auferri iusserunt a collo eius*, Macaeii scilicet Antiocheni. Adstipulantur veterum Conciliorum Patres, a quibus multa de usu orarii sancita sunt, quæ satis superque constat ad stolam pertinere. Concilium Laodicenum iam supra citatum tempore S. Sylvestri. Bracarense I. anno 563. *can.* 27. *Placuit, quia in aliquantis huius Provincia Ecclesiis Diacones absconsis infra tunicam utuntur orariis, ita ut nihil differre a Subdiacono videantur, ut de cetero supposito scapulæ, sicut decet, utantur orario.* Toletanum quartum sub Honorio can. 27. *Episcopus recipiat orarium, annulum & baculum: Presbyter orarium & planetam: Diaconus orarium & albam:* & cap. 39. *Orariis duobus nec Episcopo quidem licet nec Presbytero uti: quanto magis Diacono, qui minister eorum est? Unum igitur orarium oportet Levitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est, prædicat: dexteram autem partem oportet habere liberam, ut expeditus ad ministerium Sacerdotale discurrat. Caveat igitur amodo Levita gemino uti orario, sed uno tantum & puro, nec ullis coloribus aut auro ornato.* Bracarense III. sub Adeodato can. 3. *Cum Sacerdos ad sollemnia Missarum accedit, aut pro se Deo sacrificium oblaturus, aut sacramentum corporis, & sanguinis Domini Iesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quam orario utroque humero circumseptus; ita ut de uno eodemque orario cervicem pariter & utrumque humerum premens, signum in suo pectore præferat crucis.* Moguntinum sub Leone III. can. 28. *Presbyteri sine intermissione utantur orariis propter differentiam Sacerdotii dignitatis*, quando scilicet ministeeia sui ordinis obeunt: nisi forte hoc loco præter solitum sumatur orarium impropeie pro veste talari, qua revera sine inteemissione uti debent Sacerdotes. Quo item sensu interpretantur nonnulli Canonem, quem Gratianus 17. *qu.* 4. *cap.* 25. & Ivo *part.* 10. *cap.* 139. tribuunt Concilio Triburiensi: *Ut Presbyteri non vadant nisi stola vel orario induti. Et si in itinere spoliantur, vel vulnerantur, aut*

Digitized by Google

pendebat olim ab utroque humero, stolæ Sacerdotalis instar: iampridem autem ab humero sinistro infra brachium dextrum baltei instar stringitur, idque ut Diaconus brachium dextrum expeditius habeat ad ministerium, ut habet Concilium IV. Toletanum ann. 633. can. 40. cuius hæc verba sunt: *Unum orarium oportet Levitam gestare in sinistro humero .... dexteram autem partem oportet habere liberam, ut expeditius ad ministerium Sacerdotale discurrat*. Quidquid sit de illius ritus origine, certum est, ex antiqua Ecclesiæ sanctione Diaconum stola in modum baltei stricta infra brachium dextrum distingui a Sacerdote, ut par est, quippe qui non nisi portionem characteris Sacerdotalis acceperit.

Presbyteri aptant stolam ante pectus in modum crucis; quo ritu significari nihil vetat Sacerdotalem auctoritatem, quanta quanta est, suam omnem virtutem habere a cruce Christi. Hunc ritum videtur innuisse Concilium Bracarense, an. 675. can. 3. his verbis: *Cum Sacerdos ad sollemnia Missarum accedit, aut pro se Deo sacrificium oblaturus, aut sacramentum corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quam orario utroque humero circumseptus, ita ut de uno eodemque orario cervicem pariter & utrumque humerum premens, signum in suo pectore præferat crucis*.

Episcopi non aptant stolam in modum crucis, quia crucem gerunt auream ante pectus, quæ propterea *crux pectoralis* dicitur. Plerisque olim in Ecclesiis Presbyteri sicut & Episcopi nec stolam aptabant in modum crucis; quem morem etiamnum Carthusiani, Cluniacenses, & forte alii servant. Hæc parvi momenti sunt. Teneat suum quisque morem.

Casula, quæ & planeta dicitur, caritatis signum appellatur in Pontificali Romano (I); nimirum quia

---

occiduntur non stola vestiti, simplici emendatione sua solvantur; si autem cum stola, triplici. Minor enim pœna infligitur illi, qui iniuriam irrogat Sacerdoti sine habitu incedenti, cum possit se ignorantiæ exceptione excusare. Ex quo patet orarium hic accipi pro communi vestimento, quod ita proprium Sacerdotis foret, ut eum discerneret a seculari. Quod si primam huius vocis originem inspiciamus, profana est; & ab eo sensu diversa quo nunc usurpatur. Antiquis enim Scriptoribus tam Ethnicis, quam Christianis, orarium nihil aliud est quam sudarium, strophium, linteolum, quo facies abstergitur... Quamvis autem orarium commune sit Diaconis & Presbyteris, a Græcis tamen Diacono proprie tribuitur, stolam vero Sacerdotalem *Epitrachelion* vocant, quod latius est orario, nec ullis litterarum notis exaratum sicut orarium Diaconorum, cui ter inscriptum est verbum *agios*, idest, *sanctus*.

(I) PONTIF. ROM. *in Ordinat. Presbyt.* Accipe vestem Sacerdotalem, per quam caritas intelligitur. Potens est enim Deus, ut augeat tibi caritatem, & opus perfectum. *Et Pontifex explicans eam dicit*: Stola innocentiæ induat te Dominus.

IOAN. BONA S. R. E. Card. *ubi supra num.* 8. Postremum Sacerdotis sacris operaturi indumentum quidam penulam, alii casulam, seu planetam vocant; quæ voces a profana significatione ad sacram translatæ sunt... De casula quoque sive planeta pro communi vestitu olim a Latinis usurpata veterum Scriptorum testimonia habemus. Acta S. Fulgentii apud Bollandum die 1. Ianuarii cap 18. *Casulam pretiosam vel superbi coloris ipse*

totum Sacerdotem amicit, & ceteris vestimentis superponitur, quemadmodum caritas ceteris virtutibus supereminet. „ Olim enim casulæ rotundæ prorsus erant; totum ambientes hominem a collo usque

non habuit, nec Monachos suos habere voluit. Subtus casulam nigello vel lactineo pallio circumdatus incessit. Regula Macarii *cap.* 27. inducit Monachum contumacem dicentem: *Hic ego durare non possum, sed accipiam casulam meam, & ibo ubi voluerit Dominus.* Casula autem hoc loco accipitur pro cuculla monachali. Theodemarus Abbas in Epist. ad Carolum magnum, *Cucullam nos esse dicimus, quam alio nomine casulam vocamus.* Auctor vitæ sancti Cæsarii Arelatens. *Ambulans Cæsarius per plateam civitatis, vidit contra in fora hominem qui a dæmonio agebatur, in quem cum attendisset, habens manum sub casula, ut a suis non videretur, crucem contra eum fecit.* Ioannes Diaconus in vita S. Gregorii *lib.* 2. *cap.* 45. quemdam fuisse Monachum ait, qui a fratre suo seculari vestem petiit dicens, *Casulam non habeo sed fac caritatem, eme mihi.* Erat etiam casula quotidianum Ecclesiasticorum indumentum; nam in Concilio habito apud Liptinas in pago Cameracensi anno 743. *can.* 7. decretum fuit, ut Psesbyteri vel Diaconi *non sagis laicorum more, sed casulis uterentur ritu servorum Dei....* Cum sit igitur æquivocum casulæ, & planetæ vocabulum, quo primum tempore, a profano, & promiscuo usu ad sacrum translatum sit, non liquet. Legitur nihilominus casulæ nomen in antiquo Ordine Romano, in libris Alcuini, Amalarii, Rabani Mauri, & aliorum qui de ritibus sacris scripserunt: & Concilium quartum Toletanum can. 27. *Presbytero*, ait, *in sua Ordinatione planeta datur, quæ idem est ac casula.* Fit etiam casulæ mentio in Testamento S. Remigii apud Flodoardum *lib.* 1. *cap.* 18. Quod vero Sacerdotes ante casularum usum dalmaticis uterentur, quas postea Diaconis concesserint, cum casulis uti cœpissent, assertio singularis est Walfridi Strabonis *c.* 24. cui favent Acta S. Sylvestri edita a P. Combefis, in quibus mentio fit Euphrosyni Pamphyliæ Episcopi, „ qui dum mysteria perageret colobium unum habebat, quod magni illius Apostoli ac fratris Domini Iacobi „ esse dicebat, quo indutus sacram oblationem explebat. Hinc factum ut Romani hactenus Sacerdotes colobiis usi „ sint. Quod tamen brachiorum nuditas „ displiceret, dalmaticas manicatas potius quam colobia placuit appellare. „ Hæc ille priscus Scriptor. Porro casula, teste Isidoro *lib.* 19. *Origin. cap.* 24 per diminutionem a casa dicitur, quod totum hominem tegat, quasi minor casa. Planetæ vero nomen ex eo deducitur, quia oris errantibus evagatur; & ut ait Gemma animæ *lib* 1. *c.* 207. limbus eius errabundus utrimque in brachia sublevatur. In vita S. Popponis Abbatis apud Bollandum *die* 25. *Ianuarii*, *num.* 58. casubula nuncupatur, *In celebratione Missarum casubulam, qua induebatur, lacrimis humectabat.* In Ecclesia Orientali phenolium, sive casula Pontificalis a Presbyterali in hoc differt, quod ista simplex, illa multis crucibus insignita est; & ideo *polustaurion* dicitur, ac si Latine *multicrucium* diceremus.

Caeremoniale Paris. *p.* 13. Plures autumant hanc vestem veram esse Romanorum togam sine manicis, quæ ad utrumque brachium revolvebatur, ut in multis Ecclesiis videre est. Casula igitur in orbem ad pedes undique devolvebatur, si defluere sineretur; sed ne officeret actioni Sacerdotis, primum componebatur revoluta super brachia; denique revolutæ illæ partes, ut superfluæ amputatæ sunt, unde iam casula hodierna in modum desiit, qui iam in usu est. Casula autem, quæ & planeta dicitur, Sacerdotis est insigne, qua tantum ad Missam utitur, aut ad delationem sollemnem sanctissimi Sacramenti, in festo corporis Christi, aut aliis eiusmodi.

Porro sic revoluta illa planeta vestes interiores aliquantulum detegebat; ut autem partes illæ detectæ cooperirentur, plagulæ circa manus, & ad pedes, circa collum, & circa pectus ad nuda protegenda appositæ sunt: hæ vero plagulæ forte apud Romanos erant in usu, ut conicere licet ex usu lati & angusti-clavi.

Digitized by Google

„ ad pedes, unicam in medio apperturam habentes, per quam caput immittebatur „. Verba sunt Cardinalis Bona. Habentur etiamnum eiusmodi casulæ multis in Ecclesiis. Carthusiani Avenionenses casulam eiusmodi pretiosissimam habent auro contextam, quam ipsi olim dono dedit summus Pontifex illius Carthusiæ fundator. Hanc vestem apud veteres omnes quotidiano in usu fuisse probat Ferrarius *lib.* 1. *de re vestiaria cap.* 1. (K).

Multi iam ritus observantur, qui ex veteri illa casularum forma originem sumpsere.

1. Sacerdos olim dum faciebat confessionem in infimo altaris gradu cum Ministris, casulam habebat plane explicatam, adeo ut brachia eius omnino tegerentur. Tunc solum casula revolvi solebat super brachia, cum Sacerdos ascensurus erat ad altare: & brachio demum expedito manipulus imponebatur post confessionem; nullus enim esse potuisset usus manipuli antequam brachia fuissent expedita. Hunc ritum, tunc omnibus Presbyteris communem, nunc soli Episcopi retinuere, quibus nonnisi peracta confessione imponitur manipulus (L).

2. Propter pondus casulæ super brachia replicatæ, vix poterant Sacerdotes brachia attollere ad levandum peracta consecratione corpus Christi; sustinebant ergo Ministri casulam, ut brachia expeditiora essent. Hinc sumpsit originem mos ille qui perseverat etiamnum levandi Sacerdotis casulam, dum sacra Hostia & calix sanguinis Christi populo post consecrationem ostenduntur (M).

3. Diaconus & Subdiaconus, ceterique Ecclesiæ Ministri casulis olim inter ministrandum induebantur non secus ac Sacerdotes; & ne

---

(K) OCTAV. FERRARIUS *lib.* 1. *de re vestiaria c* 1. Toga, Romanorum tegmen, ipsis Quiritibus longe vetustior Scriptoribus perhibetur. Nam circumeasse a Pelagis ad Lydos, a Lydis ad Romanos auctor est Tertull. *de Pallio.*

Cap. 25. Primis urbis temporibus tam viros quam mulieres in toga incessisse, totamque R manam gentem vere togatam fuisse veteres Critici adnotarunt. Ceterum virorum omnis conditio togata: Primores, plebs, etiam populi vilissima pars, quæ in emenda toga sumptum facere posset. Tertullianus *de pallio* cap. 4. *Vespillo, leno, lanista secum vestiuntur.* Et in fine operis, *Verum & cerdones, & omnis gladiatorum ignominia togata producitur.*

Cap. 28. Antiquissimo quidem tempore non modo domesticum ac forense vestimentum toga fuit, sed & diurnum & nocturnum. Varro *de vita pop. Rom.* apud Nonium: *Preterea, quod in lecto togas ante habebant, id enim olim fuit commune vestimentum & diurnum & nocturnum, & muliebre & virile.*

(L) IOAN. BONA S. R. E. Card. *ubi supra, n.* 5. ... Cum planeta totum corpus ambiret, ... ea super brachia duplicata & triplicata, ut Gemma animæ ait *lib.* 1. *c.* 2 7. & 208. manipulus extremo loco brachio expedito imponebatur: qui ritus tunc omnibus Presbyteris communis, nunc in solis Episcopis remansit, quibus peracta confessione a Ministris imponitur, quia prisco more post confessionem casula elevari solebat.

(M) IOAN. BONA S. R. E. Card. *ubi sup. n.* 8. Quia vero planeta totum olim involvebat Sacerdotem, hinc ortus est usus, ut a Ministro elevetur, cum Sacerdos hostiam & calicem elevat: quæ praxis antiquitus necessaria, ne pedibus obversans flectenti genua, impedimento esset, adhuc perseverat; tametsi cessante causa superflua sit.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 17.

earum pondere brachia impedirentur in ministerio, eas a parte anteriori complicabant, adeo ut brachia essent omnino expedita. Et Diaconus, cuius in ministerio potiores partes sunt, præsertim ab Evangelio usque ad peractam populi communionem, interea vel deponebat prorsus casulam, vel eam complicatam, & a brachio sinistro infra brachium dextrum stolæ instar reflexam & strictam gerebat: nec resumebat nisi peracta communione. Hinc origo ritus illius qui perseverat etiamnum pluribus in Ecclesiis, ut diebus Quadragesimæ & ieiunii, quibus non pauca antiquitatis vestigia retenta sunt, Diaconus & Subdiaconus utantur planetis plicatis ante pectus. Quam planetam deponit Diaconus ante lectionem Evangelii, eam non nisi post communionem resumpturus; cuius loco (quod ævi recentioris esse notat Cardinalis Bona) stolam latiorem accipit (N). Extant etiamnum in Galliis Ecclesiæ complures, in quibus ex veteri ritu Diaconus, diebus maxime Quadragesimæ, casulam complicatam super humerum sinistrum reflectit & stringit iufra brachium dextrum: tales sunt Ecclesiæ Rhemensis, Rothomagensis, Senonensis, Narbonensis, Tullensis, &c. In Parisiensi Ecclesia Diaconus & Subdiaconus utuntur planetis transversis, quod ex veteri illo ritu sumpsit originem.

De Rub. Liturg. lib. 1. num. 8.

Forte ex veteri illa planetarum forma factum est quoque, ut in Presbyterorum ordinatione Pontifex tradat singulis Presbyteris casulam complicatam super humeros, & a parte anteriori deorsum pendentem, ut nimirum brachia habeant expedita ad celebrandum cum Pontifice Missam, cuius post communionem explicat ipsis Pontifex casulam, induitque illos tota veste.

Veterem hanc casularum formam retinent etiamnum Græci. Latini ad vitandum incommodum, eam paullatim a lateribus scindere & decurtare cœperunt, donec ad formam qua hodie utimur redactæ sunt; quod quidem sine ullo Pontificum, aut Synodorum decreto factum est. Ante annos sexaginta casulæ ex lateribus adhuc ultra cubitum protendebantur (O). Veteres illæ casulæ, quæ totum hominem ambiebant,

(N) Ioan. Bona S. R. E. Card. *ubi supra n.* 8 .... Quia vero planeta totum olim involvebat (corpus).... hinc etiam permansit usus, quem pauci fortassis intelligunt, ut in Quadragesima aliisque diebus ieiuniorum, quibus Ministri utuntur planetis, complicatæ sint a parte anteriori, quod olim propter earum amplitudinem necessarium erat, ut expediti essent ad ministrandum: sicque paullatim introductum est, ut Diaconus, cuius in Missa potissimum est ministerium, planetam exuat, eiusque loco stolam latiorem accipiat: quod ævi recentioris est, nam Ordo Romanus non exui planetam, sed elevari mandat: *Et Diaconi*, inquit, *levant planetas in scapulas*. Usum vero duplicis stolæ, ut ostendimus cum de stola ageremus, antiqui Canones non permittebant.

(O) Ioan. Bona S. R. E. Card. *ubi supra*, *num.* 8.... Hodie Græcorum casulæ eiusdem etiam formæ sunt ac veteres. Latini vero ad vitandum incommodum ex amplitudine & protensione totum corpus cum brachiis circumcludente proveniens, eas paullatim a lateribus scindere & decurtare cœperunt, donec ad

videbantur expressius significare caritatem, quæ cum ceteras virtutes in se contineat, debet in Sacerdote maxime eminere, adeout ipse totus caritas sit.

Sandaliis & caligis, quibus nunc soli utuntur Episcopi, olim Presbyteri ceterique Ministri utebantur in sacro ministerio. His admoneri Episcopos nil vetat quod ait Apostolus, ut *calceatos* habeant *pedes in præparatione Evangelii pacis*. (Ephes. VI. 15.)

Tunicæ & Dalmaticæ antiquissimus usus. His vestibus olim & laici in usu quotidiano primum, deinde in sollemnibus ceremoniis induebantur; cuius rei multa etiamnum exstant vestigia. Iampridem illæ numerantur inter indumenta Pontificalia, quibus varias virtutes designari iam diximus. His autem indumentis superponitur casula, symbolum caritatis, quæ reliquas omnes virtutes in se complectitur. (Huius part. sect. 1. cap. 7. §. 13.)

Pallium, quod a summo Pontifice mittitur ad Metropolitanos, designat plenitudinem potestatis Archiepiscopalis. De huius antiquitate & usu multi multa scripsere, quæ brevitatis caussa prætermittimus (P).

I. Edissere nobis capparum seu pluvialium, ut vocant, originem?

R. Veteres olim, si forte plu-

---

formam qua hodie utimur redactæ sunt. In opere musivo, quod olim erat in Basilica Lateranensi, cuius ectypon exstat in Museo Barberino, postea typis cusum a Cæsare Raspono nunc S. R. E. Cardinali *lib.* 1. *de Basilica Lateranensi*, *cap.* 14. expressa est effigies Ioannis XII. Papæ, quem Ministri induunt planeta ex utroque latere aperta, & tam in parte anteriori quam in posteriori in acumen desinente, & ultra cubitum protensa, quam certe non erat necessarium in utroque brachio duplicare, aut triplicare, ut Gemma animæ ait. Factum autem fuit illud opus anno 960. Testatur Morinus *lib. de sacr. Ordinat. p.* 2. *in notis ad Græcorum ordinationes*, antiquæ formæ casulas ducentos circiter annos præ se ferentes in multis Ecclesiis asservari: ex quo testimonio & ex pictura supra relata, facile coniici potest, quo tempore huiusmodi scissio fieri cœperit, & quomodo sensim propagata fuerit; quam nullo Pontificum seu Synodorum Decreto stabilitam invenio.

M. Bocquillot. *Traité histor. de la Liturg. lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 162. Post ea quæ de antiqua casulæ forma diximus, facile visu est fieri non potuisse quin complicaretur. Hæc nempe difficultas verosimiliter in caussa fuit, ut de decurtanda ad latera casula Presbyterorum, deque tunicis Diaconis & Subdiaconis dandis cogitaretur, ut brachia ad functiones suas promptiora essent, minusque impedita. Statim itaque casulæ fieri cœptæ sunt breviores ad latera quam ante & retro, cumque commodiores, minorisque impendii apparerent, eas in dies magis decurtandi mos ita crevit, ut eo tandem ventum sit quo nunc eas videmus ab antiquarum casularum forma omnino dissimiles.

(P) *De Pallio & eius usu vide* R. P. Thomassin. *lib.* de veteri & nova Eccles. disciplin. *lib.* 2. *cap.* 53. *& seq. Dom.* Theodor. Ruinart. *Monach. Bened. e Cong. S. Mauri opus posthumum* de Pallio, *tom.* 2. Collect. operum D. Io. Mabillon & D. Theod. Ruinart. Nicol. de Bralion. *Congr. Orat. D. I. Sacerd.* Pallium Archiep. in 8. 1648. &c.

Pontif. Rom. *tit. de Pallio*, *pag.* 28. Tradimus tibi pallium de corpore B. Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officii cum Patriarchalis (*vel*) Archiepiscopalis nominis appellatione.

Ioan. Bona S. R. E. Card. *ubi supra*, *num.* 16. Postremum Pontificale ornamentum est pallium, quod solis Patriarchis & Archiepiscopis competit. Est autem pallium fascia lanea candida tribus circiter digitis lata, & in modum circuli contexta, quæ super humeros imponitur.

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. 17.

ex quo circulo alia similis fascia ante pectas, alia deorsum ex opposito pendet, duæ super humeros demittuntur: quæ fasciæ purpureis crucibus sunt insignitæ. Ipsum autem pallium tribus aciculis sive spinulis aureis alligatur. Fit ex lana agnorum candidorum sine macula, qui in die sanctæ Agnetis in eiusdem Ecclesia via Nomentana singulis annis offerri ad Missam sollemnem & benedici solent, ac Subdiaconis Apostolicis consignari, & in aliquo monasterio Sanctimonialium nutriri, donec veniat tempus ipsos tondendi. Ex quorum lana texuntur pallia, quæ in basilicam Vaticanam delata super corpora sanctorum Apostolorum Petri & Paulli ponuntur in vigilia natalis ipsorum, ibique tota nocte dimittuntur, ac die sequenti deputatis custodienda traduntur. Pallio semper & ubique utitur Romanus Pontifex, cuius est super omnes Ecclesias summum ius ac plenaria potestas. Reliqui eo uti non possunt, nisi intra Ecclesiam certis quibusdam & designatis diebus, cum Missarum sollemnia celebrant, idque ex antiqua consuetudine, quam indicat Gregorius Magnus *lib.* 2. *Epist.* 54. Ioanni Archiepiscopo Ravennati sic scribens, *Illud, Frater carissime, tibi non putavimus ignotum, quod pene de nullo Metropolitano in quibuslibet mundi partibus sit auditum, extra Missarum tempus usum sibi pallii vendicasse*: & *lib.* 4. *Epist.* 50. Vigilio Arelatensi, *Pallium*, inquit, *transmisimus, quo Fraternitas tua intra Ecclesiam ad sola Missarum sollemnia utatur*. Idem statutum fuit in Synodo Romana sub Ioanne VIII. edita ab Holstenio cap. 3. *Quicumque Metropolitanorum per plateas vel in Litaniis uti pallio presumpserit, & non tantum in præcipuis Festivitatibus, & ab Apostolica Sede indictis temporibus, ad Missarum solummodo sollemnia, careat illo honore*. Si tamen verum est quod Flodoardus scribit in historia Remensis Ecclesiæ lib. 3. cap. 10. *Hincmarus*, eius Ecclesiæ Archiepiscopus, *pro suæ sanctitatis ac sapientiæ reverentia, per interventionem Lotharii Imperatoris pallium ad quotidianum suscepit usum a quarto Leone Papa, a quo iam aliud perceperat in designatis sibi sollemnitatibus debite fruendum. Quem quotidianum pallii usum nulli umquam Archiepiscopo se concessisse, vel deinceps concessurum esse, idem Papa in Epistola tunc ad eum directa testatur*. Sed commentitiam esse huiusmodi concessionem ex Epistola 47. Nicolai I. ad ipsum Hincmarum, & ex eiusdem ad Nicolaum responsione manifestum fit. Cum enim memoratus Pontifex sibi valde displicere scripsisset, quod ille pallio uteretur ultra dies sibi ab Apostolica sede indultos respondet Hincmarus *tom.* 2. *editionis Sirmundi circa finem Epist.* 26. his verbis: *Postremo de pallio a mea presumptione non certis temporibus & iuxta morem aliis Metropolitanis definitis uso, unde vestra Sanctitatis auribus intimatum esse indignitati mea scripsisti, auctoritati vestra veraciter fateor, quod & in istis regionibus per alios, si vobis placuerit, rescire valebitis, quia nisi in die natalis Dominici, & in die sancta Resurrectionis eius, vix in toto anno eodem pallio utor*. Falsa igitur est Flodoardi narratio ipsomet Hincmaro teste, qui oppositam sibi usurpationem facile potuisset diluere prolato Leonis privilegio, si extitisset. Concessum tamen Brunoni Coloniensi ab Agapito II. ut eo præter consuetudinem uteretur, quoties vellet, scribit Rogerus Monachus in eius vita *cap.* 23 *apud Surium die* 11. *Octobris*. Milo quoque in vita S. Lanfranci Cantuariensis *cap.* 11. refert Alexandrum II. duo pallia illi dedisse, unum quod de altari Romano more accepit: alterum, quod sua manu ei porrexit, cum quo Missam celebrare solebat, in indicium sui amoris. Posset etiam pro usu quotidiano pallii afferri *Can.* 6. Concilii I. Matisconensis, quod anno 582. celebratum fuit, quo præcipitur ut Archiepiscopus sine pallio Missas dicere non præsumat, nulla facta dierum sollemnium & non sollemnium distinctione. Sed tunc forsitan non iidem erant mores, cum præsertim eo tempore solus Arelatensis in Gallia usu pallii potiretur vel certe explicandus est canon non de quotidiana, sed de sollemni dumtaxat celebratione... Ceterum non omnibus Archiepiscopis hunc honorem tributum, sed iis solummodo qui inter ipsos præcipui erant, nemo ignorat, qui in veteri historia versatus sit. Nam in Gallia nemini mittebatur, nisi soli Arelatensi, de qua re exstant Epistolæ Vigilii ad Auxanium, Pelagii I. ad Sapaudum, & Gregori Magni ad Childeber-

Digitized by Google

viis ingruentibus, ex una Ecclesia in aliam ad stationem procederent, palliis humeros tegebant: his porro assutum erat caputium ex eodem panno, ad caput obtegendum. At sequentibus seculis cum non ex simplici panno, sed pretiosioribus hæc pallia conficerentur, & eorum caputia (Gallice *Orfrois*) ut & ora vestimenti variis ex auro aut argento acupictis floribus, aut aliis imaginibus decorarentur, nec iam protegendo adversus pluvias corpori aut capiti apta essent, in ornamentum transiere; neque ut antea ingruente pluvia, sed sereno tantum cælo, seu potius in ipsis basilicis ad sollemniora solum celebriorum sol-

---

tum regem Francorum *lib.* 4. *Epist.* 53. In Hispania soli Hispalensi, in Dalmatia Salonitano, in Italia Ravennati, in Sicilia Syracusano, in Sardinia Caralitano, ut ex Epistolis Gregorii liquet: sive hoc fieret intuitu Ecclesiarum seu civitatum præ ceteris eminentium: sive ob vicariatum Apostolicæ sedis illis Archiepiscopis tributum; quo titulo constat pallio item a summis Pontificibus insignitos fuisse Archiepiscopos Corinthi, Thessalonicæ, & primæ Iustinianæ. De S. Malachia hæc narrat Bernardus *vita ipsius cap.* 15. visum sibi Romam proficisci, quia Metropoliticæ sedi deerat adhuc, & defuerat ab initio pallii usus, quod est plenitudo honoris. Concessum postea fuit omnibus Archiepiscopis, ut hoc ornamento ab Episcopis distinguerentur. Nonnullos quoque Episcopos interdum hoc honore affecerunt Romani Pontifices, vel intuitu meritorum, vel alia iusta de caussa. A Marco Papa, qui obiit anno 336. concessum Ostiensi Episcopo refert Anastasius: Siagrio Episcopo Augustodunensi a Gregorio Magno, cuius exstat hac de re ad illum Epistola 114. *lib.* 7. Actardo Nannetensi ab Adriano II. ut ipse testatus est in Epistola ad eum directa, his verbis: *Decus tibi pallii solo miserationis affectu contulimus, ut habeas pro exilio & catena pallii ornamenta, non ad Ecclesiæ cui incardinandus es perpetuum institutum, sed ad tuum specialem certique temporis usum*. Idem privilegium habuit Theodulphus Aurelianensis de quo ipse sic cecinit:

Solius illud opus Romani Pontificis exstat.
Cuius ego accepi pallia sancta manu.

.... Ipsum quoque pallium, ut de ceteris sileam, Gregorius VII. Brunoni Veronensi *lib.* 1. *Epist.* 24. pollicitus est, si Romam iret: *Quia*, inquit, *antecessorum nostrorum decrevit auctoritas, nisi præsenti personæ pallium non esse concedendum*. Nunc eo utuntur perpetuo privilegio Episcopi Lucensis & Ticinensis in Italia, & Bambergensis in Germania. Origo eius in utraque Ecclesia Orientis & Occidentis antiquissima est... Græci *omophorion* & *epomadion* vocant, ut Theodorus Balsamon docet *in respons. ad* 11. *quæst. Marci Alexandrini*. Differentia tamen ingens est inter pallium Latinorum, & Græcorum omophorion, sive humerale, ut Latini interpretes vertunt: nam Latinum iam supra descripsimus; Græcorum vero est longa fascia eiusdem cum Latino aut paullo maioris latitudinis, collum primitus involvens, tum a collo per medium pectus infra genua descendens, crucibus itidem intertexta. Olim usque ad pedes protendebatur; nam Zonaras *in vita Constantini Copronymi* ait Anastasium insistentem vestigiis Germani Patriarchæ omophorion eius calcasse ut sic eum moneret ne properaret. Aliud etiam discrimen inter utrumque reperitur, quod Latinum solis Archiepiscopis tribuitur, Græcum omnibus Episcopis commune est, qui illud deponunt cum Evangelium legendum est, & reassumunt paullo ante communionem, ut docet Simeon Thessalonicensis *lib. de templo, & Missa*. Plura de pallio Franciscus Florens *ad tit. Decretal. de usu & auctoritate pallii*: & de omophorio Græcorum Goar *in notis ad Euch

olog. pag.* 312. *num.* 8. Habertus *ad partem secund. Liturgiæ Ordinum, observ.* 3. & Morinus *de sacris Ordinat. p.* 3 *in notis ad Græc. Ordinat. num.* 19. ubi late ostendit inter pallium Latinorum & Græcorum omophorion magnum discrimen intercedere.

lemnitatum officia, his indui solent Ministri altaris, Cantores, & alii (Q).

De ceteris indumentis Pontificalibus iam egimus, ubi de consecratione Episcoporum (R).

§. 18. *Quibus diebus & horis celebrari Missæ sacrificium oporteat.*

I. Quibus diebus Missæ sacrificium offerendum est?

R. 1. Certum est institutum a Christo fuisse sacrificium, ut ad consummationem usque seculorum celebraretur (A).

2. Verisimillimum est in Ecclesia Ierosolymitana post acceptum in sollemni Pentecostes die Spiritum sanctum, quotidie celebratum ab Apostolis sacrificium fuisse. Sic enim loquitur S. Lucas c. 2. Actuum. Quo- *Act. 11. 46.*

(Q) Ioan. Bona S. R. E. Card. *ubi supra, num.* 17.... Ordo Romanus agens de ordine Processionis, quando Episcopus celebraturus est: *Duo*, inquit, *Presbyteri ita ut ad Missam, excepto quod cappis induti sunt, vestiti ministrent ei*. Est autem cappa, prout sumitur hoc loco, vestis Ecclesiastica a sola parte anteriori aperta, ab humeris usque ad pedes protensa, quam recentiores pluviale vocant, quia olim pluviæ tempore sumebatur, ut Ferrarius *lib.* 1. *de re vestiaria, cap.* 39. suspicatur. Et hinc forte emanavit, ut a parte posteriori capitis tegumentum assutum haberet, quod caputium vocamus, cuius quædam forma seu vestigium in hodiernis pluvialibus remansit. Silent de hoc indumento veteres rerum Ecclesiasticarum Scriptores; eius tamen usum antiquitus viguisse Ordo Romanus evincit, cui suffragantur Lanfrancus *Epist.* 13. *ad Ioannem Normanorum Archiepiscopum*, & alii quos refert Saussaius *prima part. Panopliæ Sacerdotal. lib.* 7. *cap.* 5. Guillelmum Anglorum regem sancto Hugoni Abbati Cluniacensi misisse cappam pene auream totam, narrat Auctor miraculorum eius, in qua vix nisi aurum apparebat, vel margaritarum & gemmarum textus; inferius autem undique tintinnabula resonantia, ipsaque aurea, pendebant. Latius post annum millesimum extensa est cappæ significatio ad plures vestes sacras & profanas, ut ex glossariis patet. Cappa pro quotidiana Monachi veste utitur Gaufridus Abbas in vita sancti Petri Tarantasien. *cap.* 27. *Tolle tibi cappam hanc manicatam*: loquitur autem de cuculla Monachali. Pro veste communi secularium Cæsarius Cisterciensis lib. 1. Dialog. cap. 38. *Videntes illam cappa trita atque vetusta indutum, estimantes eum scholarem pauperem & vagum, suscipere renuerunt*. Pro habitu summi Pontificis Petrus Damiani lib. 1. Epist. 2. ad Cadolaum antipapam: *Habes iuxta morem Romani Pontificis rubeam cappam*. Sunt & cappæ Episcoporum & Canonicorum, quibus induti Choro intersunt, de quibus non est hic locus disserendi.

Octav. Ferrarius *lib.* 1. *de re vestiaria cap.* 39. Sed quid pænulam in sacris fuisse dicemus, cuius mentio in actis Concilii Ephesini, si ea non fuit planeta? *Misimus tunicam candidam & pænulam castaneam*. Ubi in Græco, ut notat Baronius, φαινόλιον. Ea etiam vestis sacra fuit, quæ licet aperta & fibula nexa, tamen totum hominem cooperiebat. Hæc vulgi voce *pluviale* dicitur, forte quia ut pænola olim pluviæ tempore sumebatur, eiusque usus in supplicationibus & vespertinis precibus. Eaque omnino a casula, sive planeta distincta, ut propterea non recte quidam φαινόλιον casulam interpretati sunt, cum pænulam debuissent. Quamquam ex eo quod totum hominem involvat, licet aperta, etiam casula improprie dici potest...

(R) *Sect.* 1. *huiusce part. cap.* 7. §. 13. *de his fusius loquuti sumus. Porro vestium sacrarum mysticas significationes tradit* Gavantus *part.* 2. *tit.* 1. *num.* 3. 4. 5. *&* 6. *Hunc adeat Lector harum rerum studiosus, nobis quippe ad maiora properantibus his immorari haud licet*.

(A) 1. Cor. xi. 23... Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite quotiescumque bi-

Digitized by Google

TIDIE *perdurantes unanimiter in templo, & FRANGENTES CIRCA DOMOS PANEM, sumebant cibum cum exultatione*. Paullo superius dixerat: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & COMMUNICATIONE FRACTIONIS PANIS, & orationibus*. Non obscure intelligitur ibi per FRACTIONEM PANIS sacrosanctum Missæ sacrificium designari, adeoque verosimillimum est his verbis innuere S. Lucam, sacrosanctum Missæ sacrificium oblatum quotidie per domos fuisse ab Apostolis.

Ibid. 42.

3. Constat certissima traditione, cuius exstant plura in Scripturis vestigia (B), singulis Dominicis fideles convenisse semper ad sacrificii celebrationem. Idem dicendum de Festis diebus, quorum multa ex Apostolica traditione observari iam supra probavimus.

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. 18.

4. Quod spectat ad profestos dies, varia fuit ea de re variarum Ecclesiarum disciplina. *Alii*, inquit S. Augustinus, *quotidie communicant corpori & sanguini Domini, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies prætermittitur quo non offeratur, alibi sabbato tantum & Dominico: totum hoc genus rerum liberas habet observationes*. Olim in Ecclesia Romana, itemque in Alexandrina agebatur quotidie Missa, vel saltem fiebat communio. Rarius agebatur in Ecclesiis Orientalibus, quamquam non deerant quoque, qui ibi quotidie celebrarent, ut probat Cardinalis Bona (C). Is est etiamnum Orientalis Ecclesiæ ritus, ut per

§. 1. cap. 2. *Sect. 4. P. 2. ubi egimus de 1. Ecclesiæ præcepto, & cap. 5 in quo de 4. Eccles. præcepto, Epist. 54. alias 118. ad Ianuar. c. 2. n. 2.*

betis, IN MEAM COMMEMORATIONEM. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat.

(B) Act. xx 6. Nos vero navigavimus post dies azymorum a Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus quinque, ubi demorati sumus diebus septem. Una autem sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem, Paullus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem. Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo ubi eramus congregati.... Ascendens autem, frangensque panem, & gustans, satisque alloquutus usque in lucem, sic profectus est.

(C) IOAN. BONA S. R. E. Card. *Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 14. Vide supra §. 14. huiusce cap. litt.* (F) *& §. 16. litt.* (K)

Cap. 18. n. 4. Extra controversiam est semper licuisse quacumque die sacrificium offerre, paucis dumtaxat exceptis quibus id nominatim vetitum fuit, quales sunt in Ecclesia Orientali dies Quadragesimæ, quibus præsanctificatis utuntur, & in Ecclesia Romana feria sexta & sabbatum maioris hebdomadæ, in Ecclesia autem Mediolanensi omnes feriæ sextæ Quadragesimæ.

Testimonia veterum Patrum de usu quotidiani sacrificii quædam attuli supra *cap.* 14 cum de Missis privatis agerem, quibus alia hic superaddam, ut privatæ oblationis laudabilis consuetudo firmius stabiliatur. Tertullianus de ieiun. cap. 14. *Nobis certe omnis dies etiam vulgata consecratione celebratur.* Andreas Apostolus se quotidie hostiam incruentam immolasse testatus est, ut acta eius referunt a Presbyteris Achaiæ conscripta. Cyprianus Epist. 54. ad Cornelium: *Episcopatus nostri honor grandis & gloria est panem dedisse Martyribus, ut Sacerdotes qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas præparemus*. Basilium Magnum quotidie sacris operatum scribit Amphilochius in eius vita: idemque Baronius de S. Ambrosio asseverat. Chrysostomus *hom. 60. ad pop. Antioch.* Deum ait nobis sua beneficia per singulos dies quodammodo per hæc mysteria alligare, non annuatim sicut olim Hebræis. Et *hom. sequenti* Dominum per singulos dies venire inquit, ut videat in sacra mensa discumbentes. In-

Quadragesimam sabbato solum & die Dominica sacrificium celebretur. Non celebratur umquam in Ecclesia Mediolanensi feriis sextis Quadragesimæ. In reliquis Ecclesiis Occidentalibus nunc quotidie celebratur, si feriam sextam maioris hebdomadæ excipias. Is plerorumque Monasteriorum Occidentis ritus olim fuit, ut non nisi Dominicis & Festis diebus Missas agerent: qui ritus perseveravit diutius apud Carthusienses. In hoc suum quisque teneat morem, videatque ne ceteros temere reprehendat. Id unum sanctissime observandum ex Apostolica traditione, ut Dominicis & Festis diebus sacrificium celebretur. A qua traditione certissime desciverunt Protestantes, qui suam cœnam Eucharisticam quater solum in anno celebrant, præter omnium omnino Ecclesiarum & seculorum morem. Illi temere iactitant firmiter adhærere se Scripturarum auctoritati. Mirum, quam turpiter aberrent ab earum vestigiis, tum in hoc, tum in aliis multis, ne dicam in omnibus, in quibus alie-

---

nocentius I. *Epist. ad Exuperium Episcopum Tolosanum*, ideo a Sacerdotibus servandam pudicitiam docet, quia non præterit dies, qua a sacrificiis divinis vacant. Petrus Chrysologus serm. 5. loquens de Christo, *Hic est vitulus*, ait, *qui in epulum nostrum quotidie ac iugiter immolatur*. S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum quotidie Missam celebrasse refert Serarius *lib. 3. rerum Mogunt. notat. 12. in eius vitam*, ex quodam fragmento S. Ludgeri. Gregorius Turon. *Lib. 1. de gl. confess. c.* 22. calicem & patenam vocat ministerium quotidianum. In veteri Missa edita ab Illyrico, Sacerdos post communionem Deum orat, ne ad damnationem sibi proveniat, quod corpus & sanguinem Christi quotidie audet accipere. Ne vero deessent diebus singulis propriæ Missæ, Alcuinus Caroli Magni Magister, rogatu S. Bonifacii Archiepiscopi, Missam composuit de Trinitate pro die Dominica, pro feria II. de Sapientia, pro feria III. de Spiritu sancto, pro feria IV. de caritate, pro feria V. de Angelis, pro feria VI. de Cruce, pro sabbato de S. Maria. *Et hoc ideo*, teste Micrologo cap. 60. *ut Presbyteri illius temporis nuper ad fidem conversi, nondum Ecclesiasticis officiis instructi, nondum etiam librorum copia præditi, vel aliquid haberent cum quo officium suum qualibet die possent explere. Unde & adhuc quidam easdem orationes quotidie, etiam cum proprio abundent officio, nolunt prætermittere. In singulis quoque hebdomadibus sexta feria de cruce, sabbato de S. Maria pene usquequaque servatur, non tam ex auctoritate, quam ex devotione....* Exstat de Missis quotidianis Concilii primi Toletani sub Anastasio Papa hoc decretum cap. 5. *Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus Clericus, si intra civitatem, vel in loco in quo Ecclesia est, aut castello, aut vico, aut villa, ad Ecclesiam ad sacrificium quotidianum non accesserit, clericus non habeatur*. At hic canon ad Missam sollemnem pertinet, quandoquidem iubet omnes Ecclesiasticos ordines ad eam convenire. Ex hoc autem infertur, eam quotidie in Ecclesia Toletana initio quinti seculi actam fuisse, quod teste Augustino supra citato alicubi ipso vivente servabatur... Quo vero tempore sacrum quotidianum atque sollemne ubique cœperit frequentari, non liquet: ex antiquis autem Sacramentorum libris, & ex ritualibus Monachorum manifestum est octavo seculo hunc ritum in omni fere regione receptum, ut non solum diebus Dominicis, & festivis, ac in diebus stationum, sive in pervigilio maiorum festivitatum sollemnis Missa celebraretur, sicut Apostolica traditio, primique & secundi seculi usus ferebat; sed singulis etiam diebus, sola feria VI. ante Pascha excepta: qui mos hodie in omnibus Ecclesiis collegiatis & conventualibus exactissime observatur.

Cetera vide apud Auctorem, apud quem multa scitu dignissima reperies.

ni sunt ab Eccleſiæ fide & moribus. (Id facile intelligi poteſt vel ex ſola huius operis lectione: quod ut ſerio meditentur, quotquot ex iis aliquo veritatis indagandæ ſtudio ducuntur, oro eos & obteſtor per viſcera miſericordiæ Dei & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, ſi quam habent æternæ ſalutis ſuæ rationem.)

I. Fuitne veteri in more poſitum, ut plures in eadem Eccleſia quotidie, ut nunc fit, Miſſæ agerentur?

§. 16. huiusce cap. *R.* Iam a nobis obſervatum fuit, apud Orientales unum eſſe in ſingulis Eccleſiis altare; nec iterari umquam ſacrificium una die in eodem altari. Quem ritum in Eccleſia Orientali antiquiſſimum eſſe conſtat.

In Eccleſia Occidentali mos invaluit iampridem plures in eadem Eccleſia Miſſas agendi, ſive in eodem altari, ſive in variis altaribus. Quin & idem Sacerdos ſæpe plures in die Miſſas olim celebrabat, ut fit etiamnum apud nos in ſollemnitate Natalis Domini. Sed ut ſinguli Sacerdotes diebus ſaltem Dominicis & feſtis ſuam quique Miſſam ſeorſum agerent, non erat olim frequenti in uſu poſitum. Simul omnes ad ſollemne Sacrificium conveniebant, offerebantque illud una cum Epiſcopo, vel alio Sacerdote. Quod fit etiamnum diebus ſollemnioribus multis in Eccleſiis Galliarum: cuius rei veſtigium exſtat in Ordinationibus Epiſcoporum, & Presbyterorum, in quibus, ut norunt omnes, novi Epiſcopi, vel Presbyteri celebrant ſimul cum Epiſcopo conſecrante.

Ut ſuum quiſque Sacerdos ſacrificium diebus etiam Dominicis offerret, iampridem uſus obtinuit: quod quidem ſenſim factum eſt, vel ut fidelium devotioni variiſque fundationibus ſatisfieret, vel aliis de cauſſis. Hæc non ad fidem pertinent, ſed ad diſciplinam, mutationi utique obnoxiam, & Paſtorum arbitrio relictam (D).

(D) Constit. Apost. *Vide ſupra huiusce cap* §. 14. *litt.* (B) *&* S. Iustin. *Apol.* 2. *ibid. litt* A)

Appendix I. Ordin. Rom. *apud* Mabillon. *Tom.* 2. *Muſei Italici*. Simul cum illo (Epiſcopo Presbyteri) Canonem dicunt; & ſimul conſecrant corpus & ſanguinem Domini.

Amalar. *De div. Officiis lib.* 1. *cap.* 11. Mos eſt Romanæ Eccleſiæ, ut in confectione immolationis Chriſti adſint Presbyteri, & ſimul cum Pontifice verbis & manibus conficiant.

Pontif. ms. Eccles. Rothom. *apud Domn.* Hugon. Menard. *Not. in Sacram.* . Gregorii *p.* 80. *&* 21. Simul cum Pontifice verbis & manibus conficiunt

M. Bocquillot, *Traité hiſtorique de la Liturgie liv.* 2. *chap.* 1. Evidens eſt, legis novæ ſacrificium ideo inſtitutum eſſe ut offerretur palam in cœtu fidelium, aliis quidem offerentibus, aliis vero communicantibus. Cum Dominus noſter Ieſus Chriſtus illud inſtituit, aderant Apoſtoli, qui tunc totam Eccleſiam repræſentabant, omneſque de eo participaſunt. Divus Paullus ſcribens ad Corinthios id quod ab ipſo Ieſu Chriſto didicerat, quodque iam viva voce eos ante docuerat de hoc myſterio, publicum cœtum nobis ob oculos ponit. Quo vero modo Divus Iuſtinus reliquique veteres Eccleſiaſtici Auctores de Euchariſtia nobis verba faciunt? Nempe deſcribentes cleri & populi congreſſus, qui certis quibuſdam diebus de more indicebantur, ut omnes ad hoc celebrandum myſterium deque eo participaturi venirent. Nemo ex iis eſt qui aliter ſentiat; ſi quis verſo eſt, veluti Divus Cyprianus, qui de myſteriis in carcere celebratis verba habeat, id neceſſitati tribuendum eſt. Adde quod Martyres & Confeſſores in carceribus ob fidem detenti pro illuſtribus

Pars III Sect. II. Ca . VII. §. 18.

§. 9. huiusce cap & alibi.

I. Quæ erat olim hora præstituta Sacrificii celebrationi?

R. Vespere institutum esse Sacrificium a Christo feria quinta post cœnam iam diximus (E).

Probabile est ad hunc modum oblatum quandoque fuisse Sacrificium ab Apostolis peracta cœna communi. Certum est tamen id ab Apostolis deinde ob maiorem sacrificii reverentiam observatum, & traditione relictum, ut non nisi a ieiunis offerretur, nec fieret communio post cœnam. Quod quidem sanctissime observatum fuit deinceps ab universa Ecclesia (F). Ab ea tamen lege

---

Ecclesiasticis cœtibus reputabantur, omnesque procul dubio participabant de sanctis mysteriis, quæ ipsorum caussa offerebantur. Cœtus itaqoe publicus & sollemnis in uno tantum loco habebatur, quia tempori & loco serviendum erat. Ex interrogationibus Sanctorum Saturnini & Dativi &c videmus, fideles, etiam cum persequutio magis grassaretur, ob Eucharistiam in unum coire solitos aliquando etiam ex improviso deprehensos & in carcerem trusos fuisse; interrogatosque, cur posthabitis Imperatorum inhibitionibus coire voluissent, respondisse, huic officio deesse nullo modo posse. Augustum itaque hoc sacrificium actionis publicæ & sollemnis loco ipsis erat, quæ coram omnibus fidelibus fieri debebat, qui de ea participare debebant.... Cardinalis Bona opinatus est, Ordines mendicantium, & fundationes, quæ ipsorum Ecclesiis superadditæ sunt, mutationi antiquæ consuetudinis præcipuam occasionem dedisse.... Verum mihi videtur mutatio hæc iam inducta in omnibus fere nostris Ecclesiis ante Mendicantes, nec non fundationum multitudinem, quæ circa eadem tempora originem habuere... Cum Missarum privatarum consuetodo cœpit esse communis, vel ob peculiarem Presbyterorum pietatem, vel ob Populi devotionem, qui eas enixe postulabat, quamplurimi Presbyteri non minus Dominicis & festis diebus, quam reliquis, Missas privatim celebrare, & sacris operari voluerunt.

Cap. 4. Extra omnem dubitationis aleam positum est, primis Ecclesiæ seculis unicum tantummodo altare in quolibet Templo fuisse, unicaque tantum vice per singulos dies Missam celebratam fuisse. Presbyteri & reliquus Clerus aderant & communicabant in ea Missa simul cum populo, vel Episcopus illam, vel Presbyterorum senior Episcopo absente eam celebraret... Intermissis persequutionibus, fideliumque multitudine maxime aucta, plures in magnis Urbibus Ecclesias ædificare non fuit satis, in quibus Presbyter cum Clero hisce Ecclesiis dedito sacris operaretur: verum necesse fuit in maioribus festis sancta mysteria reiterare, ut devotioni fidelium satisfieret, quos Ecclesiæ, licet spatiosæ & plures, continere eodem tempore omnes nequaquam poterant. Græci tamen se minime moveri hac ratione passi sunt, usumque unius tantum Missæ per diem in singulis Ecclesiis mordicus servarunt.

(E) 1. Cor. xi. 25. Similiter & calicem postquam cœnavit, dicens: Hic calix, &c

(F) S. Aug. *Epist.* 54. *alias* 118. *ad Ianuar.* Tertull. *lib.* 2. *ad uxorem cap.* 5. S Cyprian. *Epist* 63. *&c. Vide superius huiusce partis sect.* 1. *cap.* 4 §. 7. *litt* (F)

S. Basil. *Orat.* 1. *de Ieiunio. Num.* 6. Ieiunium perficit Sacerdotem: neque enim fieri potest, ut absque ieiunio audeat ad sanctum ministerium accedere,. non tantum in mystico horum temporum veroque cultu, verum etiam in eo qoi iuxta legem in figuris peragebatur.

S. Gregor. Nazianz. *Orat. Quadrag. num.* 41. Tactu purgemur, gustu, faucibus, non molliter tangentes, nec rebus lævibus & politis gaudentes, sed Verbum, salutis nostræ caossa incarnatum, ut decet, attrectantes, ac Thomam hac in re imitantes: nec succis cupediisque titillati, acriorum titillationum fratribus, sed gustantes & agnoscentes, quoniam suavis est Dominus, præstantior gustus, atque in sempiter-

pluribus in Ecclesiis excepta dudum fuit feria quinta in cœna Domini, in qua propter anniversariam institutionis huius Sacrificii celebrationem, exemplo Christi, post cœnam sacrificium offerri mos erat (G). Nonnullis quoque in Ecclesiis mos ille dudum invaluit, ut si deferendum esset sacrosanctum corporis Christi viaticum ad ægrotum in extremis agentem, nec servata fuisset Eucharistia, Sacrificium offerretur vespere etiam a Sacerdote non ieiuno, & qui mane iam sacrificium obtulisset (H). Sed iampridem usus isti sublati sunt; nec iam privatis Sacerdotibus licet eos ad praxim revocare.

PARS III. SECT. II. CAP VII.

§. 18. Ex hac servandi ante Sacrificii oblationem ieiunii lege factum est, ut pro varia hora solvendi ieiunii anticiparetur vel differretur oblatio sacrificii. Agebatur olim Missa sollemnis quotidie post tertiam, hoc est, hora post mediam noctem nona. Diebus ieiunii per annum non agebatur nisi post sextam, id est, circa meridiem; quia ieiunium non nisi hora diei nona solvebatur: tempore vero Quadragesimæ, post no-

---

num manens; nec denique acerbas illas & ingratas fauces, quæ id quod datur transmittunt, nec umquam retinent, paullum recreantes, sed divinis sermonibus, qui melle dulciores sunt, eas oblectantes.

(G) CONC. CARTHAG. III. *T.* III. *p.* 885. *ann.* 397. *can.* 29. *Conc. Labb.* Ut Sacramenta altaris non nisi a ieiunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur. Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, sive Episcoporum, seu Clericorum, seu ceterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt iam pransi inveniantur.

CONCIL. MATISCON. II *Tom* IX. *p.* 952. *ann.* 585. *can.* 6. *C. Labb.* Item decernimus, ut nullus Presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino, sacrificia contrectare, aut Missas privatis festisque diebus concelebrare præsumat. Iniustum est enim ut spiritali alimento corporale præponatur: sed si quis hoc attentare curaverit, dignitatem amittat honoris. Iam enim de tali caussa & in Conciliis Africanis definitum est. Quam definitionem nostro quoque dignum duximus sociare decreto: & ad locum: *ut sacramenta altaris non nisi a ieiunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur.*

CONCIL. AUTISSIODOR. *T.* IX. *p.* 914. *ann.* 578. *can.* 19. *C. Labb.* Non licet Presbytero, aut Diacono, aut Subdiacono, post acceptum cibum vel poculum Missas tractare; aut in Ecclesia dum Missæ dicuntur stare.

(H) BOCHEL. *Decret. Eccles. Gallic. lib.* I. *tit.* 6. *cap.* 59. *Ex* SYNOD. LINGONENS. *ann.* 1404. Potest bis in die Missam celebrare propter necessitatem infirmorum vel mortuorum: ut si non habetur hostia consecrata pro communicando infirmum, vel dum fieri debet sepultura alicuius defuncti.

Cap. 61. *ex* SYNOD LINGON. *ann.* 1452 Quia sunt nonnulli viri Ecclesiastici, quibus in die præter iuris ordinem non verentur celebrare, quæ dolenter referimus, cum vix iustus semel valeat celebrare, hæc de cetero fieri prohibemus sub pœnis iuris, & decem librarum Turonensium in eleemosynam nostram convertendarum, nisi in casibus a iure permissis, (scilicet in Synod. præcedenti.)

Cap. 62. *ex* SYNOD. LINGONENS. *ann.* 1445. Cum sufficere debeat regulariter unam Missam in die digne celebrare, valdeque sit felix, qui hoc facere potest, renovantes Constitutionem Domini Ludovici de Barro nostri prædecessoris (*ann.* 1404) inhibemus omnibus subditis nostris, ne aliquis eorum duas Missas celebrare in die præsumat, nisi in casibus a iure permissis latius in dicta Constitutione specificatis. *Id tamen vetuerat* CONC. CARTHAG. III. *ann.* 397. *in can.* 29. *litt. praced. allegato.*

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. VII. § 18.

nam diei horam, id est hora a meridie tertia; quia ieiunium non nisi vespere sole cadente solvebatur.

Cuius ritus etiamnum vestigium exstat apud nos in omnibus Ecclesiis in quibus celebratur Officium Canonicum. Agitur enim quotidie Missa post officium Tertiæ; in vigiliis autem & quatuor temporibus, post officium Sextæ; per Quadragesimam vero, post officium Nonæ. Sed anticipatam illorum Officiorum horam fuisse iam supra monuimus, ubi de ieiunio Quadragesimæ sermo fuit. 2. Part. sect. 4. c. 6. § 2.

Ad privatam autem Sacrificii oblationem quod spectat, id unum olim sancte fuit observatum, ut a Sacerdote ieiuno fieret, nulla habita horæ ratione. Iam id cautum est, ne ante diluculum vel post meridiem offeratur. In Diœcesi tamen Parisiensi licet diebus ieiunii paullo post meridiem celebrare: qui ritus ad antiquitatem videtur propius accedere. Non licet Parocho horam Missæ parochiali ceterisque sollemnibus Officiis præstitutam antevertere in gratiam virorum feminarumve nobilium, adeo ut vel ante vel post celebrentur; idque ne Toparchæ a Parochis exigant regiis Sanctionibus cautum est (I).

(I) *Edit. de* Charles IX. *art.* 3. *Videsis infra apud* D. Bocquillot.

M. Bocquillot, *Traité historique de la Liturgie Liv.* 2. *chap.* 6. Nullus omnino est ex Episcopis, qui suæ diœcesi mandata non det, eaque imprimi faciat, Missæque & Vesperarum in diebus festis horam non stabiliat. Nihil vero tali mandato est rationabilius.... Quod certe publicum bonum spectat, ut omnes & singuli, in quantum possibile est, Missam audire possint. Attamen non sine animi mœrore videmus, mandatum hoc adeo rectum atque utile omnino negligi in plerisque ruris Parœciis, quo fit ut multis Dominicis & Festis diebus nonnulli ex populo Missæ interesse non possint, quia vel citius, vel tardius ad Ecclesiam venirent. Id vero aliquibus in locis Dominorum vitio vertendum est, qui horarum Officii domini esse etiam volunt, præsertim si ipsis res sit cum ignavis Curatis, qui prandii capiendi ergo ipsis servilem in modum obtemperant. In aliis vero locis, immo vero in pluribus malum a solis Curatis proficiscitur... Mali huius origo, quoad Curatos, hinc est, quod paucissimi sunt ex iunioribus Presbyteris post anni moram e Seminario exeuntibus, qui se, adeo vani & indocti sunt; illius Parœciæ dominos non credant, cuius possessionem capiunt. Nihil ipsis magis familiare, quam hæc verba: Curatus est Dominus horarum Missæ, aliorumque Officiorum, & ad eum pertinet iubere, ut campana pulsetur ad vocandum populum. Verum falsissimum est, posse ipsum diebus Festis Missam & Vesperas celebrare qua hora libuerit. Sine peccato suorum Officiorum horam mutare nequit, nisi vera necessitas cogat; cum vero horam suorum Officiorum dico, eam intelligo, quæ ab Episcopi edicto statuta est, vel eam de qua ipsi cum populo in publico cœtu conventio facta esset: fieri siquidem potest, ut hora ab Edicto statuta quibusdam Parœciis minime conveniens sit, aliamque statuere necesse sit. Hocce casu horæ assignatio in cœtu publico fieri debet, Domino & populo consentientibus.

Hic abusus, quoad Dominos, ex eorum fastu originem trahit, quo ducuntur ut credant omnia sibi deberi; & a nobilium feminarum indolentia & tarditate quæ in multam diem dormiunt, neque satis comtæ sunt, dum Missæ hora est; & demum ab errore in quo versantur, dilationem horæ Missæ ius esse Dominis competens. Verum certissime falluntur: legant Edictum Caroli IX. Articulo tertio in hæc verba: *Expresse imperamus, ne Domini temporales, vel alius quicumque, inducant vel cogant Curatos vel Vicarios ad mutandas vel differendas horas, in quibus Divina officia fieri solita*

§. 19. *Quomodo interius affectos esse oporteat, & qua sanctitate & morum integritate præditos, qui Missæ sacrificium offerunt.*

I. Quæ debet esse Sacerdotis sanctitas, quæ interior affectio, ut sacrosanctum Sacrificium rite offerat?

R. Ea debet ad id muneris esse in Sacerdote sanctitas & interior affectio, quæ deceat eum virum qui Christi ipsius vices & personam gerit in augustissimo Religionis actu; qui totius Ecclesiæ vota Deo commendaturus est; qui *Ex hominibus* (Heb. v. 1.) *assumptus*, ut ait Apostolus, *pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*. Sanctos oportuit esse Sacerdotes in veteri lege, ut thymiamata ponerent in altari, panesque propositionis in mensa collocarent. (Lev. xxi. 6.) *Sacerdotes*, inquit Moyses, *sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius: incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt*. Quæ sanctitas ut expressius significaretur, nefas erat illis Sacerdotibus ingredi sanctuarium, (Exod xxx. 1. 20.) nisi manus &(ut multi Interpretes aiunt) pedes lavissent prius ad mare æneum, quod ideo positum erat in vestibulo sanctuarii. Quæ debet ergo esse sanctitas in eo qui Christum ipsum(Sanctum utique Sanctorum) præsentem sistit in altari, & offert & mystice immolat; & ad placandum Deum pro ceteris accedit, & ministerium exercet omni Angelorum ministerio excellentius & præstantius. Certe verendum non videtur ne hac in re verbis exaggerando peccemus; quidquid dixerimus de sanctitate quæ ad tantum officium in Sacerdote requiritur, non accedet ad rei veritatem. Meminerint porro eius se Sacerdotis summi gerere vices, de quo ait Apostolus: *Talis decebat ut* (Heb. vii. 26.) *nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus & excelsior cælis factus*.

Sanctus Deus cui offerunt: sanctus Sacerdos cuius vice offerunt: sancta Ecclesia cuius nomine offerunt: sanctificandus populus pro quo offerunt: sint ergo sancti qui offerunt.

Quia tamen hoc ministerium quantumcumque est exerceri in terris nequit nisi per homines, mortales utique adeoque peccatores, certum est hanc in Sacerdotibus sanctitatem non requiri ut sint ab omni prorsus labe peccati venialis immunes, alioqui sacerdotium exerceri posset a nemine. Sed ut rite sacrificium offerant, debent saltem, non solum nullo teneri peccati letalis reatu, sed etiam alieni esse & ab

---

sunt. Nullus ex his Dominis est qui domi non habeat Tractatum de iuribus a Domino Marechallo confectum. Legere possunt capite octavo, ipsis non licere neque præoccupare, neque differre officiorum horas. Neque Auctor hic in suspicionem vocari potest; ut ipsis siquidem gratum faceret, omnia iura ipsis competentia collegit multisque probationibus roboravit. Æquum est ut Curati Dominos iis honoribus prosequantur, qui ipsis debentur, quique toties statuti sunt; verum apertissime iniustum est, Dominos hosce honores ultra præscriptos fines velle protrahere.

Pars II. Sect. II Cap. VII §. 19.

Gal. v. 25 26.

omni affectu culpæ venialis, & a mundi cupiditatibus, ambitione, superbia & inordinato sui ipsius amore: debent uni Christo adhærere ex intimo cordis affectu; Spiritu vivere, spiritu ambulare, non inanis gloriæ cupidi, non invicem provocantes, invicem invidentes: debent parvifacere terrena omnia, & solis inhiare cælestibus: debent ad sacrificium accessuri, sic offerre se Deo per Christum & cum Christo, ut parati sint semper vitam pro Christo & Ecclesia profundere, atque ita exhibere semetipsos Deo hostiam sanctam, Deo placentem. Qui audent ad sacrificium accedere vel cum letalis culpæ conscientia, vel cum ea mentis evagatione, cum ea festinatione quæ animum indicet a tantæ rei cogitatione alienum, & internis illis affectibus vacuum, bone Deus, quam tremendum illi sibi ipsis iudicium parant!

Rom. xii. 1.

Maxime quidem exoptaret Ecclesia ut sine baptismali innocentia nemo ad Sacerdotium promoveretur, nemo ad Sacrificium offerendum accederet; sed quoniam iampridem intellexit vix id in tanta morum corruptela fieri posse; id ægre quidem, sed urgente necessitate iam tamen indulget, ut ad sacerdotium promoveantur qui amissam innocentiam recuperarunt, si modo & vera diuturnaque pœnitentia præcesserit, & anteacta vita non fuerit infamis & cum multorum offensione, & amissa innocentia maiori pietate, maiori alienæ salutis studio, excellentioribusque ad utilitatem Ecclesiæ dotibus & adiumentis compensetur.

Id saltem etiamnum Ecclesia vehementer optat, ut qui post acceptum Sacerdotium gravioribus sceleribus inquinati sunt, illique potissimum qui corpus suum deinceps impudicitiis commacularunt, ii sese ultro ab altari seiungant, indignosque se existiment ministerii sacerdotalis, nec accedere audeant umquam ad sacrificium offerendum, nisi forte cum ipsis ob evidentem Ecclesiæ necessitatem utilitatemve dispensatum sit: quam quidem dispensationem ægre semper nec nisi cum magna cautione concedendam esse censet Ecclesia (A).

(A) *Vide Testimonia ex SS. Patribus*, (Greg. Naz. *Orat.* 1. Ioan. Chrysost. *Lib. de Sacerdot.* Greg. Mag. *Pastor. curæ lib.* Bernard. *lib. de consid. &c.*) *allata supra huiusce part sect.* 1. *cap.* 7. §. 3. 11 *&c. Lege etiam* Ioan. Bona S. R. E. Card. *Tract. asceticum de Sacrif. Missæ*. Card. Toleti e Soc. Iesu *Instit. Sacerd.* *Diœcesis* Rupellanæ *collationes, &c. ubi hæc omnia fusiori stylo describuntur*.

Io. Bona S. R. E. Card. *in Tract. ascet. de Sacrif. Missæ cap.* 2. §. 1..... Ad Deum igitur accessurus ut ipsius Dei unigenitum Filium incruente sacrificet, cum timore & tremore tantum opus aggrediatur, probetque seipsum & prævils dispositionibus præparet ad uberrimos sacrificii fructus percipiendos. Sunt autem tres præcipue dispositiones quæ in Sacerdote requiruntur: Puritas vitæ, rectitudo intentionis, & actualis devotio. Puritas vitæ in duobus consistit: primum ut sit mundus ab omni peccato non solum mortali, sed etiam veniali deliberato, & scienter admisso, atque ab omni affectu erga ipsa peccata venialia. Levia siquidem peccata omnino vitare nequimus; at ipsorum affectum penitus ex animo evellere & possumus &

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 20.

§. 20. *Qualiter affectos esse oporteat eos qui Missæ celebrationi intersunt. Quæ sit optima Missam audiendi ratio.*

I. Qua ratione affectos esse oportet qui intersunt sacrosancto Missæ sacrificio?

R. Illos necesse est habere fidem, fiduciam, reverentiam.

Fidem, quia sola fide apprehenduntur & intelliguntur Mysteria hoc sacrosancto sacrificio comprehensa.

Fiduciam, quia, ut Apostoli verbis utar accedendum est cum fiducia ad thronum gratiæ & misericordiæ: Nec est quidquam quo ad fiduciam magis excitari possit Christiana plebs, quam si fide respiciatur Christus offerens semetipsum Patri hostiam pro nobis. *Heb. iv. 6.*

Reverentiam, nihil enim agi sanctius potest hoc sacrificio. In eo offert semetipsum Christus Deo Patri, offert & Ecclesia Christum Deo per manus Sacerdotis, offert se Ecclesia & quilibet Christianus hostiam Deo per Christum & in Christo, ut hac oblatione placetur Deus, ut impetretur divina misericordia, ut agantur gratiæ pro acceptis beneficiis, ut summo Numini litetur. Quanta reverentia res tantas peragi oporteat quis non intelligit?

I. Quinàm peccant contra debitam tanto sacrificio reverentiam?

R. 1. Qui ipsa sua præsentia circumstantium oculos offendunt; nimirum quia vultu incomposito & inverecund , statu corporis indecoro, colloquutionibus præposteris, ornatu pene meretricio satis superque innuunt nullo se affici religionis sensu.

2. Qui cum mortali crimine teneantur, sine ullo pœnitentiæ affectu, sine ullo contritionis ac emendationis studio sacrosancto Missæ sacrificio intersunt.

I. Cur ais contra debitam huic sacrificio reverentiam peccare qui cum mortalis peccati reatu teneantur, Missam tamen frequentant sine ullo pœnitentiæ affectu?

R. Quia illi mendaces & hypocritæ. Nimirum ore tenus & exteriori habitu Deum videntur honorare, cor autem eorum longe est a Deo. Si speciem spectes, Deum colunt, divinam misericordiam supplices petunt; reipsa Deum ne cogitant quidem: omni pœnitentiæ sensu destituti, abiecto penitus contritionis affectu, certe provocant Deum ad iracundiam, nedum ad misericordiam; Deum non placant sed illudunt. *Isai. xxix. 13. Matth. xv. 8. Vid. sup. hu... Patrum auctoritate confirmata.*

I. Cur ergo præcipit Ecclesia etiam peccatores interesse sacrosancto Missæ sacrificio?

R. Hoc præcepto monet Ecclesia peccatores ut Missæ intersint cum eo fidei, humilitatis & contritionis sensu quo eos affici par est.

Hinc *vetat* (Ecclesia) *sacrosanctum hoc sacrificium peragi, nisi prius qui intersint, decenter composito corporis habitu declaraverint se mente etiam, ac devoto cordis affectu, non solum corpore adesse*. Verba sunt Concilii Tridentini, quibus non obscure innuitur qua ratione interius affectos esse oporteat qui sacrificio intersunt. Certe qui nullo penitus pœnitentiæ stimulo, nulla cordis contritione vel levissima, nullo melioris vitæ desiderio ducuntur, illi non devoto cordis affectu, non men- *Sess. 22. Decreto de observ. & evitand. in celebr. Miss.*

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 20.

te, sed corpore solum adsunt Missæ sacrificio. Cum Ecclesia non iudicet de occultis, non potest interiorem hunc affectum nisi ex habitu corporis æstimare.

I. Si quis peccati letalis conscientia irretitus, nondum experiatur interiorem pœnitentiæ sensum sed illum habere exoptet, petatque a Deo spiritum compunctionis, peccatne contra debitam sacrificio reverentiam qui sic affectus adest Missæ sacrificio?

R. Agit ille laudabiliter, nedum peccet: nec dicendus est is omni pœnitentiæ affectu carere. Neque enim impœnitens est prorsus, qui dolet se non affici interiori pœnitentiæ sensu, qui petit a Domino spiritum compunctionis. Qui ergo nondum experiuntur illum doloris sensum, in quo pœnitentiam positam esse iam diximus, doleant saltem de cordis sui duritia, postulent a Deo cor carneum, & sic affecti accedant ad sacrosanctum sacrificium, cuius virtute hoc impetrare a Deo possint. Hæc Ecclesiæ mens est, is scopus, dum peccatores occultos omnes vocat ad sacrificium non secus ac iustos, interposito præcepto.

I. Quo corporis habitu interesse oportet sacrosancto Missæ sacrificio?

R. Si Missa agatur sine cantu, maxime decet eam audiri flexis genibus, nec assurgere populum nisi ad utriusque Evangelii lectionem. Si sollemniter & cum cantu celebretur, quem tenet chorus corporis statum, hunc decet maxime & ab adstantibus fidelibus teneri, stare cum chorus stat, sedere cum sedet. Si tamen laici flectant genua dum Canon Missæ peragitur, licet stet Clerus, laudabile est. Certe sedere non debent, nisi urgeat corporis infirmitas, dum Canon Missæ recitatur, usque dum communio peracta sit.

I. Qua mente interesse oportet sacrosancto Missæ sacrificio?

R. Eadem mente qua offertur ab Ecclesia. Est enim Missa, ut iam diximus, sacrificium pro salute populi Christiani oblatum: illud offert Sacerdos, offert & suo modo populus Sacerdoti se adiungens; eadem ergo debet esse mens utriusque. §. 9. huiusce cap.

Diximus autem offerri sacrificium ab Ecclesia, §. 10. huiusce cap.

1. Ut colatur Deus ceu supremum Numen.

2. Ut significetur gratus animus pro beneficiis acceptis.

3. Ut obtineatur peccatorum remissio.

4. Ut postuletur quidquid necessarium est tam vivis quam defunctis.

Et id quidem agit Ecclesia tum militans tum triumphans, per Christum & cum Christo & in Christo. Hoc ipsum & quisque Christianus agere debet dum sacrificio interest.

I. Quæ preces adhibendæ sunt ab iis qui sacrificio intersunt?

R. Si modo quis intersit sacrificio cum reverentia, cum fide; si id in mente habeat, ut sacrificium offerat per manus Sacerdotis ad mentem Ecclesiæ, postuletque in genere quidquid Sacerdos in sacrificio postulat, eiusque se iungat actioni & precibus, recte agit, nec preces inutiles fundit, quæcumque tandem illæ sint, etiamsi preces interea pri-

Digitized by Google

vatim adhibeat, quæ parum habere videantur cum sacrificio connexionis.

Hæc tamen est optima audiendæ Missæ ratio, si quis non in genere solum, sed in specie animo iungat se singulis Sacerdotis sacrificantis actionibus & precibus, si cum Sacerdote precante precetur, si cum offerrente offerat, cum laudante laudet, si lectiones legat aut auscultet, si ritus omnes mente percipiat & assequatur. Ea ratione magis ad mentem Ecclesiæ sacrificium offerentis acceditur; singulæ quippe preces, singuli ritus sacrificii populum suo modo spectant ut & Sacerdotem. Facit primo populus confessionem peccatorum cum Sacerdote; canit populus Introitum, canit *Kyrie*; canit Hymnum *Gloria in Excelsis*, Graduale, Symbolum, Offertorium, *Sanctus*, Communionem; respondet populus *Amen* ad singulas Sacerdotis preces, qua voce significat attentum habuisse se animum ad illas orationes: audit lectionem Epistolæ, audit Evangelium, & quidem stans, ut maior significetur attentio & reverentia sacrosanctis Evangelii verbis. In ipsa Sacrificii actione preces omnes ita institutæ sunt, ut nihil fere agat, nihil dicat Sacerdos quod simul populus suo modo agere & dicere non censeatur, ut patebit explicatius ex infra dicendis. Non videntur itaque satis assequi mentem Ecclesiæ, qui cum facile id possint se non iungunt singulis Sacrificantis actionibus & precibus, sola generali cum Sacerdote coniunctione contenti, quæ satis est rudi & ineruditæ plebi.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 20.

Nec tamen propterea putes peccare eos qui preces singulas Sacerdotis sacrificantis mente non assequuntur; sufficit fateor generalis illa cum Sacerdote connexio. Hoc unum aio, perfectiorem esse, & Ecclesiæ menti magis consentaneam posteriorem audiendæ Missæ rationem. Idque demonstrabitur efficacius in singularum precum, singulorum rituum explicatione (A).

---

debemus, adeo ut nulli & voluntate & affectu inhæreamus. Alterum, ut conetur omni studio esse purus & sanctus, & ornatus omni virtute, &c.

(A) *Id fusius probat pius & doctus Auctor libri Gallice scripti, de optima audienda Missa ratione*, De la meilleure maniere d'entendre la Messe *par* M. le Tourneux. *Idem plane sentit* Dom. Io. Mabillon. *Traité des etudes monastiques Part.* 2. *chap.* 12. Presbyteri super omnia curare debent, ut bene pronuncient, cum celebrant augustum Missæ sacrificium. Debent loqui non modo distincte, verum cum gravitate, itaque tonum vocis modulari, ut audiantur ab assistentibus, saltem iis qui prope sunt. Hoc sacrificium publicum est, ab omnibus fidelibus coniunctim cum Presbytero oblatum; debet itaque populus intelligere quod ab eo dicitur, ut se illi uniat, & eum sequatur. Laudes Deo dicuntur, & preces fiunt; leguntur Epistola, & Evangelium, ut assistentes ad reverendum mysterium disponantur. Modo itaque intelligibili legere oportet, ut assistentes possint audire quod Presbyter dicit, & proficere. Attamen quotusquisque est, qui id faciat, non dicam convenienti gravitate, & dignitate, sed cum aliqua decentia? Præcipitanti lingua multi verba proferunt, nec bene exprimunt, balbutientium more, ut ipsi se non intelligant. Atque hic indecens loquendi modus in consuetudinem transit, quæ nullo deinde modo emendari potest. Credet quilibet quidquid volet; ego certe vix mihi persuadeam ad Deum.

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 21.

§. 21. *De Ordine Missæ in genere.*

I. Quot constat Missa partibus?

R. Duabus. Prima (quæ dicebatur olim *Missa Catechumenorum*, quia fas erat catechumenis huic interesse,) ea complectitur omnia quæ dicuntur ab initio usque ad recitationem Symboli (A). Altera pars (quæ dicebatur olim *Missa Fidelium*, quia solis fidelibus licebat huic interesse,) cetera complectitur a Symboli recitatione usque ad finem; hoc est, præparationem Sacrificii, Sacrificium ipsum, & gratiarum actionem peracto sacrificio.

I. Solisne fas erat olim catechumenis interesse Missæ quæ catechumenorum dicebatur?

R. Non solum catechumenis, sed & pœnitentibus, & excommunicatis, & energumenis, quin & ipsis infidelibus patebat aditus ad priorem hanc Missæ partem, idque ut possent audire verbum Dei, quod a Sacerdotibus intra Missarum sollemnia tractabatur. Ideoque in publicis precibus Missæ catechumenorum, numquam fiebat olim mentio Sacrificii, quia nefas erat de illo agere coram iis qui non essent sacris mysteriis initiati. Sed peracta concione, catechumeni, energumeni, si qui forte aderant, excommunicati, infideles, pœnitentes secundi & tertii ordinis sollemniter dimittebantur per Diaconum his verbis: *Si quis est Catechumenus, exeat foras. Si quis non communicat, det locum. Sancta, sanctis. Foris canes.* His verbis alludebat tum ad verba Christi: *Nolite dare sanctum canibus*, tum ad verba hæc Apocalypseos: *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis qui amat & facit mendacium.* His egressis, fideles soli remanebant usque ad finem sacrificii (B).

Matth. vii. 6.
Apoc. xxii. 15.

I. Quibus rebus constat Missa catechumenorum?

---

eorum corda ferri posse, qui cum Deo loquuntur eo indecenti modo, qui ferendus minime esset, si cum honesto viro loquerentur. Ita nempe non afficitur honore Deus, verum ipsius ministerium deturpatur, scandalumque patiuntur assistentes, qui alias essent ædificandi. Idem dicas de recitatione Breviarii.

(A) S. Ambros. *Epistol. class.* 1. *Ep.* 20. *aliàs* 14. *aut* 33. *num.* 4. Sequenti die, erat autem Dominica, post lectiones atque tractatum, dimissis Catechumenis, Symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam Basilicæ.

Constit. Apost. *Lib.* 8 *cap.* 8. & 9. *Vide supra* § 14. *huiusce cap litt* (B

S. August. *Serm.* 49. *aliàs* 237. *de temp. num.* 8. Post sermonem fit Missa Catechumenis, manebunt fideles.

(B) M. Bocquillot, *Traité histor. de la Liturg. liv.* 1. *chap.* 1. *pag.* 16. Perspicuum est, verbum Missa, quo in Galliis utimur, a verbo latino *Missa* proficisci, *Missa* vero a verbo latino *mittere*, quod significat expedire, facultatem abeundi dare. Verbum *Missa* ad significandam licentiam, vel Missionem instituta est, quemadmodum per verbum *remissa* a verbo *remittere* compositum, solutio debiti significatur... Hoc sensu accipitur ab antiquis omnibus auctoribus Ecclesiasticis. *Post sermonem*, inquit Sanctus Augustinus, *fit Missa Catechumenis, manebunt fideles*. Concilium Carthaginense quartum idem habet, cum dicit, permissum omnibus esse, etiam infidelibus, in Ecclesia remanere, *usque ad Missam Catechumenorum*. Veritatem adeo apertam pluribus probare qui vellet, Lectorum patientia abuteretur. Le-

Aug. serm. 49 n.8.
Conc. Carth. IV. Can. 84.

Digitized by Google

ce igitur extra controversiam positus usus, ad quem Ecclesia nomen Missa primum adhibuit; nempe ut missionem Catechumenorum significaret. Atque inde ad significandum sacrificium transiit. Idem sentiunt S. Avitus Viennensis, S. Isidorus, Rabanus, Florus, Remigius, quorum verba referrem, nisi in hanc sententiam, tamquam veriorem, huius ætatis doctiores homines irent.

Avit. Ep. 1. ad Gondob. &c.

Mirabitur fortasse quispiam, mysterium adeo magnum ab una ex minimis suis partibus denominationem sumpsisse; verum admirari desinet, ubi sollemnitatem, qua Catechumeni dimittebantur, inspiciat. Statim ac sacræ Lectiones & Instructiones completæ erant, Diaconus ex eminenti loco elata voce dimittebat, primum Hereticos, Infideles, & Audientes, deinde Episcopus in medio Ecclesiæ preces fundebat super Catechumenos, quos item Diaconus dimittebat. Idem fiebat Energumenis, vel obsessis dæmone, Competentibus, & Pœnitentibus humi prostratis, qui Ecclesia egrediebantur, postquam Episcopus ipsis manum imposuisset, & pro ipsis orasset. Quid vero magis sollemne ac verendum, quam hæ Diaconi proclamationes, quæ fidelium sensus & mentes percellere possent? Nil igitur mirandum, sacrificium Missæ nomine cursu temporis insignitum, quod antea hisce *Diaconi* proclamationibus ad mittendos Catechumenos tribuebatur. Ad finem vero sacrorum mysteriorum publice Fidelibus abitus indicebatur: *Post transacta sacrificia*, inquit Tertullianus, *dimissa plebe*. Fortasse abitio hæc indicebatur verbis, quæ adhuc restant, *Ite, Missa est*, ite, abeundi vobis facultas datur. Atque ita hæc loquendi formula in caussa fuit, cur Missæ nomen Sacrificio datum sit. Fieri nihilominus potest, Catechumenorum missionem, quæ per preces, manuumque impositionem fiebat & per consequens sollemnis magis erat, statim suum nomen Missæ toti principio dedisse atque hinc, ut opponeretur huic Missæ Catechumenorum, Missa Fidelium vocitata sit ea Liturgiæ pars, cui soli Fideles interesse poterant.

Verum quocumque tandem modo id evenerit, certum est, Liturgiæ principium, ad quod Catechumeni admittebantur, Missam Catechumenorum vocatum esse; reliquum vero Liturgiæ, cui interesse poterant soli Fideles, Missam Fidelium appellatum esse. Huius discriminis ecce rationem. Plurimi Arlensis Ecclesiæ fideles divinis mysteriis assistere usque ad finem minime volentes, a Catechumenorum missione exeundi ab Ecclesia eodem tempore vel paullo post occasionem capiebant; hos ut detineret, ita Divus Cæsarius alloquebatur. „ Si „ ad id quod in nostris cœtibus fit, at„ tenditis, perspicere potestis, nondum „ Missam celebrari, cum lectio fit, ve„ rum cum dona offeruntur, corpus & „ sanguis Domini nostri consecratur: „ Domi legere, vel audire potestis Pro„ phetas, Apostolos, Evangelia æque ac „ in Ecclesia, interesse vero consecra„ tioni corporis & sanguinis Domini, „ alibi quam in Ecclesia non potestis. „ Ut integram cum fructu Missam au„ diatis, in Ecclesia corpore humiliato, „ & corde contrito remaneatis necesse „ est usque dum Oratio Dominica dicta „ sit & benedictio populo data. „

Ex hoc loco apertissime patet, quid inter Catechumenorum Missam, & Fidelium discriminis intercederet; & licet D. Cæsarius Missæ nomen secundæ tantum Liturgiæ parti tribuat, cui Fideles interesse debeant, indicat tamen, quibus prima liturgiæ pars, ad quam Catechumeni admittebantur, constaret, nempe Prophetarum, Apostolorum, & Evangelii lectionibus, nec non Instructionibus, quæ lectiones has sequebantur. Evidens itaque est, a Divo Cæsario huic primæ parti Missæ nomen ideo non dari, ne abusui, quem damnat, ansam præberet. Verosimiliter populus, qui hanc primam Liturgiæ partem Missam vocari audiret, facile credebat Missam hanc iis sufficere, qui communicaturi non erant. Necesse igitur erat, ut sanctus Episcopus lectionibus & instructionibus, quas audiebant, Missæ nomen negaret, e contra vero de Missa Fidelium laboraret, quæ ab offertorio incipit, & benedictione populo data terminatur, ipsisque præsentiam sanctis mysteriis inculcaret, quæ adeo turpiter negligebant.

DD. Benignus Bossuet Meldensium Episcopus *eadem ediderat in libro, quem inscripsit*, Explication de quelques difficultes sur les prieres de la Messe. *Enucleatio nonnullarum difficultatum circa orationes Missæ &c. quem videsis supra huiusce cap. §. 8. litt.* (C)

R. Confessione, introitu, quem sequitur oratio, *Kyrie eleison*, cantico *Gloria in excelsis*, Collecta, Epistola, Graduali, & Evangelio. His omnibus præit in diebus Dominicis Benedictio & aspersio aquæ, & Processio. Et in Ecclesiis parochialibus post Evangelium fiunt denuntiationes, & explicatur a Sacerdote doctrina Evangelica, quod Pronaum dicitur.

I. Quibus rebus constat Missa fidelium?

R. Recitatione Symboli, Offertorio, Lotione manuum, orationibus quæ Secretæ dicuntur, Præfatione quam sequitur *Sanctus*, Canone qui multas complectitur preces, quarum aliæ præcedunt aliæ sequuntur consecrationem, oratione Dominica, oratione *Libera nos*, fractione Hostiæ quam sequitur *Agnus Dei*, pacis osculo, Communione, & gratiarum actione post communionem.

Preces illæ multos adiunctos habent ritus eximios & antiquos, quorum aliqui in Missis singulis etiam privatis usurpantur, alii in Missis sollemnibus dumtaxat. Singulos trademus & explicabimus.

I. Estne apud Græcos idem ordo Missæ qui apud Latinos?

R. Idem est in rebus quæ ad sacrificii substantiam pertinent. In rebus quæ non pertinent ad sacrificii substantiam varius est; verbi gratia, non eadem est orationum series, non eadem leguntur ad populi eruditionem, non eadem verba sunt quibus preces constant, quamquam & isthæc omnia ad eumdem apud Græcos & apud Latinos finem referantur. Apud eos sicuti apud Latinos est lectio ex veteri seu ex novo Testamento, Evangelii lectio & explicatio, Offertorium, Consecratio, fractio Hostiæ, recitatio Symboli, & orationis Dominicæ, oratio tam pro vivis quam pro defunctis, Sanctorum memoria & invocatio, communio, gratiarum actio post communionem, aliaque multa quibus demonstratur Græcam Ecclesiam cum Latina mire convenire. Sunt etiam apud Græcos vestes sacræ, ritus varii & multiplices: de quibus omnibus dicemus infra fusius,

I. Preces liturgicæ quibus nunc utitur Ecclesia, suntne aliæ ab iis quibus olim utebatur?

R. Eædem fere sunt quibus nunc utitur, & quibus olim iam a primis seculis utebatur. Id constat ex sanctis Patribus antiquioribus, qui dum preces Liturgicas sui temporis referunt & explicant, easdem fere adhibent quibus nunc utimur (C). Sancti Basilius & Chrysostomus, ut fatentur omnes eruditi, ordinarunt

---

(C) S. IUSTINUS *Apolog.* 2. *pro Christian. num.* 85. *Vide superius* §. 14. *huiusce cap. litt.* (A)

CONSTIT APOSTOL. *lib.* 2. *cap.* 57. Tu vero Episcope ... cum ... Ecclesiam Dei congregaveris, velut magnæ navis gubernator, cum omni prudentia & disciplina iube fieri conventus, præcipiens Diaconis sicut nautis, ut loca fratribus, quasi vectoribus, adhibita omni cura & decentia, disponant. Ac primo quidem ædes sit oblonga, ad Orientem versa, ex utraque parte pastophoria versus Orientem habens, & quæ navi sit similis. In medio autem situm sit Episcopi solium, & utrimque sedeat Presbyterium, & ad-

Liturgiam sacram, quæ paucis additis in usu est etiamnum apud O- Pars III. Sect. II. Cap. VII.

rientales, ut taceam Liturgias vetustiores, quæ ipsis tribuuntur Apo-

sint Diaconi expediti ac leviter induti; assimilantur enim nautis, ac iis qui lateribus navis præsunt. Eorum cura ad alteram Ecclesiæ partem laici omnino quiete & ordinatim sedeant; mulieres quoque separatim & ipsæ sedeant, a sermone abstineant. Medius autem Lector in quodam loco excelso stans legat libros Moysis, & Iesu filii Nave & Iudicum, & Regnorum, item Paralipomenon, & quæ de populi reditu conscripta sunt; ad hæc Iobi & Salomonis volumina, simulque sexdecim Prophetarum. Peractisque per binos lectionibus, quidam alius Davidis hymnos psallat, & populus extrema versuum succinat. Dein Acta nostra recitentur, & Epistolæ Paulli adiutoris nostri, quas sancti Spiritus ductu ad Ecclesias misit. Postea Diaconus aut Presbyter legat Evangelia, quæ ego Matthæus & Ioannes vobis tradidimus, & quæ adiutores Paulli Lucas, & Marcus accepta reliquerunt vobis. Cumque recitabitur Evangelium, omnes Presbyteri ac Diaconi, universusque populus magno cum silentio stent .... Post hæc Presbyteri exhortentur populum, singuli nimirum, non autem omnes; & cunctorum postremus Episcopus, qui similis est rectori navis. At Ostiarii stent ad virorum introitus quos custodiant; Diaconissæ vero ad mulierum, instar eorum qui naulum a vectoribus exigunt.... Quod si quis extra locum suum sedens reperiatur, increpetur a Diacono, qui vice Proretæ fungitur, & ad locum convenientem traducatur. Ecclesia enim non solum navi, sed etiam caulæ comparatur. Nam sicut pastores singulas pecudes, capras dico & oves, secundum genus & ætatem collocant, atque inter eas similis simili concurrit: sic & in Ecclesia, iuniores quidem seorsum sedeant, modo sit locus, alioquin arrecti stent; ætate vero iam provecti ordine sedeant; ac stantes pueros recipiant eorum patres, & matres; rursus adolescentulæ separatim maneant, si locus fuerit; sin minus, pone mulieres statuantur: quæ iam nupserunt, & liberos quibus imperent habent, privatim etiam locentur; at virgines & viduæ & anus primæ omnium stent, aut sedeant. Diaconus etiam locis provideat, ut ingredientium §. 21. quisque locum suum petat, & nemo in introitu resideat. Similiter Diaconus inspiciat populum, ut nemo susurret, aut dormitet, aut rideat, aut nutus faciat. Oportet enim in Ecclesia sapienter, sobrie, ac vigilanter stare, auribus ad verbum Domini intentis. Deinde cuncti pariter surgentes, & Orientem contemplantes, egressis Catechumenis, & pœnitentibus orent Deum, *qui adscendit super celum celi, idque ad Orientem* ... Atque Diaconi post orationem, alii quidem oblationi vacent, Eucharistiæ, corpori Domini cum timore ministrantes; alii turbam circumspectent, eique silentia faciant. Qui autem Pontifici assistit Diaconus, plebi dicat: *Ne quis contra aliquem; ne quis in hypocrisi*. His transactis mutuo se salutent viri, mutuo se mulieres osculo in Domino: nemo tamen dolose id agat, quemadmodum Iudas Dominum osculo tradidit. Et post hoc precetur Diaconus pro universa Ecclesia, pro toto mundo & eius partibus & frugibus terræ, pro Sacerdotibus, & Principibus, pro Pontifice ac Rege, pro pace universali. Deinde Episcopus pacem populo precatus benedicat ei, sicut & Moses Sacerdotibus præcepit ut populo his verbis benedicerent: *Benedicat tibi* N. vi. 24. & seq.
Dominus & custodiat te, & ostendat tibi Dominus faciem suam super te, & det tibi pacem. Precetur ergo Episcopus, & dicat: *Salvum fac populum tuum, Domine, & benedic hereditati tuæ; quam acquisivisti ac possedisti pretioso sanguine Christi tui, & appellasti regale Sacerdotium & gentem sanctam*. Post illa sacrificium fiat, stante omni populo & tacite precante; cumque oblatum fuerit, unusquisque ordo seorsum Dominicum corpus ac pretiosum sanguinem sumat, accedentes ordinate ac cum reverentia ac timore, utpote ad corpus Regis: mulieres etiam velato capite, ut feminarum ordinem decet, accedant. Portæ autem custodiantur, ne quis infidelis, aut nondum Baptismo initiatus ingrediatur.

Lib 8 cap. 5. & sequent usque ad cap. 16. Vide superius §. 14. huiusce cap. litt. (B)

S. Cyrill. Hierosolym. *Catech. my-*

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 21.

stolis, quas constat saltem esse antiquissimas, licet liquide non constet quis earum auctor sit. Olim Ecclesia Gallicana suam habebat Liturgiam non multum discrepantem, quantum ad ritus & precum ordinem a Liturgiis Orientalibus: unde innuitur eam introductam fuisse a primis Galliarum Episcopis, quorum multi fuere origine Græci; Missa Mozarabica, quæ viget etiamnum in una ex capellis Ecclesiæ Metropolitanæ Toletanæ, non multum differt a veteri Liturgia Gallicana. Liturgia Romana, qua nunc utimur per totum Occidentem, non introducta est in Gallias ante tempora Pippini, eiusque filii Caroli Magni. Huius Liturgiæ ritus antiquissimus. Id patet ex libro Sacramentorum sancti Gregorii Magni. Gregorius ipse Liturgiam hanc non introduxerat, sed detractis multis precibus & ritibus, eam contraxerat quæ fuerat a Gelasio primo ordinata. Quin nec Gelasius edidit primus Liturgiam, quæ eius nomine vulgata est a viro doctissimo Thomasio, cuius Liturgia Gregoriana compendium est; sed acceptam a maioribus in novum ordinem redegit. Adeoque Liturgiam qua nunc utimur, primæ & remotissimæ antiquitatis esse constat. Nec minoris antiquitatis est Liturgia Ambrosiana, quæ Mediolani viget etiamnum. Hac sanctum Ambrosium usum esse non sine fundamento asseritur, quæ quidem in multis differt a Liturgia Romana, in multis cum ea convenit. Quod autem non iidem fuerint olim ritus Ecclesiæ Romanæ & Ecclesiæ Mediolanensis, testis est ipse sanctus Augustinus (D). *S. August. Ep. 36. alias 86. ad Casul. n. 13. n. 31. & 32. & Ep. Januar. 118. al. lan. c. 2. n. 3.*

§. 22. *Explicantur ad literam Missæ Preces & ritus. Quid facto opus sit ut in iis mens Ecclesiæ teneatur.*

1. *Missa Catechumenorum.*

Psalmus Iudica.

I. Cur ante Missam diebus Dominicis fit Benedictio & Adspersio aquæ, ac deinde Processio, quæ fit etiam diebus festis sollemnioribus?

R. De iis ritibus agemus infra, ubi de benedictionibus, & de supplicationibus quæ Processiones dicuntur. *§. 10. c. 8. & c. 9. huiusce sect.*

I. Cur fit initio Missæ signum crucis cum expressa invocatione sanctissimæ Trinitatis, his verbis ✝ *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti?*

R. Quia in nomine sanctissimæ Trinitatis congregamur ad celebrandam memoriam Christi Passionis (A).

sagog. 5. eadem fere habet, uti videre est § seq. variis in locis.

(D) *Circa ea quæ hoc §. dicta sunt plura apud piissimos doctissimosque Scriptores habentur; præsertim vero apud* Io. Bona S. R. E. Card. *in exquisitis eius libris* de rebus Liturgicis; *apud* D. Io. Mabillon. *in doctissimo suo Comment. in ordinem Romanum*, Musei Italici *Tom.* 2. *& in eximio illius opere* de Liturgia Gallicana *In libro de antiquis Liturgiis, Gallice,* le Livre des anciennes Liturgies, *qui prostat Parisiis apud* Nully: *in Tractatu historico de Liturgia & rebus Liturgicis* D. Bocquillot *apud* Anisson *in 8 Gallice*, Traité historique de la Liturgie, *quem sæpius in superioribus § laudavimus.*

(A) *Hæc & alia multa, ad illustranda mysteria & ceremonias Missæ, in decur-*

PARS III. SECT. II. CAP. VII. § 22. n. I.

I. Cur recitat Sacerdos cum Ministris in infimo altaris gradu Psal. XLII. *Iudica me Deus* &c.?

R. Ut Sacerdos & populus sese mutuo excitent ad accedendum cum lætitia & fiducia ad altare Dei, in quo Sacrificium offerendum est.

Hunc Psalmum David cecinit cum fugiens a facie Saulis, & exul e patria ut declinaret Regis furorem, consolabatur seipsum hac spe fretus quod reversurus esset tandem in urbem Ierusalem, & introiturus ad altare Dei ad offerenda sacrificia. Hoc ipsum Christianis apprime convenire palam est. Exules enim a patria cælesti mœrorem exilii nostri levare debemus spe patriæ tandem repetendæ. Altare Dei in cælis est ut habetur in Apocalypsi. (Apoc. VI. 9. VIII. 3.5.12 11. &c. Il vinfteo cap. 8.10.) Huius typus est, ut diximus, altare Eucharisticum: ad hoc accedere debemus cum fiducia & spirituali lætitia.

Iuvat ipsa Psalmi verba subiicere, quibus hæc omnia luculenter exprimuntur.

Recitat primum Sacerdos cum Ministris antiphonam ex eo Psalmo desumptam,

Vers. 4. S. *Introibo ad altare Dei.*

M. *Ad Deum qui lætificat iuventutem meam.*

Tum Psalmum ipsum alternis versibus Sacerdos & ministri recitant.

Vers. 1. S. *Iudica me Deus, & discerne caussam meam de gente non sancta: ab homine iniquo & doloso erue me.*

Vers. 2. M. *Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti? & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?*

Vers. 3. S. *Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.*

Vers. 4. M. *Et introibo ad altare Dei: ad Deum qui lætificat iuventutem meam.*

Vers. 5. S. *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?*

Vers. 6. M. *Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei & Deus meus.*

S. *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.*

M. *Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.*

Tum repetitur Antiphona ut supra ante Psalmum.

I. Cur Sacerdos recitat hunc Psalmum alternatim cum Ministris?

R. Quia populi adstantis est, non secus ac Sacerdotis, accedere cum fiducia & lætitia ad altare Dei, ad offerendum Deo sacrificium per manus Sacerdotis. Ideoque ea est Ecclesiæ mens, ut adstantes hunc Psalmum secreto recitent cum Sacerdote.

I. Cur Sacerdos recitat hunc Psalmum in infimo altaris gradu?

R. Quia Psalmus hic est velut præparatio ad accessum altaris.

I. Cur prætermittitur hic Psalmus in Missis pro defunctis, & toto tempore Passionis?

R. Quidam existimant ideo illis diebus non recitari Psalmum hunc, quia tempore Passionis, & in Missis pro defunctis abstinet Ecclesia ab omni lætitiæ significatione. At Psalmum hunc ad spiritalis lætitiæ significationem recitari mox diximus. Num. 5.

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. 22 n. I.

Sed verisimilius asseritur hoc ritu vestigium antiquitatis retineri, ut retineantur alia multa illis diebus.

Quod ut intelligatur, adverte apud Carthusianos, Dominicanos, Carmelitas, sicut & aliis quibusdam in Ecclesiis, numquam hunc Psalmum recitari ad altare: sed eius loco recitari versiculos ex Psalmis aliis desumptos: idque ex ritu veteri in Liturgia Romana omnibusque fere in Ecclesiis olim observato. Addita subinde est huius Psalmi recitatio, vel ad præparationem Sacerdotis in sacrario, vel ut a Sacerdote ad altare procedente recitaretur. Tandem ut ad altare recitaretur usus invaluit. Sed veterem ritum multæ Galliarum Ecclesiæ dum retinuere, & quædam retinent etiamnum (B). In Ecclesia Laudunensi diebus sollemnibus recitatur hic Psalmus in ipso chori ingressu (C).

II. *Confessio. Subiectæ preces usque ad Introitum.*

I. Cur post recitationem Psalmi XLII. Sacerdos & Ministri recitant formulam confessionis peccatorum?

R. Ut hac generali confessione purgentur vel a levissimis peccatorum maculis, sicque puriores & alacriores accedant ad sanctum altare.

I. Quæ est illa confessionis formula?

---

su huius capitis mutuati sumus, ex Libro Gallice scripto, & Parisiis apud I. B. Coigaard typis mandato cum hac inscriptione: Idea Sacerdotii & Sacrificii Domini Nostri Iesu Christi: Idée du Sacerdoce & du Sacrifice de I. C. *quem Lector adire poterit.*

(B) *In antiquo Missali Parisiensi iussu* PETRI DE GONDY, *& in Missali ab* HENRICO DE GONDY *eius successore in publicam lucem emisso, Sacerdos statim utque induit se casula dicit:* Introibo ad altare Dei &c. *& Ps.* XLII. Iudica me, *solus recitat, scilicet e sacrario ad altare procedens..*

(C) *Ritus* ECCLES. LAUDUN. *redivivi, par.* 3. *cap.* 12. *num.* 8. Pervenientes, (*e Sacristia*) ante ostium presbyterii firmant se capitibus detectis in modum coronæ, seu choreolæ; ibi celebrans medius inter Diaconum & Subdiaconum dicit *Introitum* & *Kyrie eleison* summissa voce, ex Missali per Diaconum & Subdiaconum sibi ministrato: quibus dictis, stant omnes ibidem dum a choro cantatur introitus Missæ, donec a Præcentore dicatur, *Gloria Patri, & Filio & Spiritui sancto*; tunc enim ascendunt omnes Presbyterium ordine præfato, & procedunt ad altare, cui facta per eos ante infimum gradum profunda inclinatione, salutatoque choro, Celebrans stans ibidem, medios inter ministros,...

Num. 9. Dicit intelligibili voce, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.* Facto ut supra crucis signo... pronuntiat eadem voce versum, *Dignare Domine die isto*, Ministris respondentibus, *Sine peccato nos custodire*. Deinde Celebrans eodem modo stans dicit: *Confitemini Domino quoniam bonus*. Resp. *Quoniam in seculum misericordia eius*. Deinde profunde inclinatus iunctis manibus dicit, *Confiteor*; & prosequitur eodem modo, stans inclinatus, donec a Ministris dictum sit *Misereatur* &c.

In observat. pag. 354. *col.* 1. Ritus Ambrosianus etiamnum hodie Psalmum hunc (*Iudica*) initio Missæ nequaquam admittit... Missale vero Ambrosianum dicto solo versu *Introibo ad Altare Dei*, præscribit ritum peragendæ confessionis, ut in nostra Laudunensi Ecclesia, in qua celebraturus, dicto versu *Confitemini Domino quoniam bonus*, publica confessione se purgat ab omni labe peccati, ut maiori cum puritate ad sacrosancta mereatur accedere mysteria.

R. Varia illa fuit olim & est etiamnum variis in Ecclesiis. Duas solum subiiciemus, alteram usitatiorem, qua nunc utitur Ecclesia Romana; alteram, quam retinet etiamnum Ecclesia Narbonensis ex veteri ritu.

In Ecclesia Romana post recitatum hunc versiculum Psalmi CXXIII. a Sacerdote.

Verſ. 8. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

Cui respondent Ministri,

Qui fecit cælum & terram.

Sacerdos in hunc modum peccata sua confitetur:

Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Ioanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro & Paullo, omnibus Sanctis, (& vobis fratres,) quia peccavi nimis cogitatione, verbo & opere. Mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Ioannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum & Paullum, omnes Sanctos, (& vos fratres,) orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

In Ecclesia Narbonensi Sacerdos in hunc modum peccata sua confitetur:

Confiteor Deo omnipotenti, & beatæ Mariæ semper virgini, & omnibus Sanctis eius, me graviter peccasse in lege Dei mei, cogitatione, verbo, opere, & omissione, mea culpa, mea gravissima culpa. Nec quidquam amplius subiicit. Sunt & variæ confessionis formulæ, quæ proxime ad præcedentes accedunt (A).

Facta confessione, Ministri recitant in Ecclesia Romana quod sequitur:

Misereatur tui (vestri) omnipotens Deus & dimissis peccatis tuis (vestris) perducat te (vos) in vitam æternam.

Respondet Sacerdos, *Amen.*

Tum Ministri recitant confessionem ut supra, & pro his verbis

---

(A) ORDINAR. CARTHUS. c. 25. *num* 16.

Ps. CXL. 3. *S* Pone Domine custodiam ori meo:

C Et ostium circumstantiæ labiis meis.

S. Confiteor Deo, & beatæ Mariæ, & omnibus Sanctis, & vobis, Fratres, quia peccavi nimis, mea culpa per superbiam, cogitatione, loquutione, opere & omissione: precor vos orate pro me.

C. Misereatur tui omnipotens Deus, per intercessionem beatæ Mariæ & omnium Sanctorum, & dimittat tibi omnia peccata tua, & perducat ad vitam æternam.

S. Amen.

Ps. CXXIII. 8. *S* Adiutorium nostrum in nomine Domini:

C. Qui fecit cælum & terram.

Num. 14 Post hæc manibus semper iunctis & demissis oculis, mature accedit ante medium altaris: ubi inclinatus dicit, *Pater noster* & *Ave Maria*: deinde osculatur altare.

MISSALE DOMINICAN. Confiteor Deo & beatæ Mariæ semper virgini, & beato Dominico Patri nostro, & omnibus Sanctis, & vobis, Fratres, quia peccavi nimis cogitatione, loquutione, opere, & omissione, mea culpa: precor vos, orate pro me.

Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimittat vobis peccata vestra, liberet vos ab omni malo, salvet & confirmet in omni opere bono, & perducat ad vitam æternam.

IOAN. BONA S. R. E. Card. *lib. 2 Rer. liturg. cap. 2. n. 5. & 6. multas refert confessionis formulas, quas Lector adire poterit.*

Pars III. Sect. II Cap. VII § 24.n.2.

(*& vobis fratres*, & *vos fratres*) dicunt (*tibi Pater*, & *te Pater*.)

Facta a Ministris confessione, Sacerdos orat pro populo hac verborum formula, *Misereatur vestri* &c. ut supra, ac deinde tam sibi quam populo precatur divinam indulgentiam, his verbis:

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus. Resp. *Amen*.

In Ecclesia autem Narbonensi sic dicitur *Misereatur*.

Misereatur tui (vestri) omnipotens Deus, & dimittat tibi (vobis) omnia peccata tua (vestra,) & perducat te (vos) ad vitam æternam. Resp. *Amen*.

Nec subiicitur oratio, *Indulgentiam*:

I. Cur Sacerdos, & Ministri recitant alternatim formulam confessionis, ac dein orationem *Misereatur*?

R. Singuli se peccatores esse confitentur, ac deinde orant pro sese invicem, iuxta illud Iacobi Apostoli: *Confitemini alterutrum peccata vestra: & orate pro invicem ut salvemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua*. (Iac. v. 16.) Hac ergo mutua confessione, & pro sese invicem oratione, confidunt tam Sacerdos quam populus se accepturos a Deo levium peccatorum remissionem, ad offerendum puriori mente sacrificium.

I. Cur in formula confessionis, confitemur peccata non solum Deo, sed & B. Mariæ virgini, beato Michaeli Archangelo, & sanctis, & fratribus?

R. Hac formula confitemur coram Deo, & Angelis, & Sanctis omnibus, & coram universa Ecclesia, habere nos plurimorum peccatorum conscientiam. Id confitemur coram Deo, qui peccatis offenditur, & pœnitentia placatur; coram Sanctis, qui cum Christo in fine seculorum sedebunt iudices mundi, & interim peccatis hominum offenduntur non secus ac Deus ipse (B). Imploramus hac confessione Ecclesiæ triumphantis & militantis auxilium, ad obtinendam peccatorum remissionem: & ex Sanctis, eos appellamus potissimum quorum speciali apud Christum patrocinio gloriamur.

I. Cur ad hæc verba, *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa*, pectus pugno percutimus?

R. Percussio pectoris signum est contritionis. Imitamur eo ritu Publicanum, qui confitendo peccata sua, & percutiendo pectus suum, impetravit a Deo peccatorum veniam (C).

(B) Ps. cxlix. 5. Exultabunt Sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis: Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladii ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus: increpationes in populis... Ut faciant in eis iudicium conscriptum; gloria hæc est omnibus sanctis eius.

Matth. xix. 28.... Amen dico vobis, quod vos qui sequuti estis me in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.

I. Cor. vi. 2. An nescitis quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt.

Iudae 14. Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes.

(C) Luc. xviii. 13. Et Publicanus a

I. Quas preces peracta confessione recitat Sacerdos cum Ministris in infimo altaris gradu?

R. Preces e Scripturis desumptas, quibus petitur a Deo venia delictorum, & puritas mentis & cordis necessaria ad celebrandum rite sacrosanctum Missæ sacrificium. Hac ergo mente recitandæ sunt & a circumstante populo. Illas subiicio:

Ps. LXXXIV. 7. S. *Deus, tu conversus vivificabis nos;*

M. *Et plebs tua lætabitur in te.*

Ibid. 8. S. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam:*

M. *Et salutare tuum da nobis.*

Ps. CI. 2. S. *Domine exaudi orationem meam:*

M. *Et clamor meus ad te veniat.*

Ruth. II. 4. S. *Dominus vobiscum* (D).

M. *Et cum spiritu tuo* (E).

S. *Oremus.*

Deinde Sacerdos ascendens ad altare ait:

Aufer a nobis, quæsumus Domine, iniquitates nostras, ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt, (Hic osculatur altare.) & omnium Sanctorum; ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

I. Debetne populus privatim recitare easdem preces?

R. Has si recitet faciet rem Ecclesiæ menti apprime convenientem: neque enim eas Sacerdos suo solum, sed & totius populi nomine recitat: hinc utitur plurali numero. Adde quod eas recitaturus ait alta voce, *Oremus*, antequam ascendat ad altare: qua voce monet populum ut attentum habeat animum ad illas preces.

PARS III. SECT. II. CAP. VII. .. 22.n.2

I. Cur toties dicitur inter Missarum sollemnia, *Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo?*

R. His verbis continetur mutua Sacerdotis & populi salutatio. Sacerdos sua salutatione, populi excitat attentionem. Populus sua vicissim salutatione, attentum esse se profitetur.

I. Cur Sacerdos accedens ad altare, hoc osculatur, idemque facit fere quoties ab eo recedit?

R. Hoc salutationis genus est. Osculatur Sacerdos altare, qui typus est Christi, eoque osculo profitetur adhærere se Christo, cui sicut membra capiti connexi sunt Sancti, quorum reliquiæ ibi servantur.

Pluribus in Ecclesiis non osculo, sed sola capitis demissione, Sacerdos altare salutat.

Is mos est etiamnum Carthusianorum, Dominicanorum, &c. Eadem est utriusque ritus ratio.

III. *Introitus. Cur quædam in cornu Epistolæ, quædam in cornu Evangelii, quædam in medio altari recitentur.*

I. Postquam Sacerdos accessit ad

---

longe stans, nolebat nec oculos ad cælum levare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.

(D) RUTH. II. 4. Et ecce ipse veniebat de Bethlehem, dixitque messoribus: Dominus vobiscum: Qui responderunt ei: Benedicat tibi Dominus.

(E) GALAT. VI. 18. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro, Fratres. Amen.

Digitized by Google

Pars III. Sacr. II. Cap. VII. §. 22. n. 3.

altare, quam orationem recitat ad cornu Epistolæ?

R. Recitat antiphonam, fere semper desumptam ex aliquo Psalmi versu. Dicta antiphona, primum versum Psalmi recitat: (olim totus Psalmus licebatur:) subiicitur Psalmo versus *Gloria Patri*, qui ex more Ecclesiæ iuxta traditionem Apostolicam post Psalmos omnes recitari solet (A). Denique repetit antiphonam: quæ quidem etiamnum

---

(A) Ioan. Bona S. R. E. Card. *lib. de sing. part divin. Psal. cap.* 16. § 6. *n.* 1. Magnus Basilius incomparabilis Ecclesiæ doctor, qui sub Valente Imperatore floruit, *libro de Spiritu sancto*, quem in sui defensionem ad Amphilochium Iconii Episcopum scripsit, huius versiculi, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, quem Patres antiqui hymnum glorificationis vocabant, duobus locis mentionem facit. Primo, capite septimo his verbis: *Proinde quod a maioribus nostris dictum est, & nos dicimus, gloriam esse communem Patri cum Filio: quapropter & glorificationis hymnos Patri simul cum Filio offerimus*. Clarius deinde, & fusius capite vigesimo septimo, *Professionem fidei velut initium quoddam glorificationis fecimus. Sed quid faciendum est? Nunc enim doceant nos, ut baptizemus quemadmodum accepimus, aut ut glorificemus quemadmodum credimus?* Et paucis interiectis: *Dictum est igitur nihil referre ad sensum, sive dicas*, Gloria Patri, & Filio cum Spiritu sancto, *sive dicas* Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Magnus item Athanasius Archiepiscopus Alexandrinus, qui triginta & amplius annis ante Basilium florere cœpit, libro de Virginitate, sive de Meditatione, nonne diversis verbis hunc Hy-
Ps. cx. 4. & 5. mnum commemorat? *Cum*, inquit, *surrexeris a mensa, rursum gratias agendo trinis vicibus dicas:* Miserator & misericors Dominus escam dedit timentibus se: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, *rursumque post peractam glorificationem preces tuas absolves*... Lapsi sunt qui ex Theodoreto ex Sozomeno, ex Tripartita, & clarius ex Nicephoro Flavianum Monachum Antiochenum Hymni huius faciunt auctorem... Sed hunc Hymnum Flaviano antiquiorem esse, Athanasii, & Basilii citatæ auctoritates convincunt. Errarunt & alii, qui post Walfridum Strabonem a magna Synodo Nicæna compositum fuisse affirmant, idque Hermias Sozomenus indicare videtur, cum agens de Leontio Episcopo Antiocheno ait illum, rametsi Arianus esset, eos tamen qui hymnis fidei Concilii Nicæni consentientibus Deum laudarent, prohibere noluisse, ne populus seditionem conflaret. At vero glorificationis hymnum non esse a Nicænis Patribus inventum Baronius, Ecclesiasticæ antiquitatis instructissimum promptuarium, concludit, tum ex allato Basilii testimonio, tum quia fideles, cum ab ipsis Apostolorum temporibus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizarentur, tres easdem personas iam dicto Hymno conglorificare cœperunt.

Num. 2.... Cumque iidem Ariani ore sacrilego blasphemantes assererent fuisse tempus, quando Filius non erat cum Patre, adversus huiuscemodi sceleratam loquelam decrevit Nicæna Synodus, ut illa appendix, *Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen*, ad antiquam glorificationem adiungeretur. Testatur id Concilium primum Vasense seu Vasatense, verius Vasionense in Gallia paullo post Nicænum tempore Constantini Imperatoris sub Iulio Papa celebratum, licet eius canones confusi exsistant cum Vasionensi secundo sub Leone Magno, hac sanctione edita. „ Quia non solum in sede A„ postolica, sed etiam per totum Orien„ tem, & totam Africam, vel Italiam, „ propter hæreticorum astutiam, qua Dei „ Filium non semper cum Patre fuisse, „ sed a tempore cœpisse blasphemant, „ in omnibus clausulis post *Gloria Pa„ tri, & Filio, & Spiritui sancto; sicut „ erat in principio, & nunc & semper, „ & in secula seculorum. Amen*, dicitur: „ etiam nos in universis Ecclesiis no„ stris hoc ita dicendum esse decerni„ mus „. Sicut autem diximus sollemnem doxologiam non fuisse a Nicæna Synodo

repetitur post singulos Psalmi versus quibusdam in Ecclesiis, diebus saltem sollemnioribus.

I. Quod nomen huic preci?

R. Introitus; quia canitur a choro dum Sacerdos procedit e Sacrario ad altare.

I. Debetne populus recitare seu canere Introitum?

R. Introitus institutus est primum ut a Clero & populo caneretur, ut fit etiamnum. Hinc multis in Ecclesiis Sacerdos illum privatim non recitat, neque enim vetus mos erat ut privatim a Sacerdote legerentur quæ palam a choro canebantur: canebat nimirum ipse cum choro. Quæcumque autem in Missis maioribus canuntur a choro, ea privatim a circumstantibus recitari maxime expedit in Missis privatis, ubi legentem Sacerdotem commode audire nequeunt.

I. Cur quædam ad cornu Epistolæ, quædam in medio altari recitat Sacerdos? Recitat in cornu Epistolæ Introitum ceteraque usque ad Evangelium: legit Evangelium in altero cornu: recitat in medio altari *Gloria in excelsis*, *Credo*, & preces omnes ad substantiam sacrificii pertinentes; peracto sacrificio redit ad cornu Epistolæ, Postcommunionem recitaturus. An non satius foret cuncta eodem in loco recitare? Vereor ne quid levitatis esse videatur in frequenti illa mutatione?

R. Cave ne quid suspiceris esse in eo levitatis. Apage istam loquendi rationem ad impios, qui, ut ait Iudas Apostolus, *Quæcumque ignorant blasphemant*. *Iud. 12.* Quidquid agit Ecclesia, totum id grave & sanctum est. Huius porro ritus accipe rationem. Hæc duplex tradi solet, litteralis una, altera mystica. Trademus utramque: sed quæ mystica est, ea ritum hunc non invexit: sed ex eo iam usurpato piæ cogitationes subortæ mysticis explicationibus occa-

adinventam; ita etiam asseveramus non fuisse ab ea staturum, ut in fine cuiusque Psalmi concineretur. Nam cum fuerint postea hac de re diversæ diversarum Ecclesiarum consuetudines, consentaneum est credere nullam fuisse communem universalis Ecclesiæ præceptionem, a qua proculdubio nullus fidelium deviare præsumpsisset.

Num. 3 .. . Vigilius Papa in fine omnium Psalmorum dici ab omnibus ex more *Gloria Patri* asseverat; atque etiam quorumdam reprehendit errorem, qui subducta una syllaba coniunctiva perfectum conabantur minuere vocabulum Trinitatis, dicentes, *Gloria Patri, & Filio Spiritui sancto*. Apud Baronium exstat Canon Narbonensis Concilii, quod celebratum fuit æra 627. anno scilicet Christi 589. centum sexaginta & amplius annis post obitum Hieronymi: ut in psallendis ordinibus per quemque Psalmum gloria dicatur omnipotenti Deo, per maiores vero Psalmos, prout fuerint prolixiores, pausationes fiant, & per quamque pausationem gloria Trinitatis Domino decantetur. Ex quibus colligi potest, usum canendi gloriam in fine Psalmorum non tantam præ se ferre antiquitatem, quantam vulgus Scriptorum existimat .... Illud autem certissimum est, Hymnum glorificationis ab Apostolis compositum, a Patribus Nicænis auctum, ab universa Ecclesia receptum, omni reverentia cantandum esse. Qui enim irreverenter, & nimis festinanter eum pronuntiant, non Deum glorificare, sed blasphemare dicuntur.

Digitized by Google

PARS III. SECT. II. CAP. VII §.22.n. 3.

sionem dederunt. Rem audies.

Veteri ritu, cuius multa retinuere vestigia Missæ Pontificales, quin & singulæ Missæ maiores quibusdam in Ecclesiis, Sacerdos non ascendebat ad altare nisi ad celebrandam Missam fidelium, id est, ad peragendum Sacrificium. Dum autem perageretur Missa catechumenorum, sedebat Sacerdos extra altare, ibique audiebat Epistolam legente subdiacono, & Evangelium legente Diacono: nec legebat ipse privatim quod ab aliis canebatur, ut fit etiamnum apud Carthusianos & Cluniacenses; & ex novo Missali Parisiensi idem fieri licet in Missis sollemnibus a quocumque Sacerdote celebrante. Tunc Sacerdos stans in medio altari, legebat quidquid erat legendum canendumve: ideoque habebat præ oculis librum positum ad lævam, neque enim alibi liber poni poterat: non in medio altari, in quo necesse erat poni calicem; nec ad sinistram Sacerdotis, ibi enim ponebantur oblationes populi. Is erat ritus Missarum sollemnium (B).

(B) Domn. EDMUNO. MARTENE Monach. Bened. e Congr. S Mauri, *de antiquis Eccles. ritibus lib.* 1 *cap* 4. *art* 3. *n.* 4. Residens igitur in trono Pontifex permanet usque ad Offertorium, atque ibi recitat aut cantat quæcumque recitanda interim aut cantanda sunt. Eodem fere privilegio gaudent in Ecclesia Remensi celebrantes omnes, etsi non Episcopi. Nihil enim recitant aut cantant ad altare ante offertorium, sed in pulpiro ad altaris latus collocato. Idem etiam usus in aliis eiusdem Metropolis Ecclesiis forte vigebat: saltem de Laudunensi id constat ex MS. Ordinario eiusdem Ecclesiæ, in quo præscribitur, ut *finita Gloria, Sacerdos veniat ad lectreolum ad dicendas orationes*.

ORDO ROMANUS I. *n.* 15 Tunc surgens Pontifex a sede, descendit ad altare, & salutat altare, & suscipit oblatas de manu Presbyteri hebdomadarii & Diaconorum, &c.

ORDO ROM. II. *num.* 9. Tunc surgens Pontifex a sede, & cantantibus adhuc Cantoribus, descendit ad altare, & orat, salutat altare, & suscipit oblatas de manu Presbyterorum & Diaconorum, quibus licitum est accedeee ad altare.

ORDO ROM. III. *num.* 14 Tunc Pontifex surgens a sede, descendit ad altaee, & salutat altare, & suscipit oblatas de manu Presbyteri hebdomadarii, & Diaconorum atque Primiceriorum, &c.

ORDO ROM. V. *num.* 8. Per brachia sustentando ducant Episcopum ad altare, accedantque Presbyteri offerentes, &c.

ORDO ROM. VI. *num.* 9. Lotis autem manibus surgat Episcopus ut accipiat oblationes a duobus Presbyteris & Diaconibus, & ab omnibus Clericis.

ORDO ROM. XI. *num* 40. Solus Pontifex intrat ad altare ad Sacrificium.

ORDO ROM. XVI. *num* 53. *pag.* 301. Pontifex.... pergat ad altare, deducentibus eum Capellano & Subdiacono, &c.

Num. 71 Indutus Dominus Papa omnibus Pontificalibus, dicit ante altare versiculum *introibo*; &c.... Ps. *Iudica*, &c. & *Co fiteor*, &c. osculatur altare.... & incensat altare... Postea vadit ad sedem suam, & sedendo incipit Introitum.... Lotis vero manibus, & Offertorio cantato, vadat ad altare, & ibi recipiat patenam cum hostia, quam sibi offert Diaconus Cardinalis, &c.

M BOQUILLOT *Traité histor de la Liturg. liv.* 1 c 9. *num* 3. *pag.* 217. Vetus consuetudo obtinuerat, ut celebrans in magnis Ecclesiis neque Epistolam, neque Evangelium, neque quidquam ex iis quæ in Choro canebantur, ad altare recitaret. Qui enim facere id posset, cum nihil eorum esset scriptum in Missali quod ante oculos habebat?... Quisque itaque, & ipse Presbyter, sedens Epistolam a Subdiacono cantatam audiebat, nec non ea quæ a Cantoribus caneban-

Ut distinguerentur autem in Missis privatis ea quæ in sollemnibus legebantur extra altare, ab iis quæ legebantur in altari; in cornu Epistolæ lectum est quidquid in Missis sollemnibus extra altare legebatur, in medio autem altari continuata est lectio ceterorum omnium; isque ritus sensim in Missis quoque maioribus invaluit. Evangelium autem in Missis privatis ideo lectum est a Sacerdote stante in sinistra altaris parte, quia in Missis maioribus, dum canebat Evangelium Diaconus in ambone, Missale Sacerdotis positum erat in ea altaris parte quam nunc cornu Evangelii dicimus; illuc nempe allatum fuerat Missale post recitatam Collectam; qua recitata nihil amplius legebat Sacerdos e Missali usque ad orationes secretas, quas sicut & ceteras preces Liturgicas, ad communionem usque, posito ad lævam Missali recitabat, ut nunc fit, stans in medio altari. Peracta autem communione, alteraque altaris parte iam oblationibus vacua ad cornu Epistolæ Missale referebatur, ut ibi Sacerdos Postcommunionem recitaret, dum Subdiaconus in altero cornu mundabat calicem & componebat, illum mox ad sacrarium relaturus.

Hæc vera ratio est cur in Missa preces recitentur partim ad dexteram, partim ad sinistram eius partem. Hæc accepimus a Micrologo, non contemnendo Scriptore undecimi seculi, in suis ad ordinem Romanum observationibus (C).

---

tur; stans vero Evangelium a Diacono cantatum ... Cum vero Missalia ob Missas privatas cœperant esse communia, nonnulli vel relligione vel peculiari devotione moti submissa voce recitare voluerunt ea quæ a ministris & Cantoribus dicebantur. Carthusienses, & Cistercienses omnium primi Presbyteris suis ut ita facerent permiserunt ... Presbyter ædem suam reperit (habet ordo Carthusiensium) ubi Diaconus ei mappam & apertum librum dat; ipse attente audit Epistolam vel legit cum responsorio, & *Alleluia*, vel Tractu: *Epistolam attente audit aut legit, cum Responsorio & Alleluia, vel Tractu*: En vero Cisterciensium Rubricam, *v. 5. cist. c. 53. Interim Sacerdos usque ad Evangelium sedere, & in Missali legere potest: & Diaconus ad nutum eius sedere, & in textu legere si voluerit*. Dum Subdiaconus legit Epistolam &c. Presbyter sedere potest, & legere in Missali; potest item id facere Diaconus, ni Presbyter iubeat, & legere textum si velit ... Dignitate insignitus, vel Canonicus Ecclesiæ N. D. Parisiensis, qui dum dicit Missam Chori rubricas sui Missalis sectatur, postquam ultimam Collectam cecinit sedet, sedensque audit Epistolam, Graduale, *Alleluia* vel Tractum, neque surgit nisi altare ascensurus, & stans Evangelium auditurus, nihil vero ex prædictis legit. Idem fere mos in Ecclesia Lugdunensi, Celebrans sedet post ultimam Collectam, & Altare nisi auditurus Evangelium ascendit. Verum nihilominus est, in hac Ecclesia, de qua modo mentio facta est, suggestum mobilem esse ad latus sedis Celebrantis, super quo missale suum ponat; quod visibile signum est, facultatem ipsi sedenti esse legendi Epistolam, Graduales, &c. & Evangelium, si velit.

(C) Micrologus *Tom. 10. Biblioth. Patrum* Hittorpii *Eccles. Officior. c. 9 pag. 737*. Ad sinistrum verum cornu altaris habent librum, cum legunt Evangelium, vel cum sacrificant; ut in dextera parte sint expeditiores ad suscipiendas oblationes, sive ad conficienda altaris Sacramenta.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. § 17. n. 3.

Aliam vulgo rationem afferunt huius ritus, eamque mysticam. Eam quoque subiicere iuvat. Aiunt ergo dextera altaris parte significari Iudæos, qui priores ad fidem vocati sunt: sinistra significari Gentiles, qui reiectum ab Iudæis Evangelium ultro susceperunt.

Ut ergo, inquiunt, exhibeatur in Missa grande hoc mysterium Evangelii gentibus annuntiati post Iudæorum repulsam, quidquid in Missa recitatur ante Evangelium, hoc legitur in dextera altaris parte: in sinistra vero Evangelium legitur. Quoniam autem Iudæi tandem ad fidem Christi convertentur, ideo peracta communione Missale refertur ad dexteram altaris partem.

I. Ad plenam ergo huius mysterii significationem, in dextera altaris parte legi oporteret, non in sinistra, ut fit, Initium Evangelii secundum Ioannem, quod peracto sacrificio in singulis Missis legitur? Hoc enim Evangelium legitur post preces quibus aiunt significari tempus ultimæ Iudæorum conversionis?

R. Ad hoc responderi nihil vetat, alterum hoc Evangelium quod peracta Missa legitur, ad preces liturgicas minime pertinere. Hinc olim illud vel non legebatur omnino, vel legebatur in sacrario: nec legitur etiamnum multis in Ecclesiis in Missis maioribus. Hinc Evangelium hoc numquam canitur a Diacono, cuius partes sunt publice legere Evangelium in sollemni conventu. Et certe non legitur nisi dimisso iam populo. Cum ergo recentioris ævi sit lectio illa alterius Evangelii ad altare, & eo solum introducta sit tempore quo iam Evangelium ubique legebatur in sinistra parte altaris, quæ idcirco cornu Evangelii dicta est; nihil mirum si in ea altaris parte hoc Evangelium lectum sit, quæ iam erat omnium Evangeliorum lectioni ex veteri & recepto ritu destinata.

Sed ingenue loquor, myſtica ratio ex allegoria conversionis Iudæorum ducta, pia illa quidem, at non veram caussam exhibet cur Evangelium in sinistra parte legatur. Nam ante annos sexcentos, Romæ Diaconi recitabant Evangelium versi ad dexteram Ecclesiæ partem, in qua stabant viri, feminis in sinistra parte stantibus. Nec nisi succedente ætate annis ab hinc circiter quingentis factum est, ut Diaconi ad sinistram partem versi canerent illud, idque ex more Sacerdotum qui in Missis privatis ob rationem superius traditam legebant Evangelium versi ad sinistram altaris partem. Qui tandem mos ita invaluit, ut iam Evangelium a Diaconis non nisi ad sinistram partem versis legatur ex rubricarum lege. (D)

(D) Micrologus *ubi supra*. Diaconus cum legit Evangelium, iuxta Romanum Ordinem in ambone vertitur ad Meridiem, ubi & masculi conveniunt: non

Digitized by Google

IV. Kyrie eleison. Gloria in excelsis.

I. Quid significant illæ voces, *Kyrie eleison, Christe eleison*?

R. Græcæ illæ sunt. Harum hic sensus est: *Domine miserere; Christe miserere.*

I. Cur hæc orandi formula a Latinis Græce non Latine recitatur?

R. Perantiquus ille ritus; nec eius initium scitur. Iam a sexto seculo ritum hunc ubique apud Latinos obtinuisse constat, tum ex Concilio Vasensi, tum ex Epistolis sancti Gregorii Magni (A). Ex Apostolica traditione voces quædam Hebraicæ in Ecclesia Latina usurpantur: quales sunt, *Amen*, *Alleluia*, *Hosanna*, *Sabaoth*. Et in die sancto Parasceves iam pridem receptus est mos canendi Græco sermone celebre Græcorum trisagion, *Agios o Theos*, sanctus Deus; *Agios ischiros*, sanctus fortis; *Agios athanatos eleison ymas*, sanctus immortalis, miserere nobis. Harum sive Græcarum, sive Hebraicarum vocum significationem norunt fideles omnes, easque ideo retentas fuisse probabile est, ut ostenderetur Ecclesiam unam esse, quæ ex Hebræis & Græcis primum, deinde ex Latinis quoque coadunata est. Quæ quidem lin-

---

ad Aquilonem, ubi feminæ consistunt. Ad principalem enim sexum merito vertitur, cui, ut Apostolus instituit, infirmior sexus domi instituendus committitur. Quod autem Presbyteri ad legendum Evangelium, non se ad Meridiem vertunt, hoc ideo inolevisse credimus, quia nec Ordo illis iniunxit, ut in ambonem ad legendum, sicut Diacones ascenderent, ubi necessario ad masculos potius quam ad feminas se vertere deberent. Nam iuxta Ecclesiasticam consuetudinem ad altare legunt, ubi nulla diversitas auditorum approximat, quæ legentes magis in hanc partem quam in aliam converti exigat. Nusquam ibi feminæ, sed soli relligiosi ad dexteram & ad sinistram permittuntur stare. Ad sinistrum vero cornu altaris habent librum, cum legunt Evangelium, vel cum sacrificant: ut in dextera parte sint expeditiores ad suscipiendas oblationes, sive ad conficienda altaris sacramenta. Unde ad Aquilonem magis quam ad Meridiem versi videntur, cum annunciant Evangelium. Hinc itaque illa usurpatio emersisse videtur, ut etiam Diacones in ambone, contra Romanum ordinem se vertant ad Aquilonem, potiusque se ad partem feminarum quam masculorum vertere non verecantur. Quæ usurpatio iam adeo inolevit, ut apud plerosque quasi pro ordine teneatur. Sed quia certissime contra ordinem est & inhonesta, a diligentioribus ordinis servatoribus merito refutatur.

(A) CONCIL. VASENS. III. *an* 529. *Tom* 8. *Concil. Labb. p.* 727. *can.* 3. Et quia tam in sede Apostolica quam etiam per totas Orientales atque Italiæ provincias, dulcis & nimium salutaris consuetudo est intromissa, ut *Kyrie eleison* frequentius cum grandi affectu & compunctione dicatur; placuit etiam nobis, ut in omnibus Ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo & ad Matutinum, & ad Missas, & ad Vasperas, Deo propitio, intromittatur.

S. GREG. MAGNUS *lib.* 9 *Epist.* 12 *alias* 64 *ad Ioan Syracus. Episc. Kyrie eleison* autem nos quoque diximus, neque dicimus sicut a Græcis dicitur: quia in Græcis simul omnes dicunt, apud nos autem a Clericis dicitur & a populo respondetur; & totidem vicibus etiam *Christe eleison* dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autem Missis aliqua quæ dici solent tacemus, tantummodo *Kyrie eleison* & *Christe eleison* dicimus, ut in his deprecationis vocibus paullo diutius occupemur.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22. n.4.

quæ titulo crucis quodammodo consecratæ sunt: & liturgias antiquiores una ex tribus linguis conscriptas fuisse constat.

I. Cur Ecclesia *Kyrie eleison*, *Christe eleison* nobis repetit?

R. Hac formula ter invocatur quælibet Persona sanctissimæ Trinitatis. Hinc post *Kyrie eleison*, ter repetitum, dicitur ter *Christe eleison*: quibus verbis secunda Persona sanctissimæ Trinitatis invocatur.

Ex Ordine Romano colligitur nullum olim fuisse in Ecclesia Romana præscriptum numerum repetitionis *Kyrie eleison*: sed imposita hac litania chorum prosequutum fuisse *Kyrie eleison*: & hoc tamdiu repetitis vicibus cecinisse, donec dato signo huius canendi finis innueretur a summo Pontifice celebrante (B).

I. Cur in Missis sollemnibus Sacerdos incensat altare dum *Kyrie* canitur a choro?

R. Ut preces populi supplicantis offerat Deo, rogetque Divinam maiestatem, ut preces illæ dirigantur sicut incensum in conspectu eius, & suscipiantur in odorem suavitatis per Christum, cuius altare typus est.

I. Quid agere debet populus dum *Kyrie eleison* canitur?

R. Et ipse cum choro canere debet, vel in Missis privatis recitare cum Sacerdote *Kyrie eleison*. Sed ex intimo cordis affectu, *in spiritu humilitatis, & in animo contrito*, ut, quam supplici voce petit, misericordiam consequatur, & *gratiam inveniat in auxilio opportuno*. Hinc toties *Kyrie* repetitur. Orat. Missæ ad Offert. Heb. iv. 16.

I. Quid est ea orationis formula, cuius initium est, *Gloria in excelsis Deo*?

R. Hymnus est, cuius initium Angeli ipsi cecinere, ut annuntiarent hominibus Christi nativitatem. Reliquum Ecclesia composuit. Hymnum hunc totum subiicio, egregium illum quidem, pietatem & divinum amorem apprime spirantem.

Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus Rex cælestis! Deus Pater omnipotens! Domine Fili unigenite Iesu Christe! Domine Deus Agnus Dei, Filius Patris! Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam Tu solus sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus Altissimus Iesu Christe; cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen. Luc. ii. 14.

(B) Domn. Ioan. Mabillon. M. B. *comment. in Ordin. Rom. art. 6. n.* 3. In primis *Kyrie eleison* toties repetebatur, quoad Pontifex aliquo nutu ſinem designaret. Unde Paris de Crassis observat *Kyrie* in Missis Pontificiis tamdiu protrahi, quamdiu reverentia Papæ a Cardinalibus facienda durat. Verum in iis Missis, quæ Litanias sequebantur, *Kyrie eleison* omitti mos erat, ut ex libellis nostris patet: ob eam videlicet caussam, quod in Litaniis iam cantatum fuisset.

I. Quid agere debet populus dum canitur hic hymnus?

R. Maxime expedit ut illum cum choro canat, & in Missis privatis recitet secreto simul cum Sacerdote. Cogitet tamen id fieri oportere cum intimo amoris sensu, ita ut cor voci consonet. Hæc Ecclesiæ mens est. Propterea canitur hic hymnus a toto choro.

I. Cur in Missis defunctorum, in feriis per annum, (excepto tempore Paschali) & in Dominicis Adventus, Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ, Quadragesimæ, & toto tempore Passionis hic hymnus non canitur in Missa?

R. Quia cum hic hymnus ad sollemnitatem & spiritalem lætitiam pertineat, abstinet Ecclesia ab eius recitatione diebus luctus & pœnitentiæ.

V. Dominus vobiscum. *Collecta*.

I. Cur in Missa Sacerdos vertit se sæpius ad populum, eum interpellans his vocibus, *Dominus vobiscum*?

R. Hac voce, *Dominus vobiscum*, Sacerdos populum salutat, ut diximus, eiusque attentionem excitat. Ideo autem vertit se ad eum hæc loquens, quia natura duce ad eos facies verti debet ad quos dirigitur oratio. Hinc factum est, ut in Ecclesiis in quibus altare sic erat dispositum ut Sacerdotis celebrantis facies versa esset ad populum, non converteret se Sacerdos ad dicendum, *Dominus vobiscum*. Quod etiamnum Romæ servatur quibusdam in Ecclesiis (A).

Notæ §.n.2.

Pars. III. Sect. II. Cap. VII. §.22. n.5.

I. Cur Sacerdos non se convertit quoque ad populum ad hanc vocem, *Oremus*, sed eam pronuntiat elevatis in cælum oculis, & iunctis versus Dominicum corpus in pyxide servatum, alioqui versum Christi cruci affixi effigiem manibus?

R. Quia hoc verbo, *Oremus*, Sacerdos seipsum non secus ac populum excitat ad orandum; ideoque vocem hanc pronuntians, se convertit ad Christum (B).

I. Cur Episcopus sacra faciens non salutat populum his verbis, *Dominus vobiscum*: sed horum vice dicit, *Pax vobis*?

R. Alteram hanc salutandi formulam Episcopi retinuere: hanc adhibent quoque ceteri Sacerdotes ante fractionem hostiæ; tunc enim aiunt, *Pax Domini sit semper vobiscum*.

I. Cur diebus pœnitentiæ Episcopi adhibent consuetam ceteris Sacerdotibus salutandi formulam, *Dominus vobiscum*, nec dicunt *Pax vobis*?

(A) S. Ioan. Chrysost *Homil.* 18 *in* 2. *ad Corinth. num* 3. am in tremendis quoque Mysteriis, ut Sacerdos pro plebe, ita plebs pro Sacerdote vota facit. Hæc enim verba, *Et cum Spiritu tuo*, nihil aliud, quam hoc significant.

(B) S. Ioan. Chrys. *Hom* 2. *in* 2. *ad Corinth num.* 5. Illud enim, *Oremus*, non ad Sacerdotes tantum, sed etiam ad populum spectat. Nam quum ait (Sacerdos) *Recte stemus, oremus*, omnes ad precandum hortatur.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. § 22. n. 5.

R. Forte quia salutatio illa, *Pax vobis*, aliquid videtur adiunctum habere sollemnitatis & lætitiæ; quod diebus pœnitentiæ non admittitur. Sed verius dixerim isthæc ad ritus arbitrarios pertinere: nam diebus pœnitentiæ Episcopi ceterique Sacerdotes omnes dicunt more solito ante fractionem hostiæ, *Pax Domini sit semper vobiscum*.

I. Ad hoc verbum, *Dominus*, Sacerdos manus extendit; ad hoc autem, *vobiscum*, iungit manus: quæ ritus illius ratio?

R. Hoc ritu Sacerdos gestum verbis accommodat, innuitque ipso gestu optare se ut Dominus Spiritu suo populum intus moveat, & cum illo sit. Olim Sacerdos ad hoc verbum *Dominus*, caput inclinabat versus altare, convertebatque se statim ad populum dicturus, *vobiscum*: qui ritus servatur adhuc a Carthusiensibus.

I. Quæ est ea precatio quam *Collectam* dicimus?

R. Precatio est qua varia, pro sollemnitatum & variarum necessitatum ratione, beneficia petuntur a Deo.

I Cur hæc oratio *Collecta* dicitur?

R. Varia significatio huius nominis *Collectæ*:

1. Accipitur ab Apostolo pro eleemosynis quæ a fidelibus colligebantur in pauperum sustentationem. *De collectis*, inquit, *quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite, ut non cum venero, tunc collectæ fiant.* Cor. xvi. 1. 2.

2. Accipitur pro qualibet hominum multitudine in unum congregata, ut habetur lib. 5. Capitularium Caroli Magni c. 130. *De itinerantibus, ut per collectam nemo ausus sit adsilire.*

3. Pro conventu seu collectione fidelium ad orationem simul convenientium; atque hoc sensu phrasis est apud antiquos Scriptores usitatissima, *collectas agere, congregari ad collectam, adesse ad collectam*: Id est, agere Divina officia, congregari ad Divina, adesse Divinis officiis, maximeque sacrosancto Missæ sacrificio.

4. Sumitur *Collectæ* nomen pro brevi oratione quam Sacerdos salutato populo recitat, quæ ideo dicitur *Collecta*, vel quia populo in unum congregato & collecto recitatur, vel quia Sacerdos legatione apud Deum pro omnibus fungens, omnium vota colligit; vel quia ex selectis sacræ Scripturæ & Ecclesiæ verbis compendiosa brevitate colligitur; vel quia per eam singuli collectis animis affectus suos ad Deum attollunt. Quæ notiones ut planius intelligantur duo præcipue observanda sunt.

1. Dum canebatur Introitus, populus olim & Clerus Ecclesiam ingrediebatur, & suum quisque locum occupabat. Post Introitum canebatur, ut nunc fit, *Kyrie*, & *Gloria in excelsis*. Quibus absolutis, Sacerdos recitabat orationem; quæ quoniam prima recitabatur post collectam & congregatum populum, ideo forte *Collecta* appellata est (C).

(C) Bona Cardinalis *Liturg. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 3. Accipitur Collectæ nomen pro

2. Post salutatum populum hac voce, *Dominus vobiscum*, vel *Pax vobis*, Sacerdos ad orationem omnes excitabat hac voce, *Oremus*. Qua audita, omnes orabant aliquantulum in silentio collectis animis; & interposita morula Sacerdos velut collectis omnium votis recitabat orationem, quæ forte hinc quoque *Collectæ* nomen accepit: Servatur etiamnum hic ritus apud Cluniacenses, eiusque vestigium exstat in Missis quæ feriis Quadragesimalibus ceterisque ieiuniorum diebus celebrantur. His enim diebus post dictum a Sacerdote *Oremus*, Diaconus ait alta voce *Flectamus genua*, ac deinde Subdiaconus *Levate*. Sed olim postquam Diaconus dixerat, *Flectamus genua*, omnes flexis genibus orabant aliquantulum secreto, & collectis animis; & interposita aliqua mora, dicebat idem Diaconus, *Levate*: & surgebant omnes, stantesque Collectam audiebant: qui ritus perseverat etiamnum in Ecclesia Parisiensi, & forte aliis in Ecclesiis (D).

I. Cur Sacerdos extensis & sublatis aliquantulum manibus Collectam ceterasque preces liturgicas recitat? *Miſſale Pariſ.*

R. Huic ritui locum dedit Apostolus, his verbis ad Timotheum scribens: *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus*. *1. Tim. II. 8.* Quæ quidem orandi ratio sollemnis erat in veteri Testamento. Moyses enim extensis & sublatis brachiis orabat, *Exod. XVII. 11.* dum Iosue adversus Amalecitas præliaretur. De manibus extensis in oratione sæpius loquitur David in Psalmis: *Exaudi*, inquit, *deprecationem meam, Domine, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum*. *Ps. XXVII. 2.* Et alibi: *In nomine tuo levabo manus meas*. *Ps. LXII. 5.* Et alibi: *Expandi manus meas ad te*. *Ps. LXXXVII. 10.* Hunc ergo ritum Ecclesia ex veteri Testamento, Apostolo præcipiente, mutuata est.

---

brevi oratione, quam Sacerdos salutato populo recitat, quæ ideo Collecta dicitur, quia populo in unum congregato & collecto recitatur, vel quia Sacerdos, legatione apud Deum fungens omnium vota in unum colligit: vel quia ex selectis Sacræ Scripturæ & Ecclesiæ verbis compendiosa brevitate colligitur: vel quia omnes collectis animis affectus suos & mentem ad Deum attollunt quas notiones fusius prosequitur Claudius Espencæus *tract. de Collectis Ecclesiasticis*, Innoc. III. *lib. 2. de Myster. Missæ, cap.* 27. & Ioan. Beleth. *lib. 2. de divin. officiis cap.* 37. Collectam proprie dici volunt eam orationem quæ olim super populum fieri solebat, quando collectus in unum erat cum universo Clero in una Ecclesia, ut ad aliam procederet in qua statio celebranda erat, *dicebatur*.

(D) Ceremonial Paris. *ann.* 1703. *cap.* *prævium*, *pag.* 19. Orationes (in Galliis ante tempora Caroli Magni) plurimæ secundum illum antiquum ritum adhibebantur, de quibus omnibus non est hic necesse dicere. Sciendum tamen quod post datam seu indictam orationem per vocem Sacerdotis, *Oremus*, omnes per aliquam moram sub silentio orabant: in Dominicis quidem, Festis, & toto Paschali tempore stantes; extra autem illa tempora ad monitionem Diaconi, genuflexi: tam stantibus omnibus Sacerdos concludebat seu absolvebat alta voce orationem, quam omnes complebant per acclamationem vocis, *Amen*. Hæ orationes autem, Collectæ, Collectiones, Absolutiones, aut Benedictiones vocabantur. Ceterum illa vox *Amen* a plebe in Missa usurpabatur præterea, post verba sacra Consecrationis, & ante receptionem Eucharistiæ.

Pars III. Sect. II Cap. VII. § 22 n.5.

I. Cur omnes Collectæ, omnes Ecclesiæ preces sic concluduntur, *Per Dominum nostrum Iesum Christum?*

Cap. huius sect. §. 7.

R. Quia, ut iam diximus, Christus mediator est Dei & hominum, nec accessum habere possumus ad Patrem nisi per ipsum. Hæc alibi tradita sunt.

I. Cur in fine collectarum ceterarumque Ecclesiæ precum respondet populus, *Amen?*

Cap. 4. huius sect. §. 20. in interpretat. vocis, Amen

R. Id iam explicatum a nobis fuit. Ut hinc fideles significent, id petiisse se quod Sacerdos totius Ecclesiæ nomine petiit.

Hæc ergo Ecclesiæ mens est, ut populus attentum animum habeat ad Sacerdotis orationem, iungatque se Sacerdoti, idem cum ipso rogaturus (E).

(Olim post recitatam Collectam, in Ecclesia Romana ceterisque in Ecclesiis, diebus sollemnioribus fiebant speciales orationes pro summo Pontifice, pro Imperatore, pro Rege, pro Episcopo in sua cuiusque Ecclesia: quæ orationes *Laudum* nomine appellabantur. Qui ritus servatur etiamnum in pluribus Galliarum Ecclesiis, nimirum in Viennensi, Lugdunensi, Remensi, Rotomagensi, Suessionensi.) Harum *Laudum* formulam legere licet apud Cardinalem Bona, item apud Mabillonium & apud Edmundum Martene (F). Musei Ital. tom. 2.

(E) M. le Touaneur. *De la meilleure maniere d'entendre la Messe, chap.* 4. *Non est necesse*, inquit Durandus Mendensis Episcopus, *ut ii qui intersunt alias orationes recitent, sed ut attente audiant illas Presbyteri, &* Amen respondeant, illis finitis. Hoc amen itaque, ut Patres observant, est subscriptio populi verbis Presbyteri. *Est*, inquit D. Augustinus, *vester consensus, & vestrum suffragium.* *Est*, inquit D. Cyrillus, *tamquam sigillum orationis. Neque solus Presbyter est*, inquit Theodoretus, *qui precetur. & hymnos offerat; verum is qui respondet* Amen *participat de sacrificio laudis quod offertur.* Atque hac sollemni acclamatione præsentes ratam faciunt petitionem factam a Presbytero pro ipsis.

Lib. 2. in Epist. Parmen. cap 7. Catech. mystag. 5. In 1. ad Cor. c. 20.

(F) Domn. Edmund Martene Monach. Bened. e Congr. S. Mauri, *De Antiq. Eccles. ritibus lib.* 1. *cap.* 4. *art.* 3. *n.* 13. *Post orationem*, inquit MS. Ecclesiæ Viennensis Ordinarium, *duo milites, seu in eorum absentia duo de maioribus Capellanis laudes pronuntient*, Christus vincit. Idem præstant in Ecclesia Lugdunensi sex, quos etiam equites vocant, seu advocatos, aut capituli consiliarios.... Eiusdem consuetudinis meminit Gentius *in X. Ordine Romano cap.* 1. apud Mabillonium *Musei Italici tom.* 2. viguitque in insignioribus Galliæ Ecclesiis, ut in Turonensi, Rothomagensi, Lemovicensi, Remensi, Laudunensi, Suessionensi, Silvanectensi. Bellovacensi, &c. ut passim testantur earum MS Ordinaria. Ut autem quid Laudum nomine sit intelligendum, minus antiquorum rituum peritis pateat, eas hic ex MS. codicibus Ecclesiæ Suessionensis repræsentamus.

Duo Sacerdotes.	Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.
Chorus iterum.	Christus vincit: *& sic repetitur ter.*
Presbyteri.	Christus.
Chorus.	Christus.
Presbyteri.	Exaudi Christe.
Chorus.	Summo Pontifici & universali Papæ vita.
Presbyteri.	Exaudi Christe.
Chorus.	Summo Pontifici & universali Papæ vita.
Presbyteri.	Exaudi Christe.
Chorus.	Summo Pontifici & universali Papæ vita.
Presbyteri.	Redemptor mundi.
Chorus.	Tu illum adiuva.

Digitized by Google

VI. *De Epistola*, *Graduali*, Alleluia, *Prosa*, *Tractu*.

I. Quid est ea lectio quæ fit a Subdiacono post recitationem Collectæ?

R. Lectio hæc fit ad eruditionem populi Christiani, ut ea lectione præparetur ad Sacrificium. Hanc Epistolam dicimus, quia sumitur plerumque ex B. Paulli, aliorumve Apostolorum Epistolis; ideoque hoc semper retinet nomen, tametsi sumatur aliquando ex veteris Testamenti libris. Quandoque autem duplex Epistola legitur, una ex veteri

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22. n.6.

Presbyteri.	S. Petre.
Chorus.	Tu illum adiuva.
Presbyteri.	S. Paulle.
Chorus.	Tu illum adiuva.
Presbyteri.	S. Andrea.
Chorus.	Tu illum adiuva.
Presbyteri.	Exaudi Christe.
Chorus.	Philippo excellentissimo a Domino coronato magno & pacifico Regi vita, & victoria.
Presbyteri.	Exaudi Christe.
Chorus.	Philippo excellentissimo, &c.
Presbyteri.	Salvator mundi.
Chorus.	Tu illum adiuva.
Presbyteri.	S. Michael.
Chorus.	Tu illum adiuva.
Presbyteri.	S. Gabriel.
Chorus.	Tu illum adiuva.
Presbyteri.	S. Raphael.
Chorus.	Tu illum adiuva.
Presbyteri.	Exaudi Christe.
Chorus.	Elizabeth Reginæ salus, & vita.
Presbyteri.	Redemptor mundi.
Chorus.	Tu illam adiuva.
Presbyteri.	S. Dei Genitrix.
Chorus.	Tu illam adiuva.
Presbyteri.	S. Agnes.
Chorus.	Tu illam adiuva.
Presbyteri.	S. Agathes.
Chorus.	Tu illam adiuva.
Presbyteri.	Exaudi Christe.

Hic surgant omnes, si Pontifex præsens fuerit, & ter repetatur, Exaudi Christe, &c. Domino Niveloni Pontifici nostro salus & vita.

Presbyteri.	Redemptor mundi.
Chorus.	Tu illum adiuva.
Presbyteri.	S. Gregori.
Chorus.	Tu illum adiuva.
Presbyteri.	S. Principi.
Chorus.	Tu illum adiuva.
Presbyteri.	S. Anfarice.
Chorus.	Tu illum adiuva.
Presbyteri.	Exaudi Christe.
Chorus.	Omnibus Iudicibus & cuncto exercitui Francorum vita & victoria.
Presbyteri.	Redemptor mundi.
Chorus.	Tu illos adiuva.
Presbyteri.	S. Stephane.
Chorus.	Tu illos adiuva.
Presbyteri.	S. Gervasi.
Chorus.	Tu illos adiuva.
Presbyteri.	S. Prothasi.
Chorus.	Tu illos adiuva.
Presbyteri.	Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.
Chorus.	Christus vincit, &c.
Presbyteri.	Lux, via & vita nostra.
Chorus.	Christus vincit.
Presbyteri.	Arma nostra invictissima.
Chorus.	Christus vincit.
Presbyteri.	Fortitudo & iustitia nostra.
Chorus.	Christus vincit.
Presbyteri.	Ipsi soli imperium, gloria, & potestas per immortalia secula seculorum, Amen.
Chorus.	Ipsi soli, &c.
Presbyteri.	Ipsi soli virtus, fortitudo, & victoria per omnia secula seculorum. Amen.
Chorus.	Ipsi soli.
Presbyteri.	Ipsi soli honor, laus & iubilatio per infinita secula seculorum. Amen.
Chorus.	Ipsi soli.
Presbyteri.	Exaudi nos.
Chorus.	Exaudi nos.
Presbyteri.	Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pars III. Sect. II. Cap. VII §. 22. n. 6.

Testamento, altera ex novo: qui ritus, olim in singulis Missis observatus, iam retinetur solum in quibusdam ieiuniorum diebus (A).

I. Quid agere debet populus circumstans, dum legitur Epistola?

R. Debet lectionem attentis auribus excipere, simulque petere a Deo, ut quod legitur intret in cor, nec sine fructu excipiatur.

I. Quas preces canit chorus ad pulpitum ante lectionem Evangelii?

R. Preces desumptas ut plurimum ex Psalmis aliisve Scripturæ sacræ libris. Variæ illæ sunt pro varia ratione temporum & sollemnitatum. Canuntur illæ, ut lecta Epistola chorus occupetur sacris precationibus, dum Diaconus præparat se ad sollemnem Evangelii lectionem. Non abs re autem fore puto, totam hanc precationum illarum rationem paullo fusius exponere.

Epistola & Evangelium canebantur olim (ut fit etiamnum in plerisque Ecclesiis) in ambone (B), inter

(A) Dom. Ioan. Mabillon. Monach. Bened. e Cong. S. Mauri, *lib.* 1. *de Liturg. Gallic. cap* 3 *n.* 10. In ordine Gallicano, testante Gregorio Turonensi Antistite, est facta prima lectio ex Prophetis, altera ex Apostolo, tertia ex Evangelio. Id colligitur ex facto Chramni Chlotarii Regis filii, qui cum Divionem die Dominico accessisset, sortem suam a Clericis expetiit. Clerici positis super altare tribus libris, *id est Prophetiæ, Apostoli & Evangeliorum*, pro more illorum temporum rem explorant, eo pacto, *ut unusquisque in libro quod primum aperiebat, hoc ad Missas etiam legeret*. Ita Gregorius in lib. 4. cap. 16. Et in lib. 8. cap. 7. meminit prophetiæ die Dominico ad Missam pronuntiatæ a Palladio Santonensi Episcopo, qui sacris tunc operabatur.

(B) Dom. Ioan. Mabillon. M. B *Comment. in Ordinem Rom. n.* 3. *pag.* 21. *tom.* 3. *Musei Italici Paris. in* 4. *ann.* 1689. Ambon sive lectorium unum aut alterum adiunctum erat, quatuor aut quinque hinc inde gradus duplices habens pro ascensu & descensu. Ex quo videas longe disparem fuisse formam ambonum a forma odeorum nostrorum, quorum situs etiam diversus: cum ambones illi plurimum ad Septemtrionem positi essent, odea vero nostra ea parte, quæ chorum a navi disterminat.

Ducange *in Glossario mediæ & infimæ Latinit. hac voce* Ambo. Pulpitum, tribunal Ecclesiæ, ad quod gradibus ascenditur. Papias: *Ambonem dicendo gradum significamus*. Walafridus Strabo libro de reb. Eccl. cap. 6. *Ambo ab ambiendo dicitur, quia intrantem ambit & cingit*. At constans est doctiorum sententia a voce Græca ἀναβαίνω, Latinam formatam.. *Pulpitum Ecclesiæ* semel ac iterum vocat Victor Tunonensis.... Ad conscendendum ambonem duplex patebat ascensus. Durandus lib. 4. Ration. c. 24. n. 17. *Dicitur autem Ambo, quia gradibus ambitur; sunt enim in quibusdam Ecclesiis duo paria graduum, sive duo ascensus in illum per medium chori, unus a sinistris, videlicet versus Orientem, quo fit ascensus; alter a dextris, videlicet versus Occidentem, quo fit descensus*. Ugutio: *Ambo pulpitum, ubi ex ambabus partibus sunt gradus*. Anastasius in S. Silvestro PP. pag. 17. *Fecit Basilicam B. Laurentio Martyri... in qua fecit gradum adscensionis & descensionis*, &c. In ambone legebantur lectiones, Epistolæ & Evangelia in sacris Liturgiis. Ceremoniale Episcop. lib. 1. cap. 12. *Ambones, ubi Epistola & Evangelium decantari solent*, &c. In ambonis parte superiore bini erant gradus; alter altior, in quo Evangelium legebatur; alter inferior, in quo Epistola. Ordo Romanus: *Subdiaconus vero qui lecturus est ascendit in ambonem, ut legat; non tamen in superiorem gradum, quem solet ascendere qui Evangelium lecturus est*. Neque tantum lectiones & Evangelia, sed etiam quæ ad Populum recitanda vel exhibenda erant, in ambonibus recitabantur... In ambonibus etiam orationes, seu sermones habebantur ad populum.

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 22. n. 6.

chorum & nartheeem Ecclesiæ posito, unde facilius Lector exaudiri poterat a populo circumstante. Inter Epistolæ & Evangelii lectionem multi ritus exstant. Facienda est benedictio turis; debet Diaconus recitare orationem ante Evangelium, & petere benedictionem a Sacerdote, tum præcedentibus Acolythis & Subdiacono sollemniter procedere ad ambonem ubi legitur Evangelium. Dum hæc fiunt, ut chorus occupetur, simulque possit populus meditari quæ continentur in Epistola, canuntur versus nonnulli ex Psalmis, aliæve preces vel laudes e Scripturis petitæ. Hoc Graduale dicitur, quia ex Romanæ Ecclesiæ ritu canitur in gradu ambonis seu pulpiti; ex ritu autem aliarum aliquot Ecclesiarum, verbi gratia Remensis, canitur in gradibus Presbyterii; quod quandoque fiebat olim & in Ecclesia Romana. Post Graduale canitur *Alleluia*, vox iubilationis & laudis, quæ Hebræa lingua idem sonat quod Latine, *Deum laudate*. Canitur autem cum iubilo & exultatione, ideoque cum modulatione musica, repetitis sæpius variis sub ultima syllaba tonis; quam repetitionem notarum sine verbis, antiqui *Neuma* seu iubilum appellarunt. Subinde autem ad totos illos verbis vacuos accommodarunt antiqui quibusdam in Ecclesiis voces rythmicas, quas Sequentias seu Prosas dixere; sequentias quidem, quia sequuntur canticum *Alleluia*; prosas autem, quia cum modulatione ac iubilo cantantur. Sequentias eiusmodi seu prosas proprias Missis singulis succedente tempore canendas composuerant nonnulli librorum Missalium Editores, ut videre est in pluribus ævi superioris Missalibus, quale est id quo usa est Ecclesia Parisiensis ad annum 1608. Postquam autem ex decreto Concilii Tridentini librorum Liturgicorum correctioni vacatum est paullo attentius, ad paucissimum numerum illæ redactæ sunt, & retentis iis solum quæ diebus sollemnioribus ex prisco ritu cani solebant, ceteræ resectæ sunt; & si quæ de novo adduntur, id agitur ut quidquid iis continetur redoleat pietatem, & ad celebranda divina Mysteria sit apprime accommodatum. Cum autem canitur prosa, tunc ultimum *Alleluia* canitur ex veteri ritu sine neumate seu iubilo, quia prosa iubili locum tenet (C).

Quæ cum ita sint, incongrue

(C) Bona *Liturg. lib. 2. cap. 6. num. 5. Dum psallimus* Alleluia, *iubilamus magis quam canimus*, ut observat Rupertus Abbas lib. 1. de div. offic. cap. 35. *unamque brevem digni sermonis syllabam in plures neumas protrahimus, ut iucundo auditu mens attonita repleatur, & rapiatur illuc, ubi Sancti exultabunt in gloria, & lætabuntur in cubilibus suis*. Sunt autem neumæ seu neumata, vel neumatum distinctiones, ut vocant Musici notæ illæ quæ in fine huius vocis *Alleluia* prolixe decantantur, de quibus Seraphicus Bonaventura lib. de expos. Missæ cap. 2. *Solemnis*, ait, *longam notam post* Alleluia *super hanc litteram* A. *prolixius decantare; quia gaudium Sanctorum in cælis interminabile & ineffabile est*. Et Stephanus Eduensis lib. de Sacramento altaris cap. 12. *Alleluiatici cantus modulatio*, inquit, *laudes fidelium Deo dicatas exprimit, & gratiarum actiones*,

Ps. cxlix. 5.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22. n.6.

quibus suspirant ad æterna gaudia. Verbum est breve, sed longo protrahitur pneumate. Porro his notis, quæ post *Alleluia* sine verbis cantantur, Iubili sive Iubilationis nomen tribuerunt antiqui. Ab aliis Sequentiæ dictæ sunt, quia sunt quædam veluti sequela & appendix cantici *Alleluia*, quæ sine verbis post ipsum sequitur. Utriusque nominis meminit Amalarius lib. 3. cap. 16. dicens: *Hæc iubilatio, quam cantores sequentiam vocant, statum illum ad mentem nostram reducit, quando non erit necessaria loquutio verborum; sed sola cogitatione mens menti monstrabit quod retinet in se.* Et Ordo Romanus, *Sequitur*, ait, *iubilatio, quam Sequentiam vocant.*

Num. 6. Hinc factum est ut Prosæ illæ seu Rythmicæ modulationes, quæ rarius in Romana Ecclesia, in aliis quibusdam frequentius post *Alleluia* cantantur, Sequentiæ dictæ sint, quia loco sequentiæ psalli cœperunt. Radulfus Tungrensis propos. 23. *Abbas Notgerus sequentias aliquas pro neumis de* Alleluia *composuisse dicitur.* Et paucis interiectis: *Iubili autem seu neumata gradualium & de* Alleluia *resecandi non sunt, nisi cum illorum loco sequentiæ decantarentur.* Hugo Victorinus de mysteriis Ecclesiæ cap. 7. *Quando sequentia dicitur, posterius* Alleluia *non habet pneuma; sed chorus loco eius Sequentiam concinit.* Guibertus Tornacensis lib. de offic. Episcop. cap. 23. *Additur sequentia, & non protrahitur secundum* Alleluia; *sed sequentia loco eius canitur...* Notat autem Petrus Cirvelus in expositione Missalis *lib.* 2. *cap.* 115. Improprie dici Sequentiam in Missis defunctorum; quia hoc officium nec *Alleluia* nec sequentiam debet habere, quæ sunt cantica lætitiæ: idque ex eo quod supra ostendimus confirmari potest; nam Sequentia neumati post *Alleluia* addito suffecta est: atque inde deducitur hanc nulli antiquorum tribuendam esse, sed alicui recentiori, cum ritus Ecclesiastici immutari cœperunt. Porro Sequentiæ in vita Paulli Abbatis S. Albani Troparia nuncupantur.

Rupertus Abbas Tuitiens. *lib.* 1. *de Divin. offic. cap.* 35. *Alleluia...* quoniam futuræ beatitudinis quasi proprium est vocabulum, iure eo tempore magis frequentatur, quo resurgens Dominus eiusdem beatitudinis spem nobis propinavit & promissum. Ut autem aliis quoque temporibus ad Missam caneretur, olim Romanæ Ecclesiæ consuetudo non erat, sed a B. Gregorio institutum, immo restitutum est. Namque a tempore Damasi Papæ, cum prius fuisset, eadem consuetudo defecerat. Denique cum de hoc & de aliis nonnullis quosdam murmurare sentiret, tamquam constanter Ecclesiæ consuetudines non sequeretur, non dedignatus est rationem reddere, dicens: *Nos in nullo horum aliam Ecclesiam sequuti sumus. Nam ut* Alleluia *hic diceretur de Hierosolymorum Ecclesia, ex B. Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ traditur tractum. Et ideo in hoc magis sede* Alleluia *consuetudinem amputavimus, quæ hic a Græcis fuerat tradita.* Canitur ergo *Alleluia* post Graduale, canticum lætitiæ, post luctum pœnitentiæ: & summopere nitentes exprimere magnitudinem consolationis, quæ reposita est illis, qui nunc lugent, iubilamus magis quam canimus; unamque brevem digni sermonis syllabam in plures neumas, vel neumarum distinctiones protrahimus, ut iucundo auditu mens attonita repleatur & rapiatur illuc, ubi *Sancti exultabunt in gloria, & lætabuntur in cubilibus suis.* Ps. cxlix. 5.

Hugo Victorin. *Speculi de Mysteriis Eccles. c.* 7. *Bibliothec. Patrum* Hittorpii *tom.* 10 *Alleluia*, quod iubilum habet, exprimit gaudium & amorem credentium, & quanta lætitia & laus sequuta sit fidem audita prædicatione... *Alleluia* modicum est in sermone, & multum in pneumate: quia gaudium illud maius est, quam sermone possit explicari, ad cuius magnitudinem revelandam omnis lingua modica est & imperfecta. Quis enim plane enarraret, quod in cor hominis non ascendit? Hoc ergo gaudium quia nec penitus verbis exprimi, nec penitus taceri potest; Ecclesia quasi demissis verbis iubilando quasi in admirationem prosilit.... Quando autem Sequentia sequitur, posterius *Alleluia* non habet pneuma, sed chorus in loco eius Sequentiam concinit, qua idem significat, id est æternæ vitæ gaudium atque delicias.

Digitized by Google

prorsus adiecta esse videbitur prosa seu Sequentia in Missis defunctorum, si quidem in illis numquam *Alleluia* canitur. Hac ratione ductæ nonnullæ Ecclesiæ, qualis est Senonensis Ecclesia, nondum introduxerunt prosam in Missis defunctorum. Reliquæ vulgo Ecclesiæ eam quæ sic incipit, *Dies iræ, dies illa* &c. iamdiu receptam retinuerunt, quia licet a primæva prosarum origine nonnihil recedere videatur, tamen tantæ dignitatis illa est & maiestatis, ut eam propterea non incongrue retineri posse visum sit.

Ad normam Prosarum illarum quæ loco neumatis canuntur post *Alleluia*, multis olim in Ecclesiis aliud prosarum genus sensim introductum fuerat post introitum Missæ, post Responsoria officii nocturni, & ad *Kyrie eleison* quod novies in Missa repetitur. Qui quidem ritus usurpatur etiamnum nonnullis in Ecclesiis Galliarum: sed is Romæ iam aliisque fere omnibus in Ecclesiis exolevit.

Diebus ieiunio vel pœnitentiæ consecratis non canitur *Alleluia*, sed eius loco canuntur versus aliquot ex Psalmis desumpti: quæ quidem modulatio *Tractus* dicitur, vel quia versus illi tractim & graviter notarumque seu vocum prolixo decursu cantantur, vel quia uno veluti tractu, una serie canuntur a Cantoribus, non respondente choro. In hoc enim Tractus a Responsorio differt, quod in Responsorio post cantatum a Cantoribus versum, fit a choro responsio, quæ *Reclamatio* dicitur; in *Tractu* nemo respondet.

I. Quid agere debet populus circumstans dum canitur in pulpito Graduale, *Alleluia*, Prosa, Tractus?

R. Potest populus vocem suam iungere choro canenti, vel meditari ea quæ lecta sunt in Epistola, vel privatim aliqua pia cogitatione occupari, vel recitare preces quaslibet, quousque legatur Evangelium.

VII. *De Evangelii lectione.*

I. Quid recitat Diaconus flexis in infimo altaris gradu genibus, antequam petat benedictionem a Sacerdote ad lectionem Evangelii?

R. Hanc orationem.

Munda cor meum & labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiæ Prophetæ calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione mundare digneris, ut digne sanctum Evangelium valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Hanc ipsam orationem recitat Sacerdos prono versus medium altare corpore, sive in Missis privatis, sive etiam in Missis sollemnibus, in illis nimirum Ecclesiis in quibus Evangelium privatim legitur a Sacerdote Missam canente.

I. Quid debet interea facere populus circumstans?

R. Suppliciter petere, ut, Deo miserante, circumstantibus prosit ad salutem Evangelii lectio.

I. Cur Diaconus ante supra dictam orationem ponit in medio altari librum Evangeliorum?

R. Ut eo ritu significet a se nuntiatum iri Evangelium iussu & in nomine Christi, cuius altare typum gerit. Simulque ut innuat verba

Christi ipsius Evangelio contineri.

I. Quibus utitur verbis Sacerdos ad Diaconi benedictionem?

R. His verbis: *Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis, ut digne & competenter annunties sanctum Evangelium. In nomine Patris ✠ & Filii & Spiritus Sancti. Amen.*

I. Cur chorus populusque circumstans assurgunt dum procedit Diaconus ad Evangelii lectionem, librum Evangeliorum gestans præ manibus?

R. Assurgit Clerus & populus in honorem Evangeliorum libri qui tunc sollemniter præfertur. (A) Eamdem ob caussam præfertur multis in Ecclesiis crux erecta, præeunt Acolythi ceterique altaris Ministri, portantur luminaria, & turibulum ture fumans ad spargendos per viam odores. Hoc ritu, cuius usus desumptus est a sollemni pompa Magistratuum ceterorumque virorum Principum, quibus olim præferebantur faces accensæ & luminaria dum sollemniter procederent; hoc, inquam, ritu significatur per Evangelium accendi lumen sensibus, infundi divinum amorem cordibus, & Christi bonum odorem usquequaque diffundi.

Vide hujuſce ſect. c. 5. §. 3. & 4.

I. Cur Diaconus, vel Sacerdos lecturus Evangelium, præmittit hæc verba: *Dominus vobiscum?*

R. His verbis populum salutat, monetque ut attentis auribus excipiat Evangelii lectionem.

I. Cur cruce signat Evangelii librum?

R. Ut hoc ritu significet, totam Evangelii vim & virtutem a Christi cruce derivari.

I. Cur frontem, & os, & pectus cruce signant tam Diaconus seu Sacerdos Evangelium annuntiaturus, quam Clerus & populus circumstans?

R. Hoc ritu singuli innuunt sic se esse affectos, ut non erubescant Evangelium, sed gestent illud in fronte, in ore, & corde, paratos scilicet fidem Evangelicam, quam corde retinent, ore & moribus profiteri. Debent igitur singuli ad eius tantæ rei significationem sibi frontem, os & pectus cruce signare.

I. Cur stant omnes erecti dum legitur Evangelium?

R. Ut hoc corporis habitu singuli significent paratos esse se ad obediendum Evangelio, & summa cum reverentia excipi oportere verba sancti Evangelii: sic itaque affectum esse oportet unumquemque.

I. Quid caussæ est, cur multis in Ecclesiis sanctorum Evangeliorum liber deferatur singulis osculandus?

R. Ut singuli profiteantur suam erga sancta Evangelii verba & venerationem, & fidem, & obedientiam.

VIII. *De Pronao.*

I. Cur *Pronaum* (& voce Gallica *Prone*) appellamus quas faciunt Parochi denuntiationes, preces, orationes ad populum inter Missarum parochialium sollemnia?

R. *Pronaos* vox Græca est, qua

(A) S. IGNATIUS Martyr. *in Epist. ad Philad.* Confugiens Evangelio ut carni Iesu. *In interpolata expressius:* Confugiens ad Evangelium tamquam ad corpus Iesu Christi.

narthecem, id est, eam Ecclesiæ partem intelligimus, quæ ab introitu Ecclesiæ ad chorum usque extenditur. In pronao stant laici, in choro & presbyterio Clerus. Denuntiationes illæ & orationes fiunt in pronao Ecclesiæ, quia ad plebem Christianam ibi stantem vel sedentem dirigitur oratio. Tandemque pro denuntiationibus ipsis *Pronai* vox obtinuit, usu recepto, *quem penes arbitrium est & mos & norma loquendi*. Hinc vox Gallica *Proner* idem significat quod palam facere, promulgare.

Horat. de arte Poet.

I. Cur statim post recitatum Evangelium fit Pronaum?

R. Tribus de caussis fit Pronaum: 1. ut Parochus exponat quæ continentur in Evangelio vel Epistola, mox recitatis, ceteraque doceat omnia quæ ad fidem & mores pertinent.

2. Ut denuntiet & faciat preces in libro Rituali præscriptas.

3. Ut denuntiet populo leges & præcepta Ecclesiæ, festa, ieiunia, abstinentias a carnibus, matrimonia contrahenda, monitiones excommunicationum ferendarum, excommunicationes latas, indulgentias concessas ab Summo Pontifice vel Episcopis, cetera denique omnia quæ populo denuntiari iubet Ecclesia.

I. Quid potissimum agere debet Parochus ad eruditionem populi Christiani ex mente Ecclesiæ?

R. Id agere debet potissimum, ut orationem suam accommodet ad captum auditorum. Deinde nihil ad eruditionem populi facere potest utilius, quam si omnia quæcumque pertinent ad Relligionis intelligentiam sic tractet ut singulis diebus Dominicis partem eorum aliquam plana & facili methodo sine ulla verborum pompa doceat & exponat. Sic fiet ut succedente tempore Christiana plebs ea noverit omnia quæ pertinent ad fidem, mores, ritus, preces Ecclesiæ. Nec dubitet Parochus eadem sæpius repetere, ubi id expedire iudicaverit; quæ enim omnino retinenda sunt, ea sæpius imperitæ plebis auribus inculcare multum iuvat. Videat tamen Parochus id apprime esse utile, ut ne quid nimis. Itaque nec aures populi obtundat ad nauseam usque de re eadem, nec longiori oratione fatiget, nec inutili eruditionis ostentatione a scopo longius aberret, nec alienis ab sacri suggestus maiestate & loci sanctitate salibus & scurrilibus iocis risum moveat, nec quemquam carpat nominatim, nisi id publici delicti ratio Episcopi iussu fieri postulet, post præmissas incassum privatas monitiones. Uno verbo, sic vocem, gestum, corporis habitum, orationem ipsam adtemperet, ut singulorum auditorum & mens luce veritatis perfundatur, & corda divinæ caritatis flammis exardescant.

I. Quid agere debet populus ad capiendum fructum ex illis adhortationibus & documentis?

R. Qui Pastorem docentem audiunt assidue, attente, reverenter, & animo docili; dici non potest quantos inde fructus percipiant.

I. Quas preces indicit Parochus in Pronao?

R. Denuntiat preces ex mente

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 22. n. 8.

1. Timoth. II. 1.

Apostoli faciendas pro singulis ordinibus Ecclesiæ, pro Pastoribus, pro Regibus & Principibus, pro Magistratibus, pro Dynastis & Parochiæ Toparchis, pro singulis populi Christiani necessitatibus, pro omnibus vivis & defunctis, sed maxime pro parochianis. Facit commendationem eorum omnium, pro quibus orandum est, & subiungit pro illis orationes.

I. Quid agere debet populus circumstans, dum illæ preces publice recitantur?

R. Vel debet eas simul cum Sacerdote recitare, vel attentum habere ad recitationem animum, ut possit respondere *Amen* ex intimo cordis affectu.

I. Quid agere debet Parochus circa denuntiationes quæ fiunt intra Missarum sollemnia?

R. Gravibus de caussis fiunt illæ denuntiationes: necesse est certe ut tam Parochus quam populus & norint & sequantur in iis mentem Ecclesiæ.

Primo, non licet Parochis ea denuntiare intra Missarum sollemnia, quæ spectant ad forum civile, nisi id gravi de caussa speciatim iubeat Episcopus: non licet itaque denuntiare in Pronao futuras locationes domorum, agrorum, censuum, subhastationes, & alia id genus, quæ non per Parochum, sed per publicum præconem vel apparitorem denuntianda sunt, peracto sacro, extra Ecclesiæ parochialis ambitum.

Secundo, debet Parochus clare & distincte, non raptim, & compressis dentibus pronuntiare quid quid denuntiandum est, ut singula a plebe intelligantur.

Tertio, debet docere identidem, quæ sit earum denuntiationum caussa & ratio; quid Ecclesia postulet ab iis quibus illæ res denuntiantur: quomodo obtemperandum sit Ecclesiæ; quos præcipue spectent illæ denuntiationes. Quod ut planius accipiatur, operæ pretium est hic summatim tradere quid velit Ecclesia singulis hisce denuntiationibus.

Denuntiat Ecclesia populo Christiano per Parochum suas leges, sua præcepta, Episcoporum mandata & edicta; ut ea denuntiatione singulis innotescant, & norint omnes ea vim habere obligandi.

Denuntiat eadem de caussa Festos dies, ieiunia, abstinentias a carnibus, publicas supplicationes &c.

Debet Parochus de his omnibus sic populum Christianum erudire, ut omnes plane intelligant quæ sit in singulis mens Ecclesiæ, quid quaque lege præcipiatur, quid prohibeatur, quid postuletur.

Denuntiat Ecclesia futura Matrimonia, 1. Ut inquirat num futuri coniuges aliquo impedimento detineantur: 2. Ut omnibus nota sint futura coniugia, ne si forte clandestina essent, multis pateret fraudibus & delictis aditus: 3. Ut commendet futuros coniuges orationibus fidelium.

Vide huiusce partis, sect. 1. c. 6. §§ 3. 4. & 5.

Debet ergo Parochus docere interdum quænam sint impedimenta matrimoniorum, ne quis forte eorum ignorantia peccet, vel contrahendo matrimonium per nefas, vel non declarando si quid norit obstare

quominus denuntiatum matrimonium celebrari possit.

Vide ibid. c. 7. §. 12. Denuntiat Ecclesia futuras Ordinationes, 1. Ut inquiratur num ordinandi aliqua labe notentur, aliqua impediantur irregularitate: 2. Ut probentur populo, & sic ministrent: 3. Ut commendentur orationibus fidelium tam Ordinator quam ordinandi.

Debet itaque Parochus docere populum quos Ecclesia reiiciat ab altaris ministerio, quos admittendos putet.

Vide ibid. c. 5. §. 26. Denuntiantur monitiones excommunicationum ferendarum, ut fideles norint teneri se sub excommunicationis interminatione retegere si quid sciant eorum, de quibus hac denuntiatione vocantur in testimonium.

Debet itaque Parochus docere populum, quæ sit vis eiusmodi denuntiationis, quinam ex vi illius teneantur ferre testimonium, quinam possint a testimonio ferendo iure abstinere.

Vide ib. §. 2. Denuntiantur excommunicationes latæ, ut noriut fideles quorum communionem & consortium fugere oporteat; eoque salutari remedio excommunicati reducantur ad meliorem frugem.

Debent ergo Parochi docere populum quos excommunicatos fugere oporteat, quid intelligatur per excommunicatorum fugam, quæ pœna sit communicantium cum excommunicatis, quinam ab ea lege excipiantur.

Tandem denuntiantur Indulgentiæ concessæ a Summo Pontifice vel ab Episcopis, ut possint fideles ea Ecclesiæ benignitate facilius ad agendum serio pœnitentiam excitari.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 22. n. 9. Debent ergo Parochi tradere populo quid sentiat Ecclesia de salutari Indulgentiarum usu, ceteraque docere omnia quæ ea de re superius & quidem fuse prosequuti sumus. Vide ibid. §. 19. 20. & 21.

(In tota huiusce libri serie sigillatim exponimus quid de quaque re scire Christianos oporteat. Hinc possunt Parochi haurire documenta singulis accommodata denuntiationibus quæ fiunt in Pronao.)

I. Quæ sunt Christianæ plebis officia circa denuntiationes eiusmodi?

R. Ut mentem Ecclesiæ in iis assequantur fideles, debent opere perficere quod denuntiat Ecclesia faciendum; orare pro iis qui fidelium orationibus commendantur, observare quæ præcipiuntur, cavere & abstinere ab iis quæ fieri prohibentur, retegere & denuntiare si quid norint Ecclesiæ iussu retegendum & denuntiandum. Quæ quidem omnia ut expressius intelligant, necesse est ut frequentes adsint Missæ parochialis officio, ibique a Sacerdote sedulo doceantur quidquid ad horum pleniorem notitiam pertinet: facientque fideles rem sibi perquam utilem, si suæ ipsi saluti consulant legendo privatim librum hunc ceterosque huiusmodi in eam rem scriptos.

IX. *De Missa fidelium; ac primo de recitatione Symboli.*

I. Quod est initium Missæ fidelium?

R. Recitatio Symboli.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22.n.9.

Et certe ideo solum admittebantur olim catechumeni, infideles, publici pœnitentes ad priorem Missæ partem, quæ catechumenorum dicebatur, ut interessent Pastorum sermonibus & documentis, quæ post Evangelium fiebant; quibus expeditis sollemniter dimittebantur.

I. Cur post Evangelium lectum, & Pronaum absolutum, Missa fidelium incipit a Symbolo?

R. Ut simul collecti fideles sollemniter ante omnia profiteantur credere se quidquid credit Ecclesia, quidquid in Missa catechumenorum ex sacris Scripturis recitatum est, quidquid Pastor mox docuit.

I. Quod Symbolum recitatur?

R. Symbolum Nicænum & Constantinopolitanum his verbis conceptum:

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, Factorem cæli & terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia secula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis; & incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine; & Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas; & ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris; & iterum venturus est cum gloria iudicare vivos & mortuos; cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum; & vitam venturi seculi, Amen.

I. Cur Symbolum hoc dicitur Nicænum & Constantinopolitanum?

R. Quia hæc fidei formula edita magna ex parte primum fuit a Patribus Nicænis, ad convellendam impietatem Arianorum, qui negabant Verbum esse eiusdem cum Patre substantiæ. Cetera addita sunt a Patribus Constantinopolitanis, excepta hac una voce, *Filioque*, quæ ævi recentioris est. Rem fusius explico.

Hanc fidei formulam non totam Nicæni Patres, sed magna ex parte ediderunt: sunt enim in ea articuli quidam adiecti subinde ab Ecclesia. In Symbolo Nicæno de Spiritu Sancto pauca pro temporis illius ratione dicta sunt; nimirum hæc verba solummodo: *Credimus in Spiritum Sanctum.* Quibus verbis hæc addidere Patres Constantinopoli congregati contra Macedonium & Eunomium hæreticos negantes Spiritum Sanctum esse vere Deum; addidere, inquam, hæc verba, *Dominum & vivificantem, qui a Patre procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas.* Addita tandem est hæc vox, *Filioque*; dicimusque iam, *Qui*

Digitized by Google

a Patre Filioque procedit. Quæ quidem additio facta est ab Ecclesia, ut occurreretur eorum errori qui ex illis Symboli verbis, *Qui a Patre procedit*, perperam inferebant Spiritum Sanctum a solo Patre procedere. Facta autem est hæc additio primum a quibusdam Ecclesiis sine Romanæ Ecclesiæ consensu & auctoritate: sed accessit tandem summorum Pontificum, & Conciliorum Oecumenicorum Lugduni, Florentiæ & Tridenti congregatorum auctoritas: adeo ut iam nemine Catholicorum contradicente recitetur Symbolum cum illa additione: quin & illud cum eadem additione recitatur etiamnum in Britannia maiori ab Eterodoxis, qui utuntur Liturgia Anglicana.

Ex quibus manifeste colligitur esse in Ecclesiæ potestate positum, ut novas subinde voces suæ fidei professioni adiiciat, ubi id expedire iudicaverit ad planiorem explicationem veterum suorum dogmatum, contra insurgentes identidem hæreticorum sectas. Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 22. n. 9

I. Quid caussæ est cur Symbolum hoc in Missis singulis non recitetur?

R. Id hodierni ritus est in Liturgia Romana, ut non in singulis Missis Symbolum recitetur; sed in sollemnioribns solum, quales sunt Missæ dierum Dominicorum, Festorum sollemnium: quibus adiiciuntur Missæ in festis Apostolorum & Doctorum Ecclesiæ qui tot & tanta pro stabilienda Christi fide sustinuerunt; itemque Missæ votivæ aliquot si sollemniter celebrentur pro re gravi. Primævo Ecclesiæ Romanæ ritu non recitabatur umquam Symbolum intra Missarum sollemnia. Contra in Orientalibus Ecclesiis illud intra Missarum sollemnia recitari antiquissimi moris est (A). In Ecclesia

(A) Bona *Liturg. lib* 2. *cap*. 8 *num*. 1. Eiectis extra Ecclesiam catechumenis, pœnitentibus, & aliis, quibus peracto sermone nefas erat in ea permanere, incipit Missa fidelium, quæ, cum severior disciplina vigebat, clausis ianuis agebatur, easque custodiebant Ministri, ne quis intraret immundus, vel indignus .. Eius initium a Symbolo, quod diebus Dominicis, & in aliis quibusdam Festivitatibus cantari solet. In eo præcipua Christianæ fidei dogmata continentur, de quo Tertullianus initio libri de velandis virginibus ait: *Regula fidei una omnino est, sola immobilis & irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, & filium eius Iesum Christum, natum ex Virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum a mortuis, receptum in cælis, sedentem nunc ad dexteram Patris, venturum iudicare vivos & mortuos, per carnis etiam resurrectionem*: Et in præscriptionibus cap. 37. *In ea regula*, inquit, *incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit*. Loquitur autem de Symbolo, quod ab Apostolis compositum fuisse, priusquam in varias orbis partes ad prædicandum Christi Evangelium dispergerentur, ut eo veluti signo seu tessera veri fideles a falsis discernerentur, communis Patrum sententia & vetus Ecclesiæ traditio est ..... Hieronymus Epist. 61. ad Pammachium cap. 9 ait: *In Symbolo fidei & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus, post confessionem Trinitatis & unitatem Ecclesiæ, omne Christiani dogmatis sacramentum carnis resurrectione concluditur*... Trecentis & amplius annis solo Apostolico Symbolo usa est Ecclesia, donec Arius detestandæ hæresis impiissimus auctor emersit, pro cuius damnatione coacta Nicæna Syn-

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 22. n. 9.

odus, novam fidei tesseram tradidit Orthodoxis, qua ab Arianis discernerentur ... Hoc vero Symbolo in eadem Synodo recitato omnes Episcopos exclamasse legimus: *Hac est Catholicorum fides, huic omnes credimus, in hac baptizati sumus, in hac baptizamus*. Postquam enim publicatum fuit, omnes Ecclesiæ Orientales illud statim receperunt, & catechumenis ac fidelibus ediscendum tradiderunt, adeo ut Arianus censeretur quicumque ipsum non profitebatur. In partibus vero Occidentalibus a quibusdam Ecclesiis citius, ab aliis serius receptum fuit, prout serius vel citius Ariana hæresi contaminari cœperunt. Novis postea exortis hæresibus secunda Synodus œcumenica Constantinopoli coacta est, in cuius prima congressu aliud Symbolum editum fuit, quod Marcus Ephesinus in Synodo Florentina tamquam ex communi Græcorum Patrum sententia a Gregorio Nazianzeno compositum fuisse asseruit. Utrumque autem tam Nicænum quam Constantinopolitanum pro uno & eodem semper habitum fuit: & quod nunc cantamus in Missarum sollemniis, quamvis sit Constantinopolitanum, a Magistro sententiarum *lib.* 1. *dist.* 11. & ab aliis Scholasticis Nicænum nuncupatur. Utrumque etiam confundunt Patres, quia quidquid additum est a Constantinopolitano, iam virtute in Nicæno continebatur: & cum fides una sit, unum etiam Symbolum est, quamvis Nicænum Apostolico, Nicæno autem Constantinopolitanum quædam maioris explicationis gratia adiunxerint. Hoc vero ultimum in Missa cantari potius quam Nicænum antiqui Patres instituerunt, non quia modulis musicis aptius sit, ut parum recte autumat Walfridus Strabo *cap.* 22. sed quia in eo dogmata orthodoxa clarius exprimuntur, & omnes hæreses eo usque exortæ plenius confutantur.

Num. 2 Quis omnium primus illud Liturgiæ inseruerit, aut cantari præceperit, incertum est. Radulfus Tungrensis *prop.* 23. a Marco Papa Sylvestri successore sancitum fuisse ait ut Symbolum Nicænum in Missa diceretur. At Innocentius III. *Lib.* 2. *de mysteriis Missæ cap* 49. & alii passim scribunt, S. Damasum id recitari iussisse ad exemplum Græcorum. In hoc autem conveniunt omnes, quod publice cantari cœperit in Ecclesiis Orientalibus adversus pravas hæreticorum opiniones, a quibus postea ad Occidentales laudabilis usus transfusus est. Verum Græci vivente Damaso hunc ritum nondum admiserant, ait enim Theodorus Lector *lib.* 2. *collectaneorum*, Timotheum Patriarcham anno 516. Constantinopoli instituisse, ut Symbolum fidei per singulas synaxes diceretur, cum antea semel tantum in anno diceretur in magno die Parasceves, cum Episcopus catechumenos instruebat. Eamdem Symboli recitationem in omni conventu Petro Gnapheo tribuit Nicephorus Callistus *lib.* 15. *cap.* 28. Sed hic fortassis in Antiochena, ille in Constantinopolitana Ecclesia hunc morem induxerunt, quem postea Hispani primi inter Latinos receperunt. Exstat de hac re decretum Concilii tertii Toletani anno 589. cap. 2. *Pro reverentia sanctissimæ fidei, & propter corroborandas hominum invalidas mentes, consultu piissimi & gloriosissimi Domini nostri Reccaredi Regis, sancta constituit Synodus, ut per omnes Ecclesias Hispaniæ & Galliciæ secundum formam Orientalium Ecclesiarum, Concilii Constantinopolitani, hoc est CL. Episcoporum, Symbolum fidei recitetur, & prius quam Dominica dicatur oratio voce clara a populo decantetur, & quos fides vera manifestum testimonium habeat, & ad Christi corpus & sanguinem prælibandum pectora populorum fide purificata accedant*. Exprimit hic Canon ritum Hispanicum, qui adhuc permanet in Missali Mozarabico, in quo post consecrationem & aliquot brevissimas preces dicit Presbyter: *Fidem quam corde credimus, ore autem dicamus*. Tum elevat corpus Christi, ut videatur a populo, & dicit chorus Symbolum fidei, videlicet: *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ; visibilium omnium & invisibilium conditorem. Et in unum Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula. Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero. Natum non factum, omousion Patri, hoc est, eiusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cælo & quæ in terra. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Passus sub*

Digitized by Google

Toletana ex ritu Mozarabico Symbolum intra Canonem & ante orationem Dominicam recitatur (B).

I. Quid agere debet populus circumstans dum Symbolum recitatur a choro, vel (in Missis privatis) a Sacerdote?

R. Debet illud vel simul recitare, vel attentum habere animum ad eius recitationem; & quidquid eo continetur id corde & ore profiteri.

Pars III. Sect. II. Cap VII. § 23. n. 10.

X. *De populi Oblationibus & Eulogiis.*

I. Quid agit Sacerdos post recitationem Symboli?

R. Populum salutat his verbis: *Dominus vobiscum*: & vicissim ab eo salutatur hac responsione: *Et*

Vide Innoc. III. inf. hu-iusce §. n. 13. litt. (D)

Pontio Pilato, sepultus, tertia die resurrexit: adscendit ad celos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est iudicare vivos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum vivificatorem, & ex Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum, qui loquutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum. Exspectamus resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi. Amen. Sic ibi cantatur Symbolum, post quod dicitur oratio Dominicalis Hispanicas Ecclesias Gallicanæ & Germanicæ postmodum imitatæ sunt, regnante Carolo Magno, post Felicis Heretici damnationem, ut Walfridus testatur cap. 22. ..... Quando cœperit Romæ in publica Missarum celebratione cantari, narrat testis oculatus Berno Augiensis cap. 2. libri de rebus ad Missam pertinentibus: *Romani*, inquit, *Symbolum post Evangelium usque ad hæc tempora divæ memoriæ Henrici Imperatoris nullo modo cecinerunt. Sed ab eodem interrogati cur ita agerent, me coram assistente, audivi eos huiusmodi responsum reddere, videlicet quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla hæreseos fæce infecta, sed secundum sancti Petri doctrinam in soliditate Catholicæ fidei permaneret inconcussa. Et ideo magis his necessarium esse illud Symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla heresi potuerunt maculari. At Dominus Imperator non antea destitit, quam omnium consensu id Domino Benedicto Apostolico persuasit, ut ad publicam Missam illud decantarent.* Contigit hoc anno MXIV. quo illud suis Annalibus consignavit Baronius, hæc verba ex solida sua sapientia adiiciens: *Placent ista, sed nobis gratius, si venerandæ antiquitati annorum mille magis delatum fuisset quam novitati* .... Exstat Symbolum in omnibus Liturgiis Græcorum, Maronitarum, & ceterarum gentium, quæ in Oriente sunt.

Dom. Mabillon. M. B. *Comment. in Ordin. Rom. art.* 6 *num.* 3. *pag.* XLII. Post Evangelium Gregorius M. nullam facit mentionem de Symbolo... Et quidem plerique existimant, Symbolum in Romana Ecclesia non fuisse recitatum ante Henrici I. Imperatoris tempus; atque ad id probandum afferunt Bernonis Abbatis Augiensis testis oculati auctoritatem, qui revera id diserte affirmat; additque Romanos huiusce rei caussam ab Imperatore interrogatos respondisse *videlicet quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla hæreseos fæce infecta*. Sed tamen Imperatorem a Benedicto Papa id impetrasse, ut Symbolum in posterum *ad publicam Missam decantaretur*: quod anno MXIV. contigit. Verum longe ante id tempus Symbolum in Missa Pontificali decantari mos erat, ut fidem facit libellus secundus de Ordine Romano. Et ne quis interpolationem hoc in loco caussetur, Amalarius in Egloga super hoc libello eumdem locum commentatur. Quin etiam in libellis V. & VI. de Missa Episcopali secundum Romanos, qualis in usu erat ante seculum nonum, Symbolum post Evangelium assignatur. Itaque per illud intervallum, quod a seculo nono ad undecimum effluxit, Symboli recitationem in Missa intermissam a Romanis fuisse dicendum est.

(B) Dom. Mabillon. *Liturgiæ Gallic. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 2. Præclarum est in Missa Mozarabica institutum, ut recitato Canone, Sacerdos hostiam conse-

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. 22. n. 10.

cum Spiritu tuo. Deinde *oremus*, inquit: Quo verbo admonet iam iam inchoandum esse Sacrificium. Tum accedit populus ad faciendam oblationem: & chorus interea canit antiphonam constantem verbis e Scriptura petitis, quæ ut plurimum exprimunt sensus ad sacrificium accommodatos. Canebatur olim Psalmus dum populus offerret; psalmum sequebatur pro more antiphona. Sed iam pri cem, forte ob paucitatem offerentium, sola antiphona canitur.

I. Quid populus offert?

R. Populus olim offerebat panem, vinum, & aquam in sacrificium. Nunc panem offert, a Sacerdote sollemniter benedicendum, & peracto sacro distribuendum adstantibus in signum communionis. Offert præterea populus cereos, pecuniam, oleum alicubi, idque vel in sumptus fabricæ, vel in sustentationem Pastoris. Rem fusius explico.

Nunc fusius cap. 7. §. 4.

Apud Iudæos, ut diximus supra, si vellet populus sacrificium pro se vel suis offerri, tradebat in manus Sacerdotis victimam, vel hostiam offerendam. Sacrificia isthæc iudaica typum fuisse sacrosancti Missæ Sacrificii, quod a populo Christiano per Sacerdotum manus offertur, superius demonstratum a nobis fuit. *Ib. § 5. & 6.* Non potest quidem populus tradere Sacerdoti victimam offerendam, corpus nimirum & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi: sed eius loco tradit Sacerdoti panem, vinum, & aquam, quæ in Corpus & Sanguinem Christi transmutentur. Hoc facit etiamnum populus per manus Diaconi, qui nomine populi tradit Sacerdoti panem, & in calice vinum aqua mixtum, quibus constat materia Sacrificii. Hoc fuit olim in more positum, ut singuli panem & vinum offerrent: & in obsequiis defunctorum etiamnum intra Missarum sollemnia singuli panem pluribus in Ecclesiis offerunt. Ex illis oblationibus sumebat olim in sacrificium Sacerdos quantum satis esset ad suam & populi communionem, & hæc offerebat primum Deo, deinde consecrabat. Id patet ex multis Orationum formulis, quæ recitantur etiamnum, quibus petit a Deo Sacerdos ut dona in Christi corpus transmutanda, quæ *singuli obtulerunt, cunctis proficiant ad salutem*. *Secreta Dom. V. post Pentecost.*

---

cratam super calicem tenens, Symbolum Constantinopolitanum præcinat ex Decreto Concilii III. Toletani, subsequente Cleri & populi concentu. Hac enim confessione omnes & singuli contestari videntur, se ea fide verum Christi corpus & sanguinem in Eucharistia credere, qua fide omnipotentem Deum unum atque trinum, ac Filium incarnatum credunt. Ideo quippe Toletani Patres hoc Symbolum, *priusquam Dominica dicatur oratio, clara voce a populo decantari* præcipiunt, *quo & fides vera manifestum testimonium habeat, & ad Christi corpus & sanguinem prælibandum pectora populorum fide purificata accedant*. Quod non solum de fide Trinitatis & Incarnationis, sed etiam de fide Eucharistiæ intelligendum est, secundum illud quod in Missali Gothico Gallicano legitur, nimirum in Missa LXXV. *Ut sollemne hoc sacrificium sanctificet corda nostra dum creditur, deleat peccatum dum sumitur*.

Cap. 2. num. 1. in quo Ritus Mozarabici ordinem prosequitur, ait: Postea eam tenens (hostiam) supra calicem recitat Symbolum Nicænum seu C. P.

Eadem fuse Cardin. BONA *loco supra citato littera* (A)

Digitized by Google

runt, accepta sint Deo, & singulis prosint ad salutem (A).

Proinde qui arcebantur a sacra communione Corporis Christi, illi arcebantur quoque ab oblatione facienda, ut constat tum ex Synodo Eliberitana (B), tum ex pluribus aliis Conciliis.

Cum autem, ob nimiam laicorum in re tanta negligentiam, sumpsissent sibi Clerici curam conficiendi panis in usum sacrosanctæ Eucharistiæ, factum est tandem succedente tempore, ut laici offerre panes desierint intra Missarum sollemnia in usum sacrificii: sed eius loco offerri cœpit totius populi nomine panis benedicendus, & peracto sacro distribuendus per partes in signum communionis. Ceteri pecuniam obtulerunt ad Sacerdotis sustentationem, vel Ecclesiæ sarta tecta, & publicorum Officiorum sumptus. Quod hodierni quoque moris est.

Canone 9. Concilii Nannetensis seculo nono habiti hoc sancitum est: „ Ut de oblationibus quæ offe„ runtur a populo, & consecrationi „ supersunt, vel de panibus quos „ offerunt fideles ad Ecclesiam, vel „ certe de suis, Presbyter conve„ nienter partes incisas habeat in „ vase nitido, ut post Missarum „ sollemnia qui communicare non „ fuerunt rati, Eulogias omni die „ Dominico & in diebus festis exin„ de accipiant: & illa, unde Eulo„ gias Presbyter daturus est, ante „ in hæc verba benedicat. Pars III. Sect. II. Cap. VII. § 22. n. 10.

ORATIO.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua sancta & spirituali benedictione, ut sit omnibus salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos & universas inimicorum insidias tutamentum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, panem vitæ, qui de cælo descendit, & dat vitam & salutem mundo, & tecum vivit & regnat; &c.

Hæc oratio etiamnum iisdem fere verbis usurpatur in benedictione panis inter Missarum sollemnia oblati ad Eulogias ex prisco ritu.

Colligitur autem ex eo Canone, id antiquitus moris fuisse, ut ex oblationibus aliquæ secernerentur in sacrificium, aliæ benedicerentur ad Eulogias non communicantibus distribuendas. Id patet quoque ex libro Sacramentorum sancti Gregorii, in quo hæc leguntur: *Et offeruntur a populo panis & vinum, e quibus in altari ponuntur ut sacrentur.* Consonat Ordo Romanus his verbis: *Archidiaconus accipiens per Subdiacones oblatas, hinc inde porrigentes eas, ponit tantas super altare, quantæ possint populo sufficere.* *Ord. Rom. 3. n. 13. Musei Italici T. 2. p. 57.*

Ex his omnibus liquet quæ sig

(A) MABILLON. M. B. *Comment. in Ord. Rom. num. 6. art.* 4. Oblationem quisque suam non modo laici utriusque sexus, sed etiam Sacerdotes & Diaconi in Missa Pontificali faciebant ... Panem solum absque vino Sacerdotes & Diaconi offerebant.

(B) CONCIL. ELIBERIT. *ann.* 305. *Tom. II. pag.* 10. *can.* 28. *Concil. Lab.* Episcopos placuit ab eo qui non communicat, munera accipere non debere.

Pars III Sect. II. Cap VII §.22 n. 10.

origo ritus illius qui viget nunc apud nos, ut intra Missarum sollemnia panis sollemniter offeratur, benedicendus a Sacerdote, ac postea distribuendus tam iis qui interfuere sacrificio quam absentibus (C).

I. Qui iam intersunt Missæ sollemni iis in Ecclesiis, in quibus antiquus oblationum ritus viget, debentne singuli ad oblationem accedere?

R. Ea sane Ecclesiæ mens est, ut

(C) Bona *Liturg. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 4. Mos fuit in veteri Ecclesia, ut qui ad sacram synaxim conveniebant, panem, & vinum portarent & offerrent.... Ritus autem priscus fuit ea dumtaxat offerre, quæ sacrificio usui erant, panem scilicet & vinum: reliqua supra altare offerri prohibet *can.* 3. *Apostolor.* Permittit autem offerri & benedici oleum ad luminaria, & incensum, novasque spicas & uvas, ex quibus fiunt panis & vinum, quæ sunt propria huius sacrificii elementa.... Mos veteris Ecclesiæ fuit non conficere Sacramenta, nec quidpiam ad ea pertinens benedicere, nisi ex oblatis.... Mos autem antiquus erat, ut qui communicandi ius non habebant, iidem offerre prohiberentur, ut ex Concilii Illiberitani can. 28. manifestum est: *Episcopum placuit ab eo qui non communicat, munera accipere non debere*: Omnes enim qui Missæ intererant & communicabant, panem quoque & vinum offerebant, ex quibus Eucharistia conficeretur; atque ideo cum iure communicandi annexum erat ius offerendi.

M. Bocquillot *Traité historique de la Liturg. liv.* 2. *ch.* 10. Eulogia verbum Græcum est quod significat benedictionem. D. Paullus ipsam Eucharistiam hoc nomine appellavit..... Verum postquam Eucharistiæ loco successere panes oblati vel benedicti ad Altare, ut in communionis signum longe mitterentur, atque inter Fideles, qui minime communicabant, distribuerentur, panes hi Eulogiæ nomine donati sunt..... Episcopi etiam sibi invicem mittebant hos panes benedictionis, ut unitatem, quæ inter ipsos erat, indicarent, munusque hoc honestis verbis, quæ mutuam caritatem testarentur, prosequebantur.... Præter has peculiares Eulogias, quas Episcopi & Presbyteri sibi invicem mittebant, aliæ insuper erant quæ Fidelibus in publicis conventibus distribuebantur... Cum Fideles oblatione contenti interesse sacrificio absque eo quod communicarent cœperunt, Ecclesia credidit saltem necesse esse eos ad spiritualiter communicandum inducere, atque aliquo exteriori signo quo communio sacramentalis repræsentaretur, excitare. Nihil magis ad rem erat, quam panis & vini, quæ oblatæ quidem erant, non tamen consecratæ, reliquiæ. Hæ oblationes itaque non consecratæ distribuebantur, vel post Cleri communionem, & eorum qui de sacra mensa participabant, vel post completam Missam, verum antequam a Diacono populus dimitteretur. Quia vero hæ Eulogiæ quoddam veluti Eucharistiæ supplementum erant, iisdem exterioribus ceremoniis distribuebantur: Episcopus vel Presbyter panem dabat, Diaconus vero calicem offerebat. Fideles cum reverentia accipiebant, manumque dantis Presbyteri osculabantur. Panem benedictum hunc singuli in manibus accipiebant; & antequam in os immitterent, signo ac Crucis signabant. Ieiuni esse debebant; qui vero in manus acciperent, postquam manducassent, ieiunis qui prope erant tradebant; ut in ipsa Ecclesia ederent. Ad absentes etiam mittebantur, patresque familias ad suos domesticos ferebant, qui ad Ecclesiam convenire non potuissent. Infidelibus, & excommunicatis non dabantur......

Qui panis benedicti usum, & quod ab eo significatur bene norunt, minime religioni ducunt in ipsa Ecclesia edere; signant se eum, reverentia crucis signo antequam in os mittant, & pie edunt cum intentione spiritualiter communicandi, seque cum Christo & omnibus eius membris coniungendi, filiis & domesticis suis eamdem reverentiam erga panes hosce, cum ad eos deferunt, commendant, ac sedulo monent, panem benedictum alio modo edi oportere ac panem communem, nempe attendendo ad id quod per eum repræsentatur, cum peccatorum gravi dolore, desiderio ad Deum per pœnitentiam redeundi, inimicis suis parcendo, vel saltem ex toto corde cum ipsis reconciliari cupiendo.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22.n.1.

singuli accedant nisi ob gravia delicta secundum Canones ex sententia Ecclesiæ quis forte ab oblatione prohibeatur (D).

I. Quinam ab oblatione facienda prohibentur?

R. Qui notantur infamia, publice excommunicati, & interdicti ab ingressu Ecclesiæ, publici peccatores denunciati, ceterique qui sententia Iudicis vel iure Canonico a sacra communione prohibentur.

I. Qua mente accedendum est ad oblationem?

R. 1. Qui offert donum ad altare, Rom. xii. 1. offerre semetipsum debet Deo *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Nam oblatio exterior signum debet esse interioris, alioqui nullius est apud Deum momenti.

2. Pacifico animo ad oblationem accedendum est, secundum ea quæ Matth. v. 23. & 24. Christus ait: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Et hæc quidem ob verba fuit olim hoc in more positum, ut ante oblationem darent sibi invicem singuli osculum pacis, quod fit etiamnum ante communionem (E). Eam ob rem quoque Sacerdos fidelium oblationes suscipiens, dat singulis offerentibus patenam, vel Christi cruci affixi imaginem, vel suam manum osculandam, in signum pacis, hæc verba subiiciens: *Pax tibi.* Respondentque singuli: *Et cum Spiritu tuo.*

3. Debet unusquisque libenter & liberaliter pro suis quisque facultatibus offerre, quod necesse est ad Pastorum sustentationem & Ecclesiæ cultum & ornatum (F).

4. Cavendum est, ne pius ille ritus ad vanitatis trophæum & pompam inanem, ut fit sæpius, contra mentem Ecclesiæ detorqueatur.

5. Debent Pastores sedulam adhibere cautionem, ne ad oblationem accedant qui ab ea canonicis Sanctionibus arcentur. Ne quid tamen ea de re temere fiat, satius est in dubiis consulere prius Episcopum.

More apud nostrates Gallos recepto, neminem ab oblatione & communione prohibendum existimamus nomine delicti publici, nisi sententia Iudicis accesserit, qua delictum constet. Excipiuntur tamen ab hac lege, 1. qui eam conditionem publice profitentur, cui infamia adiuncta est; quales sunt hi-

(D) Concil. Carthag IV. an. 398 *T. III. p.* 958. *can.* 93. *Concil. Lab.* Oblationes dissidentium fratrum neque in sacrario, neque in gazophylacio recipiantur.

Can. 94. Eorum qui pauperes opprimunt dona a Sacerdotibus refutanda, &c.

Dom. Ioan. Mabillon. *Liturg. Gallic. l.* 1. *c.* 5. *num* 26. Qui non communicabant, Eulogias accipiebant, nisi communionis Ecclesiasticæ essent extortes.

(E) S. Iustin. Mart. *Apolog.* 2. *pro Christian. num.* 85. Sub finem precum nos inter nos osculo salutamus.

(F) 2. Corinth. ix. 6. Hoc autem dico: Qui parce seminat, parce & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §22. n. 11.

striones, ceterique qui artis ludicræ, pronuntiandive vel canendi aut saltandi caussa in scenam prodeunt, quæstum hac arte facientes (G). 2. Feminæ, si quæ forte cultu ornatuque meretricio, nudato pectore, facie fuco & pigmentis deturpata, ad sacram oblationem accedere non vereantur. 3. Quisquis in ipsa sacrosancti Sacrificii celebratione id agit, unde gravis offensio circumstantium in animis palam & publice concitetur. Sit tamen zelus Sacerdotis cum prudentia semper coniunctus.

I. Quo ordine procedendum est ad oblationem?

R. Debet primum Clerus offerre; deinde laici pro sua quisque dignitate; denique mulieres.

XI. *De oblatione panis & vini seorsum facta per Sacerdotem.*

I. Quid agit Sacerdos post factam a circumstantibus oblationem?

Supr. §.

R. Sacerdos olim, ut diximus, ex donis a circumstantibus oblatis sumebat de manu Diaconi quantum necesse erat ad suam & populi communionem; idque offerebat Deo, oblationesque ipsas & altare turificabat.

Nunc autem paratum a Ministris, nec oblatum a populo circumstante, panem & vinum aqua mixtum accipit de manu Diaconi plebis nomine, panemque ac deinde vinum aqua mixtum offert, concepta ad panis ac deinde ad vini oblationem verba proferens.

I. Quibus verbis offert panem?

R. His verbis: *Suscipe sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, hanc immaculatam hostiam quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo & vero, pro innumerabilibus peccatis, offensionibus & negligentiis meis, & pro omnibus circumstantibus; sed & pro omnibus fidelibus Christianis, vivis atque defunctis; ut mihi & illis proficiat ad salutem, in vitam æternam. Amen.*

I. Cur panem hunc, nondum utique consecratum, panem itaque nudum, vocat Sacerdos, *immaculatam hostiam?*

R. Verba isthæc, quibus Sacerdos utitur sæpe ante consecrationem, non ad panem referuntur, sed ad Christi corpus, in quod panis iam iam convertendus est: neque enim panis potest quidquam ad remissionem peccatorum, & ad salutem vivorum & mortuorum. Itaque orationis illius hic sensus est: *Suscipe, sancte Pater, immaculatam hostiam, in quam panis hic iam iam convertendus est, & quam tibi offero pro &c.*

(G) DIGEST. *Lib.* 3. *tit.* 2. *de his qui notantur infamia*, *Leg.* 1. Prætoris §. 1. Infamia notatur.... qui artis ludicræ, pronuntiandive caussa in scenam prodierit.

Leg. 2. Quod ait §. *ult.* Ait Prætor, qui in scenam prodierit, infamis est. Scena est, ut Labeo definit, quæ ludorum faciendorum caussa, quolibet loco, ubi quis consistat, moveaturque spectaculum sui præbiturus, posita sit: in publico, privatoque, vel in vico: quo tamen loco passim homines spectaculi caussa admittantur.

Digitized by Google

I. Dum Sacerdos vinum aqua diluit, quid recitat tacitus?

R. Hanc recitat orationem: *Deus qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, & mirabilius reformasti, da nobis per huius aquæ & vini mysterium, eius divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, Iesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.*

In Missali Ambrosiano non habetur hæc oratio, sed eius loco dicit Sacerdos: *De latere Christi exivit sanguis & aqua, in nomine Patris † & Filii & Spiritus Sancti. Amen.* Hanc eamdem formulam in aquæ & vini commixtione retinent etiamnum Carthusiani.

In aliarum Ecclesiarum Missalibus antiquis eadem fere habentur. Cistercienses veteri ritu dicunt: *Sicut de latere Domini nostri Iesu Christi exivit sanguis & aqua, sic fiat pariter commixtio vini & aquæ in remissionem peccatorum nostrorum.*

Græci aquam bis infundunt in calicem, 1. frigidam; tuncque pungens Sacerdos panem sancta lancea, ait: *Unus militum lancea latus eius aperuit, statimque exivit sanguis & aqua.* 2. Post consecrationem, antequam communicet Sacerdos, Diaconus offert Sacerdoti aquam fervidam benedicendam, quam Sacerdos benedicit his verbis: *Benedictus fervor Sanctorum tuorum iugiter, nunc & semper in secula seculorum. Amen.* Tum Diaconus hanc aquam immittens in sanguinem Christi ait: *Fervor fidei plenus Spiritu Sancto. Amen.*

Ioan. xix. 34

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. 22. n. 11

Ritus ille apud Græcos antiquissimus est: nec illum improbavit umquam Ecclesia Latina, ut observat doctissimus Cardinalis Bona; quamquam non defuerint Theologi qui illum carpserint, ex ignoratione approbati ritus, inquit Cardinalis eruditissimus.

I. Cur aquam in vinum infundit Ecclesia ad sacrificium?

R. 1. Ut servet ritum a Christo observatum & traditum.

2. Ut innuat mysterium hac commixtione expressum.

I. Qua ratione novimus Christum adhibuisse ad consecrationem calicis vinum aqua temperatum?

R. Altum quidem ea de re silentium in Scripturis: id vero certissima traditione constat, ut supra diximus in capite de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento (A).

Huiusce Par. III. sed. 1. c. 4. §. 2.

I. Quale mysterium ea commixtione designatur?

R. 1. Mysterium Incarnationis

(A) S. CLEMENS, *seu* AUCTOR *Constitut. Apost. lib.* 8. *cap.* 12. *Similiter & calicem, postquam miscuit ex vino & aqua, & sanctificavit, dedit eisdem dicens, Bibite ex eo omnes. Hic est sanguis meus,* &c.

S. IUSTIN. Martyr *Apolog.* 2. *versus finem.* Deinde ei qui præpositus est fratribus panis offertur & poculum aqua & vino temperatum.... Posteaquam & is qui præest gratias egit, & populus omnis benedixit, ii qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum qui adsunt percipiendum panem, vinum

Dominicæ, qua natura humana coniungitur hypostatice cum divina.

2. Myſterium ſanguinis & aquæ, quæ de corpore Chriſti lancea perforati fluxerunt.

3. Myſterium coadunationis fidelium cum Chriſto capite. Hoc ſic explicat S. Cyprianus in Epiſtola ad Cæcilium: *Videmus in aqua populum intelligi, in vino oſtendi ſanguinem Chriſti. Quando autem in calice aqua vino miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credidit copulatur & coniungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini ſic miſcetur in calice Domini, ut commixtio illa non poſſit ab invicem ſeparari. Unde Eccleſiam, id eſt, plebem in Eccleſia conſtitutam, fideliter in eo quod credidit perſeverantem, nulla res ſeparare poterit a Chriſto. Sic autem in ſanctificando calice Domini aqua ſola offerri non poteſt, quomodo nec vinum ſolum poteſt. Nam ſi vinum ſolum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis: ſi vero aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto.*

Hæc omnia exprimuntur in orationibus ſupra tranſcriptis, quæ ex ritu variarum Eccleſiarum recitantur dum fit illa commixtio (B).

I. Aquam benedicit Sacerdos antequam illa infundatur in calicem, non benedicit vinum. Quæ eſt huius ritus ratio?

R. Olim vinum aqua dilutum benedicebat, nunc ſolam aquam benedicit. Cuius ritus hanc ratio-

---

& aquam, quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt.

S. Ambrosius *Lib. 5. de Sacram. cap. 1. num.* 2. Diximus ergo quod in altari conſtituatur calix & Panis. In calicem quid mittitur? Vinum. Et quid aliud? Aqua.

S. Cyprianus *Epiſt. 63. ad Cecilium. Vide in Textu Reſp. ſeq. & huius partis ſect.* 1 *cap.* 4. §. 2. *cum* Irenæi *& aliorum auctoritatibus.*

(B) S. Ambros. *Lib* 5. *cap.* 1. *num* 2. Quid ſibi vult admixtio aquæ? Rationem accipe.

Num. 3. Primum omnium figura, quæ ante præceſſit tempore Moyſi, quid habet? quia cum sciret populus Iudæorum, & murmuraret quod aquam invenire non poſſent, iuſſit Deus Moyſi ut tangeret petram de virga. Tetigit petram, & petra undam maximam fudit, ſicut Apoſtolus ait: *Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus.* Non immobilis petra quæ populum ſequebatur. Et tu bibe, ut te Chriſtus ſequatur. Vide myſterium. Moyſes, hoc eſt, Propheta. Virga, hoc eſt, verbum Dei. Sacerdos verbo Dei tangit petram, & fluit aqua, & bibit populus Dei. Tangit ergo Sacerdos, redundat aqua in calice, ſalit in vitam æternam, & bibit populus Dei, qui Dei gratiam conſequutus eſt. Didiciſti ergo hoc.

Num. 4. Accipe & aliud. In tempore Dominicæ paſſionis, cum ſabbatum magnum inſtaret; quia vivebat Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vel latrones, miſſi ſunt qui percuterent eos: venientes autem invenerunt defunctum Dominum Ieſum Chriſtum. Tunc unus de militibus lancea tetigit latus eius, & de latere eius aqua fluxit & ſanguis. Quare aqua? Quare ſanguis? Aqua, ut emundaret: ſanguis, ut redimeret.

Nicephorus *lib.* 18. *cap.* 53 Iacobitæ re divina facienda azymo non pane utuntur, & ad eam vinum aqua non temperatum adhibent; unam ea re in Chriſto naturam deſignantes: neque ſicuti nos calicem miſcent, per quam mixtionem duarum naturarum unionem declaramus.

Digitized by Google

nem tradit Durandus: *Vinum*, inquit, *in hoc loco Christum significat, qui nulla eget benedictione: aqua populum, qui in hac vita nequit esse sine peccato; propter quod indiget benedictione Dei, ut reddatur dignus ad præmissam unionem cum Christo. Ad hoc igitur significandum, aqua benedicitur, quando vino admiscetur.*

I. Cur in Missis defunctorum Sacerdos non benedicit aquam, antequam infundatur in calicem?

R. Recentior est ille ritus. Inde sumpsit originem, quod ut diximus, aqua vino mixta spectatur ut typus populi Christiani Christo per gratiam adunati. Qua significatione posita, habita est ratio vel circumstantis populi, cui non datur benedictio in Missis defunctorum, etiam post finem Missæ; vel fidelium in igne purgatorio peccati relliquias eluentium, quibus hic ideo non datur benedictio, quia non pertinent amplius ad iurisdictionem Ecclesiæ militantis. Sic rem explicat Gavantus in Commentario Rubricarum Missalis: *Sicut in fine Missæ defunctorum*, inquit, *non benedicitur populus, ita nec aqua quæ eumdem populum significat, ut diximus: vel aqua hoc loco significat populum purgatorii, qui iam est in gratia.*

Supra hoc c. 3.

I. Quam orationem recitat Sacerdos ad oblationem calicis?

R. Hanc: *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu Divinæ maiestatis tuæ pro nostra & totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.*

Hanc ipsam orationem recitat Diaconus simul cum Sacerdote, pedem calicis tenens.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. § 22 n. II.

I. Cur Diaconus recitat hanc orationem simul cum Sacerdote?

R. Quia ipse vinum in calicem infudit, ipse Christi sanguinem sub specie vini distribuebat olim populo, ipse personam gerit totius populi, cuius nomine sacrificium offertur. Qui quidem populus sub symbolo aquæ mixtus Christi corpori offertur & ipse cum Christo.

I. Cur calix nudum vinum continens, vocatur tamen *calix salutaris*?

R. Eamdem ob caussam propter quam panis nondum consecratus, appellatur *Immaculata hostia*. Iis verbis designantur corpus & sanguis Christi, in quorum substantiam panis & vinum iam iam transmutabuntur.

I. Quid agit Sacerdos post calicis oblationem?

R. Sacerdos iunctis super altare manibus, pronus corpore, dicit tam suo quam populi nomine sequentem orationem e Scripturis petitam:

In Spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur a te Domine; & sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus. Dan. III. 40.

Deinde erectus, elevatis in cælum oculis, manibusque expansis & statim iunctis, quasi gratiam & virtutem sancti Spiritus advocaturus, cruce signat panem & calicem, hæc verba simul proferens:

Veni sanctificator omnipotens æterne Deus, & benedic hoc sacri-

ficium tuo sancto nomini præparatum.

Dicta hac oratione Sacerdos ministrante Diacono tus ponit in turibulum, & benedicit his verbis:

Per intercessionem sancti Michaelis Archangeli stantis a dextris altaris incensi, & omnium electorum suorum, dignetur Dominus incensum istud benedicere, & in odorem suavitatis accipere. Amen.

Deinde Sacerdos panem & vinum & totum altare ture adolet.

Dum ture adolet oblata, recitat hanc orationem:

Incensum istud a te benedictum ascendat ad te, Domine; & descendat super nos misericordia tua.

In altaris autem turificatione recitat hos versus Psalmi CXL.

v. 2. *Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium*
v. 3. *vespertinum. Pone, Domine, custodiam ori meo; & ostium circum-*
v. 4. *stantiæ labiis meis: Ut non declinet cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.*

Finita turificatione, reddit Sacerdos turibulum Diacono, dicens:

Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, & flammam æternæ caritatis.

Tum Sacerdos ture sufficitur a Diacono. Et adolentur item ture Sanctorum relliquiæ, si quæ sunt extra altare: deinde chorus, denique Ministri altaris: cuius turificationis rationes supra exposuimus. Bohefre ſeſſ. c. 6. §. 4.

I. Quid agere debet populus dum Sacerdos offert Deo panem & vinum?

R. Debet vel easdem cum Sacerdote preces privatim recitare, vel mente coniungi cum Sacerdote, idemque petere a Deo quod petit Sacerdos.

I. Quid agere debet populus dum ture adoletur panis, vinum, altare, &c.?

R. Mentem debet erigere ad Deum, orare intensius: facietque rem ad hunc ritum apprime accommodatam, si recitaverit hos versus Psalmi CXL. *Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, &c.

XII. *De Lotione manuum, & de oratione*, Suscipe sancta Trinitas.

I. Cur Sacerdos lavat manus postquam tus adolevit?

R. 1. Ut eas emundet a sordibus quæ adhærere ipsis potuerunt ex contrectatione turibuli, & oblationum. Neque enim debet Sacerdos nisi lotis summa diligentia manibus & digitis contrectare sacratissimum Christi corpus.

2. Lotio illa manuum signum est summæ puritatis animæ, sine qua nefas est accedere ad sacrosanctum Sacrificium offerendum. Hanc rationem tradit Cyrillus in Catechesi mystagogica 5. (A) ritum hunc explicans recens baptizatis. Idem &

(A) S. Cyril. Hierosol. *Catech. Mystag.* 5. Vidistis igitur Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti, & illis qui circum altare Dei stabant

reliqui Patres scripsere. Ac propterea Sacerdos lavans manus petit a Deo, ut cor suum mundet vel a levissimis delictis. Hac mente recitat versus sequentes Psalmi xxv.
v. 6. *Lavabo inter innocentes manus*
meas: & circumdabo altare tuum,
v. 7. *Domine: ut audiam vocem laudis,*
& enarrem universa mirabilia tua.
v. 8. *Domine Deus, dilexi decorem do-*
mus tuæ, & locum habitationis glo-
v. 9. *riæ tuæ. Ne perdas cum impiis ani-*
mam meam, & cum viris sangui-
v. 10. *num vitam meam; In quorum ma-*
nibus iniquitates sunt, dextera eo-
v. 11. *rum repleta est muneribus. Ego au-*
tem in innocentia mea ingressus sum:
v. 12. *redime me & miserere mei. Pes meus*
stetit in directo: in Ecclesiis benedi-
cam te, Domine. Gloria Patri, &c.

I. Quid agere debet populus dum Sacerdos lavat manus?

R. Debet petere, ut Divina gratia detergeantur delicta sua vel levissima. Hac mente privatim recitare decet eosdem Psalmi xxv. versus, quos recitat Sacerdos, *Lavabo inter innocentes*, &c.

I. Quam orationem recitat Sacerdos submissa voce in medio altaris inclinatus, postquam lavit manus? Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22.n.12.

R. Orationem, qua rursum dona sacranda offert Deo: ideoque elevatis in cælum oculis & manibus, ac statim demissis, ait:

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam Passionis, & Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, & in honorem beatæ Mariæ semper Virginis, & beati Ioannis Baptistæ, & Sanctorum Apostolorum Petri & Paulli, & istorum, & omnium Sanctorum; ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem; & illi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam agimus in terris. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

I. Quid caussæ est cur Sacerdos panem & vinum iterum offerat hac oratione: *Suscipe sancta Trinitas*, cum iam panem obtulerit dicens, *Suscipe sancte Pater* &c. & vinum his verbis, *Offerimus tibi, Domine, calicem*, &c.?

R. Multæ sunt Ecclesiæ in qui-

Presbyteris. Num ideo prorsos dabat, ut sordes corporis ablurrentur? Nequaquam. Nec enim adeo sordibus corporis fœdati in Ecclesiam ingredi solemus. Sed illa manuum ablutio symbolum est, oportere vos a peccatis omnibus & iniquitatibus mundari. Cum enim per manus designentur actiones, lavare certe easdem munditiem & puritatem operum significat. Nonne audistis David mysteria tractantem ista, & di-
Ps. xxv. 6. centem: *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine*? Itaque manus abluere, est symbolum non obnoxium esse peccatis.

Ioan. Bona S. R. E. Card. *Rer. Liturg. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 6. Postquam Sacerdos tus adolevit, lavat manus in signum puritatis animæ, ut ait Clemens *lib.* 8. *Const. cap.* 11. Dionysius quoque *cap.* 3. *Hierarch. Eccles.* non solum Pontificem sacris operantem, sed omnes etiam Presbyteros manus abluisse docet .... Adstipulatur Cyrillus Hierosolymitanus initio Catecheseos 5. Mistag. dicens: *Vidistis Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti, & illis qui circum altare Dei stabant Presbyteris.* Communis est omni nationi hic ritus manus abluendi post oblationem Græcis, Latinis, Maronitis, & aliis Orientalibus.

Pars III Sect. II Cap. VII. §.22 n.12.

bus Sacerdos panem & vinum simul offert hac oratione, *Suscipe sancta Trinitas*, vel alia simili; nec offert separatim panem & vinum. Quem ritum tota fere servabat non ita pridem Ecclesia Gallicana, & retinent etiamnum Dominicani, Carmelitæ, &c. Sed aliæ multæ exstant Ecclesiæ, in quibus viget, antiquissimo ritu, mos hodiernus Ecclesiæ Romanæ, panem primum, deinde vinum, postea utrumque simul offerendi: & id quidem observavit semper Ecclesia Mediolanensis ex ritu Ambrosiano: Suum debet ea de re unaquæque Ecclesia ritum tenere: parum quippe interest, an id prima, an altera ratione fiat (B).

(B) Ordinar. Carthus. *cap.* 26. *n.* 24. Incipit secretas.... & tunc tenet manus utrasque super calicem & hostiam expansas.

Ioan. Bona S. R. E. Card. *Rerum liturg. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 2. In Ordine Romano nulla fit mentio orationum, quæ dici solent a Sacerdote, dum oblationes & reliqua peraguntur; quas nec Gregorius Magnus in libro Sacramentorum, nec Alcuinus, nec Amalarius, nec alii Romanæ Missæ expositores commemorant; quia ut observat Micrologus *cap.* 11. Romanus Ordo nullam orationem instituit post offerendam ante secretam; & ideo omnis ista actio sub silentio complebatur. Ex hac autem consuetudine Romanæ Ecclesiæ quorumdam Scholasticorum opinio convellitur, asserentium oblationem istam cum orationibus eidem assignatis ad Sacrificii integritatem pertinere. Fatentur quidem & agnoscunt omnes Theologi oblationem esse intrinsecam sacrificio; sed in qua eius parte consistat, an cum Sacerdos præscripto ritu panem & vinum offert, an cum peracta consecratione ea verba profert; *Unde & memores nos, Domine, servi tui offerimus præclaræ maiestati tuæ hostiam puram*, & quæ sequuntur, quæstio inutilis est. Oblatio enim cum sit inseparabilis a sacrificio, a certa precum sive rituum formula non dependet; alioquin sacrificium Apostolorum & ceterorum, qui nondum institutis huiusmodi orationibus vixerunt, oblatione caruisset. Quidquid igitur Offertorii nomine comprehenditur, simplex ceremonia, ac mere accidentalis est mox futuri sacrificii præparatoria. Hinc etiam discimus qua de caussa orationes quæ in Offertorio dicuntur in diversis Ecclesiis diversæ sint; quia cum diu Romana Ecclesia illis usa non fuerit, unaquæque Ecclesia sibi peculiares instituit. Micrologus duas tantum profert ex Ordine Gallicano, nempe *Veni sanctificator*, & *Suscipe sancta Trinitas*. Ordo Romanus in secunda descriptione Missæ hanc solam commemorat, *Veni sanctificator*, quæ non est Romanæ Ecclesiæ, sed partium Occidentalium. In antiquis Missalibus Monasticis hac unica oratione panis & vinum offeruntur

Suscipe sancta Trinitas unus Deus hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam Beatæ Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, & in honorem Beatæ Mariæ semper virginis genitricis eiusdem Domini nostri, & omnium Sanctorum & Sanctarum, cælestium virtutum, & vivificæ crucis: ut eam acceptare digneris pro nobis peccatoribus, & pro animabus omnium fidelium defunctorum. Qui vivis. Ita olim Cistercienses.

Ritu Ecclesiæ Lugdunensis cum Sacerdos calicem discooperit, ait: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Tum accipiendo calicem dicit: *Hanc oblationem, quæsumus, omnipotens Deus, ut placatus accipias, & omnium offerentium, & eorum pro quibus tibi offertur peccata indulge.* Deinde elevat calicem dicens: *In spiritu humilitatis* &c. Et post incensatum altare, & lotas manus, ait: *Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende.* Tum inclinat se ante altare, & dicit: *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, & Ascen-*

Digitized by Google

sionis Domini nostri Iesu Christi, & in honorem Virginis Mariæ, & in honorem omnium Sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi; seu eorum quorum hodie festivitas celebratur, & quorum nomina & reliquiæ hic habentur, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem; ut illi omnes sancti pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam agimus in terris. Per eumdem Dominum nostrum.

Ritu Ecclesiæ Sarisburiensis panis & vinum simul offeruntur hac oratione: *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam ego indignus peccator offero in honore tuo, Beatæ Mariæ, & omnium sanctorum tuorum, pro peccatis & offensionibus meis, & pro salute vivorum & requie omnium fidelium defunctorum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti acceptum sit omnipotenti Deo hoc sacrificium novum.*

In Missali Hispalensi ad hostiam offerendam dicitur hæc oratio: *Acceptabilis sit maiestati tuæ omnipotens Deus hæc oblatio, quam tibi offerimus pro reatibus & facinoribus nostris, & pro stabilitate sanctæ Dei Ecclesiæ Catholicæ.* Ad calicem: *Offerimus tibi Domine calicem Christi filii tui, humiliter deprecantes clementiam tuam, ut ante conspectum divinæ Maiestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat.*

In antiquo Missali ms. Bibliothecæ Vaticanæ cod. 4772. quod alicuius Monasterii fuisse constat, sic fit oblatio. Quando Diaconus offert calicem Presbytero, calicem scilicet cum patena & hostia superposita, dicit: *Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua.* Et Sacerdos accipiens oblationem dicit: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero.* Et consequenter dicit hanc orationem: *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, & nostræ congregationis salute, & pro omnibus in Christo fratribus & sororibus nostris, & pro omni populo Christiano, & pro omnibus eleemosynas nobis facientibus, & pro his etiam qui se commendaverunt in nostras orationes, & qui nostri memoriam in suis orationibus habent; ut hic veniam recipiamus peccatorum, & in futuro præmia consequamur æterna.* Cum superposita fuerit oblatio in altari, dicat: *Acceptum sit Domino Deo omnipotenti istud sacrificium altari suo superpositum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti sit signatum, & consecratum, & benedictum sacrificium.* Super oblata: *Sanctifica, Domine, hanc oblationem, ut nobis unigeniti tui corpus fiat.* Super calicem: *Sanctifica, quæsumus Domine, hunc calicem, ut nobis unigeniti tui sanguis fiat.* Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22.n 12

In Missa Codicis Tiliani apud Menardum, & in ea quam edidit Illyricus, diversæ habentur formulæ oblationum, generales & particulares. Sunt & aliæ in aliis Missalibus, quæ fere cum suprascriptis coincidunt. Omnium brevissima est sequens oratio, qua panem & vinum simul offerunt Fratres Prædicatores: *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam passionis Domini nostri Iesu Christi, & præsta ut in conspectu tuo tibi placens ascendat, & meam & omnium fidelium salutem operetur æternam.*

Ritu Ambrosiano Sacerdos offerens hostiam dicit: *Suscipe, clementissime Pater, hunc panem sanctum, ut fiat unigeniti tui corpus, in nomine Patris,* &c. Et dum offert calicem ait: *Suscipe, clementissime Pater, hunc calicem, ut fiat unigeniti tui sanguis, in nomine Patris,* &c. Deinde iunctis manibus & inclinatus dicit: *Omnipotens sempiterne Deus, placabilis & acceptabilis sit tibi hæc oblatio, quam ego indignus pro me misero peccatore & pro delictis meis innumerabilibus tuæ pietati offero, ut veniam & remissionem omnium peccatorum meorum mihi concedas; & iniquitates meas ne respexeris, sed sola tua misericordia mihi prosit indigno.* Tum stans manibus extensis prosequitur: *Et suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro regimine & custodia atque unitate Catholicæ fidei, & pro veneratione quoque beatæ Dei genitricis Mariæ, omniumque simul Sanctorum tuorum: & pro salute & incolumitate famulorum famularumque tuarum, & omnium pro quibus clementiam tuam implorare polliciti sumus, & quorum quarumque eleemosynas suscepimus, & omnium fidelium Christianorum tam vivorum quam defunctorum; ut te miserante remissionem omnium peccatorum, & æternæ beatitudinis præmia in tuis laudibus fideliter perseverando percipere mereantur, ad gloriam & honorem nominis tui, Deus misericordissime rerum conditor. Per Christum Dominum nostrum.*

Digitized by Google

PARS. III. SECT. II. CAP. VII. §. 22. n. 12.

Non desunt viri eruditi, qui existiment hanc orationem, *Suscipe sancte Pater*, &c. quam iam recitat Sacerdos panem offerens Deo, recitatam olim fuisse non a Sacerdote, sed a populo panem consecrandum offerente Sacerdoti. Et id quidem probant ex veteri libro precationum in usum Caroli Calvi Imperatoris & Gallorum Regis collectarum: in quo legitur hæc oratio: *Suscipe sancte Pater* a populo offerente recitanda. Adeo ut ex eorum mente, cum primum populus desiit offerre panem consecrandum, tum Sacerdos ipse populi nomine hanc ipsam orationem recitare cœperit (C).

I. Cur Sacerdos in oratione, *Suscipe sancta Trinitas*, his utitur verbis: *ob memoriam Passionis, & Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri* I. Ch.?

R. Ut significetur totum Christi sacrificium secundum suam omnem extensionem Missæ sacrificio repræsentari, exhiberi, continuari.

Ut autem hæc responsio liquidius intelligatur, necesse est revocare in memoriam ea quæ supra diximus de sacrificiis Iudaicis, quæ typus erant Christi sacrificii. In illis sacrificiis quinque potissimum observanda esse diximus ad pleniorem horum intelligentiam, 1. Electionem victimæ in sacrificium, qua electione quasi sanctificabatur, a profanis usibus segregata; 2. Oblationem victimæ factam a Sacerdote antequam victima mactaretur: 3. Immolationem victimæ, qua circa altare fundebatur eius sanguis: 4. Consumptionem victimæ igni traditæ super altare Holocaustorum, ut quidquid erat in ea corruptionis & vitii flamma vorax absumeret, & fumus §. 4. huiusce.

Diebus Dominicis, & in festis Sanctorum dicit orationem incipientem, *Suscipe sancta Trinitas*, parum differentem ab ea quæ supra descripta est in ritu Lugdunensi. Deinde manus expansas tenens super oblata ait: *Et suscipe sancta Trinitas hanc oblationem pro emundatione mea, ut mundes & purges me ab universis peccatorum maculis, quatenus tibi digne ministrare merear, Deus & clementissime Domine.* Postea benedicit oblata his verbis: *Benedictio Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus sancti copiosa de cælis descendat super hanc nostram oblationem; & accepta tibi sit hæc oblatio, Domine sancte, Pater omnipotens æterne Deus, misericordissime rerum conditor. Amen.* Tandem si sollemniter celebrat, incensat oblata.

Mozarabes dicunt duas orationes ex Missali Hispaniensi supra descriptas, quibus addunt, *In spiritu humilitatis*, & *Veni sanctificator*.

MISSALE CARMELI. Accipiens ambabus manibus calicem & patenam, offerens totam oblationem simul, dicit: *Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus in commemoratione Passionis, Resurrectionis, Ascensionisque in cælum Domini nostri Iesu Christi, & honore beatæ & gloriosæ Dei genitricis, semperque virginis Mariæ; & omnium Sanctorum qui tibi placuerunt ab initio mundi; ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: & omnibus illis pro nobis intercedentibus in cælis, sit in salutem vivorum, & requiem defunctorum. Qui vivis & regnas in secula seculorum. Amen.*

(C) *Hæc exscripsimus ex libro supra laudato*, Idea Sacerdotii & Sacrificii Domini nostri Iesu Christi: *Gallice*, L'idèe du Sacerdoce & du Sacrifice de Iesus-Christi, *in interpretationibus Orationum Missæ*.

Digitized by Google

victimæ incensæ sursum ferretur, a Deo veluti suscipiendus *in odorem suavitatis*, ut cum Scripturis loquar: 5. Denique communionem populi, qui partem aliquam de victimis comedebat. (Exod. xxix. 41. & alibi passim.)

Id omne Christus expressit & consummavit admirabili suo sacrificio. 1. Per Incarnationem electa & sanctificata est victima. Per Incarnationem quippe natura humana Christi electa est, & hypostatice coniuncta cum natura Divina, eoque nexu factum est ut victima dignum Deo sacrificium fieret. 2. Prima oblatio victimæ ante immolationem facta est a Christo in ipso Nativitatis puncto. (Heb. x. 5. 6. & 7.) *Ingrediens enim mundum*, verba sunt Apostoli, *dixit: Holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam*. 3. Immolata est victima in cruce: ibique Christus obtulit semetipsum Deo propitiationem pro peccatis nostris; immolatusque suum sanguinem fudit circa altare, cum latus eius lancea perforatum est. 4. Consumptio victimæ Christi Resurrectione & Ascensione exhibetur. Per Resurrectionem enim, ut cum Apostolo loquar, absorptum est in Christo *quod mortale est, a vita*: (2. Cor. v. 4.) & quidquid erat in eo corruptioni obnoxium plane absumptum est. Per Ascensionem autem victima absumpta in Cælum, a Deo suscepta est in odorem suavitatis, & ad dexteram Dei collocata. 5. Denique communicavit populus victimæ aliquatenus ipso Pentecostes die. Tunc enim Christi Discipuli incorporati sunt Christo, facti participes illius Spiritus, Christoque adhæserunt velut membra capiti, ut centies docet Apostolus in suis Epistolis.

Ut isthæc omnia facilius observarentur animo, in hunc modum olim concepta erat plerisque in Galliarum Ecclesiis (D) quam nunc explicamus orationem:

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Iesu Christi Domini nostri, & adventus Spiritus Sancti, &c.

Iisdem fere verbis utuntur Græci in sua Liturgia.

Quod si hodierno Romanæ Ecclesiæ more mentionem facimus solum Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Iesu Christi; hoc ideo fit, quia tribus hisce mysteriis exhibetur immolatio, & consummatio sacrificii, quod præcipuum in eo fuit. Et quoniam Missæ sacrificium continuatio est, ut diximus, & memoria Christi sacrificii semel oblati, vere illud offerimus in memoriam Passionis & Resurrectionis & Ascensionis Iesu Christi. *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem*. (1. Cor. xi. 24.)

Quin & memoriam non facimus solum in Missa eorum quinque my-

(D) *Hæc oratio legitur in* Missali Parisiensi Petri *&* Henrici de Gondy, *qua usa est Ecclesia Paris. ad ann.* 1608.

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22.n.12.

teriorum quibus totum Christi sacrificium constat: sed & ea exhibemus, & veluti ponimus ob oculos ipsa actione sacrificii nostri.

1. Exhibetur electio & sanctificatio victimæ per electionem & præparationem panis & vini aqua mixti, quæ quidem accipit Sacerdos de manu populi benedicenda & sacranda. Id patet ex oratione quam recitat Sacerdos dum miscet aquam vino, ut iam diximus. N. 11. huius §.

2. Oblatio victimæ ante immolationem exhibetur his orationibus: *Suscipe sancte Pater. Offerimus tibi Domine. Suscipe sancta Trinitas*, &c.

3. Immolatio victimæ exhibetur ipsa consecratione, qua panis in corpus, vinum in sanguinem Christi transmutantur.

4. Consummatio victimæ exhibetur iis orationibus Canonis, quæ sic incipiunt: *Unde & memores: Supra quæ: Supplices te rogamus*, de quibus agemus infra: quibus offertur corpus Christi post consecrationem, ut dicemus ibidem. Huius §. n. 21.22.23.

5. Denique communio sacrificii perficitur communione sacramentali.

Ex quibus liquet singula Christi mysteria, singulas eius sacrificii partes sacrosancto Missæ sacrificio contineri & exhiberi.

I. Cur offertur quoque sacrificium in memoriam & honorem Sanctorum?

R. Cur offeratur sacrificium in memoriam Sanctorum, iam supra dictum a nobis est. Hic addimus offerri illud & in Sanctorum gloriam & honorem. Nam 1. quidquid Sancti gloriæ & honoris habent, totum id acceperunt virtute sacrificii Christi, cuius in Missa continuatio fit, & memoria agitur. 2. Quidquid habet Christus gloriæ & honoris, totum id ad Sanctos, eius utique membra viventia, capiti inseparabiliter adhærentia, necessario redundat. At sacrosanctum Missæ sacrificium Christo gloriosum & honorificum esse nemo Catholicus negaverit. 3. In Missæ Sacrificio Christus offertur, hoc est membra cum capite. Sicut ergo Christus offert sese, ita & Sancti offerunt sese Deo Patri per Christum & cum Christo in hoc sacrificio. Quod quidem quam gloriosum & honorificum sit Sanctis nemo non intelligit. Huius c. §. 11.

I. Quid agere debet populus circumstans dum Sacerdos recitat orationem hanc, *Suscipe sancta Trinitas*?

R. Debet quantum potest assequi mentem Ecclesiæ in hac precationis formula, eoque animo vel hanc privatim recitare cum Sacerdote, vel mente saltem coniungere se cum Sacerdote hanc recitante.

XIII. *De Monitione*, Orate fratres; *& de secretis orationibus*.

I. Post recitatam superiorem orationem, quid agit Sacerdos?

R. Salutato altari, vertit se ad populum, aitque;

Orate, fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.

Cui monitioni sic respondet populus:

Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis, ad laudem & gloriam

Digitized by Google

nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ.

Ut autem totius Missæ sacrificii rationem facilius teneamus, iuvat expendere verba singula, quæ hac tum monitione Sacerdotis, tum responsione populi continentur.

Vide inſra c. §. 9. 1. His verbis, *Meum ac vestrum sacrificium; Sacrificium de manibus tuis*, significatur Missam sacrificium esse non solius Sacerdotis, sed & populi: & in eo offerendo Sacerdotem ministrum esse non Christi solum (cuius nomine consecrat & offert) & Ecclesiæ, sed & populi, qui per manus Sacerdotis offert. Debet ergo populus iungere se Sacerdoti, & simul cum eo sacrificium offerre.

2. Hæc verba, *Ad laudem & gloriam nominis sui*, denotant sacrificium hoc esse Latreuticum & *Ut inſra c. §. 30.* Eucharisticum, ut supra exposuimus.

3. His verbis, *ad utilitatem quoque nostram*, continentur remissio peccatorum, & dona omnia sive spiritualia, sive corporalia impetranda per Sacrificium.

4. Denique his verbis, *Totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ*, intelligitur Missæ sacrificium esse sacrificium totius Ecclesiæ, offerri pro universa Ecclesia sive militante, sive patiente, sive triumphante. Pro militante, ad impetranda beneficia Dei, & remissionem peccatorum; pro patiente, ad obtinendum refrigerium; pro triumphante, ad gloriam & ho- *Supra c. §. 11. & infra § n. 12.* norem, ut supra exposuimus, & ad gratiarum actionem. Nulla igitur Missa, quæ stricte loquendo privata dici possit, etiamsi sine sollemnitate offeratur, & in ea privatorum & singulorum specialis commendatio fiat. Missæ omnes sacrificium publicum sunt, spectant ad utilitatem totius Ecclesiæ. *Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 22. n. 13.*

I. Cur hoc potissimum loco Sacerdos invitat populum ad orandum, ut sacrificium gratum sit & acceptum Deo? Satius certe videretur id monere populum ante illas orationes, *Suscipe sancte Pater*. *Offerimus tibi Domine calicem*. *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem*, quibus orationibus offeruntur oblata; & quæ proinde initium sunt Sacrificii? Inchoato iam Sacrificio id monet Sacerdos, quod iam monuisse debuerat antequam oblatione panis & vini Sacrificium inchoaretur?

R. Ut ritus illius ratio intelligatur, sciendum est hanc primitus Ecclesiæ Romanæ consuetudinem fuisse, ut nulla alia oratione offerrentur Deo per Sacerdotem panis & vinum, quam ea, quam Secretam appellamus, de qua mox dicemus. Orationes ergo illæ, *Suscipe sancte Pater*, &c. *Offerimus*, &c. *Suscipe sancta Trinitas*, &c. introductæ sunt succedente tempore in Liturgiam Romanam ex more aliarum Ecclesiarum. *In Ordine Romano*, *Vide ſupra n. 12. Litt. (B)* inquit Cardinalis Bona, *nulla fit mentio orationum quæ dici solent a Sacerdote dum oblationes & reliqua peraguntur, quas nec Gregorius Magnus in libro Sacramentorum, nec Alcuinus, nec Amalarius, nec alii Romanæ Missæ expositores commemorant; quia ut observat Micrologus cap. 11. Romanus Ordo nullam orationem instituit post offerendam ante secretam; & ideo omnis illa actio sub silentio complebatur.* Carthusiani Monachi retinent et-

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22. n.13

iamnum veterem ritum, nec alias orationes recitant ad offerendum panem & vinum quam orationes secretas. Cum ergo orationes illæ tunc initium essent Sacrificii, mirum non est si ante earum recitationem verteret se Sacerdos ad populum, dicturus, *Orate, Fratres, ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.* Introductis deinde præviis orationibus, *Suscipe sancte Pater. Offerimus. Suscipe sancta Trinitas*, &c. non propterea anticipatum est tempus monitionis, *Orate, Fratres*; sed facta est ea monitio proxime antea secretas orationes ex veteri ritu (A).

(A) S. Gregor. Magn. *lib. Sacram. apud* D. Mabil. *Com. in Ord. Rom. art.* 6. *n.* 3. Legitur Evangelium: deinde Offertorium: & dicitur oratio super oblata. *Sic fere perpetuo vocatur hac oratio in antiquis libris, que in editis, & ab Amalario Secreta dicitur.* Qua completa, dicit Sacerdos excelsa voce, *Per omnia secula seculorum.*

Ordo Rom. I. *num.* 15. Tunc surgens Pontifex a sede, descendit ad altare, & salutat altare, & suscipit oblatas de manu Presbyteri hebdomadarii & Diaconorum. Deinde Archidiaconus suscipit oblatas Pontificis de Oblationario, & dat Pontifici. Quas dum posuerit Pontifex in altare, levat calicem Archidiaconus de manu Subdiaconi regionarii, & ponit eum super altare iuxta oblatam Pontificis a dextris, involutis ansis cum offertorio: quem ponit in cornu altaris, & stat post Pontificem: & Pontifex inclinans se paullulum ad altare, respicit scholam, & annuit ut sileant.

Num. 16. Tunc finito Offertorio, Episcopi stant post Pontificem, primus in medio, deinde per ordinem: & Archidiaconus a dextris Episcoporum, secundus Diaconus a sinistris, & ceteri per ordinem disposita acie. Et Subdiaconi regionarii, finito Offertorio, vadunt retro altare, aspicientes ad Pontificem, ut quando dixerit, *Per omnia secula*, aut *Dominus vobiscum*, aut *Sursum corda*, aut *Gratias*, ipsi sint ad respondendum stantes erecti, usque dum incipiunt dicere hymnum Angelicum, id est, *Sanctus*. *Ibi nulla mentio orationum ad oblationem, sed solius Offertorii, & orationis secretæ. Verum id clarius patebit ex Ordine sequenti.*

Ordo Rom. II. *num.* 9. Tunc surgens Pontifex a sede, & cantantibus adhuc Cantoribus, descendit ad altare, & orat, salutat altare, & suscipit oblatas de manu Presbyterorum & Diaconorum, quibus licitum est accedere ad altare. Deinde Archidiaconus suscipit oblatas duas de Oblationario, & dat Pontifici: quas dum posuerit Pontifex in altare, levat calicem Archidiaconus de manu Subdiaconi, & ponit eum super altare iuxta oblationes Pontificis a dextris, involutis ansis cum offertorio suo, quod etiam ponit in dextro cornu altaris. Post oblationem ponitur incensum super altare, & Pontifex inclinans se paullum ad altare, respicit scholam, & annuit ut sileant, & convertit se ad populum, dicens, *Orate*.

Num. 10. Tunc finito Offertorio ordinantur Presbyteri post Pontificem, & Archidiaconus a dextris eorum, secundus Diaconus a sinistris, & ceteri per ordinem disposita acie. Subdiaconi etiam finito Offertorio, vadunt retro altare, adspicientes ad Pontificem, stantes erecti usquedum dicta oratione super oblationes secreta, & Episcopo alta voce incipiente, *Per omnia secula seculorum*, post salutationem & exhortationem, finita præfatione, incipiant dicere hymnum Angelicum.

Micrologus *cap.* 11. *de Eccles. observat.* Composita autem oblatione in altari, dicit Sacerdos hanc orationem iuxta Gallicanum ordinem: *Veni sanctificator omnipotens æterne Deus, & benedic hoc sacrificium tuo nomini præparatum. Per Christum Dominum nostrum.* Deinde ante altare inclinatus dicat hanc orationem, non ex aliquo ordine, sed ex Ecclesiastica consuetudine: *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam Passionis, Resurrectionis, Ascensionis.* Quæ utique ora-

Digitized by Google

I. Quid agit Sacerdos post illam monitionem, *Orate Fratres?*

R. Exspectat donec Ministri responderint, *Suscipiat*, &c. Interea vertit se ad altare, & finita responsione, *Suscipiat*, ipse dicit, *Amen*. Quo verbo idem petit a Deo quod populus illa precatione petiit: moxque incipit orationes secretas.

I. Quid sunt orationes illæ secretæ? Cur ita nuncupantur?

R. Orationibus illis offert Sacerdos dona a populo oblata in sacrificium: variantur pro sollemnitatum & festorum varietate. Appellabantur olim idcirco orationes super oblata; & hoc nomen habent in editis S. Gelasii & S. Gregorii Magni Sacramentorum libris, pluribusque in Missalibus antiquis. Iam pridem autem *secretæ* nuncupantur, cuius nominis ratio alia ab aliis affertur.

Sunt qui putent id nomen hinc esse iis orationibus inditum, quia submissa voce recitantur ex veteri ritu: unde *in antiquo libro Sacramentorum MS. Ecclesiæ Turonensis*, ut observat Edmundus Martene; *orationes illæ non secretæ, sed arcanæ nuncupantur. Et omnes antiqui sacrorum rituum expositores secretas a secreto & silentio derivant* (B).

Martene, de antiq. Eccl. ritib. c. 4. art. 7. n. 5.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 22. n. 13.

Sunt qui putent orationes illas *secretas* dici a verbo *secernere*; vel quia ex oblationibus populi aliæ ponerentur extra altare, aliæ secernerentur in Sacrificium, & super illas sic *secretas* & super altare positas funderentur orationes, quæ ideo *secretæ*, seu orationes *super oblata secreta* dictæ sunt: vel quia orationes illæ primæ erant ex iis quæ recitabantur post secretos & segregatos catechumenos & pœnitentes, adeo ut illæ *secretæ* dicerentur a secretis catechumenis, quemadmodum Collectæ dicuntur a collectis in unum fidelibus (C).

Quidquid sit de vocis huius origine, unam ex antiquissimis orationibus secretis subiicere iuvat, ex qua plane intelligitur quæ sit mens Ecclesiæ in earum recitatione. Hæc dicitur Dominica quinta post Pentecosten:

Propitiare, Domine, suplicatio-

---

tio a diligentioribus ordinis & comprobatæ consuetudinis observatoribus, tam pro defunctis quam pro vivis sola frequentatur, qui etsi multoties plurimorum consuetudini cedant, superflua tamen summopere devitant. Romanus tamen Ordo nullam orationem instituit post offerendam ante secretam. Erectus autem Presbyter populum hortatur ad orandum, & ipse post finitam secretam præfationem orditur in canonem.

IOAN. BONA S. R. E. Card *Rer. Liturg. lib. 2. cap. 9. n. 2. Vide n. super. litt.* (B)

(B) AMALAR. FORTUNAT. Episc. Trever. *de Eccles. Officiis lib. 1. cap.* 20. Secreta ideo nominatur, quia secreto dicitur.

(C) Messire JACQUES BENIGNE BOSSUET Éveque de Meaux, *Explication de la Messe, num.* 1. *pag.* 19. *Secreta* vel *secretio* separatio; quia oratio hæc super oblationem fiebat, postquam ab eo quod sacrificio destinatum erat, reliqua discreta essent: vel post catechumenorum dimissionem, populique, qui ad sanctuarium vel altare oblationem suam laturus progressus erat, in sua loca discessionem; atque hinc est, quod hæc oratio appellata *super oblata* in aliquibus veteribus Sacramentariis, in aliis *post Secreta* vocatur.

Pars III. Sect. I. Cap. VII. § 24. n. 13. *nibus nostris, & has oblationes famulorum tuorum benignus assume: ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus. Per omnia secula seculorum. Resp. Amen.*

I. Cur orationes secretas & Missæ Canonem fere integrum recitat Sacerdos sine cantu, & submissa voce?

R. Id ritu antiquissimo observatur in Liturgiis tam Græcis quam Latinis, ut quædam submissiori voce, quædam voce elatiore recitentur: nec propterea putes velle Ecclesiam a fidelibus ignorari ea quæ his orationibus continentur; eas enim sicut & ceteras preces Liturgicas iubet a Pastoribus explicari populo Christiano: sed vel hoc ritu vult exprimere & exhibere cum debito honore silentium, quo Christus tulit immanissima supplicia, seipsum tacitus offerens hostiam propitiationis pro peccatis nostris (D): vel putat hoc silentio reverentiam & attentionem maiorem excitari circumstantium animis, dum solus Sacerdos seorsum orat pro populo; quemadmodum in sacrificiis Iudaicis Sacerdos oraturus pro gente solus intrabat in Sanctuarium.

Certe more antiquo Canonem Missæ submissa voce recitatum fuisse inde colligitur, quod dum solus Canonem recitaret Sacerdos, chorus interea Psalmos multis in Ecclesiis caneret, ut patet ex multis Missæ ordinibus antiquis, quos legere licet apud Edmundum Martene. Lib. 1. de ant. Eccl. rit. c. 4. art. 13.

I. Cur post recitatam submissa

(D) D. Innocent. PP. III. *Myster. Missæ lib.* 2. *c.* 54. Post hæc Sacerdos silentii solitudinem expetit, instante memoria Dominicæ Passionis, illud insinuans
Ioan. xi. 54. quod Iesus iam non palam ambulabat apud Iudæos, cum cogitarent eum interficere... Silentium ergo Sacerdotis latibulum Christi signat.

Cap. 55. Notandum vero, quod cum Sacerdos dixisset, *Oremus*, non statim orationem subiungit.

Cap. 60. Tunc Sacerdos inclinans, orat primum pro se, deinde pro populo: monens ut populus oret pro ipso. *Orate*, inquit, *pro me fratres carissimi*. Debemus enim pro invicem orare, secundum
Iac. v. 16. Apostolum, ut salvemur. Nam & Do-
Matth. xviii. 19. minus inquit in Evangelio: *Amen dico vobis, quia si duo vel tres consenserint de omni re super terram, quamcumque petierint, fiet eis a Patre meo, qui est in cælis*. Oravit autem & Christus primum
Ioan. xvii. 1. pro se, deinde pro populo, dicens: *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum,*
Ibid. 2. *ut & Filius tuus clarificet te. Pater sancte, serva eos quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos*. Per hoc autem quod Sacerdos inclinat se, humiliationem Christi signat, qui *exinanivit semetipsum,* Philipp. ii. 7. 8.
formam servi accipiens, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Nunc tandem Sacerdos dicit orationem quam intermisit, quia tunc demum Christus rediit Hierosolymam ad domum orationis, quam ad tempus deseruerat, cum secesserat in Ephrem.

Lib. 3. *cap.* 1. Post acclamatum præconium, sequitur secretum silentium. Nam ut Ioannes Evangelista describit,
ubi Iesus honorifice fuit receptus a tur- Ioan. xii.
bis cum palmis & laudibus, abiit & *abscondit se ab eis*: non utique trepidantis formidine, sed dispensantis officio: *quia nondum venerat hora eius*, quæ postquam advenit, spontaneus ad passionem accessit... Illud ergo latibulum Christi hoc secretum silentium repræsentat, in quo cessante verborum tumultu, sola dirigitur ad Deum intenta devotio.

voce orationem secretam, Sacerdos elevata voce canit, *Per omnia secula seculorum*?

R. Ut populus orationi submissa voce recitatæ suum præbeat assensum hac responsione, *Amen*.

Omnes enim Ecclesiæ preces sic concludi solent; *Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum*. Preces illæ omnes sive submissa sive alta voce nomine populi circumstantis recitantur; cum ergo submissa voce recitantur, Sacerdos ad ultima verba, *Per omnia secula seculorum* vocem extollit, ut populus respondeat, *Amen*. Qui ritus observatur etiam a Græcis. *Græci*, inquit Cardinalis Bona, *item aliquot Liturgiæ orationes secreto legunt, quarum postremam clausulam voce elata pronuntiant, ut ab omnibus audiatur*.

Atque inde colligitur eam Ecclesiæ mentem esse, ut etiam in orationibus secretis iungat se populus Sacerdoti, vel tacite meditando ea quæ Sacerdos tunc agit, vel easdem preces privatim recitando. Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 22. n. 14.

XIV. *De præfatione & hymno Angelico*, Sanctus.

I. Post orationes secretas quid agit Sacerdos?

R. Sacerdos populum, ut moris est, salutat his verbis: *Dominus vobiscum*. Tum ab eo resalutatur hac responsione: *Et cum Spiritu tuo*.

Postea Sacerdos populum compellat his sollemnibus verbis, quorum mentionem fecerunt sancti Patres, quotquot de rebus Liturgicis scripsere (A): *Sursum corda*, Respondet populus; *Habemus ad Dominum*.

Monet autem Sacerdos populum

(A) S. Cyrill. Hierosol. *Catech.* 5. *Mystag.* Clamat Sacerdos, *Sursum corda*. Vere enim circa illam maxime tremendam horam sursum ad Deum corda levare necesse est, & non deorsum ad terram terrenaque negotia deprimere. In hanc igitur sententiam omnibus præcipit Sacerdos, curas scilicet vitæ huius omnes, & domesticas sollicitudines, illa hora relinquere, & cor in cælo habere apud Deum generis humani amatorem. Vos deinde respondetis: *Habemus ad Dominum*, assentientes ei profitendo. Nullus autem sic consistat, ut ore quidem dicat, *Habemus ad Dominum*: mente vero circa vitæ huius curas vagetur. Ac semper quidem Dei meminisse debemus: sed cum id propter infirmitatem humanam fieri non possit, illa tamen maxime hora studiose istud enitendum est. Dicit deinde Sacerdos: *Gratias agamus Domino*. Certe gratias agere debemus, quod nos adeo indignos ad tantam gratiam vocavit: quod inimicos sibi reconciliavit, quod spiritum adoptionis nobis donavit. Ad hæc vos subiicitis: *Dignum, & iustum est*. Cum enim nos Deo gratias agimus, dignum profecto & iustum opus facimus. Ille autem non iustum, sed supra iustum agens tanto vos affecit beneficio, tantaque vobis bona donavit. Facimus deinde mentionem cæli & terræ, & maris, solis & lunæ & syderum, ac universæ creaturæ, tam ratione præditæ quam irrationalis; tam istius quæ videtur, quam illius quæ sub aspectum nostrum non cadit; Angelorum, Archangelorum, Virtutum, Dominationum, Principatuum, Potestatum, Thronorum, & Cherubim faciem operientium, quasi diceremus illud Davidis: *Magnificate Dominum mecum*. Commemoramus etiam illa Cherubim, quæ in Spiritu sancto cernebat Esaias, circumstantia thronum Dei, ac alis quidem duabus faciem velantia, & duabus idem pedes, reliquis vero dua-

Rom. viii. 15.

Ps. xxxiii. 4.

Isai. vi. 2.

ut *sursum corda* habeant; quia necesse est nos extra sensus quodammodo ferri, & conversari in cælestibus, ut possimus simul cum choris Angelorum canere canticum, *Sanctus, sanctus, sanctus*. Necesse est ergo ut revera populus *sursum ad Dominum corda habeat*, attentionemque maiorem adhibeat; alioqui non poterit sine mendacio respondere, *Habemus ad Dominum*.

Subiicit Sacerdos: *Gratias agamus Domino Deo nostro*. Respondet populus: *Dignum & iustum est*. Quod quidem dicendum est corde & ore.

Post hæc canit Sacerdos orationem quæ Præfatio dicitur. Ea autem pro variis sollemnitatibus & Festis variatur: communem solum subiicimus, quæ dicitur quoties propria non occurrit dicenda.

Vere dignum & iustum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum; per quem maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, cæli cælorumque virtutes ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant: cum quibus & nostras voces ut admitti iubeas deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth. Pleni sunt

---

bus volantia, atque dicentia: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth*. Propterea enim traditam nobis hanc seraphicam theologiam recitamus, ut in illa cælesti hymnodia cum supramundana militia communicemus.

S. Ioan. Chrysost. *Homil.* 18. *in* 2. *ad Corinth. Vide supra hocce §. num.* 5. *litt.* (A) *&* (B) *Deinde addit*. Rursus ea oratio, qua Deo gratiæ aguntur, utrisque communis est. Neque enim ipse solus (Sacerdos) gratias agit: sed etiam plebs universa. Nam cum prius illorum vocem sumpsit, atque illi assenserunt id digne ac iuste fieri, tum demum gratiarum actionem auspicatur. Quid autem miraris, si cum Sacerdote plebs interdum loquatur, cum etiam cum ipsis Cherubim, ac supernis virtutibus sacrosanctos illos hymnos communiter in cælum mittat?

S. Cyprian. *lib. de orat. Domin. paullo ante finem*. Quando autem stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet quod precatur: ideo & Sacerdos ante orationem Præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo: *Sursum corda*; ut dum respondet plebs: *Habemus ad Dominum*, admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere.

Hic S. Cyprian *locus habetur apud* Gratian. *Decret. part.* 3. *de Consecrat. distinct.* 1. *c.* 70.

S. Aug. *lib. de dono perseverant c.* 13. *num.* 33. Quod ergo in Sacramentis fidelium dicitur, ut sursum cor habeamus ad Dominum, munus est Domini: de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere, a Sacerdote post hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonentur; & dignum ac iustum esse respondent.

Serm. 227. *alias de div.* 83 *in die Paschæ* 4. In cælo est caput nostrum. Ideo cum dicitur, *sursum cor*; responderis, *Habemus ad Dominum*. Et ne hoc ipsum quod cor habetis sursum ad Dominum, tribuatis viribus vestris, meritis vestris, laboribus vestris, quia Dei donum est sursum habere cor, ideo sequitur Episcopus, vel Presbyter qui offert, & dicit, cum responderit populus, *Habemus ad Dominum sursum cor: gratias agamus Domino Deo nostro*, quia sursum cor habemus; gratias agamus, quia nisi donaret, in terra cor haberemus. Et vos adtestamini, *Dignum & iustum est* dicentes, ut ei gratias agamus qui nos fecit sursum ad nostrum caput habere cor.

Digitized by Google

cæli & terra gloria tua: Hosanna in excelsis. Benedictus † qui venit in nomine Domini: Hosanna in excelsis.

Admirabilis illa & vere divina gratiarum actio, inflammandis ad pietatem animis supra quam dici potest accommodata, qua Ecclesia militans iungit se cælestium spirituum choris, utiturque eorum verbis ad concinendas Dei laudes, Præfatio nuncupatur: quia præfationis & præloquii instar præit Canoni Missæ. Hanc Græci vocant precem Eucharisticam, id est gratiarum actionis.

Singulæ autem Præfationes terminantur hymno *Sanctus, sanctus, sanctus*, &c. quem Græci ἐπινίκιον, id est, triumphalem appellant, nos Angelicum dicimus, quia vidit Isaias *Dominum sedentem super solium* Isai. vi 1. *excelsum*, & audivit seraphicos spiritus alterna modulatione psallentes, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus* Ibid. 3. *Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius*. Alteram partem Hymni sumsit Ecclesia ex verbis Christo Domino a turbis in sollemni Ierosolymæ ingressu ante Passionem decantatis, in hunc modum: *Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis*. Matth. xxi. 9. Ad hæc verba *Benedictus qui venit*, Sacerdos signat se signo crucis; ut innuat eam actionem, qua Christus nobis sese præsentem exhibiturus est in tremendo Sacrificio, esse commemorationem & continuationem sacrificii in cruce oblati.

I. Quid agere debet populus circumstans dum canitur Præfatio & Hymnus Angelicus?

R. Debet iungere se mente Sacerdoti canenti Præfationem, & corde & ore canere cum choro, vel recitare hymnum Angelicum, & canticum Hebræorum advenienti Domino applaudentium. Non aliam ob caussam in Missis sollemnibus hæc canuntur, & in privatis alta voce recitantur.

XV. *De Canone Missæ, ac* 1. *de oratione*, Te igitur.

I. Cur Canonem appellamus eas orationes & verba quæ post Præfationem submissa voce recitantur a Sacerdote?

R. Canon vox Græca est, quæ idem est quod Latino sermone, Regula. Canonem ergo appellamus illas orationes, quia his orationibus & verbis continetur regula fixa & stabilis, qua novi Testamenti sacrificium celebrandum est, ex ritu Ecclesiæ Occidentalis. Canon enim unus & idem est in Missis singulis.

I. Quod est initium Canonis?

R. Sacerdos sublevatis in cælum oculis, & manibus expansis, ac statim iunctis & super altare positis, submissa voce recitat orationem sequentem, cuius initium dicit prono versus altare corpore; & antequam se erigat, honoris & reverentiæ caussa altare osculatur, tum reliqua manibus expansis prosequitur.

Te igitur, clementissime Pater, per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas & benedicas hæc † dona, hæc † munera, hæc sancta † sacrificia illibata, in primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, quam

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22.n.15. *pacificare, custodire, adunare & regere digneris toto orbe terrarum: una cum famulo tuo Papa nostro* N. *& Antistite nostro* N. *& Rege nostro* N. *& omnibus orthodoxis atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.*

I. Cur Sacerdos ter ducit signum crucis super panem & vinum ad hæc verba, *Rogamus... uti benedicas hæc* † *dona, hæc* † *munera, hæc sancta* † *sacrificia?*

R. Ut intelligamus non posse panis & vini oblationem benedici, sanctificari, & accepta haberi Deo nisi virtute crucis Christi.

I. Quæ mens Ecclesiæ est in tota illa precatione?

R. Hanc ut plenius assequamur multa diligenter & studiose attendenda sunt, ex quibus patebit tota sacrificii ratio.

1. Quamvis sacrificium offeratur in honorem & memoriam Sanctorum, ut diximus; tamen non ipsis offertur, non ad eos dirigitur oratio, non dicimus: *Offerimus tibi, Petre; offerimus tibi, Paulle: offerimus tibi, sacratissima virgo Maria, sacrificium.* Sed Missæ singulæ Deo offeruntur: ad Deum semper dirigitur oratio his verbis: *Te igitur, clementissime Pater, per Iesum Christum rogamus, ut accepta habeas hæc sacrificia, quæ tibi offerimus.* Hoc ipso c. §. 11.

2. Toti quidem Trinitati sacrificium offertur: attamen ex perpetuo Ecclesiæ usu ad Deum Patrem dirigitur oratio, per Filium, in unitate Spiritus sancti: quamquam aliquæ preces Liturgicæ ad totam Trinitatem diriguntur, hæc nimirum, *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem*, &c. de qua supra: itemque hæc, n. 12. *Placeat tibi sancta Trinitas obsequium servitutis meæ; & præsta, ut sacrificium quod maiestati tuæ obtuli tibi sit acceptabile*, &c. quam n. 31. integrum dabimus infra.

3. Petimus a Deo ut accepta habeat *hæc dona & munera*; nimirum panem & vinum in corpus & sanguinem Christi transmutanda. Hæc autem vocamus *sancta sacrificia illibata*, propter futuram transmutationem, ut iam observavimus ad hanc n. 11. orationem, *Suscipe sancte Pater hanc immaculatam hostiam.*

4. Nulla celebratur Missa quæ non offeratur pro universa Ecclesia, & pro singulis Ecclesiæ ordinibus, itemque pro omnibus fidelibus Christianis: unde colligitur nullam esse Missam, quæ proprie & stricte loquendo, privata dici possit; omnes esse communes. Quod iam observatum a nobis fuit (A). Hoc ipso c. §. 14. & huiusce §. n. 13.

5. Quatuor præcipue petimus a Deo pro sancta Ecclesia in Missis singulis, eaque maximi momenti: 1. ut Ecclesiam dignetur Deus *pacificare*, id est, persequutiones adversus eam exterius insurgentes compescere: 2. *Custodire*, nimirum ab hostibus eius fidem impugnantibus, quales sunt Ethnici, Hæretici. 3. *Adunare*, adeo ut nullis scindatur schismatibus, nullis dissidiis internis affligatur, nullis intestinis dis-

(A) Conc. Trident. *sess.* 22. *c.* 6. *De sacrificio Missæ. Vide superius* §. 14. *huiusce cap. litt.* (G)

sensionibus turbetur: *Regere*, vel dando per totum orbem Pastores secundum cor suum, quorum ipse mentes & studia dirigat; vel sua omnipotenti virtute, faciendo ne pravi & perversi Pastores noceant Dominico gregi, simulque ne quidquam Ecclesia detrimenti patiatur a malorum Christianorum perditis moribus & exemplis.

6. In singulis Missis oramus specialiter pro summo Pontifice, pro Antistite, pro Rege, seu supremo Principe loci illius in quo Missa agitur. Decet enim maxime eorum præcipue fieri honoris caussa mentionem qui ceteris præsunt, adeoque maiori premuntur pondere. Præterea in eo sequimur præceptum Apostoli, præcipientis uti fiant *orationes* & supplicationes Deo *pro omnibus hominibus, pro Regibus, iisque qui in sublimitate sunt; ut* sub eorum imperio & regimine *quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate* (B).

1.Tim. II. 1. & seq.

7. Sacerdos in loco peregrino celebrans non suum nominat Antistitem sed Antistitem loci illius in quo Missas agit: ut hinc intelligatur non hunc suo nomine, sed nomine populi circumstantis offerre; nec posse sacrificium rite celebrari a Presbytero extraneo, nisi consensu & auctoritate Antistitis illius, qui huic loco præest, & qui proinde debet per totam suam ditionem & Diœcesim in sacrificio etiam a Presbyteris extraneis oblato, honoris caussa nominari.

8. Orat Sacerdos *pro omnibus orthodoxis atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus:* Nullam facit mentionem infidelium, Iudæorum, Hæreticorum, Excommunicatorum: quamvis enim pro eorum conversione & salute orandum sit, tamen id antiquo ritu Ecclesiæ Occidentalis observatur, ut intra Missarum sollemnia, maximeque in Canone, eorum nomina publice non recitentur.

Vide sup. § 12. huiusce.

Multi Scriptores aiunt hæc ultima huius orationis verba, & *pro omnibus orthodoxis atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus*, addita fuisse Canoni Missæ ab annis circiter sexcentis, cum prius in eo non legerentur (C).

Alii probabilius id negant, probantque ex Missalibus superioris ævi, nihil huic orationi additum eo seculo fuisse (D).

I. Quid agere debet populus cir-

(B) *Ex Epist.* S. Dionys. Episc. Alex. *De persequutione Valeriani: ex* Eusebii *hist. Eccles. lib.* 7. *cap.* 11. *a* Theodor. Ruinart. *in Actis Martyr. sinceris exscripta, pag* 173 Huic continuas preces offerimus pro imperio illorum, ut stabile & inconcussum permaneat.

Act. Proconsul S. Cypri. *apud* Theodor. Ruinart. *in actis Martyr. sinc. pag.* 216. Hunc deprecamur diebus ac noctibus, pro nobis & pro omnibus hominibus, & pro incolumitate ipsorum Imperatorum.

S. Cyril. Hierosolym. *Catech.* 5. *Mystag.* Obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis & afflictis, & in summa pro iis omnibus qui egent auxilio.

Vide supra huiusce c. § 10. *litt.* (C) & §. 12. *litt.* (B) *alias auctoritates* SS. PP.

(C) Microlog. c. 13. *De Eccles. observat. lege hunc apud* Menard. *litt. seq.*

(D) Domn. Hugo Menardus Monach. Bened. e Cong. S. Mauri, *nota* 19. *in Sa-*

Pars III. Sect. II. Cap. VII. § 22 n. 16.

cumstans, dum recitat Sacerdos primam hanc orationem Canonis?

R. Hanc orationem Sacerdos non suo solum, sed etiam populi nomine recitat; hæc ergo Ecclesiæ mens est, ut populus iungat se mente Sacerdoti hanc orationem recitanti.

Non prius incipiebat olim Sacerdos in Ecclesia Romana, ceterisque omnibus in Ecclesiis Canonem recitare, quam finitus esset a choro Hymnus Angelicus, quem Sacerdos ipse & Ministri altaris simul concinebant iunctis cum choro vocibus (E).

Finito Hymno recitabat Sacerdos submissa voce Canonem, & chorus interea quibusdam in Ecclesiis Psalmos canebat; quod tamen antiquissimi ritus non fuisse constat; nam primævo ritu orabant omnes silentio, dum Canon recitaretur.

XVI. *De Commemoratione vivorum.*

I. Quæ est altera oratio canonis?

R. Postquam Sacerdos oravit pro universa Ecclesia, & specialem fecit mentionem summi Pontificis, Episcopi Diœcesani, Regis seu supremi Principis, denique fidelium omnium; altera oratione commendat primo eos pro quibus vult specialius offerre sacrificium, deinde circumstantes omnes. Hac autem utitur formula: *Memento Domine ſamulorum ſamularumque tuarum,* NN.

Hic privatim commendat quos voluerit: & ob id facta aliqua pausa, sic prosequitur:

Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est & nota devotio; pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ; tibique reddunt vota sua æterno Deo vivo & vero (A).

Huius orationis singula verba at-

---

cramentarium S. Gregor. Mag. *Et omnibus Orthodoxis*: hæc verba desunt in manuscripto Pontificali Rothomagensi in feria 5. in cœna Domini: & Micrologus in observationibus Ecclesiasticis cap. 13 scribit hæc verba in Canone esse superflua: *Item post nomen Domini Papæ, sive proprii Episcopi adiiciunt*, Et omnibus Orthodoxis atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus: *sed superflue, nam Ordo statim in sequenti versu, ubi dicitur:* Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, *nobis concedit ut omnium vivorum commemoremus quoscumque voluerimus*. Et c. 23. describens Canonem: Hæc verba missa facit, sed immerito: nam habentur in nostris codicibus manuscriptis... Nec ratio Micrologi valet. His enim verbis *& omnibus orthodoxis*, &c. fit commemoratio generalis omnium fidelium viventium; at in sequentibus, *Memento*, &c. specialis est commemoratio offerentium & quorumdam particularium quorum nomina olim de diptychis legebantur.

(E) Dom. Ioan. Mabillon. M. B. *Com. in Ord. Rom. n.* 7. Canonem Sacerdos non inchoabat ante absolutum a choro trisagii cantum. Id enim libelli nostri præcipiunt & post eos Heraldus Episcopus Turonensis c. 16. *ut secreta Presbyteri non inchoent, antequam Sanctus finiatur*. Secreta vocat Canonem, quod eum Sacerdos submissa voce & quidem solus recitaret. Eodem modo appellatur in veteri Missali Gallicano... ubi *Collectio post secreta* ea dicitur, quæ Consecrationi proxime succedebat: quod argumento est, Canonem Missæ submissa voce etiam in Ordine Gallicano fuisse recitatum. Ita etiam in Romano.

(A) *Vide supra* §. 10. *huiusce c. multas auctoritates Patrum lit.* (C) & §. 12. *lit.* (B) & *n. sup. litt.* (B)

Digitized by Google

tentius expendenda sunt, ut perfectius intelligatur.

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum NN. De viventibus solum hic mentio fit; nam specialis fit infra commemoratio mortuorum post consecrationem, ut videbimus.

N. 24. huiusce §.

Hic autem Sacerdotes privatam mentionem faciunt, 1. eorum quorum gratia celebratur specialius sacrificium; verbi gratia, Parochianorum in Missis parochialibus, Fundatorum cum celebratur Missa ex aliqua fundatione, eorum qui ad sacrificium faciendum eleemosynas obtulerunt. 2. Eorum qui se Sacerdotis orationibus commendatos voluerunt. 3. Eorum pro quibus vult Sacerdos orare nominatim; verbi gratia, parentum, consanguineorum, amicorum; eorum quorum curam gerit &c.

Et omnium circumstantium. Hinc collige non debere Missam celebrari, nisi sit saltem aliquis circumstans.

Quorum tibi fides cognita est, & nota devotio. Ex his verbis patet qua fide, qua attentione, qua pietate & relligione Sacrificio interesse oporteat: qua de re multa diximus supra.

Huiusce c. §. 19.

Pro quibus tibi offerimus. Non pro se solummodo Sacerdos, sed & pro circumstantibus offert.

Vel qui tibi offerunt. Ergo tam circumstantes sacrificium offerunt quam Sacerdos ipse: tam ad eos pertinent preces omnes Liturgicæ, quam ad Sacerdotem. Hoc unum inter se differunt, quod Sacerdos suis ipse manibus, populus autem per ministerium Sacerdotis sacrificium offerat. Quin & illud observare iuvat, hæc verba, *Pro quibus tibi offerimus*, deesse in antiquo Ordine Romano, multisque in veteribus Missalibus MSS. (B), & ut nobis retulit sæpius vir eruditissimus Ioannes Mabillon, sine honoris significatione mihi numquam nominandus, fuere & Missalia quædam in quibus deerant hæc verba, *qui tibi offerunt*: unde factum fuisse quidam putant, ut propter Manuscriptorum discrepantiam utrumque insertum sit cum hac particula *vel*, rubro charactere scripta, ut hinc Sacerdotes intelligerent perinde esse hoc vel illo modo legere; ac tandem præceptum fuisse, ut utrumque simul legeretur, *qui tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*. Certe Missale ad usum Fratrum Recollectorum, quo ter quaterve usus sum ad celebrandum sacrosanctum Sacrificium, habet etiamnum particulam *vel* charactere rubro impressam; idemque observatur in Missalibus quibusdam Gallicanis. Sed videant qui Missalia isthæc typis cudenda curant cum illa particula charactere rubro notata,

---

S. Ioan. Chrysost. *Homil.* 21. *in Acta Apostol.* Vide supra huiusce cap. §. 21. litt. (D) *quibus hanc vel similem orationem a primis seculis usurpatam fuisse fit manifestum.*

(B) Microlog. *de Eccles. observat. c.* 13. Interponere enim solent quidam ibi suas orationes, ubi dicitur: *Memento Domine*, &c... Item post pauca addunt *Pro quibus tibi offerimus*, cum in antiquioribus & veracioribus Sacramentariis, nonnisi sub tertia persona offerentes ibi repetantur.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22.n.16.

—— hinc colligi Sacerdotem posse pro arbitrio legere, *pro quibus tibi offerimus*, omissis verbis sequentibus; vel legere, *qui tibi offerunt*, omissis illis; *pro quibus tibi offerimus*. Quod si omittant verba hæc, *qui tibi offerunt*, nihil ergo amplius adiiciendum esse videbitur de tota hac precatione; nam demtis his vocibus, non cohærent sequentia cum præcedentibus, ut cuique legenti facile constabit: quem enim sensum habebis si sic legas: *Pro quibus tibi offerimus hoc Sacrificium laudis pro se suisque omnibus.....tibique reddunt vota sua*. Certe hoc posito sic legendum esse videatur, *Pro quibus tibi offerimus hoc Sacrificium laudis, & qui tibi reddunt vota sua pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, & pro spe salutis, & incolumitatis suæ, æterno Deo vivo & vero*. Alioqui truncum sensum efficies. Quod cum non observatum sit ab iis qui Missæ Canonem ediderunt cum illa particula *vel*, charactere rubro impressa, sane in errorem ab illis videntur inducendi Sacerdotes, qui re non satis attenta, prætermissuri sunt hæc verba, *vel qui tibi offerunt*; quæ propterea omnino retinenda esse certum est. Sed redeamus ad explicationem verborum sequentium.

Hoc Sacrificium laudis. Sic vocatur Missæ Sacrificium, quia nulla alia actione laudem & gloriam maiorem dare possumus Deo summe laudabili.

Pro se suisque omnibus. Hinc collige eos qui adsunt sacrificio, non pro se solum orare oportere; sed etiam pro suis parentibus, propinquis, familiaribus, proximis denique omnibus.

Pro redemptione animarum suarum. Hinc patet Sacrificium offerri ad impetrandam peccatorum remissionem, ut supra probavimus.

Pro spe salutis, & incolumitatis suæ. Id est, ad obtinendum quidquid necessarium est ad salutem æternam animæ, & ad corporis conservationem, & vitæ huius sustentationem.

Tibique reddunt vota sua. His verbis intelligitur adoratio, & gratiarum actio, quæ sacrificio exhibentur & soli debentur supremo Numini.

Æterno Deo vivo & vero. Alia omnia Pseudonumina, quibus olim sacrificia facta sunt, vel vita caruerunt, vel erant moritura, vel saltem creata omnia: nulla ex illis habuere ex se vitam. *Omnes Dii gentium dæmonia. Domine, non est alius Deus absque te*.

Ps cv. 5. 1. Paral. XVII. 20.

Ex his liquet, Missæ Sacrificium esse Latreuticum, Eucharisticum, Propitiatorium, Impetratorium, ut supra fuse a nobis disputatum fuit.

Huiusce c. 6. 9 & 10.

I. Quid agere debet populus circumstans dum Sacerdos hanc recitat orationem?

R. Debet & ipse privatim orare pro se, suisque omnibus, & vicissim pro ipso Sacerdote, ceterisque circumstantibus.

XVII. *De Oratione qua recitantur nomina Sanctorum ante consecrationem, quæ in Missali libro inscribitur*, infra actionem, *incipitque his verbis*, Communicantes.

I. Quæ est tertia Canonis oratio?

R. Postquam Sacerdos oravit pro Ecclesia militante, iam iungit se Ecclesiæ triumphanti; Sanctorum cum Christo regnantium nomina recitat, eorum memoriam veneratur, eorumque precibus divinum implorat auxilium. Hæc autem oratio in libris Missalibus hunc titulum præfert, *infra actionem*.

I. Quis sensus est huius tituli, *Infra actionem?*

R. 1. Suspicatur Edmundus Martene in eo titulo mendum irrepsisse, & legendum, *In fractione*. Verba huius subiicio. *Hæc oratio*, inquit, *vulgo inscribitur* infra actionem. *Verum monuit me noster Nicolaus Quitteboeuf, vir relligiosus & antiquorum rituum studiosus indagator in antiquis Pontificalibus duobus Anglicanis, & sex* MSS. *Missalibus Monasterii Gemmeticensis inscribi*, in fractione. *In Carnotensi vero S. Petri Sacramentario, in* fractione panis. *Quo nomine designari videtur ipsa Sacrificii actio, seu consecratio, quæ hanc orationem & sequentem proxime sequitur, quæque in Scripturis fractionis vocabulo indigitatur.* Hactenus Edmundus Martene.

Alii putant lectionem hanc, *infra actionem*, retineri oportere; sensumque esse, hanc orationem & sequentem sub ipsa sacrificii actione, id est proxime ante consecrationem recitari: nec mirum si hoc exprimant libri Liturgici per particulam *infra*; hanc enim particulam in libris Ritualibus idem significare quod *proxime ante*, sollemne est & tritum. Sic usu recepto apud omnes Ecclesias appellamus *dies infra octavam* illos sex dies qui ante diem octavam proxime elabuntur.

Certe non magni momenti illa sunt, sive enim legatur *in fractione*, sive *infra actionem*, sensus idem est, ut patet ex dictis. Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22.n.17.

I. Iam dic quæso, quæ sit ea oratio quæ sub hoc titulo continetur?

R. En tibi illam:

Communicantes, & memoriam venerantes in primis gloriosæ semper Virginis Mariæ genitricis Dei & Domini nostri Iesu Christi, sed & beatorum Apostolorum & Martyrum tuorum Petri & Paulli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Thaddæi, Lini, Cleti, Clementis, Xisti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Ioannis & Paulli, Cosmæ & Damiani, & omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

I. Cur sic incipit hæc oratio, *Communicantes?* Sane congruentior esse videretur, si sic inciperet: *Communicamus*.

R. Quia oratio hæc est continuatio præcedentis, & cum illa iungi eam oportet, ut habeatur sensus integer, hoc modo.

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium; communicantes & memoriam venerantes in primis gloriosæ Virginis Mariæ &c.

I. Quæ est huius precationis ratio?

Digitized by Google

Pars III Sect. II. Cap. VII §.32.n.17.

R. In ea iungit se Ecclesia militans Ecclesiæ triumphanti, ad offerendum sacrosanctum Sacrificium (A). Quod cur fiat, & quam obcaussam memoriam Sanctorum in Sacrificio faciamus, iam supra satis superque dictum a nobis est.

§. 11. Huiusce c. & alibi

I. Cur recitatio illa tot nominum? Cur non potius sic dicimus: *Communicantes, & memoriam venerantes omnium Sanctorum tuorum*, &c. Quæ sane ratio & facilior expeditiorque, nec minus ad rem esse videretur?

R. Ut huic quæstioni diligenter & accurate respondeam, præmittenda sunt quædam de diptychis, quæ singulis olim in Ecclesiis summa cura conservabantur. Est autem Δίπτυχα Græca vox, quæ secundum nominis Etymon idem sonat quod tabulæ in partes duas complicatæ.

Tria autem olim erant genera diptychorum seu tabularum, in quibus inscribebantur in singulis Ecclesiis nomina.

In una ex illis tabulis inscribebantur nomina Sanctorum cum Christo regnantium, præsertim vero Apostolorum & Martyrum; quibus postea adiuncta sunt nomina Episcoporum qui eam Ecclesiam rexerant, fuerantque morum sanctitate plurimum conspicui, ceterorumque quos nunc Confessores dicimus. Sed soli primitus Martyres in diptychis Sanctorum inscribebantur: nec forte ante sanctum Martinum quisquam in eum catalogum est relatus, qui non Martyr occubuerit.

In altera tabula inscribebantur nomina fidelium, qui adhuc viventes dignitate aliqua, vel beneficiis collatis conspicui, vel aliquo alio titulo de Ecclesia bene meriti erant. In his primo loco Romanus Pontifex, tum alii Patriarchæ, proprius Antistes, ac reliqui Clero adscripti recensebantur. Postea Imperator,

---

(A) Const. Apost. *lib.* 8. *cap.* 13. *Vide superius* §. 14. *huiusce cap. litt.* (B)

S. Cyprian. *&c. Vide supra huiusce cap.* §. 11. *litt.* (D)

S. Cyrill. Hierosolym. *Cateches.* 5. *Mystag.* Rogamus te, inquam, nos omnes, & hoc sacrificium tibi offerimus, ut meminerimus etiam eorum, qui ante nos obdormierunt: Primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras.

S. Ioann. Chrysost. *Homil.* 21. *in Acta Apostol. in morali. Vide supra huiusce cap.* §. 11. *litt.* (D)

S. August. *de virginit. cap.* 45. *num.* 46. Perhibet enim præclarissimum testimonium Ecclesiastica auctoritas, in qua fidelibus notum est, quo loco Martyres, & quo defunctæ Sanctimoniales ad altaris Sacramenta recitentur.

Tract. 84. *in Ioan. num.* 1. Beati Martyres ardenti dilectione fecerunt: quorum si non inaniter memorias celebramus, atque in convivio, quo & ipsi saturati sunt, ad mensam Domini accedimus, oportet ut quemadmodum ipsi, & nos talia præparemus. Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus; sed magis ut ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus: quia impleverunt ipsi caritatem, qua Dominus dixit non posse esse maiorem. Talia enim suis fratribus exhibuerunt, qualia de Domini mensa pariter acceperunt.

Serm. 159. *alias* 17. *de verbis Apostoli, & alios vide supra huiusce cap.* §. 11. *litt.* (D)

Digitized by Google

Principes, Magistratus, & populus fidelis.

In tertia tabula inscribebantur nomina fidelium, qui in Catholica communione e vivis excesserant.

Si quis mortuus in magna opinione sanctitatis Sanctorum fastis publica auctoritate inserendus esset, nomen eius inscribebatur in diptychis Sanctorum: quæ quoniam ex ritu Romanæ Ecclesiæ publice legebantur in Canone Missæ, hinc ortum est *Canonizationis* vocabulum, quod ex veteri usu nihil aliud significat quam inscriptionem nominis alicuius in diptychis Sanctorum, adeoque in Missæ Canone.

Si quis autem sive vivus sive mortuus communione privaretur, nomen eius eradebatur e diptychis. Id ignorat nemo in historiæ Ecclesiasticæ lectione vel levissime versatus. Norunt omnes quot & quantæ altercationes ortæ sint ob expunctum e diptychis nomen S. Ioannis Chrysostomi; nec prius Episcopos Occidentis cum Episcopis Orientis, Ægypti, Bosphori, & Thraciæ communicare voluisse, quam nomen illius in diptycha retulissent.

Nomina tribus illis tabulis inscripta recitabantur olim intra Missarum sollemnia. Quoniam autem singulorum nomina recensere longius fuisset eorum tantum nomina recitanda notabantur, qui inter ceteros speciali aliqua nota præeminerent, facta de reliquis generali commemoratione, positoque sæpissime super altare catalogo, in quo singula isthæc nomina recensebantur. Hæc autem nomina non Sacerdos, sed vel Diaconus, vel ex more Romano Subdiaconus recitabant.

Is erat olim Ecclesiæ Gallicanæ ritus, ut summi Pontificis, Patriarcharum, Antistitis proprii, Regum, Principum, Magistratuum, fidelium denique nomina qui ad oblationem accesserant, sub ipsum Offertorii tempus recitarentur ante Præfationem. Cuius ritus adhuc exstat vestigium aliquod. Est enim hoc etiamnunc in more positum apud nos, ut in Pronao denuntietur offerendum esse Sacrificium pro summo Pontifice, pro Antistite proprio, pro Rege, pro Regia domo, pro Toparcha, pro omnibus demum fidelibus, maxime Parochianis, & illis in primis qui ad oblationem accesserunt. (B)

Vide supra huiusce §. 2 n.

Antiquissimo ritu Romanæ Ec-

(B) Domn. Ioann. Mabillon *de Liturg. Gallic. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 12. Post oblationem diptycha leg-ba tur, id est recitabantur nomina, tam Sanctorum, in quorum memoriam sacrificium offerebatur, quam viventium atque defunctorum, pro quibus offerebatur: id probatur ex Missalis Gothici variis locis, & ex veteri Missali Gallicano. Conc. Vasense II. definit can. 4. *Ut nomen Domini Papæ, quicumque sedi Apostolicæ præfuerit, in nostris Ecclesiis recitetur.* Ad finem Regulæ Aureliani hæc leguntur: „ Simulque precantes oramus etiam, „ Domine, pro animabus famulorum „ tuorum Patrum atque Institutorum „ quondam nostrorum Aureliani, Petri, „ Florentini, Redempti, Constantini, „ Himiteri, Hilarini, Ianuarini, Reparati, Childeberti, Vultrogotæ, vel „ omnium Fratrum nostrorum, quos de „ hoc loco ad te vocare dignatus es:

clesiæ recitabantur initio Canonis nomina viventium.

§.22.n.17. 1. Summi Pontificis, Antistitis proprii, Regisque seu supremi Principis mentio fiebat, ut nunc fit in oratione, *Te igitur*.

Deinde post illa verba, *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum*, recitabantur nomina inscripta in diptychis viventium. Et hinc est quod etiamnum tunc fit pausa ad commemorationem singularem eorum quos vult Sacerdos specialius commendare, ut iam diximus. Huiusce §.

Ad hæc verba sequentis orationis, *communicantes, & memoriam venerantes*, &c. recitabatur catalogus alter, in quo inscripta erant nomina Sanctorum cum Christo regnantium; in primis autem B. Mariæ Virginis, Apostolorum, & Martyrum, eorumque potissimum, quorum sollemnior erat cultus in Ecclesia Romana. Cum autem circa Pipini eiusque filii Caroli Magni tempora Galliarum Ecclesiæ, ut diximus, relicta veteri Liturgia Gallicana, Liturgiam Romanam assumserint; hinc factum est ut ex eo tempore recitentur apud nos ea nomina Sanctorum, quæ primitus descripta erant in diptychis Ecclesiæ Romanæ: ideoque quos nunc recitamus in Canone Martyres, ii vel Romæ passi sunt, vel in Provinciis suburbicariis; vel eos singulari cultu prosequuta est semper Ecclesia Romana. Verum iis nominibus addebant olim singulæ Galliarum Ecclesiæ nomina Sanctorum, qui iam olim inscripti erant in diptychis propriis huius Ecclesiæ. Qui ritus ad undecimum usque seculum perseveravit. §.21. huiusce cap.

Tandem recitabantur nomina defunctorum ex tertio catalogo post consecrationem, ut dicemus infra. Huiusce §.24.

Et hæc quidem est ratio recitationis tot nominum in Canone Missæ (C).

„ cunctorumque etiam huius loci me„ mores fidelium, pariterque parentum „ nostrorum, atque servientium huius „ loci; & pro animabus omnium fidelium „ famulorum tuorum vel famularum, ac „ peregrinorum in pace Ecclesiæ defun„ ctorum: Ut eis tu, Domine Deus no„ ster, peccatorum tribuas veniam, & „ requiem largiaris æternam; meritis & „ intercessionibus Sanctorum tuorum, „ Mariæ genitricis Domini nostri Iesu „ Christi; Ioannis Baptistæ & præcurso„ ris Domini nostri Iesu Christi, Ste„ phani, Petri, Paulli, Ioannis, Iacobi, „ Andreæ, Philippi, Thomæ, Bartholo„ mæi, Matthæi, Iacobi, Simonis, Iu„ dæ, Matthiæ, Genesii, Symphoriani, „ Baudilii, Victoris, Hilarii Episcopi & „ Confessoris, Martini Episcopi & Con„ fessoris, Cæsarii Episcopi, hæc propitius „ præstare & exaudire digneris, qui vi„ vis & regnas in unitate Spiritus sancti „ Deus in secula seculorum. Amen. „

Num. 13. Itaque ritu Gallicano, & Mozarabico fiebat vivorum & defunctorum memoria ad oblationem, non in ipso Canone: atque Sanctorum commemoratio tunc fiebat ad suffragium.

(C) D. Du Cange *in Glossar. mediæ & infimæ Latinit. in illud verbum*, Diptycha. Græcis Δ[illegible] tabellæ plicatiles, geminas se pandentes ac porrigentes.

Diptycha Ecclesiastica. Horum tria genera in Ecclesia Græca observant viri Docti. Primum Episcoporum, alterum vivorum, tertium mortuorum: de quibus sigillatim dicendum.

Diptycha Episcoporum, (tabellæ Episcopales,) illa nuncupant, in quibus sanctorum Præsulum vita functorum, qui

Ecclesiam rexerant, nomina exarabantur, eorum præsertim, qui aliqua vitæ sanctitate inclaruerant; quæ ad futurorum exemplum, & meritorum memoriam inter Missarum sollemnia publice recitabantur... Eorum porro Antistitum, quorum nomina in eiusmodi sacra diptycha referebantur post illorum excessum, quæ recitabatur in Liturgia memoria, longe alia erat ab ea quæ fiebat pro defunctis: cum Sacerdos non pro eis oraret, sed deprecaretur, ut cælitibus adscriptos, cum ceteris sanctis qui ante consecrationem invocantur. Atque hinc initium sumpsit canonizationis ritus, cuius vocaboli vis nulla alia est, quam quod summi Pontificis iussu & arbitrio re prius diligenter expensa, virorum vitæ integritate & sanctitate insignium nomen in Canonem Missæ referretur.... Quemadmodum igitur scribi in diptychis, erat quodammodo inter Sanctos collocari; ita & ex iis deleri, erat e memoria hominum aboleri, & perpetua notari infamia. Quod in hæreticis potissimum, aut schismaticis, vel etiam aliqua male actæ vitæ labe infectis, (quos Episcopi succedentes eadem vel hæresi vel vitæ ratione infamati, contra ius in diptycha retulerant,) iubente summo Antistite, cuius id munus erat, contingebat.

Interdum Ecclesiarum Præsules, vel hæretica labe infecti, vel odio aut malo affectu ducti, Episcoporum orthodoxorum nomina eraserunt. Ita apud Victorem Tunnunensem *in Chron.* Petrus Patriarcha Antiochenus hæreticus nomina Proterii & Salafatiarii (decessorum) de Ecclesiasticis diptychis sustulit, & Dioscori & Helluri, qui Proterium interfecerat, scripsit. Quæ quidem postmodum restituebantur ab orthodoxis Præsulibus, ut in Constantinopolitana Synodo decretum legimus *Act.* I.

Diptycha vivorum dicta erant, in quibus exarabantur nomina summi Pontificis, Patriarcharum, Episcoporum, & eorum qui Clero adscripti sunt: deinde Imperatorum, Augustarum, & aliorum dignitate conspicuorum, qui eo tempore vivebant; postremo plebs ipsa & populus recensebatur.

Recitabantur & offerentium nomina, seu eorum commemoratio fiebat.

Tertium diptychorum genus erat mortuorum, eorum nempe omnium qui in fide obdormierant; pro quibus Deum orabant, quorum nomina recitabantur, non tamen omnium, sed eorum quæ Sacerdoti a Diacono indicabantur.

Statuit Concilium Emeritense *cap.* 19. recitari inter Missæ sollemnia eorum nomina, a quibus Ecclesias constat esse consructas, vel qui iis quidpiam contulerunt; si quidem adhuc essent in vivis, ante altare; si decesserant, cum defunctis in suo ordine.

Ioan. Bona S. R. E. Card. *Rer. Litur. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 7. Indicavimus simul cum oblationibus offerentium quoque nomina oblata seu recitata fuisse... Quidam putant hoc nihil aliud fuisse, quam pro illis orare, illorumque meminisse in orationibus seu publicis, seu privatis. Vere tamen alicuius nomen offerre idem erat, ac ipsum in sancto Sacrificio recitare & enuntiare; qui ritus manifeste colligitur ex Epistola decima Cypriani adversus Presbyteros qui lapsos nondum peracta pœnitentia ad consortium fidelium & ad oblationem ac perceptionem Eucharistiæ admittebant: *Ad communicationem*, inquit, *admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo & Clero imposita, Eucharistia illis datur*. Eidem adstipulatur Innocentius I. ad Decentium.... *De nominibus recitandis antequam precem Sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit & ipse pro tua prudentia recognoscis, ut cuius hostiam necdum Deo offeras, eius ante nomen insinues, quamvis illi incognitum sit nihil. Prius ergo orationes sunt commendanda, ac tunc eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia qua ante præmittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus*... Græci nomina recitant, cum scindunt panes, & pro singulis tam vivis quam defunctis particulam seponunt, & offerunt; sicque eos sacrificii participes faciunt. Latini in Canone distinctis locis vivorum & mortuorum memoriam agunt, quod olim fieri solebat recensitis nominibus.

Cap. 12. *num.* 1. Invenio tria genera esse diptychorum sive tabularum, quibus nomina in singulis Ecclesiis inscribebantur. Primum erat peculiare Episcoporum, eorum præsertim, qui illam

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22.n.17.

Ecclesiam texerant, dummodo probitate ac sanctis moribus claruissent. Secundum vivorum in quibus eorum nomina descripta erant; qui adhuc viventes dignitate aliqua, vel beneficiis illi Ecclesiæ collatis conspicui, vel alio titulo bene meriti erant. In his primo loco Romanus Pontifex, tum alii Patriarchæ, & proprius Antistes, ac reliqui Clero adscripti recensebantur; postea Imperator, Principes, Magistratus; ac populus fidelis. Tertium erat Mortuorum, qui in Catholica communione decesserant. Usum vero diptychorum eorumque lectionem intra Missarum sollemnia, vel ab Apostolis, vel ex illorum institutione seu traditione ab immediatis successoribus cœpisse satis constat.... Quod autem spectat ad primum genus pro solis Episcopis cum opinione sanctitatis vita functis, eam inscriptionem speciem quamdam habuisse canonizationis seu beatificationis fidem facit Dionisius in Theoria, cap. 3. Eccles. Hierarchiæ. *Sacrarum*, inquit, *tabularum recitatio deprædicat eos, qui sancte vixerunt, & ad studiosæ vitæ perfectionem constanter pervenerunt*. Nos quidem eorum imitatione ad beatissimum illum statum, quietemque deiformem adhortando ac manuducendo: illos vero ceu viventes celebrando; quippe ut Theologia docet, nequaquam mortuos, sed ex morte ad vitam divinissimam translatos. Ideo Ecclesia sollicite semper cavit, ne sanctorum Episcoporum nomina ob quorumdam pravorum hominum calumnias, vel ob errores proborum e sacris diptychis expungerentur. Hæc enim expunctio pœna erat illis solis irrogata, qui vel a fide defecerant, vel ob aliquod crimen a communione fidelium abstenti erant.

Notæ sunt diuturnæ altercationes de Chrysostomi nomine in diptycha referendo, in quibus ipsum scribere multi renuebant, eo quod a Theophilo Alexandrino exauctoratus, tametsi iniqua sententia, & non absolutus mortuus esset. Qua de re rescribens Theodoretus *lib. 5. histor. cap.* 34. ait Episcopos Occidentis non prius cum Episcopis Ægypti, Orientis, Bosphori, & Thraciæ communicare voluisse, quam nomen illius sanctissimi viri in tabulas defunctorum Episcoporum retulissent. Et quidem S. Cyrillus Theophili nepos, & in Cathedra Alexandrina successor, diu renuit Chrysostomum recipere, ut ex eius & Attici litteris constat, quarum partem Facundus Hermianensis *lib.* 4. integras affert Nicephorus *lib.* 14. Sed tandem cessit, eumque recepit, ne gratiam & communionem Romanæ Ecclesiæ amitteret.

Num. 2. Quidam existimarunt omnium prorsus fidelium nomina intra sacram synaxim a Diacono lecta fuisse. Atqui hoc absurdum omnino est: Fide enim iam propagata, & eversa idololatria ad eam recitationem nec menses nec anni suffecissent; præsertim in civitatibus, quæ innumerabilem populi multitudinem continebant. Delectus itaque habebatur, & in diptychis tam viventium quam defunctorum, quæ publice in Ecclesia recitabantur, eorum tantum nomina notabantur, qui inter ceteros aliqua speciali nota præeminebant, facta de reliquis generali commemoratione Iacob. Goar in variis lectionibus Liturgiæ Chrysostomi *pag* 97. ex codice ms ducentorum, & amplius annorum Bibliothecæ Christianissimi Regis hanc brevem exhibet formulam commemorationis vivorum: *Memento mei, & cunctorum, & cunctarum: Ioseph sanctissimi, & universalis Patriarchæ* (nempe Constantinopolitani, nomen enim Papæ Scriptor schismaticus omisit) *Philothei Alexandriæ, Marci Antiochiæ, Theophili Hierosolymorum, & pro offerente Domino Deo sancta dona N honorando Sacerdote: Sacerdotum etiam adstantium, venerandi Presbyterii, ministerii in Christo, & omnis sacri ordinis cœtus. Pro salute, victoria, permanentia devotissimorum & Christum diligentium Imperatorum nostrorum: devotissimæ & Christum amantis Dominæ nostræ Hypomenes monalis: devotissimæ, & Christum amantis Dominæ nostræ Eugeniæ monalis: devotissimorum, & Christum diligentium Imperatorum nostrorum Ioannis & Mariæ. Pro pace & consistentia totius mundi, & sanctarum Dei Ecclesiarum: pro redemptione fratrum nostrorum captivorum: prosperitate & firmitate Christum diligentis exercitus: residui populi salute, & cunctorum & cunctarum*. Porro hæc formula contractior est, alias autem ampliores esse non dubito..... Vivi autem dicuntur offerre *pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & incolumitatis suæ*: memoriæ sanctorum, *communicantes, & eos venerantes*: Ecclesia enim,

que militat in terris, com ea communicat, quæ in cælis triomphat. Usos autem commemorandi B. Virginem, & Sanctos in Missa, omnium Ecclesiarom immemorabili consuetudine comprobatur, ut patet ex earum Liturgiis.... Maronitæ in sua Missa hanc ipsam commemorationem sic peragunt: *Memoria Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, & totius dispensationis illius salutaris qua est erga nos, recordamur in hoc memento. Item patris nostri Adam, & matris nostra Eva, & omnium hominum, qui placuerunt ante Deum ab Adamo usque in hodiernum diem. scienter autem & nominatim sancta & laudabilis Virginis, & omni tempore beata genitricis Dei Maria, & Prophetarum, & Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Iustorum, Sacerdotum, Patrum sanctorum, & Doctorum, Rectorum, Relligiosorum & omnium Virginum, & sancti N. supra cuius altare offerimus. Vide etiam infra huiusce § n 24 litt* (B)

S. Aug *serm. 159 alias 17. de verbis Apostoli, num. 1. Vide superius huiusce cap. §. 11. litt.* D)

Domn Ioan. Mabillon. *De Liturgia Gallic. lib. 1. cap 5. num. 12. Vide supra hocce num. litt.* (B)

Lib. 3 num 11. Missale Gothicum incipit ab oratione, quæ *Collectio post nomina* dicitur...... Collectio post nomina dicebatur post recitationem nominum eorum, pro quibos sacrificium offerebator. Fiebat autem simul commemoratio tam vivorom quam mortuorum. Unde in vigiliis Epiphaniæ Collectio post nomina sic habet: *Præsentem itaque oblationem ita iubere, ut medelam viventibus, defunctis requiem præstet: & quorum texuit recitatio præmissa sortem, inter electos iubeat adgregare.* De his actum est superius *in lib 1. cap. 5. num.* 12. ubi notavimus, etiam hoc loco Sanctorum factam fuisse commemorationem. Et id quidem de Mozarabico rito constat: at in Gallicano haod ita expressa habetor hæc Saoctorum commemoratio, nisi admodum generalis. Attamen in fragmento diptychorum, qood eo loci ex codice Regularum protulimos, singularis eorum memoria occurrit. Eiusmodi diptycha ad osum Ecclesiæ Arelatensis exstant in tomo tertio Analectorum. Diptycha hæc in omnibus Ecclesiis usitata erant: sed in Romana in Canone tantum, ut modo, nomina recitabantor; vivorum quidem ante, mortuorum vero post consecrationem: at in Gallicano & Mozarabico statim post oblationem. Hunc ritum improbare videtur Innocentios Papa I. in Epistola ad Decentium *cap.* 2. ubi rectius putat nomina recitari *inter sacra mysteria*, id est (si bene capio) in ipso Canone, qoam *inter alia quæ præmisti* solent. *Verba eius integra habes supra apud* Ioan. Bona *Rerum Liturg. lib. 2 cap. 8. num.* 7.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22.n.17.

Num. 12. De his diptychis exstat Sigebaldi Anglorom Regis Epistola ad Bonifacium Præsulem Moguntinum, quæ est inter Bonifacianas ordine 49 in qoa hæc legimus ad propositum: *Notum sit tibi, quod ex eo tempore nomen tuum adscriptum habuissem, cum Missarum sollemnia celebrarem, simul cum nominibus Episcoporum nostrorum*, &c. Ubi obiter nota verbum *celebrarem*, quo Rex utitur.... Porro hæc nominum recitatio in Ecclesia Græca fiebat per Diaconom: apud Latinos per Subdiaconom, ut patet ex Folcoioo Monacho Laubiensi in Chronici Laubiensis cap. 7. *Dixit etiam Episcopus.... Adolbero Remensis prædecessorum suorum ductam usque ad se consuetudinem, ut inter Missarum sollemnia, in ea speciali commemoratione defunctorum, quæ supra diptycha dicitur, & in consecratione Dominici corporis sollemniter agitur, quotidie in aurem Presbyteri recitantis silenter Subdiacono, omnium ipsius sedis nomina scripto recitentur Episcoporum.* Nomina hæc catalogo inscripta erant, *qui sacro altari tempore sacrificii superponebatur*.... Denique id genos diptycha erant in usu usque ad seculom XI. ut ex Micrologi cap. 13. & ex Leonis Ostiensis lib. 2. cap. 73. manifestum est. Hermanous Monachus hunc ritum suo tempore in desoetudinem abiisse innoit his verbis: *Mos antiquitus institutus tunc temporis servabatur in Ecclesiis, ut nomina fratrum circum adiacentium Ecclesiarum, quibus se mutuas orationes debere, vel societatem promisisse noverant, super sacrosanctum altare scripta ponerentur: quatenus Sacerdos Missam cantantibus nominatim recitaret, cum ad illum locum venisset*, Memento Domine, *&c.* qui nos præcesserunt *&c.*.. *Tunc enim unus Ministrorum altaris ei propinquans præsentabat recitanda*; immo Minister ipse recitabat.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22.n.18

I. Cur in oratione, *communicantes*, petimus a Deo ut sanctorum *meritis, & precibus protectionis suæ muniamur auxilio?* His verbis vereor ne quid Christi meritis derogetur.

Par. 2. *Sect.* 3. *c.* 2. §. 3. *& alibi*

R. Iam sæpius diximus Sanctorum intercessione nihil Christi meritis derogari; nihil posse Sanctos, nisi Christi meritis, & virtute; Sanctorum intercessionem nihil habere ponderis & auctoritatis, nisi mediante Christo; nullum habere nos accessum ad Deum Sanctorum meritis & intercessione, nisi per Christum. Hinc fit ut isthæc oratio, sicuti & ceteræ omnes, terminetur, *per Christum Dominum nostrum*.

I. Quid agere debet populus circumstans, dum recitat Sacerdos orationem, *communicantes?*

R. Debet iungere se Ecclesiæ triumphanti ad offerendum Sacrificium; simulque petere a Deo, ut Sanctorum intercessione & imitatione venire possit in partem eorum triumphi ac gloriæ.

XVIII. *De Oratione*, Hanc igitur oblationem.

I. Quæ est quarta Canonis oratio?

R. Postquam Sacerdos oratione superiori iunxit se Ecclesiæ triumphanti, nunc positis & expansis super panem & calicem manibus, prosequitur in hunc modum:

Hanc igitur Oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

In vigiliis Paschæ & Pentecostes, & per totam octavam harum sollemnitatum, hic specialis additur mentio recens baptizatorum; quia ut iam diximus, antiquitus id moris fuit, ut in vigiliis Paschæ & Pentecostes sollemniter baptizarentur Catechumeni, qui recens baptizati per totam octavam intererant in albis vestibus sacrificio pro ipsis specialius oblato, & sacro Christi corpore reficiebantur. Sic autem fit hæc recens baptizatorum mentio: *Par. 2. ſect. 4. cap. 2. §. 11.*

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro his quoque quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, &c. ut supra.

Voces illæ, *pro his*, designant recens baptizatos, Sacrificio circumstantes: qui licet absint, fit tamen horum mentio non secus ac si sacrificio interessent.

Id fuit etiam moris antiqui, ut exprimeretur sæpius in hac oratione specialis intentio propter quam Sacrificium offerretur, ut observat eruditissimus Cardinalis Bona legisse se in vetustissimo Sacramentorum libro Reginæ Sveciæ. Verbi gratia feria v. in cœna Domini sic recitabatur olim hæc oratio, ut fit etiamnum: *Hanc igitur oblationem... quam tibi offerimus ob diem, in qua Dominus noster Iesus Christus tradidit discipulis suis corporis & sanguinis sui mysteria celebranda, quæ-*

sumus, Domine, ut placatus accipias, &c. ut supra.

In die anniversario Baptismi sic dicebatur: *Hanc igitur oblationem famulorum famularumque tuarum, quam tibi offerunt annua recolentes Mysteria, quibus eos tuis adoptasti regalibus institutis, quæsumus*, &c.

In anniversario suæ Ordinationis quilibet Sacerdos sic dicebat: *Hanc igitur oblationem, quam tibi offero ego tuus famulus hodie, ob diem quo me nullius dignum meriti, sed solo tuæ misericordiæ dono ad hunc locum perducere dignatus es Presbyterii, quæso placatus accipias*, &c.

In dedicatione novæ Basilicæ: *Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus hanc dedicantes Ecclesiam*. &c.

Lib. 2. de rebus Liturg. c. 12. n. 4 Plures eiusmodi formulas legere licet apud Cardinalem Bona.

I. Cur Sacerdos hanc recitans orationem, extensas manus tenet super calicem & hostiam?

R. Ut ritus illius ratio teneatur, revocari necesse est in memoriam *Huiusce cap. § 4.* ea quæ diximus de Sacrificiis Iudaicis. In veteri lege qui oblaturi erant sacrificium, illi ante immolationem ponebant manus super caput victimæ, ut hoc ritu significarent, substituere se victimam in locum suum ad subeundam mortem quam ipsi meriti essent; simulque orabant Deum, ut huius sacrificii oblatione placatus, simulque acceptam habens voluntatem offerentium, tribueret ipsis & remissionem peccatorum, & bona omnia ad salutem mentis & corporis necessaria. Si quis privatus vellet offerri pro se sacrificium, positis manibus super caput victimæ tradebat illam Sacerdoti immolandam. Si plures simul offerri pro se sacrificium vellent, ponebant manus super caput victimæ, vel omnes simul, vel eorum præcipui ceterorum nomine, antequam illam Sacerdoti traderent. Si Sacerdos ipse pro se sacrificium esset facturus, non prius victimam mactabat, quam manus super caput eius posuisset. Tandem in sollemni sacrificio, quod semel in anno summus Pontifex pro suis & totius populi peccatis offerebat, manus super caput victimarum ponebant tam seniores populi, quam ipse Pontifex, antequam illæ a Pontifice immolarentur. Quæ quidem omnia in lege sancta sunt (A). Huius ad ritus imitationem in nova lege Sacerdos facturus iamiam mysticam immolationem corporis Christi tam suo, quam populi simul offerentis nomine, ponit manus super oblata in corpus & sanguinem Christi mox convertenda. Eoque ritu offert Deo se populumque Christianum cum Christo iamiam mystice immolando; ut eius virtute sacrificii impetret a Deo remissionem peccatorum, vitæ præsentis pacem, & æternæ gloriam. Quæ quidem omnia ea oratione quam positis super oblata manibus recitat, exprimuntur, ut patet ex singulis huius verbis. Ait enim Sacerdos: PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. 22. n. 18

Hanc igitur oblationem servitutis

(A) *Vide supra huiusce cap.* §. 7. LEVIT. I. *litt.* (G) III. *litt.* (B) *ibid.* IV. *litt.* (C) *sti & XVI. litt.* (L)

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22.n.19

nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ. Recitat ergo hanc orationem expansis super oblata manibus, tam suo quam populi nomine.

Quæsumus ut placatus accipias, petit remissionem peccatorum.

Diesque nostros in tua pace disponas. Petit vitæ præsentis pacem, eaque proinde omnia quæ ad vitam hanc pacifice transigendam necessaria sunt.

Atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum iubeas grege numerari. Petit vitæ æternæ gloriam & felicitatem.

Per Christum Dominum nostrum. Id est, virtute corporis & sanguinis Christi mox mystice immolandi (B).

Hæc autem verba, *diesque nostros in tua pace disponas*, cum reliquis ad finem usque huius orationis addita sunt iussu S. Gregorii Magni, ut refert in eius vita Ioannes Diaconus.

I. Quid agere debet populus circumstans, dum Sacerdos, positis super oblata manibus, hanc recitat orationem?

R. Debet offerre se Deo per Christum & cum Christo hostiam viventem, idque *in spiritu humilitatis & in animo contrito*, ut cum Scripturis loquar: eaque mente petere a Deo id ipsum quod petit Sacerdos cuius verba privatim a populo recitari nihil vetat. (Daniel. III. 39.)

XIX. *De Oratione*, Quam oblationem.

I. Quæ est quinta oratio Canonis?

R. Post superiorem orationem, Sacerdos panem & vinum rursus benedicit, signans ea quinquies signo crucis, ut annunciet in antecessum Christi mortem, quæ Missæ sacrificio exhibetur & veluti ponitur ob oculos, ut diximus. Oblata autem benedicens, sic precatur: (Huiusce c. §. 7. & alibi sæpius.)

Quam oblationem tu, Deus, in omnibus quæsumus benedictam †, adscriptam †, ratam, rationabilem †, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus † & sanguis † fiat dilectissimi Filii tui, Domini nostri Iesu Christi.

I. Quid Sacerdos petit his verbis: *Quam oblationem benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem acceptabilemque facere digneris?* Cur tot adiuncta vocabula?

R. Nullum ex his vocabulis temere adiunctum est. Singula suum habent sensum ad rem apprime accommodatum. Hic Sacerdos exprimit quinque præcipuas sacrificii partes, de quibus egimus supra, nimirum victimæ electionem & sanctificationem, oblationem, immolationem, consumptionem, communionem. (Huius c. §. 4. & huius §. n. 12.)

1. Eligebatur victima Deo mactanda: hac electione fiebat e profana sacra, ac veluti *benedicebatur* & sanctificabatur.

2. Offerebatur Deo ante immolationem, eaque oblatione *adscribebatur* inter res Deo sacras.

3. Immolabatur; eaque immolatio erat veluti *ratihabitio* & perfectio oblationis, qua Deo consecrata fuerat.

(B) S. Aug. *lib.* 10. *de Civit. Dei, cap.* 20. *Vide huiusce cap.* §. 3. *litt.* (A)

Digitized by Google

4. Tradebatur flammis, quibus consumpta eximebatur ab omni sorde & corruptione; factaque veluti spiritualis & *rationalis, accepta* erat Deo, cuius ad thronum ferebatur fumus victimarum incensarum, suscipiebaturque in odorem suavitatis.

5. Denique communicabat populus sacrificio, vel ore comedendo partem victimarum, vel spiritu iungendo se cum victimis, simulque petendo ut earum virtute placaretur Deus.

Isthæc omnia exprimere vult Ecclesia hac oratione, *Quam oblationem tu, Deus, in omnibus quæsumus benedictam*, &c.

Huius igitur orationis hic sensus est.

Quam oblationem tu, Deus, quæsumus ut acceptam habeas: iam iam enim sistet se tibi præsens victima quam tibi offerimus: quæ utique iampridem tibi consecrata est, quæ tibi se ipsam obtulit, se ipsam immolavit; quæ deposita mole corporis corruptibilis surrexit ad te cum corpore immortali, & ascendit propria virtute ad dexteram maiestatis tuæ; huius, inquam, victimæ oblatio tibi sit acceptabilis, Deus omnipotens: fac ut eam puro ore, mundo corde manducemus, eiusque participatione ad vitam perveniamus æternam.

PARS III. SECT. II. CAP VII. §.22.n.19

Hæc victima Christus est; is, ut iam diximus, quantum ad naturam humanam *sanctificatus est* incarnatione, *oblatus est* Deo iam ipsa nativitate, *immolatus est* passione, *immortalis factus est* resurrectione: *exhibuit se præsentem Deo* ascensione; huic denique *communicamus*, spiritualiter quidem per baptismum, quo membra eius efficimur; corporaliter autem per eucharistiam. *Ibid.*

I. Cur petimus a Deo, ut *hæc oblatio nobis corpus & sanguis fiat Domini nostri Iesu Christi?*

R. 1. Petimus a Deo his verbis, ut panis & vinum convertantur in corpus & sanguinem Christi. Licet enim sciat Ecclesia hanc transmutationem esse certissime faciendam, id tamen nihilominus petit a Deo. Habetur hæc oratio in Liturgiis antiquissimis Ecclesiæ tum Græcæ tum Latinæ, eamque sanctus Basilius recenset inter traditiones Apostolicas (A): nec desunt Theologi qui asserant eam orationem partem es-

(A) S. BASILIUS *de spiritu sancto cap.* 27. Invocationis verba cum conficitur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus aut Evangelium, verum alia quoque & ante & post dicimus, tamquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex traditione non scripta accepimus.

S. CYRIL. HIEROSOL. *Catech* 5. *mystag.* Deum benignissimum oramus, ut super illa proposita (dona) sanctum Spiritum emittat, ut panem quidem faciat Corpus Christi; vinum vero sanguinem Christi: omnino enim quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatur & transmutatur.

S. AMBROS. *seu* AUCTOR. *lib.* 4. *de Sacram. c.* 5. *n.* 21. Vis scire quia verbis cælestibus consecratur? Accipe quæ sunt verba. Dicit Sacerdos: Fac nobis, inquit, hanc oblationem adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem: quod figura est corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Qui pridie, &c. *Vide §. seq.*

Pars II. Sect. II. Cap. VII. §.21.n.19.

se consecrationis, quæ non nisi verbis ipsis sacramentalibus Christi Domini consummetur & perficiatur(B).

2. Hac oratione id quoque petimus a Deo, ut ipso auxiliante digne communicemus corpori & sanguini Domini nostri Iesu Christi, & iam iam facienda corporis & sanguinis Christi consecratio nobis proficiat ad salutem (C).

I. Quid agere debet populus circumstans, dum Sacerdos hanc recitat orationem?

R. Hic debet populus quidquid haberi potest attentionis, fidei, fervoris simul colligere, ob istantem consecrationem; simulque petere, ut facienda mox immolatio mystica corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi sit nobis fons & origo benedictionis & gratiæ.

XX. *De Consecratione.*

I. Recitata superiori oratione, quid agit Sacerdos?

R. Immolat mystice victimam, faciendo separatim corporis Christi sub panis specie, & sanguinis Christi sub specie vini consecrationem. Cur autem dicatur Christus hac consecratione spiritualiter immolari, iam exposuimus supra, H.ulsee.§. v.

(B) Messire Iacques Benigne Bossuet Eveque de Meaux *dans son Explication de quelques difficultez sur les prieres de la Messe, num.* 45. *pag.* 291. Duabus consentientibus Ecclesiis, Græca nempe & Latina, virtus quæ dona mutat & in corpus & sanguinem vertit, essentialiter consistit in Domini nostri verbis: quod facile probare est ex constanti Græcorum & Latinorum Patrum traditione; verum adeo parum de hac re dubitatur, ut ipsi hodierni Græci, qui vim consecrationis signanter orationi, qua petitur a Spiritu sancto donorum mutatio, tribuere videntur; postquam Domini nostri verba recitata sunt, fateri non dubitant, hisce verbis quæ pronuntiarunt vim inesse, & orationem, de qua agitur, omnipotentem virtutem propositis donis applicare, quemadmodum materiæ combustibili ignis applicatur. Atque ita Domini nostri verba revera sunt ignis, qui panem & vinum consumit: hæc verba in id quod enuntiat mutant, nempe in corpus & sanguinem, ut expresse a D. Chrisostomo dicitur; quodque hodiernis Græcis concedi posset, illud esset, orationem ideo necessariam esse, ut verba Domini nostri applicarentur; quæ quidem doctrina mihi minime inconveniens videtur, cum ante vel post omnes eamdem orationem faciamus.

(C) Conc. Flor. *ann.* 1439. *Sess.* 25 *pag.* 491. *Tom.* 13. *Concil. Labb.* De divino item sacrificio quæsitum est a Latinis: Quomodo prolatis Christi verbis: *Accipite, & comedite, hoc est enim corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum:* & illis, *Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Sacris donis per verba sanctificatis vos hanc postea orationem additis, dicentes: Et fac panem quidem hunc pretiosum corpus Christi tui; quod autem in calice isto est, pretiosum sanguinem Christi tui, sancto tuo Spiritu transmutans. Porro hoc ita dissolutum est: fateri nos diximus, per hæc verba transubstantiari sacrum panem, & fieri corpus Christi: sed postea, quemadmodum & ipsi dicitis, Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum; ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus sanctus descendat super nos, & efficiat in nobis panem hunc pretiosum corpus Christi tui, & quod in calice isto est pretiosum sanguinem Christi tui; transmutetque ipsa Spiritu Sancto tuo, ut fiant communicantibus in purgationem animæ, in remissionem peccatorum & non fiant in iudicium & condemnationem nostram. Matth. xxvi 26. &c. Ibid. 27. 28. &c.

Digitized by Google

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §.22.n.20.

I. Quomodo fit isthæc immolatio mystica, isthæc consecratio?

R. Non jam suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Consecrat quidem, sed Christi nomine; immo verius dixerim, hic Sacerdos organum est Christi, eius ore loquentis & consecrantis (A). Ideoque non suo nomine loquitur, sed quod Christus ipse, sacratissimum hoc sacrificium instituens, fecit & dixit, id ipsum Sacerdos Christi nomine facit & recitat; sed verbis illis dat Christus efficacitatem. Itaque accipit Sacerdos panem ac deinde calicem, quemadmodum acceperat Christus; extollit oculos ad cælum, quemadmodum extulerat Christus, gratias agens benedicit panem & vinum, quemadmodum gratias agens benedixerat Christus; pronuntiat verba eadem quæ Christus pronuntiavit; & quemadmodum Christus his verbis panem in corpus suum, & vinum in sanguinem suum transmutavit, iisdem itidem verbis Sacerdos panem & vinum in corpus & sanguinem Christi transmutat: tandem peracto sacrificio frangit Sacerdos panem, & distribuit circumstantibus, quemadmodum Christus fregerat & distribuerat Apostolis.

Postquam autem Sacerdos sacratissima pronuntiavit verba, quibus mirabilis illa transubstantiatio facta est; statim genuflectens adorat corpus Christi iam tum mystice immolatum, & sanguinem mystice effusum: tum surgit, & sursum extollit sacratissimum corpus & sanguinem ut adorentur a circumstantibus: qua quidem actione exhibet actionem, qua Christus erecta cru-

---

(A) Tertul. *lib.* 4. *advers. Marcion. cap.* 40. Acceptum panem & distributum discipulis corpus illum suum fecit, di- Matth xxvi 26.
cendo: *Hoc est Corpus meum.*

S. Ambros. *l.* 4. *de Sacram. cap.* 4. *n.* 13. *Vide supra* §. 9. *huiusce c. litt.* (B).

Cap. 5 *n.* 21. Qui pridie quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem, respexit in cælum ad te, sancte Pater omnipotens æterne Deus, gratias agens, benedixit, fregit, fractumque Apostolis suis, & discipulis suis tradidit Matth. xxvi 26. 1. Cor. xi. 24. & c.
dicens: *Accipite & edite ex hoc omnes; hoc est enim corpus meum, quod pro multis confringetur.*

Num. 22. Similiter etiam calicem postquam cœnatum est, pridie quam pateretur, accepit, respexit in cælum ad te, sancte Pater omnipotens æterne Deus, gratias agens, benedixit, Apostolis suis Matth. xxvi 27. & c.
& discipulis suis tradidit, dicens: *Accipite & bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus.* Vide illa omnia. Illa verba Evangelistæ sunt usque ad *accipite*, sive corpus, sive sanguinem. Inde verba sunt Christi: *Accipite & bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus.* Et vide singula.

N. 23. Qui pridie, inquit, quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem. Antequam consecretur panis est; ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem: *Accipite & edite ex eo omnes; hoc est enim corpus meum.* Et ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus: ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis Christi efficitur, qui plebem redemit: ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere. Deinde ipse Dominus Iesus testificatur nobis quod corpus suum accipiamus & sanguinem. Numquid debemus de eius fide & testificatione dubitare?

N. 25. Ergo non otiose dicis tu: Amen, iam in spiritu confitens quod accipias, corpus Christi. Dicit tibi Sacerdos, Corpus Christi; & tu dicis, Amen; hoc est, verum. Quod confitetur lingua teneat affectus.

Digitized by Google

Pars III Sect. II. Cap. VII §. 22. n. 20

ce pendens obtulit semetipsum Patri; Ipseque tacitus offert Deo corpus et sanguinem Christi mox immolati, quemadmodum in veteri lege Sacerdotes offerebant Deo sanguinem victimarum immolatarum.

Vide huius ce. §. 4.

I. Estne ritus idem consecrationis in Ecclesia Græca?

R. Idem est et semper fuit. Id patet ex omnibus omnino Liturgiis. Hoc solum interest: 1. quod in Liturgiis Orientalibus desunt hæc verba, *Mysterium fidei*, quæ & desunt quidem in veteri Ordine Romano; sed exstant tamen in omnibus veteribus Missalibus MS. Ecclesiæ Romanæ; asseritque Innocentius III. *lib.* 3. *Mysteriorum Missæ cap.* 5. verba hæc addita fuisse ex traditione Apostolica: eademque reperiuntur in Liturgia veteri quæ in usu est apud Christianos Indos, ut observat Edmundus Martenne.

Lib. 1. de antiq. Eccle. ritib. c. 4. art. 8. n. 10.

2. Apud Orientales verba consecrationis elata voce pronuntiantur a Sacerdote; quibus enuntiatis populus circumstans dicit, *Amen*; ut ea voce palam profiteatur credere se factam his verbis transmutationem. Ecclesia autem Occidentalis iam a multis seculis verba consecrationis submissa voce pronuntiat; nec populus respondet, *Amen*. *A multis*, inquam, *seculis*: nam eumdem olim servabat Ecclesia Occidentalis morem, quem retinet etiamnum Orientalis (B): coniicitque vir eruditissimus Cardinalis Bona in opere eximio de rebus Liturgicis, morem hunc in Ecclesia Occidentali ad seculum usque decimum perseverasse (C). Sed aliud alii ea de re sentiunt: nec enim constat apud eruditos morem hunc in omnibus omnino Occidentalibus Ecclesiis viguisse antiquitus; nec, si vigue-

(B) *Vide* S. AMBROS. *litt. sup. cap.* 5. *num.* 25. *Quem locum si quis de communione accipi velit, fatebitur certe id expressius & clarius enunciari lib de Mysteriis cap.* 9. *n.* 54. *his S. Doctoris verbis*: Ipse clamat Dominus Iesus: *hoc est corpus meum*. Ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis, *Amen*, hoc est, verum. Quod os loquitur, mens interna fateatur.

(C) IOAN. BONA S. R. E. Card. *Rerum Liturg. l.* 11, *c.* 13. *n.* 1.... Græci & alii Orientales verba consecrationis elata voce pronuntiant, & populus respondet, *Amen*. Dionysius Alexandrinus de hoc ritu testimonium perhibet Epist. ad Xistum Romanum Pontificem apud Eusebium lib. 7. histor. Eccles. cap. 9. *Qui gratiarum actionem*, inquit, *frequenter audierit, & qui cum ceteris responderit*, Amen, *&c.* Eumdem morem servabat olim Ecclesia Occidentalis, omnes enim audiebant sanctissima & efficacissima verba, quibus Christi corpus conficitur. Hinc Tertullian. lib. de spectaculis *cap.* 25. in eos invehitur, qui *eo ore quo* Amen *in sanctum protulerant*, gladiatori testimonium reddere non verebantur. Et Ambrosius lib. de iis qui initiantur, ait: *Ante consecrationem aliud dicitur: post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis*, Amen, *hoc est, verum est.* Alcuinus idem asserit, & ex eo Florus magister in Expositione Missæ: Amen *autem quod ab omni Ecclesia respondetur, interpretatur verum, non ubicumque & quomodocumque, sed mystica relligione. Hæc ergo ad tanti mysterii consecrationem, sicut & in omni legitima oratione respondent fideles, & respondendo subscribunt.* Postea statutum est ut Canon submissa voce recitaretur, & sic desiit ea consuetudo seculo decimo.

rit, tamdiu perseverasse. Quidquid sit ea de quæstione, certe ritus ille ad disciplinam, non ad fidem pertinet: & quem nunc servat Ecclesia Occidentalis ea de re morem, is & sanctus est, & sua ipsa antiquitate venerabilis (D).

I. Estne id antiquissimi ritus, ut peracta consecratione cor us & sanguis Christi sursum efferantur a Sacerdote, ut ea populus circumstans adoret?

R. Ut corpus Christi post consecrationem exhibeatur ad adorationem populo circumstanti, id semper in more positum fuit apud omnes Christianos, ut patet ex omnibus omnino Liturgiis. Sed non eodem modo & ritu id fit apud omnes. Græci non per Sacerdotem, sed per Diaconum; non statim post consecrationem, sed paullo ante communionem, corpus Christi palam exhibent populo circumstanti ad adorationem. Olim & Ecclesia Romana non nisi ante orationem Dominicam illud exhibebat, ut suo loco dicemus. Quin & moris recentioris est, (nec ubique etiamnum mos ille obtinet), ut calix seorsum a corpore Domini exhibeatur. Carthusiani peracta consecratione corpus quidem Domini statim ostendunt adorandum, ut facimus; sed non ostendunt calicem, illum Ecclesiæ Romanæ more sequuti, qui tunc vigebat cum eorum Ordo institutus est (E).

PARS III. SECT. II. CAP. VII. § 22 n.2

Hocc§ u.25.

(D) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 22. *can.* 9. *de Missæ sacrificio*. Si quis dixerit: Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse .. Anathema sit.

(E) IOAN BONA S. R. E. Card. *Rerum Liturg. lib.* 2. *cap.* 13 *n.* 2 Latini peracta consecratione, Græci paullo ante communionem, ut ex Liturgiis Iacobi, Basilii, Chrysostomi manifestum est, corpus Dominicum & calicem elevant, ut a populo adoretur. Idque ab antiquo tempore fieri solitum indicant Scriptores Græci; Dionysius lib. 3 Eccles Hierarchiæ. *Divinissima*, inquit, *consecrat mysteria, & in adspectum ducit quæ celebravit*. Et infra: *Obtecta munera in apertum producit*. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. *Invocationis verba, cum ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum scripto nobis reliquit?* S. Germanus in contemplatione rerum Ecclesiasticarum circa finem: *Elatio autem in altum venerandi corporis repræsentat crucis elationem*. Anastasius Synaita serm. de sacra synaxi: *Sacerdos post sanctificatum sacrificium incruentum attollit panem vitæ & omnibus illum ostendit*. Maronitæ post orationem Dominicam & alias preces eamdem hoc ritu peragunt elevationem. Sacerdos elevat corpus Christi, & vocem attollens dicit: *Sancta sanctis in perfectione, puritate & sanctitate dentur*. Respondet populus, *Unus Pater sanctus, unus Filius sanctus, unus Spiritus sanctus Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*. Tum elevat calicem dicens: *Ita Domine in veritate & vere credimus in te, sicut credit in te Ecclesia sancta Catholica, quia es unus Pater sanctus, cui gloria, Amen; unus Filius sanctus, cui gloria, Amen; unus Spiritus sanctus, cui gloria & gratiarum actio in secula, Amen*. Eumdem ritum sequuntur Æthiopes, nam sancta dona elevant ante communionem, dicente Diacono. *Inspiciamus*. Tum ait Sacerdos, *Sanctum date sanctis*. Subdit populus: *Unus Pater sanctus, unus Filius sanctus, unus Spiritus sanctus*. Et Sacerdos elevans sacramentum dicit alta voce: *Domine Iesu Christe miserere nobis*.

S. AUG. *in Ps.* XCVIII. *n.* 9. *Vide superius* § 4. *c.* 4. *sect.* 1. *huiusce partis lit.* (F)

S. CYRILL. HIEROSOL. *Catech. mystag.* 5. *Vide infra huiusce* §. *n.* 30. *litt.* (B)

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. 22 n. 20

S. AMBROS. *lib.* 3. *de Spiritu sancto*, *cap.* 11. *alias* 12. *num.* 79 *Adorate scabellum pedum eius*.... per scabellum terra intelligitur: per terram autem caro Christi quam hodieque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu... adorarunt, neque enim divisus est Christus, sed unus: neque cum adoratur tamquam Dei Filius, natus ex Virgine denegatur.

Ps. xcviii. 5.

S. IOAN. CHRYS. *Hom.* XXIV. *in Epist. prim. ad Corinthios. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Quid dicis, o beate Paulle? ut auditorem pudore afficias, mysteriaque horrenda memorans benedictionis calicem vocans, terribilem illum atque formidandum calicem? Etiam, inquit: non parva enim res est quæ dicitur. Nam cum benedictionem dico, omnem explico Dei beneficentiæ thesaurum, & magna illa dona in memoriam revoco. Nam nos quoque ad calicem recensentes ineffabilia Dei beneficia, & omnia quibus fruimur, sic illum offerimus & communicamus, gratias agentes quod genus humanum ab errore liberaverit, quod eos qui procul erant prope fecerit, quod eos qui spem non haberent & athei erant in mundo, fratres suos & coheredes constituerit. Pro his & similibus gratias agentes, sic accedimus... *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Valde fideliter dixit & terribiliter; hoc enim vult significare: Hoc quod in calice est illud ipsum est quod ex latere fluxit, & illius sumus participes. Calicem autem benedictionis vocavit, quia illum præ manibus habentes, sic ipsum celebramus admirantes, terrore perculsi de ineffabili dono, benedicentes quod ipsum effuderit; ut ne in errore maneremus; & non solum effuderit sed etiam eum ipsum nobis omnibus impertierit.

Num. 4..... Ne, quæso, ne nos ipsos iugulemus per impudentiam; sed cum horrore & puritate omni ad ipsum accedamus, & cum ipsum videris propositum, tibi ipsi dic: Propter hoc corpus non sum ego amplius terra & cinis, non ultra captivus, sed liber. Ideo cælos spero & bona illic reposita me accepturum esse, immortalem vitam, Angelorum sortem, cum Christo consuetudinem. Hoc corpus clavis confixum, flagris cæsum mors non tulit. Hoc corpus sol cum crucifixum videret, radios avertit. Ideo tunc velum scissum est, petræ ruptæ sunt, & universa terra concutiebatur. Hoc est illud corpus, quod cruentatum fuit, lancea perfossum, quod salutares fontes scaturivit orbi, alium sanguinis, alium aquæ... Hoc etiam corpus in præsepi iacens reveriti sunt Magi. Et viri impii ac barbari patria domoque relicta, viam emensi sunt longam & venientes cum timore & tremore multo ipsum adoraverunt. Imitemur ergo saltem barbaros, nos cælorum cives. Illi namque in præsepe respicientes & in tugurio, & nihil eorum respicientes, quæ tu nunc vides cum tremore multo accesserunt. Tu vero non in præsepe respicis, sed in altare; non mulierem tenentem, sed Sacerdotem adstantem, & spiritum cum ubertate magna in proposita supervolantem. Non simpliciter hoc ipsum corpus vides, ut illi, sed nosti ipsius & virtutem & dispensationem omnem, & nihil ignoras eorum quæ per ipsum perfecta sunt, cum omnia initiatus accurate didiceris. Excitemus itaque nos ipsos & horreamus, & multo maiorem quam barbari illi pietatem exhibeamus, ut non temere, & inconsiderate accedentes ignem in caput nostrum congeramus.

B. THEODORET. *dialog.* 2. *inconfusus Eran. &c. Eran.* Quid appellas donum quod offertur ante Sacerdotis invocationem? *Orth.* Aperte dicendum non est. Verisimile est enim adesse aliquos mysteriis non initiatos. *Eran.* Respondeatur ænigmatice. *Orth.* Cibum ex talibus seminibus. *Eran.* Alterum vero symbolum quomodo vocamus? *Orth* Commune & hoc nomen est, poculi speciem significans. *Eran.* Post sanctificationem vero quomodo hæc appellas? *Orth.* Corpus Christi, & sanguinem Christi. *Eran.* Et credis te corpus Christi & sanguinem percipere? *Orth.* Ita credo. *Eran.* Sicut ergo symbola Dominici corporis & sanguinis, alia sunt ante Sacerdotis invocationem, post invocationem vero mutantur, & alia fiunt: Ita Dominicum corpus post ascensionem in Divinam substantiam mutatum est? *Orth* Retibus quæ Ipse texuisti, captus es. Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt a sua natura. Manent enim in priore substantia, & figura, & forma, & videri tangique possunt, sicut & prius: intelliguntur autem ea esse quæ facta

I. Quid agere debet populus circumstans dum fit Consecratio?

R. Debet, 1. tremendum hoc mysterium tota mente atque animo intentissimo, summa cum reverentia meditari.

2. Fidem suam de hac transubstantiatione mirabili profiteri.

3. Petere a Deo ut & ipsi nos in Christum quodam modo transformemur.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 22. n. 20.

I. Quid agendum dum hostia sa-

---

sunt, & creduntur, & adorantur, utquæ illa sint, quæ creduntur.

Domn. Ioan. Mabillon. *Comment. in Ord. Rom. num.* 7. In quibusdam Ecclesiis *Amen* post verbá consecrationis a popolo dicebatur: sad nihil hac de re nec in libellis nostris nec in Sacramentario Gregoriano. Tametsi eius rei meminit Augustinus in Epist. ad Ianuarium.

Per totum Canonem *Episcopi, Diaconi, Subdiaconi, Pontifici servientes, & Presbyteri in presbyterio permanebant inclinati*: nisi quod ad verba, *Nobis quoque peccatoribus*, surgebant Diaconi. Hac corporis inclinatione adorabant sacram actionem & sacra mysteria, quæ vulgatus Anastasius in Martino Papa *adorandam hostiam* vocat.

Non statim post consecrationem in altum a Sacerdote hostia, itemque calix primis illis temporibus efferebantur: sed sub finem Canonis, cum diceret Sacerdos, *Per quem hec omnia*, &c. erigebat se Archidiaconus solus: & cum diceretur, *Per ipsum, & cum ipso*, levabat cum offerIorio calicem per ansas, & tenebat exaltans illum iuxta Pontificem. Micrologus *corpus cum calice tunc levatum* fuisse dicit in cap. 15. ubi nollam alterius post consecrationem levationis mentionem facit. Orientales id præstant paullo ante communionem. Porto elevatio post consecrationem in Gallia post medium seculum undecimum videtur fieri cœpta, haud scio an paullo serius in Ecclesia Romana: tametsi utrobique ad consecrationem sacra mysteria adorarentur. Huc spectat Ivonis Episcopi Carnotensis Epistola 142. ad Mathildem Anglorum Reginam, cui gratias agit ob campanas Ecclesiæ suæ concessas, quarom sonitu ait renovari ipsius Reginæ memoriam, tunc præsertim, *Quando illa salutaris Hostia, pro nobis redimendis in ara crucis oblata per novi sacerdotii ministros in Domini mensa quotidie consecratur*, Ubi nulla mentio elevationis; uti nec in usuum Cistercensium *cap.* 58. Sic vero in institutionibus Capitulorum generalium, *cap.* 25. *distinct.* 3. ubi in Capitulo generali anni 1215. statutum legitur, *ut consecratione peracta hostia elevetur*. Quo fere tempore Guillelmus Episcopus Parisiensis, & in Germania Guido Cardinalis statuerunt, ut ad elevationem campanula pulsaretur. Hoc loco in memoriam redit S. Malachiæ Hiberniæ Primatis calix sacer, in thesauro Clarevallensi asservatus: ex cuius labio dependent aliquot campanulæ, quibus ad motum calicis adstantes ad adorandum excitacetur. Denique seculo XIII. In Ceremooiali Gragorii X..... præscribitur, *ut in elevatione corporis Christi prosternant se ad terram, & adorent reverenter in facies cadendo, & sic prostrati stent usque ad*, Per omnia. Quod hodie quoque actitant Carthusiani.

Ordinar. Carthusian. *cap.* 27. *num.* 4. Brachiis altari inoixis, stans capite inclinato cum omni attentione, reverentia & devotione profert hæc coosecrationis verba super hostiam qoam teoet, & simul super omnes qootquot sunt consecrandæ, (*Hoc est enim corpus meum.*) Debent autem illa verba proferri secrete, distincte ac continuate.

Num. 5. Quibus prolatis Sacerdos tenens in sanctissima hostia Salvatorem mundi... profunde inclinatus, & genuflexus, non tameo usqoe ad terram, eam adorat, sic quidem ut a consistentibus retro videri tunc non possit quæ adoratur. Mox Sacerdos se erigens, illam sensim & com magna gravitate, semperque intentis eidem ocolis elevat, quantum commode potest in altum: atque sic omnibus ostendit, quam devotissime adorandam; deinde reverentee super corporale reponit. *Nil tale additur post calicis consecrationem.*

Pars III. Sect. II. Cap VII. §.22 n.21.

lutaris, & sanguis Christi palam adoranda exhibentur, ac sursum tolluntur?

R. Adorandus est Christus tunc præsens in altari sub speciebus panis & vini velatus eiusque imploranda misericordia.

XXI. *Series Canonis*: Unde & memores.

I. Quid agit Sacerdos peracta consecratione?

R. Recitatis verbis consecratoriis, pergit ex ore Christi in hunc modum:

Luc.xxii.19. 1.Cor.xi.25. *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.*

Deinde postquam adoravit, exhibuitque populo circumstanti Christi sanguinem adorandum, offert denuo corpus & sanguinem Christi, his verbis usus:

Unde & memores, Domine, nos servi tui, sed & plebs tua sancta, eiusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatæ passionis, nec non & ab inferis resurrectionis, sed & in cælos gloriosæ ascensionis, offerimus præclaræ maiestati tuæ, de tuis donis ac datis, hostiam † puram, hostiam † sanctam, hostiam † immaculatam, panem † sanctum vitæ æternæ, & calicem † salutis perpetuæ(A).

Hæc dicens ter cruce signat hostiam simul & calicem, semelque hostiam seorsum, ac deinde semel calicem.

I. Cur Sacerdos cruce signat toties hostiam & calicem peracta iam consecratione?

R. Non ut sacrosanctum corpus & sanguinem Domini benedicat, quod vel cogitare absurdum est; sed ut his signis verba comitantibus intelligamus, Sacrificium & oblationem corporis & sanguinis Domini factam in altari Eucharistico vim omnem, & virtutem habere a Sacrificio crucis, quod in Missa exhibetur & continuatur.

I. Quid sibi vult Ecclesia in hac oratione, *Unde & memores?*

R. Id ut apertiùs intelligamus, singula huius orationis verba perpendenda sunt.

Unde & memores. Hic Sacerdos obsequitur Christo, cuius mox recitavit hæc verba: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.*

Nos servi tui, sed & plebs tua sancta. Hanc orationem sicuti & ceteras omnes liturgicas preces non suo tantum sed & populi Christiani nomine recitare se profitetur. Populus orat, populus offert ministerio & voce Sacerdotis, ut sæpius diximus: hæc ergo Ecclesiæ mens est, ut iungat se populus Sacerdoti hanc orationem recitanti; eamque si quisque tacitus simul recitaverit, faciet rem ad mentem Ecclesiæ apprime accommodatam, ut patet ex ipso orationis contextu. §. 9. huiusce cap. & hocce §. sæpius.

Tam beatæ passionis, nec non ab inferis resurrectionis, sed & in cælos

---

(A) S. Ambros. *Lib. 4. de Sacram. cap. 6. num. 27. Vide infra hocce §. num. 22. proxime sequenti.*

gloriosæ ascensionis. Hic revocari
§. 12. huius §. iuvat in memoriam ea quæ diximus ad hanc orationem, *Suscipe sancta Trinitas*, in qua profitetur quoque Sacerdos offerre se Sacrificium *in memoriam passionis, & resurrectionis & ascensionis Domini nostri Iesu Christi* Quibus adde, quod quemadmodum consecratio, qua panis & vinum transformantur in corpus & sanguinem Christi, exhibet, ut
§. 9. Huiusce cap. diximus, Christi morientis in cruce Sacrificium, ita quam nunc facit Sacerdos oblationem corporis & sanguinis Christi peracta iam consecratione, illa novam exhibet oblationem Christi, qui post resurrectionem ascendit in cælum, ut iugiter offerret Deo Patri fusum pro
Hebr. 11. 24. nobis in cruce sanguinem: *Non enim in manufacta sancta Iesus introivit, exemplaria verorum, sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis*, inquit Apostolus. Et hæc quidem est ratio cur Sacerdos hic dicat: *Memores passionis, & resurrectionis, & ascensionis offerimus præclaræ maiestati tuæ*.

De tuis donis ac datis, id est, de pane & vino quæ tua liberalitate nobis concessa, transmutata sunt in corpus & sanguinem Christi. Ergo hostiam ex tuis donis ac datis, ex pane & vino conversam in corpus et sanguinem Christi tibi offerimus; utique;

Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam; nimirum corpus ipsum & sanguinem Christi. Hic Sacerdos notat Prophetiam Malachiæ, quam superius retulimus, in qua prædictum erat offerendam esse in omni loco *puram* & mundam *oblationem*. § 22 n. 21 §. 7. Huiusce cap.

Panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ. Idest cibum & potum quo vita æterna continetur & confertur. Non veretur Ecclesia corpus Christi appellare *panem*, etiam postquam peracta consecratione substantia panis in substantiam corporis Christi tota conversa est, nec quidquam superest prioris substantiæ: quia *panis* voce generica quodlibet cibi genus significatur. Unde Christus ipse de se loquens ait: *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi*. Hunc ergo panem cælestem & vivificum offert Ecclesia. Ioan. vi. 41.

XXII. Supra quæ.

I. Quæ est altera oratio Canonis post consecrationem?

R. Postquam Sacerdos panem hunc sanctum & calicem salutiferum obtulit, orat Deum ut hæc dona accepta habere dignetur. Sic autem prosequitur:

Supra quæ propitio & sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & Sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam (A).

I. Miror admodum cur oret Ec-

(A) S. Ambros. *Lib.* 4. *de Sacramen. cap.* 6. *num.* 27. Et Sacerdos dicit: Ergo

Digitized by Google

clesia Deum, ut propitio et sereno vultu respicere et accepta habere dignetur corpus et sanguinem Christi, sicuti accepta habere dignatus est munera Abelis, Abrahæ et Melchisedech: quasi vero Christus semetipsum offerens Patri velit propitium sibi Patrem esse; quasi vero possit Sacrificium hoc non gratum et acceptum esse Deo; quasi vero conferri possit meritum veterum sacrificiorum cum merito Sacrificii Christi. Vereor certe ne quid in hac precandi formula Christo iniurium esse videatur?

R. In hac precandi formula nihil iniurium Christo, nihil quod parum deceat, nihil quod possit merito reprehendi.

Neque enim orat Ecclesia ut Deus propitius sit Christo semetipsum offerenti, sed ut propitius sit nobis Christum ipsum offerentibus; acceptaque habeat munera Ecclesiæ Christum offerentis, quemadmodum accepta olim habuit munera Abelis, Abrahæ et Melchisedech, huiusce Sacrificii typos et figuras offerentium. Neque enim Deo accepta fuere vetera isthæc Sacrificia, nisi in quantum Christi Sacrificium prænuntiabant, et adumbrabant. Si enim illa a Christi Sacrificio separentur, nihil habuere virtutis, nec propitio & sereno vultu respici a Deo potuerunt. Nisi hoc sensu totam hanc precationem intelligas, facies gravem Christo iniuriam: quod quam alienum a mente Ecclesiæ sit nemo non videt. Sic itaque accipienda est illa orationis formula; ut intelligatur eo sensu qui verbis mox sequentibus exprimitur:

Quemadmodum olim accepta habere dignatus es munera Abel, Abrahæ, & Melchisedech, offerentium tibi de bonis suis Sacrificia, quemadmodum propitius fuisti eis munera illa tibi offerentibus; ita Domine digneris propitio & sereno vultu respicere nos offerentes tibi non umbratica, ut illi, Sacrificia, sed Christum ipsum his Sacrificiis adumbratum.

I. Cur præ omnibus sacrificiis mentionem hic facit Ecclesia Sacrificii Abelis, Abrahæ & Melchisedech, tacito nomine Sacrificiorum Iudaicorum? Cur nullam facit Aaronis mentionem?

R. Quia tres illi viri sancti Christum ipsum eiusque Sacrificium, & per se ipsi & sacrificiis suis, expressius adumbrarunt quam ceteri omnes qui ante Christum vixere.

Abel innocens primitias armentorum suorum cum fervore & fide offerens Deo, & a fratre invido occisus, Christum ipsum expressit innocentem, Iudæorum invidia morti traditum, & offerentem se Deo in Sacrificium iam ab ipso vitæ exordio (B).

---

memores gloriosissimæ eius passionis, & ab inferis resurrectionis, & in cælum ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, & calicem vitæ æternæ: & petimus & precamur, ut hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo per manus Angelorum tuorum, sicut suscipere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos Melchisedech.

(B) Hebr. xi. 4. Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consequutus est esse iustus,

Abraham pater omnium credentium unigenitum suum Isaac immolans, iamque moriturum, & veluta morte redemptum recipiens, ut Apostolus innuit, Christum expressit, qui est auctor fidei nostræ, & factus obediens Patri, semetipsum Sacerdos simul & victima morti tradidit, & a mortuis suscitavit (C).

Melchisedech Sacerdos, & secundum significationem nominis Rex pacis & iustitiæ, Sacerdos, inquam, in æternum, Sacerdos triumphato hoste sacrificans, Sacerdos Aarone maior, Sacerdos panem & vinum offerens, quam expresse Christum his omnibus adumbraverit nemo non videt (D).

Itaque Abel, Abraham, & Melchisedech triplici illo Sacrificio quod suo quisque modo obtulit, magnum illud expresserunt Sacrificium quod Christus nascens inchoavit, moriens in cruce immolavit, cælo receptus consummavit, & in altari Eucharistico quotidie exhibet & continuat. Est ergo plena mysterii, & mirabilis prorsus quam hic facit Ecclesia mentio triplicis illius Sacrificii, expresso Abelis, Abrahæ, & Melchisedeci nomine.

Pars III. Sect. II. Cap VII. §.22.n.22

I. Quid caussæ est cur Ecclesia Melchisedeci Sacrificium vocet, *Sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam*?

R. Nihil obstat verba isthæc, si velis, intelligi de Melchisedeci Sacrificio; quia expressior typus fuit

---

testimonium perhibente muneribus eius Deo; & per illam defunctus adhuc loquitur.

S. August. *Lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 17. Occiso Abel, atque in eius interfectione commendato mirabili sacramento.

Cap. 18. Ex duobus namque illis hominibus, Abel, quod interpretarur luctus, & eius fratre Seth, quod interpretatur resurrectio, mors Christi & vita eius ex mortuis figuratur. Ex qua fide gignitur hic civitas Dei, id est, homo, qui speravit invocare nomen Domini Dei... Nam quis vocare hoc existimet ab altitudine sacramenti? Numquid enim Abel non speravit invocare nomen Domini Dei, cuius sacrificium Scriptura tam acceptum Deo fuisse commemorat?

Gen. xxii. 1. (C) Hebr. xi. 17. Fide obtulit Abraham Isaac, cum teotaretur, & unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones; ad quem dictum est: Quia in Gen. xxi. 12. Isaac vocabitur tibi semen: arbitrans quia & a mortuis suscitare potens est Deus: unde eum & in parabolam accepit.

S. Aug. *lib.* 16. *de Civit. Dei*, *cap.* 32. *n.* 1 *Vide supra part.* 1. *sect.* 1. *cap.* 4. §. 6. *litt.* (C & E)

S. Chrysost. *Homil. in S. Eustathium Antiochenum pag.* 606. *num* 2. Abram non gladium cruentavit; non altare rubefecit, non Isaac iugulavit; sed tamen sacrificium perfecit. Quis hoc ait? Ille ipse qui sacrificium suscepit. *Non pepercisti enim*, inquit, *filio tuo dilecto propter me*. Atqui vivum eum recepit & incolumem reduxit: quo modo igitur non pepercit? Quod non ex factorum exitu, sed ex animi sententia, inquit, de eiusmodi sacrificiis soleam iudicare. Non mactavit manus, at voluntas mactavit: non gladium pueri iugulo immersit; non cervicem incidit; sed est sacrificium etiam sine sanguine. Sciunt illi, qui mysteriis initiati sunt, quid dicamus: propterea & illud sacrificium sine sanguine perfectum est, quoniam huius figura esse debuit. Vides in veteri Testamento imaginem multo ante adumbratam? noli veritati fidem denegare. Gen. xxii. 12.

(D) Hebr. vii. 1. Hic enim Melchisedech, Rex Salem, Sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso a cæde Regum, & benedixit ei: cui & decimas omnium divisit Abraham: primum quidem qui interpretatur Rex iustitiæ: deinde autem & Rex Salem, quod est, Rex pacis.

Digitized by Google

illius Sacrificii quod sub specie panis & vini a Christo erat offerendum.

Sed veriorem horum verborum sensum attigeris, si cum Odone Episcopo Cameracensi, Remigio Altissiodorensi, Floro Diacono Lugdunensi qui nono seculo floruit, Titelmanno aliisque non infimæ notæ sacri Missæ Canonis Interpretibus, verba hæc, *Sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam*, ad ipsum Christi Sacrificium referas, non ad Sacrificium Melchisedech: adeo ut verba hæc,(*Propitio ac sereno vultu respicere digneris, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & Sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisédech*) parenthesi claudi oporteat, ut sensus sit, *Supra quæ* dona, quæ exhibent *sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam, propitio & sereno vultu respicere digneris, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri*, &c.

Aiunt verba hæc, *Sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam*, addita Missæ Canoni fuisse iussu Sancti Leonis Magni, seculo quinto. At quis putet hoc in honorem umbratici Melchisédech Sacrificii factum a sancto Pontifice? Longe verisimilius est, S. Leonem in mente habuisse unicum Christi Sacrificium & verba hæc adiecisse post longam parenthesim huic orationi, ut his verbis hæc oratio facilius connecteretur cum oratione sequenti, quæ sic incipit: *Supplices te rogamus, iube hæc perferri in sublime altare tuum* &c. adeo ut verborum illorum adiectione, verba hæc, *iube hæc perferri*, non ad umbratica Sacrificia, de quibus in præcedenti oratione mentio fit, sed ad ipsa dona in altari posita, ad sanctum Sacrificium, ad immaculatam hostiam, hoc est, ad Christum ipsum sub specie panis & vini oblatum referrentur.

I. Quid agere debet populus circumstans, dum hæc recitatur oratio?

R. Hæc oratio connexa est cum superiore, quam Sacerdos & populi circumstantis & suo nomine recitat, ut iam diximus, & verba ipsa superioris orationis exprimunt. Hæc itaque Ecclesiæ mens est, ut populus circumstans iungat se Sacerdoti oranti; facietque populus rem apprime convenientem, si verba ipsa orationis tacitus recitet: quod & de sequenti oratione dictum puta, quæ huius est series & continuatio. Nemo non per.

XXIII. Supplices te rogamus.

I. Quæ est tertia Canonis oratio post peractam consecrationem?

R. Sacerdos profunde inclinatus, ut hoc habitu corporis exprimat & subiectionem mentis, & orationis instantiam, sic prosequitur:

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum in conspectu divinæ maiestatis tuæ: ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur, per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

I. Quæ est huius orationis ratio, qui scopus?

R. Id ut facilius assequaris, ad mentem revocari iuvat, quod superius diximus de veteribus sacrificiis, in quibus victima immolata & supposito igne cremata abibat in fumum quasi ad thronum Dei elata, ut recreatus, si fas ita loqui, Deus illius odore suavissimo, largam benedictionem & varia dona in sacrificantes effunderet.

Huiusce c. §. 1.

Quæ res typus Christi fuit. Christus enim in ara crucis immolatus, & factus immortalis resurrectione, qua velut igne absorptum est quidquid mortale & corruptibile assumpserat, ad thronum Dei tandem Ascensione pervenit; sedensque ad dexteram Patris, hinc varia dona & multiplicem benedictionem misso ad Discipulos Spiritu sancto in homines derivavit. *Ascendens in altum dedit dona hominibus*, inquit Apostolus.

Ephes. IV. 8.

Mysteria hæc in Missæ sacrificio exhibemus & renovamus: idque ut palam fiat omnibus, dicimus primum offerri a nobis hoc sacrificium in memoriam Passionis, & Resurrectionis, & Ascensionis Iesu Christi; deinde petimus a Deo, ut hoc acceptum habere dignetur quemadmodum olim acceptas habere dignatus est huius sacrificii umbras. Denique petimus, ut victimam hanc in ara Eucharistica mystice immolatam iubeat perferri ad sublime thronum divinæ maiestatis suæ, ut per sacram eius sumptionem participes efficiamur benedictionum & gratiarum omnium quæ sacrosancta hæc victima e cælo nobis attulerit.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 22. n. 2.

I. Recte id quidem, sed vereor ne Christò iniuriosa sit ea precatio, qua petimus a Deo, ut Christus sancti Angeli ope e terra denuo perferatur in cælum?

R. Fateor iniuriosam Christo fore hanc precandi formulam, si sic ad litteram intelligeretur. Sed apage servilem istum & odiosum sensum. Christus ascendit in cælum, numquam inde discessurus donec veniat iudicare vivos & mortuos: id Ecclesia credere se profitetur in Symbolo. Hac ergo metaphorica loquutione alludit ad vetera sacrificia, in quibus incensæ victimæ fumus ad thronum Dei per manus Angelorum ferri dicebatur; secundum id quod in Apocalypsi legitur: *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo*. Angeli enim sæpius in Scripturis dicuntur ad altare Dei, id est, Deo per Christum offerre hominum preces, vota, sacrificia (A).

Apoc. VIII. 4.

In hunc ergo sensum precamur. Cum indignos nos esse sentiamus, quorum e manibus hostiam hanc immaculatam Deus suscipere dignetur, petimus ut Deus mittat aliquem ex sibi adstantibus Angelis, qui hostiam hanc pro nobis & nostro nomine ad altare Dei, id est, ad Christum ipsum in cælo Patri

S. Aug. *lib.* 16. *de Civit. Dei*, *cap.* 22. *& alios vide supra huiusce cap.* §. 5. *litt.* (C)

(A) Tobiae XI. 12. *Angelus Tobiam alloquens ait*: Ego obtuli Orationem tuam Domino.

Pars III. Sect. II Cap. VII §.22.n.23. assidentem perferat, ut prosit nobis ad salutem oblatio hic a nobis facta. Antiquissima est hæc precandi formula, exstat enim in libro de Sacramentis, cuius auctor, si non ipse S. Ambrosius, saltem S. Ambrosio suppar fuit: in eo autem libro hæc precatio hæc habet verba, Vide mem. sup. ist. cit. *Per manus Angelorum*, non, *per manus Angeli tui*.

Nihil quoque obstat quominus per sanctum Angelum hunc, per quem petimus immaculatam hostiam ad altare Dei perferri, intelligamus Christum ipsum, qui dicitur in Scripturis, secundum versionem 70. Interpretum, magni consilii Angelus, estque simul & altare, & victima, & Sacerdos, & mediator, per quem unum habere possumus accessum ad Patrem. Quo posito, hic erit sensus divinæ huius precationis.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, iube ut qui seipsum per manus nostras hic tibi obtulit, qui se ipsum offert pro nobis iugiter in cælis Iesus Christus, sanctus ille tuus magni consilii Angelus, perferat ad sublime altare tuum in conspectu divinæ maiestatis tuæ, quam nos in hoc altari fecimus corporis & sanguinis eius oblationem, simulque exponat tibi qua mente, quo flagranti desiderio obtulerimus: ut quotquot ex hoc altari sacrosanctum eiusdem Filii tui corpus & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur, per eumdem Christum Dominum nostrum.

XXIV. Memento *pro mortuis*.

I. Quæ est quarta canonis oratio post consecrationem?

R. Peracta superiori oratione, Sacerdos orat pro mortuis in hunc modum:

Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum N. & N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.

Hic Sacerdos pausat aliquantulum, interimque tacitus orat pro mortuis, quorum specialem vult facere mentionem. Deinde sic prosequitur:

Ipsis, Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis & pacis ut indulgeas deprecamur, per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

I. Quid maxime advertendum in hac oratione, ut habeatur plenior illius intelligentia?

R. 1. Ecclesia non orat pro omnibus omnino mortuis, sed pro iis solum qui dormiunt quidem in somno pacis, & cum Christo quiescunt, sed nondum tamen pervenerunt ad locum refrigerii, lucis & pacis. Proinde non orat pro sanctis cum Christo regnantibus & locum iam refrigerii, lucis & pacis obtinentibus: nec pro reprobis, qui vel non habuerunt umquam signum fidei, vel hoc amisso nec recuperato mortui sunt, nec dormiunt in somno pacis, nec in Christo quiescunt. (A)

(A) *Vide supra huiusce cap. §. 12. auctoritates a nobis allatas litt.* (C)

2. Non solum orat Ecclesia pro iis quos Sacerdos specialius commendat Deo, sed pro omnibus omnino defunctis in pace Christi quiescentibus: *Ipsis, Domine, & omnibus in Christo quiescentibus*, &c. Nullam ergo animam ex iis quæ purgatorio igne mundantur prætermittit Ecclesia, nulla est cuius non faciat in sacrificio mentionem. Nulla proinde derelicta dici aut existimari debet, ut ignara plebs non raro loquitur.

3. Pro defunctis petit Ecclesia *locum refrigerii, lucis & pacis*: refrigerii, propter *ignem*, lucis, propter *tenebras*, pacis, propter *mentis anxietates*: quo triplici supplicii genere purgantur.

4. Hic adverte concentum plane mirabilem Ecclesiæ militantis cum Ecclesia triumphante & Ecclesia patiente. Ecclesia militans offert se Deo in sacrificium cum Christo & omnibus Sanctis eius, id est, cum tota Ecclesia triumphante: simulque petit ut Ecclesia patiens locum refrigerii, lucis & pacis obtineat; ut tandem adunatæ sub Christo capite tres illæ Ecclesiæ, omnes simul uno corde, uno ore Deum ament, laudent, benedicant & glorificent in æternum. Hic unus scopus Missæ sacrificii: huc tendunt ceteræ omnes rationes & caussæ sacrificii offerendi. Pars III. Sect. II. Cap. VII. § 22 n. 24

I. Estne prisco in more positum, ut inter sacrificandum oret Ecclesia pro defunctis?

R. Exstat oratio pro defunctis in Liturgiis omnibus Ecclesiæ, tum Orientalis, tum Occidentalis. Hoc ab Apostolis traditum universa per totum orbem observat & observavit semper Ecclesia, ut pro defunctis inter sacrificandum oret. Quod fuse superius probavimus (B). *§. 12. & 13. huiusce cap.*

I. Quid agere debet populus cir-

(B) S. Aug. *de cura pro mortuis gerenda, cap.* 1. *num.* 3. *Vide supra part.* 2. *sect.* 4. *cap.* 2. §. 24. *litt.* (F). *Vide & alias omnes SS. PP. auctoritates tum eodem §. allatas, tum locis ibidem indicatis litt.* (A) *& huiusce cap.* §. 12. *litt.* (D) *& seq.*

S. Epiphan. *in Expositione fidei Catholicæ, num.* 23. Iam vero quod ad mortuos spectat, nominatim illorum mentio fit: ac preces & sacrificia mysteriaque frequentantur.

S. Cyrill. Hieros. *Cateches. Mystag.* 5. Deinde pro defunctis sanctis Patribus & Episcopis. Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum iuvamen, pro quibus offertur precatio, sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, Sacrificii. Quod exemplo vobis demonstrare volumus. Scio enim multos dicere: Quid iuvat animam, sive cum peccatis, sive absque peccatis ex hoc mundo decedentem, etiamsi in hoc Sacrificio mentio illius fiat? An enim si Rex aliquis eos, a quibus offensus est, in exilium pepulerit, postea vero illorum propinqui, coronam aliquam conficientes, pro his, qui sunt in supplicio, exulibus, eidem offerrent; nonne condonationem aliquam suppliciorum ipsis dederit? Ad eumdem modum & nos pro defunctis precationes adhibentes, quamvis sint peccatores, non quidem coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis & illis, eum qui est benignissimus, propitium reddamus.

S. Ioan. Chrysost. *Homil.* 21. *in Acta Apost. in morali. Vide supra* §. 11. *huiusce cap. litt.* (D)

Ioan. Bona S. R. E. Card. *Rerum Liturg. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 1.... In aliis MS. codicibus hæc ipsa oratio sic inscribitur, *super diptycha*. Nomina enim fidelium defunctorum tabulis inscribere, & intra

cumstans dum Sacerdos orat pro mortuis?

R. Si tunc & ipse tacitus pro defunctis omnibus ad mentem Ecclesiæ oraverit, eorumque nominatim meminerit, quos voluerit in sacrificio expressius commendatos, faciet rem qua melior tunc fieri nequit.

XXV. Nobis quoque peccatoribus.

I. Quid agit Sacerdos postquam oravit pro mortuis?

R. Orare pergit. Sic autem prosequitur, elata aliquantulum voce ad tria priora orationis verba:

Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam & societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis & Martyribus, cum Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anastasia, & omnibus Sanctis tuis: intra quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor, admitte, per Christum Dominum nostrum.

Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas, † vivificas, † benedicis † & præstas nobis.

Per † ipsum, & † cum ipso, & † in ipso, est tibi Deo Patri † omnipotenti, in unitate Spiritus † sancti, omnis honor & gloria.

Hactenus submissa voce loquutus est: tandem alta voce concludit orationem his verbis:

Missarum sollemnia recitare, ut supra indicavi, antiquissima consuetudo est, & Apostolicum institutum.

Num. 2. . . . . In Monasteriis viguit olim hic mos, & in plerisque adhuc manet, ut mitterent sibi invicem fratrum, amicorum, & benefactorum defunctorum nomina, ut diptychis inscriberentur. Postquam vero diptychorum usus desiit, in libro, quem Necrologium vocabant, scribebantur; & quotidie post lectionem Martyrologii ex ipso codice eorum nomina legebantur, qui ipsa die obierant, & pro ipsis Psalmus *De profundis* cum oratione competenti cantari solebat, sicut hodie fit in Cœnobiis bene institutis post generalem defunctorum commemorationem. Vener. Beda *lib.* 4. *hist. Anglic. cap.* 14. loquens de obitu Oswaldi Regis, *Quærant*, inquit, *in suis codicibus, in quibus defunctorum est adnotata depositio, & invenient illum hac, ut diximus, die raptum esse de seculo*. Plura eiusdem consuetudinis testimonia exhibent Epistolæ S. Bonifacii Martyris.... Non est autem hoc loco prætermittendum quod Dionysius *cap.* 3. *Eccles. hierarchiæ* divinæ Liturgiæ mysteria edisserens, nusquam meminit nomina viventium recitata tunc fuisse, sed mortuorum dumtaxat, idque ante consecrationem. Hoc in scholiis tamquam dignum observatione a S. Maximo notatum est. *Notandum*, ait, *mortuorum tantum, eo Pontifice, recitari solita fuisse nomina*: cuius rei caussam investiganti illud venit in mentem, in ea Ecclesia cui præfuit Dionysius, omnes fideles, qui pauci erant nondum extincto ethnicismo, sacris sollemniis interfuisse: atque ideo defunctorum, qui soli aberant, factam dumtaxat commemorationem. At ubi postea vel aucto fidelium numero, vel diminuto fervore, plures abesse cœperunt, illorumque nomina recitata sunt, vivorum quidem ante consecrationem, & post illam defunctorum.

Vide etiam Auctoritates supra allatas hocce §. num. 17. litt. (B)

Digitized by Google

Per omnia secula seculorum. Respondetur, *Amen*.

I. Quam connexionem habet hæc oratio cum præcedentibus?

R. Postquam Sacerdos ante consecrationem petiit a Deo, ut Ecclesiam militantem admittere dignetur in consortium Ecclesiæ triumphantis, postquam idem post consecrationem petiit pro Ecclesia patiente: idem quoque nunc postulat pro se & pro omnibus circumstantibus, quorum nomine Sacrificium offert. Ideoque initium huius orationis elata paullulum voce profert, ut possit adiungere se populus circumstans eidem preci; pectusque suum percutit ad hæc verba, *Nobis quoque peccatoribus*, ut hac percussione pectoris imitetur Publicanum Evangelicum, simulque & signo & voce exprimat quanta cordis contritione & humilitate fateatur esse se peccatorem (A).

I. Cur tot Sanctorum nomina hic recitat, cum iam multa recitaverit ante consecrationem?

Hocce §. n. 17. *R.* Huius rei rationem reddidimus ad primam recitationem nominum ante consecrationem. Isthæc & alia plura nomina inscripta erant in diptychis, quorum pars Romæ, ut nunc fit, recitabatur olim ante consecrationem, pars altera post consecrationem.

Adde his, ut observavit Cardi-
Lib. 1. c. 14. n. 5. nalis Bona in opere eximio de rebus liturgicis, Ecclesiam hic recitare nomina SS. Martyrum cuiuscumque fere ordinis; Ioannis Baptistæ præcursoris Domini, Stephani Diaconi, Matthiæ Apostoli, Barnabæ Discipuli Domini, Ignatii Episcopi, Alexandri Papæ, Marcellini Presbyteri, Petri Exorcistæ, Felicitatis & Perpetuæ mulierum coniugatarum, Agathæ, Luciæ, Agnetis, Cæciliæ, Anastasiæ, Virginum. Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22.n.25.

I. Cur petimus a Deo ut in Sanctorum nos consortium, non æstimator meriti sed veniæ largitor, admittat?

R. Quia novit Ecclesia,

1. Verum esse quod dicitur in Psalmo: *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis substinebit?* Ps. cxxix. 3.
& alibi, *Non intres in iudicium cum servo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens:* Ps. cxlii. 2.
& quod ait S. Augustinus, *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si seclusa misericordia discutias eam*. Confess. lib. 9. c. 13. n. 34.

2. Vitam æternam non ut debitum rependi hominibus, sed ut gratiam & misericordiam. *Gratia Dei vita æterna*, inquit Apostolus. Hæc meritis quidem nostris redditur, sed merita ipsa sunt dona gratiæ & misericordiæ Dei; Deusque merita nostra remunerans, remuneratur dona sua, *cumulans sua dona coronis*, inquit S. Prosper, carmine de ingratis. Rom. vi. 23.

I. Quis sensus est verborum quæ in hac oratione recitantur in hunc

---

(A) Luc. xviii. 13. Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cælum levare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.

Digitized by Google

Pars III Sect. II. Cap. VII. §.22.n.25.

modum: *Per Christum Dominum nostrum, per quem hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, & præstas nobis?*

R. Hæc verba referuntur ad fructus novos, legumina, lac, mel, carnes, cibos denique omnes, qui solebant antiquitus sub finem Canonis ante hæc verba benedici, quemadmodum etiamnum ante hæc verba fit benedictio olei infirmorum.

Per Christum enim bona hæc omnia in usum nostrum a Christo producuntur, sanctificantur, vitam accipiunt vel animalem vel vegetantem, benedicuntur & præstantur nobis. Hæc fructuum benedictio ad hæc verba Canonis fit etiamnum nonnullis in Ecclesiis. In ceteris Ecclesiis licet extra Missam fieri soleat benedictio fructuum, hæc verba tamen retinentur in Canone; quia verba hæc referri quoque possunt ad corpus & sanguinem Christi nobis sub specie panis & vini datum (B). Quomodo autem hæc

---

(B) Ioan. Bona S. R. E. Card. *Rerum Liturg. lib. 2. cap. 14. num. 5.* Finita hac oratione, post illa verba *Largisor admitte*; si novæ fruges, aut quælibet alia humanis usibus inservientia benedicenda erant, ante altare olim collocari solebant, & hic a Sacerdote benedici, & terminata benedictione solita clausula: *Per Christnm Domiuum nostrum*, sequentem addebant orationem, *per quem hæc omnia Domine semper bona creas* quæ, ut notat Lucas Dacherius in præfat. ad Lectorem Tom. 4. sui Spicilegii præfixa, non solum referuntur ad oblata, sed etiam ad res tunc benedictas, quas Deus continuo creat sive producit, easque petimus eius benedictione sanctificari nostris usibus profuturas. In libro antiquissimo Sacramentorum Reginæ Sveciæ, ponitur hic loco benedictio ista novarum frugum in die Ascensionis Domini: *Beuedic, Domine, & has fruges novas fabæ, quas tu, Domiue, rore cælesti & inundansia pluviarum ad maturisatem perdncere dignasus es, nd percipiendum nobiscum gratiarum actionem iu nomiue Domini nostri Iesu Christi, per quem hæc omnia Domiue*, &c. In antiquo item Missali Vaticano num. 470. inserta est eodem loco benedictio agni in die Paschatis, quæ legi potest in Ordine Romano. In aliis plerisque tam Vaticanæ quam Barberinæ Bibliothecæ, lac & mel benedicuntur, pro Catechumenis in Missa Sabbati sancti hac oratione: *Beuedic, Domiue, & has creaturas fontis, lactis & mellis, & pota famulos tuos de hoc foute perenni, qui est Spiritus veritasis, & euutri eos de hoc lacte & melle. Tu enim, Domine, promisisti patribus nostris Abrahæ, & Isaac, & Iacob, dicens*: Introducam vos in terram fluentem lacte & melle. *Coniunge, Domine, famulos tuos spiritu caritasis & pacis, sicut coniunctum est hoc lac & mel in Christo Iesu Domino nostro. Per quem hæc omnia*, &c.. . In Missali Lugdunensi: *In Cauone Missæ antequam Sacerdos dicat*, Per quem hæc omnia Domine, &c. *ponansur a Diacono super altare ad partem dexteram, prope manum Sacerdotis dexteram acini uvarum in vase mundo, & Sacerdos dicat, (die S. Sixsi)* Benedic, Domine, hos fructus novos uvæ, quos tu, Domine, rore cæli & inundantia pluviarum, & temporum serenitate ac tranquillitate ad maturitatem perducere dignatus es & dedisti eos ad usus nostros cum gratiarum actione percipere in nomine Domini nostri Iesu Christi. *Deinde Sacerdos aspergat acinos uvarum aqua beuedicta: & postea subiungat*, Per quem hæc omnia creas. *Diaconus vero elevet vas acinorum de altari, & tradat vicemagistro chori; quo accepto, ipse videlicet vicemagister chori distribuat acinos uvarum omnibus de conventu in choro exsistensibus, & omnibus aliis laicis in Ecclesia.* Hæc nimirum maiorum nostrorum relligio fuit, ut omnes sacræ & Ecclesiasticæ functiones, Sacramentorum administrationes, & quæ- *Exod. xxxiii. 5.*

verba referri possint ad Christi corpus & sanguinem sub specie panis & vini, paucis accipe.

Per Christum quotidie *creantur* panis & vinum, quæ sunt materia *Joan. i. 3.* Sacramenti; *per ipsum* enim *omnia facta sunt*, cum sit sapientia patris: *sanctificantur* eo ipso quo assumuntur in materiam Sacrificii: *vivificantur* ipsa consecratione, qua trans- *Joan. vi. 33. & 51.* formantur in panem vivum qui de cælo descendit, in vivificum Christi corpus & sanguinem: *benedicuntur*, quia consecratione fiunt Sacrificium benedictionis & laudis in gloriam Dei, ex quo fons omnis gratiarum & benedictionum in Ecclesiam manat: *præstantur* denique nobis per sacrosanctam communionem, in qua verum Christi corpus & sanguinem sumimus.

I. Cur Sacerdos hæc verba proferens signum crucis ducit super corpus & sanguinem Christi?

Hoc. §. n. 21. *R.* Huius rei iam reddidimus rationem. Signa crucis ducit Sacerdos dum hæc verba, *Sanctificas* †, *vivificas* †, *benedicis* †, *& præstas nobis* profert, ut intelligamus per virtutem crucis Christi panem & vinum modo superius exposito sanctificari, vivificari, & fieri nobis fontem gratiæ & benedictionis: *Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 22 n 25* quin & transmutationem divinam, qua panis & vinum sanctificantur, vivificantur, & in Christi substantiam mutati sumuntur a nobis in salutem, ea fieri actione qua crucis Christi Sacrificium exhibetur & continuatur.

I. Quid sibi volunt sequentia huius orationis verba, *Per ipsum, & cum ipso, & in ipso, est tibi Deo Patri, in unitate Spiritus sancti, omnis honor & gloria?*

R. His verbis innuimus solo Christi Sacrificio reddi honorem Deo debitum: nec posse dari gloriam Deo nisi per Christum, & cum Christo, & in Christo. *Per Christum*, quia ipse est *mediator Dei, & hominum*, per quem solum pla- *1. Tim. ii. 5.* care Deum possumus; *Cum Christo*, quia ut perfecte placeamus Deo, debitumque illi honorem reddamus, necesse est ut Christo per eius Spiritum coniungamur, hoc sentiamus in nobis quod & in Christo Iesu, *Philip. ii. 5*

---

cumque benedictiones intra Missarum sollemnia peragerentur; omnium enim ... ultima perfectio & consummatio Eucharistia est, a qua vim energeticam & sanctitatem accipiunt. Sive fœdus sanciendum foret, sive ineunda concordia, sive aliquid Deo offerendum, sive hæretici excommunicandi, sive Sanctorum natalitia, aliæque festivitates denunciandæ, sive indicenda ieiunia & Litaniæ, sive reconciliandi pœnitentes, sive imponendæ manus super initiandos, sive Episcopi consecrandi, sive Reges inungendi, sive chrisma conficiendum; hæc & alia eiusdem generis ab Eucharistia auspicari solebant; nec quidquam sine Sacrificio recte institui existimabant. Sed tepescente successu temporis fervore, multa ex his, ne Missa prolixior evaderet, ab ea paullatim seiuncta sunt; adeo ut etiam ipsa Communio post Missam differatur, non sine magna rituum Ecclesiasticorum perturbatione, quia orationes quæ post Communionem a Sacerdote dicuntur, pro ipsis communicantibus sunt.

Joann. i. 3. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est.

vi. 15. Ego sum panis vivus qui de cælo descendi.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 22 n. 25

ipsique subiiciamur in omnibus. *In Christo*, quia amici & filii Dei esse non possumus, nisi in quantum adhæremus Christo ut palmites viti, ut membra corpori & capiti.

I. Cur Sacerdos ter ducit signum crucis, dum profert hæc verba, *Per † ipsum; & cum † ipso, & in † ipso?*

R. Ut his signis intelligamus non posse reddi debitum honorem Deo, nisi per virtutem Sacrificii in cruce oblati.

I. Cur Sacerdos bis ducit signum crucis super altare, hæc verba proferens, *Est tibi Deo † Patri omnipotenti, in unitate Spiritus † sancti omnis honor & gloria?*

R. Ut intelligamus honorem omnem & gloriam exhibitam Deo fuisse per crucem, cuius altare typus est.

Potest alia reddi ratio, & quidem litteralis, horum quinque signorum crucis. Hoc frequenti positum in usu est, ut signum crucis fiat quotiescumque mentio fit in sacra synaxi alicuius e tribus sanctissimæ Trinitatis personis: forte ergo quinque signa crucis hic fieri præceptum est, quia Filii ter, semel Patris, & semel Spiritus sancti mentio fit. Stat autem hæc ratio cum ea quam mox proposuimus.

I. Cur Sacerdos dum profert hæc verba, *Omnis honor & gloria*, calicem simul cum hostia super posita paullulum attollit?

R. Ut a populo circumstanti tunc adoretur Christus, per quem, cum quo, & in quo omnis honor & gloria sanctissimæ Trinitati redditur.

Ad hanc alteram corporis & sanguinis Christi elevationem multis in Ecclesiis pulsatur campanula, ut hoc signo admonitus populus Christum, & per ipsum sanctissimam Trinitatem, adoret (C).

Ante seculum duodecimum, ad hæc solum verba nec prius ostendebatur corpus Christi simul cum calice populo circumstanti, ad adorationem. Calicem ergo simul cum hostia Sacerdos sublevabat in altum, ut populus videret & adoraret.

Ex quo autem usus invaluit elevandi corporis Christi ac deinde calicis, statim post peractam consecrationem, minus sollemnis hæc altera calicis & corporis Christi ele-

(C) Domn. Ioan. Mabillon. M. B. *Comment. in Ordin. Rom. num.* 7. *Vide superius num.* 20. *huiuse §. litt.* (E)

Microlog. *de Eccles. observat. cap.* 15. Deinde panis in manus accipitur, & antequam reponatur in altare, benedicitur. Item & calix elevatus, ante depositionem benedicitur. Nam & ipse Dominus in Evangelio utrumque legitur benedixisse, antequam dimitteret e manibus. Accepta enim in manibus benedixit, postea discipulis dedit. *Nihil hic de elevatione hostiæ & calicis post consecrationem; e contra cap.* 17. Cum dicimus, *Per omnia secula seculorum*, corpus cum calice levamus, & statim in altari deposita cooperimus.

Cap. 23. *in quo integrum Missæ ordinem prosequitur, non meminit elevationis post consecrationem; sed post hæc verba*, Omnis honor, et gloria; Hic elevat, *inquit*, oblatam cum calice, dicens, *Per omnia secula seculorum*.

Missale Paris. Petri de Gondy *ann.* 1585. *in Rubr. Canon.* Ostendat populo hostiam de manu dextra, & reponat in loco suo: & cooperto calice de corporali expansis manibus dicat alta voce, *Per omnia*, &c.

Digitized by Google

vatio plerisque in Ecclesiis fuit; nec iam Sacerdos sic elevat calicem ut a populo circumstante videri possit. In multis tamen Ecclesiis pulsatur etiamnum campanula ad hanç alteram elevationem ex veteri ritu; & plerique eorum qui Missæ Sacrificio ministrant, solent hæc verba tunc pronunciare, *Ave salus, ave vita, ave redemptio nostra*: quibus verbis profitentur adorare se Christum, qui corporaliter sub specie panis a Sacerdote exhibetur.

I. Quid agere debet populus circumstans, dum Sacerdos recitat hanc orationem, *Nobis quoque peccatoribus?*

R. Ea mens Ecclesiæ est, ut populus simul cum Sacerdote pectus
Dan. III. 39. percutiat, *in spiritu humilitatis, & in animo contrito* divinam misericordiam implorans; deinde supplex petat admitti in consortium sanctorum Martyrum, quorum nomina recitantur; 3. gratias agat Deo per Christum de acceptis ab eo donis: 4. per Christum, & cum Christo, & in Christo sanctissimam Trinitatem & Christum ipsum adoret, dum Sacerdos calicem paullulum attollit.

I. Cur Sacerdos recitato submissa voce Canone, vocem attollit ad hæc verba, *Per omnia secula seculorum?* Pars III. Sect. II. Cap. VII. §22. n. 26.

R. Hæc est conclusio Canonis, a cuius initio Sacerdos cuncta sine cantu, immo & voce ita demissa pronuntiavit, ut ab iis qui iuxta ipsum proxime adstant vix audiri potuerit. Attollit ergo vocem ultima verba Canonis pronuntiando, ut populus omnis circumstans, cuius nomine singulæ Canonis orationes recitatæ sunt, ut constat ex dictis, suo consensu confirmet quidquid Sacerdos totius cœtus nomine petiit a Deo. Consensum autem hunc dat populus alta voce pronuntiando, *Amen.*

XXVI. Pater noster. Libera nos.

I. Quid agit Sacerdos post absolutum Canonem?

R. Recitat sollemniter orationem Dominicam(A), de qua supra fuse egimus. Huiuſce ſect. §. 4.

I. Cur post absolutum Canonem

(A) Domn. Ioan. Mabillon. M. B. *Liturg. Gallican. lib. 1. cap. 5. num.* 22. Hanc autem Orationem Dominicam non a solo Sacerdote, sed etiam ab adstante populo apud Gallos prolatam fuisse docet Gregorius in lib. 2. de miraculis S. Martini cap. 30. Quippe *quadam die Dominica, dum Missarum sollemnia celebrarentur*, quædam femina muta in basilica *cum reliquo populo stabat. Factum est autem cum Dominica oratio diceretur, hæc aperto ore cœpit sanctam orationem cum reliquis decantare.* Idem fiebat etiam tunc temporis apud Græcos, teste Leontio Episcopo in libro de vita Ioannis Episcopi Alexandrini, cognomento Eleemosynarii: qui cum Principem quemdam ad concordiam cum alio revocare vellet, misit qui eum ad se adduceret: atque ipso præsente *fecit Missas in oratorio suo nullum habens nisi Ministrum suum. Cum ergo sancta benedixisset Patriarcha, & orationem Dominicam inchoasset; cœperunt dicere tres tantum illi*, Pater noster. *Ut eum pervenisset ad sermonem quo dicitur*, Dimitte nobis debita nostra &c. *innuit domestico Patriarcha, ut taceret. Siluit ergo Patriarcha, & remansit Princeps solus.* Qua occasione captata, vir sanctus eum ad concordiam induxit. Hanc Græcorum ritum a Romano discrepasse te-

stis est Gregorius M. in lib. 7. Epist. 64.
Pars III. Indic. 2. *Sed Dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur: apud nos vero a solo Sacerdote* .. Apud (*Mozarabes*) populus ad singulas fere Dominicæ orationis petitiones respondebat tantum, *Amen*...Post orationem Dominicam in Missali Gothico, non secus ac in Mozarabico subditur oratio varia pro diversis Missis: In natali Domini, *Libera nos omnipotens Deus, ab omni malo, & custodi nos in omni opere bono, perfecta veritas & vera libertas Deus, qui regnas in secula seculorum.*

Sect. II. Cap. VII. §.22.n.26

S Cyrill. Hierosol. *Catech.* 5. *mystag. orationem Dominicam eo ipso quo nunc eam cantamus loco olim cantatam fuisse testis est, eamque explanat his verbis*: Postea dicitis illam orationem, quam Salvator suis Discipulis tradidit, cum pura conscientia patrem nuncupantes Deum, atque dicentes: *Pater noster qui es in cælis*. O maximam Dei benignitatem, his qui defecerant ab illo, & in extrema inciderant mala, tantam præstitit malorum oblivionem, & gratiæ participationem, ut patrem sese appel-
Matth. IV. 9. lari voluerit, *Pater noster, qui es in cælis*. Cæli sunt qui cælestis ferunt imaginem, in quibus Deus habitat & inambulat. *Sanctificetur nomen tuum*. Sanctum est natura nomen Dei, sive id nos dicamus, sive non dicamus. Quia vero in iis qui peccant aliquando profanatur,
Rom. II. 24. sicut scriptum est: *Propter vos nomen meum blasphematur inter gentes*, idcirco petimus in nobis sanctificari nomen Dei: non ut ex eo quod non fuisse tale, esse incipiat, sed ut in nobis sanctificatis, & quæ sanctificatione digna sunt facientibus, sanctum fiat. *Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra*. Mundæ est animæ, dicere confidenter: *Adveniat regnum tuum*. Audisti
Rom. VI. 12. enim Paullum dicentem: *Non igitur regnet peccatum in corpore vestro mortali*: Sed qui mundaverit, & operatione, & cogitatione, & sermone, dicet Deo: *Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra*. Divini beatique Angeli Dei, voluntatem illius
Ps. CII. 20. semper faciunt, sicut inquit David: *Benedicite Dominum omnes Angeli eius: potentes virtute, facientes voluntates eius*. Perinde igitur hoc est, quasi precando dicas: Sicut in Angelis fit voluntas tua, sic & in terra in me fiat, Domine. *Panem nostrum* [illegible], id est *supersubstantialem da nobis hodie*. Panis hic communis, non est [illegible], id est supersubstantialis. Panis vero iste sanctus, supersubstantialis dicitur, eo quod substantiam animæ confirmet. Panis hic non in ventrem descendit, & in secessum emittitur, sed per te totum, ad corporis & animæ utilitatem distribuitur, *Hodie* autem dicit, pro quotidie, sicut & Paul-
lus; *Donec*, inquit, *hodie cognominabimur*. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Hebr. III. 13
Multa enim habemus peccata; & offendimus tum sermone, tum cogitatione, plurimaque damnationis opera facimus.
Et si dicamus, quia peccatum non habemus, mentimur, ut dicit Ioannes. Cum Ioan. I. 8.
Deo igitur pacta inimus, quando petimus remitti nobis peccata, sicut & nos proximis debita remittimus. Cogitantes ergo pro quantulis quanta accipiamus, ne cunctemur, & mutuas inter nos offensiones ignoscere non tergiversemur. Exigua, levia & facilia ad remittendum sunt nostra in proximos peccata: quæ vero fiunt a nobis contra Deum, ea sunt maxima, hac sola indigentia benignitate. Adverte igitur, ne ob aliqua parva & levia adversum te peccata, proximo non condonata, tibi ipsi præcludas apud Deum gravissimorum peccatorum condonationem. Et, *Ne nos inducas in tentationem, Domine*. Numquid hic docet nos Dominus orare, ut ne omnino tentemur? Quomodo ergo alibi dictum est:
Vir non tentatus, non est probatus? Et Iac. I. 12.
iterum: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in varias incideritis tentationes*. Sed istud forte est ingredi in tentationem, cum aliquis tentatione obruitur. Videtur enim esse tentatio veluti torrens aliquis transitu difficilis. Qui ergo in huiuscemodi torrente non submerguntur, optimi natatores facti, traiiciunt, neque deinceps umquam ab illo detrahuntur. Qui vero secus affecti sunt, quum primum in aliquam tentationem fuerint ingressi, statim submerguntur. Verbi gratia: Iudas in avaritiæ tentationem ingressus, non eam superavit, verum submersus, & corpus & animam suffocavit. Petrus ingressus in eam, qua Christum negavit, tentationem, non est submersus, sed strenue tranans a tentatione liberatus est. Audi rursus alibi universum Sanctorum chorum, quod a Ibid. 2.

statim recitat Sacerdos orationem Dominicam?

R. Quidquid a Deo petere possumus & debemus, totum id, ut iam diximus, oratione Dominica comprehenditur. *Huius sect. c. 4. §. 1.* Hanc orationem recitat Ecclesia ut Christi præcepto ob emperet: ut autem facilius exaudiatur & postulata impetret, accedit ad thronum gratiæ in tempore opportuno, *Heb. iv. 16.* eo nimirum momento quo iam iam absoluta est oblatio victimæ sanctæ, per quam misericordiam consequimur, & sine qua nihil omnino possumus impetrare.

I. Cur Sacerdos ante recitationem orationis Dominicæ hæc verba præmittit, *Præceptis salutaribus moniti, & divina institutione formati, audemus dicere, Pater noster*, &c.?

R. Hac præfatione profitetur Sacerdos tantam esse in ea precandi formula fiduciam, res tantas in ea contineri, ut nisi Christi ipsius præceptum timidos excitaret animos, non auderemus umquam compellare Deum his verbis, *Pater noster*, &c.

I. Cur Diaconus in pluribus Ecclesiis ostendit patenam populo circumstanti, dum canitur oratio Dominica?

R. Ut monitus hoc signo præparet se populus ad Communionem, cuius tempus instat. Est enim patena discus in quo ponitur corpus Christi distribuendum fidelibus.

I. Cur Subdiaconus patenam velo coopertam tenet a completo Offertorio usque ad orationem Dominicam?

R. Patena necessaria est, dum canitur Offertorium, ad oblationem panis consecrandi in ea positi. Oblatus panis in altari ipso super linteum ponitur, nec opus est amplius patena usque ad Communionem: eam itaque Subdiaconus, cuius interea ministerium nullum aliud est, velo ab humeris pendente coopertam tenet. In Ecclesia Parisiensi aliisque non paucis, non Subdiaconus, sed Acolythus patenam toto hoc intervallo servat. In Missis autem privatis, in quibus tota res sacra agitur sine sollemni cæremoniarum apparatu, statim post oblatum panem Sacerdos patenam deponit subtus linteum quod corporale dicitur, usque ad finem orationis Dominicæ.

I. Quid caussæ est, cur oratio Dominica sicut & Symbolum recitetur in Missa alta voce, in aliis autem officiis, puta ad Primam, ad Completorium ceterasque horas,

---

tentatione liberati sunt, gratias agentem; *Ps. xxv. 10. & seq.* *Probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum; posuisti tribulationem supra dorsum nostrum. Adduxisti homines super caput nostrum. Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Vides ipsos libere de transitu tentationis loquentes, atque profitentes, sese in illa non hæsisse? *Eduxisti nos*, inquiunt, *in refrigerium. Sed libera nos a malo.* Si hoc quod dicitur, *ne inducas nos in tentationem*, omnino non tentari, significaret, non amplius adiecisset, *Sed libera nos a malo.* Malus autem est adversarius noster diabolus, a quo liberari petimus. Tum vero expleta oratione, dicit, *Amen*: Obsignans per Amen, (quod significat, Fiat) totam hanc quam a Deo didicimus, Orationem.

Pars III Sect. II. Cap. VII. §22.n.26.

quæ Canonicæ dicuntur, si quando contingat recitari orationem Dominicam vel Symbolum, non canendo, non alta voce, sed secreto a singulis recitentur?

R. Hoc fit ex veteri ritu propter catechumenos & infideles, quibus olim nefas erat mysteria nostra propalare, qui tamen a sola Missa fidelium, non autem a reliquis Ecclesiæ conventibus arcebantur. Cum itaque a Missa fidelium abesset quisquis nondum sacris erat mysteriis initiatus, sollemni cantu recitabantur olim, ut nunc fit, Symbolum & oratio Dominica intra Missarum sollemnia, dimissis catechumenis. In ceteris vero officiis, quibus adesse poterant infideles, & catechumeni, Symbolum & oratio Dominica recitabantur, ut nunc fit, secreto a singulis. In oratoriis autem Monachorum, quæ clausa erant extraneis, a quibus proinde aberant semper infideles & catechumeni, oratio Dominica alta voce recitabatur ad Laudes & Vesperas, quæ sollemnius canuntur quam Horæ reliquæ, quemadmodum alta voce recitatur in Missa. Qui ritus viget etiamnum apud Monachos omnes sub Regula sancti Benedicti militantes.

Confirmatur autem hæc responsio ex veteri ritu qui sollemnis olim fuit per omnes Ecclesias, in quibus erant ordines duo catechumenorum, quorum alii competentes, idest, ad Baptismum admissi, alii nondum competentes dicebantur. Competentibus catechumenis tradebatur Symbolum, & oratio Dominica: aliis non tradebatur. Ante Baptismum autem catechumeni competentes publice reddebant, id est, recitabant memoriter Symbolum & orationem Dominicam. Exstant etiamnum multi sanctorum Patrum sermones ad catechumenos in traditione vel redditione Symboli & orationis Dominicæ.

I. Quid agere debet populus circumstans, dum canitur oratio Dominica?

R. Debet attentum præbere animum ad singulas orationis divinæ voces, & in fine respondere: *Sed libera nos a malo.*

I. Cur populus alta voce pronuntiat ultimam orationis Dominicæ petitionem, & præter morem in ceteris orationibus usitatum Sacerdos secrete respondet, *Amen*?

R. Huius rei rationem supra reddidimus, ad explicationem huius vocis, *Amen*, postquam egimus de oratione Dominica. Potest & hæc altera afferri ratio: *Amen*, inquit Sacerdos, id est, *Ita, peto a te, Domine, nomine totius populi congregati, ut liberes nos a malo:* ac deinde petitionem hanc fusius prosequitur his verbis: *Huius ſect. c. 4. §. 2. in fin.*

Libera nos quæsumus, Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus, & futuris; & intercedente beata & gloriosa semper Virgine Dei genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro & Paullo atque Andrea, & omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiæ tuæ adiuti, & a peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi, Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus

Digitized by Google

sancti Deus, per omnia secula seculorum.

Ad hæc huius orationis verba, *Da propitius pacem*, Sacerdos facto cum patena signo crucis, patenam osculatur.

Ad hæc verba, *Per eumdem Dominum*, frangit hostiam in partes tres.

Totam autem hanc orationem recitat submissa voce: qua dicta attollit vocem ad hæc verba, *Per omnia secula seculorum*, ut factum est in fine Canonis; & populus respondet, *Amen*.

Nemo est qui non intelligat quæ sit huius orationis connexio cum superiori. Ultima Dominicæ orationis petitio, his verbis concepta, *Sed libera nos a malo*, est, ut superius diximus, veluti compendium & summa totius orationis Dominicæ. Hanc ergo solam Sacerdos resumit, & fusius prosequens petit a Deo pro populo Christiano liberationem a malis omnibus.

Huius sect. c. 4. §. 2. in fine

I. Quæ sunt mala præterita, præsentia, & futura, a quibus liberari petimus?

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 22. n. 26.

R. Mala præterita sunt peccata, quibus obstringimur; *præsentia* sunt variæ tentationes, quibus interius & exterius ad peccatum provocamur; *futura* sunt pœnæ omnes debitæ peccatis, sive temporales illæ sint, sive æternæ. Proinde Ecclesia in serie huius orationis ad capita duo revocat quidquid a Deo petimus, scilicet liberationem a peccato, & pacem. *Liberationem quidem a peccato*, quia peccatum, si proprie loquamur, malorum genus omne complectitur; cetera enim mala omnia si non peccata sunt, sunt saltem consequentia & pœnæ peccati. *Pacem*, quia pax summa est bonorum omnium; ad pacem tendunt omnia, nec pax stare umquam potest cum peccato. Alioquin falsa illa pax erit: *Non est pax impiis, dicit Dominus* (B).

Isai. XLVIII. 22.

(B) Rom. II. 9. Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum, & Græci. Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum. Iudæo primum, & Græco.

S. Aug. *lib.* 19. *de Civit. Dei*, *cap.* 11. Possumus dicere, fines bonorum nostrorum esse pacem, sicut æternam esse diximus vitam: præsertim quia ipsi civitati Dei... in sancto dicitur Psalmo: *Lauda Ierusalem Dominum... Qui posuit fines tuos pacem*... Ac per hoc fines eius eam debemus hic intelligere pacem, quam volumus demonstrare finalem. Nam & ipsius civitatis mysticum nomen, id est Ierusalem, quod & ante iam diximus, visio pacis interpretatur. Sed quoniam pacis nomen, etiam in his rebus mortalibus frequentatur, ubi utique non est vita æterna; propterea finem civitatis huius, ubi erit summum bonum eius, æternam vitam maluimus commemorare quam pacem... Tantum est enim pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri.

Ps. CXLVII. 12.
Ibid. 14.

Cap. 12. *num.* 1.... Quod enim meum quisquis res humanas naturamque communem utcumque intuetur agnoscit, sicut nemo est qui gaudere nolit, ita nemo est qui pacem habere nolit. Quandoquidem & ipsi qui bella volunt, nihil aliud quam vincere volunt: ad gloriosam ergo pacem bellando cupiunt pervenire.

Num. 2... Quæ enim tigris non filiis suis mitis immurmurat, & pacata feritate blanditur? Quis milvus, quantumlibet solitarius rapinis circumvolet, non coniugium copulat, nidum congerit, ova confovet, pullos alit, & quasi cum sua matre-familias societatem domesticam

quanta potest pace conservat? Quanto magis homo fertur quodammodo naturæ suæ legibus ad ineundam societatem pacemque cum hominibus, quantum in ipso est omnibus obtinendam: cum etiam mali pro pace suorum belligerent, omnesque, si possint, suos facere velint, ut uni cuncti & cuncta deserviant: quo pacto, nisi in eius pacem, vel amando, vel timendo consentiant? Sic enim superbia perverse imitatur Deum. Odit namque cum sociis æqualitatem sub illo; sed imponere vult sociis dominationem suam pro illo. Odit ergo iustam pacem Dei, & amat iniquam pacem suam. Non amare tamen qualemcumque pacem nullo modo potest. Nullum quippe vitium ita contra naturam est, ut naturæ deleat etiam extrema vestigia.

Num 3. Itaque pacem iniquorum in pacis comparatione iustorum ille videt nec pacem esse dicendam, qui novit præponere recta pravis & ordinata perversis. Quod autem perversum est, hoc etiam necesse est ut in aliqua & ex aliqua, & cum aliqua rerum parte pacatum sit, in quibus est, vel ex quibus constat; alioquin nihil esset omnino.

Cap. 13. *num.* 1. Pax itaque corporis est ordinata temperatura partium. Pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, ordinata cognitionis actionisque consensio. Pax corporis & animæ, ordinata vita & salus animantis. Pax hominis mortalis & Dei, ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Pax hominum, ordinata concordia. Pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Pax civitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia civium. Pax cælestis civitatis, ordinatissima & concordissima societas fruendi Deo & invicem in Deo. Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis. Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.

Num. 2.... Deus ergo naturarum omnium sapientissimus conditor & iustissimus ordinator, qui terrenorum ornamentorum maximum instituit mortale genus humanum, dedit hominibus quædam bona huic vitæ congrua, id est, pacem temporalem pro modulo mortalis vitæ in ipsa salute & incolumitate ac societate sui generis, & quæque huic paci vel tuendæ vel recuperandæ necessaria sunt, sicut ea quæ apte & convenienter adiacent sensibus, lux ista visibilis, auræ spirabiles, aquæ potabiles, & quidquid ad alendum, tegendum, curandum, ornandumque corpus congruit: eo pacto æquissimo, ut qui mortalis talibus bonis paci mortalium accommodatis recte usus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipsam scilicet immortalitatis pacem eique convenientem gloriam & honorem in vita æterna ad fruendum Deo & proximo in Deo: qui autem perperam, nec illa accipiat, & hæc amittat.

Cap. 14. Omnis igitur usus rerum temporalium refertur ad fructum terrenæ pacis in civitate terrena. In cælesti autem civitate refertur ad fructum pacis æternæ. Quapropter si irrationalia essemus animantia, nihil appeteremus præter ordinatam temperaturam partium corporis & requiem appetitionum; nihil ergo præter quietem carnis & copiam voluptatum, ut pax corporis prodesset paci animæ. Si enim desit pax corporis, impeditur etiam irrationalis pax animæ; quia requiem appetitionum consequi non potest... Sed quia homini rationalis anima inest, totum hoc quod habet commune cum bestiis, subdit paci animæ rationalis, ut mente aliquid contempletur, & secundum hoc aliquid agat, ut sit ei ordinata cognitionis actionisque consensio, quam pacem rationalis animæ dixeramus. Ad hoc enim velle debet nec dolore molestari, nec desiderio perturbari, nec morte dissolvi, ut aliquid utile cognoscat, & secundum eam cognitionem vitam moresque componat. Sed ne ipso studio cognitionis propter humanæ mentis infirmitatem in pestem alicuius erroris incurrat, opus habet magisterio divino, cui certus obtemperet, & adiutorio, ut liber obtemperet. Et quoniam quamdiu est in isto mortali corpore, peregrinatur a Domino; ambulat per fidem, non per speciem: ac per hoc omnem pacem vel corporis, vel animæ, vel simul corporis & animæ, refert ad illam pacem, quæ homini mortali est cum Deo immortali; ut ei sit ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Iam vero quia duo præcipua præcepta, hoc est, dilectionem Dei & dilectionem proximi docet magister Deus; in quibus tria invenit homo quæ diligat, Deum, seipsum, & proximum; atque

a Cor. v 6.

ille in se diligendo non errat qui diligit Deum; consequens est, ut etiam proximo ad diligendum Deum consulat, quem iubetur sicut seipsum diligere. Sic uxori, sic filiis, sic domesticis, sic ceteris quibus potuerit hominibus; & ad hor sibi a proximo, si forte indiget, consuli velit: ac per hoc erit pacatus, quantum in ipso est, omni homini, pace hominum, id est, ordinata concordia; cuius hic ordo est, primum, ut nulli noceat, deinde ut etiam prosit cui potuerit. Primitus ergo inest ei suorum cura; ad eos quippe haber opportuniorem facilioremque aditum consulendi vel naturæ ordine, vel ipsius societatis humanæ. Unde Apostolus dicit: *Quisquis autem suis, & maxime domesticis non providet, fidem denegat, & est infideli deterior*. Hinc itaqur etiam pax domestica oritur, id est, ordinata imperandi obediendique concordia cohabitantium. Imperant enim qui consulunt: sicut vir uxori, parentes filiis, domini servis. Obediont autem quibos consulitur: sicot molieres maritis, filii parentibus, servi dominis. Sed in domo iusti viventis ex fide, & adhuc ab illa cælesti civitate peregrinantis, etiam qui im erant, serviunt eis, quibus videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consolendi: nec principandi superbia, sed providendi misericordia.

Tim. v. 8.

Cap. 16.... Quia igitur hominis domus initium sive particola debet esse civitatis, omne autem initium ad aliqoem sui generis finem, & omnis pars ad oniversi, cuius pars est, integritatem refertur; satis apparet esse consequens, ut ad pacem civitam pax domestira referatur, id est, ut ordinata imperandi obediendique concordia cohabitantium referatur ad ordinatam imperandi obediendique concordiam civium. Ita fit, ut ex lege eivitatis præcepta sumere patrem familias oportear, quibus domum sic regat, ut sit paci accommodata civitatis.

Cap. 17. Sed domus hominum qui non vivunt ex fide, pacem terrenam ex buios temporalis vitæ rebus commodisque sectatur. Domos autem hominum ex fide viventium exspectat ea quæ in futurum ætrrna promissa sunt. terrenisque rebus ac temporalibus tamquam peregrina utitur, non quibus capiatur, & avertatur quo tendit in Deum, sed quibus sustentetur ad facilius toleranda minimeque augenda onera corporis corroptibilis, quod *aggravat animam*. Idcirco rerom vitæ huic mortali necessariarum utrisqoe hominibos & otriqoe domui communis est usus; sed finis utendi coique suus proprius, multumque diversos. Ita etiam terrena civitas, quæ non vivit ex fide, terrenam pacem appetit; in eoqoe defigit imperandi obediendique concordiam civiom, ut sit eis de rebus ad mortalem vitam pertinentibus humanarum quædam compositio voluntatum. Civitas aotem cælestis, vel potius pars eius quæ iu hac mortalitate peregrioatur, & vivit ex fide, ista etiam pace necesse est utatur, donec ipsa cui talis pax necessaria est, mortalitas transeat. Ac per hoc dum apud terrenam civitatem, velut captivam vitam suæ peregrinationis agit, iam promissione redemtionis & dono spiritali tamquam piguore accepto, legibus terrenæ civitatis, quibus hæc administrantur, quæ sostentandæ mortali vitæ accommodata sunt, obtemperare noo dubitat: ut quoniam communis est ipsa mortalitas, servetur in rebus ad eam pertinentibus inter civitatem utramque concordia... Hæc ergo cælestis civitas dum peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus cives evocat, atque in omnibus lingois peregrinam colligit societatem, non curans quidquid in moribus, legibus, institutisque diversum est, quibus pax terrena vel conquiritur, vel tenetur; nihil eorum rescindens, nec destruens, immo etiam servans ac sequens: qood licet diversum in diversis nationibus, ad unum tamen eumdemque finem terrenæ pacis intenditur, si relligionem qua unus summus & verus Deus colendus docetur, non impedit: Utitur ergo etiam cælestis civitas in hac sua peregrinatione pace terrena, & de rebus ad mortalem hominum naturam pertinentibus, humanarum voluntatum compositionem, quantum salva pietate ac relligione conceditor, tuetur atque appetit, eamque terrenam pacem refert ad cælestem pacem: quæ vere ita pax est, ut rationalis dumtaxat creaturæ sola pax babenda atque dicenda sit, ordinatissima scilicet & concordissima societas fruendi Deo, & invicem in Deo; quo cum ventum fuerit, non erit vita mortalis. sed plane certeque vitalis; nec corpus animale, quod *dum corrumpitur, aggravat animam*, sed spiritale sine ulla indigentia ex omni

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22 n.26

Sap. ix. 15.

Sap. ix. 15.

Digitized by Google

Pars III Sect. II. Cap. VII §22.n.26.

I. Cur Sacerdos signat se signo crucis cum patena, antequam pronuntiet hæc verba, *Da propitius pacem?*

R. Ut intelligamus pacem, cuius patena symbolum & instrumentum est, non haberi nisi per crucem.

Patenam autem dico symbolum esse & instrumentum pacis: est enim hæc discus in quo ponitur corpus Christi in signum pacis distribuendum. Et hæc quoque ratio est cur Sacerdos patenam osculatur ad hæc verba, *Da propitius pacem*.

I. Cur Ecclesia beatam Virginem Deiparam, Apostolosque Petrum, Paullum & Andream interpellat, ut eorum intercessione impetretur nobis pax a Deo per Christum?

Huius Operis p. 2. sect. 3. c. 2. §. 2.

R. De Sanctorum intercessione iam satis dictum a nobis fuit, hanc ad faciliorem impetrationem adhiberi. Hic autem specialius advocat Ecclesia eos e Sanctis quorum maxime opera pax vera data est hominibus, beatam Virginem Matrem Dei pacis, & qui præcipui Apostoli fuere Petrus, Paullus & Andreas, quorum prædicatione pax Christi mundo innotuit.

I. Quid agere debet populus circumstans, dum Sacerdos recitat hanc orationem?

R. Potest & ipse tacitus hanc orationem recitare, debetque iungere intentionem suam orationi Sacerdotis.

XXVII. *De fractione hostiæ, & utriusque speciei commixtione.*

I. Cur Sacerdos frangit hostiam dum concludit orationem mox expositam?

R. 1. Frangit hostiam Sacerdos, ut imitetur Christum, qui fregit & ipse sacrum panem, antequam distribueret Discipulis secum discumbentibus. Et hæc quidem fractio ab Apostolis ad nostra usque tempora continua traditione per omnes Ecclesias observatur (A).

---

parte subditum voluntati. Hanc pacem, dum peregrinatur in fide, habet; atque ex hac fide iuste vivit, cum ad illam pacem adipiscendam refert quidquid bonarum actionum gerit erga Deum & proximum, quoniam vita civitatis utique socialis est.

(A) 1. Cor. x. 16.... Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?

xi. 23.... Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite &c.

S. Clemens Alexandr. *lib.* 1. *Stromatum in fine pag* 198. *Editionis Lug Batav. an.* 1616. *in fol mihi pag.* 271. Eucharistiam cum quidam, ut mos est, diviserint, permittunt unicuique ex populo eius partem sumere.

S. Gregor. Nazianz. *Epist.* 240. *ad Amphiloch*. Ne cuncteris orare & intercedere pro nobis, quando dicto allicis Verbum Dei, quando incruenta sectione corpus & sanguinem Dominicum secas, vocem adhibens pro gladio. *At hic fortan non tam de fractione hostiæ quam de mystica eius immolatione, qua vi verborum Christi seorsum corpus & seorsum sanguis consecrantur*

S. Aug. *Epist.* 140. *alias* 59. *ad Paullin. cap.* 2. *num.* 16 Precationes.... facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici: orationes, cum benedicitur & sanctificatur; & ad distribuendum comminuitur.

2. Frangit autem hostiam in ipsa conclusione orationis, qua petit a Deo liberationem a peccato & pacem; ut intelligamus ideo Christum immolatum in cruce suum nobis dare corpus sumendum, ut peccatis mortui, pacem habeamus.

I. Dum frangitur hostia, frangiturne corpus Christi?

Sect. i. huiusce part. c. 4. §. 4. *R.* Iam supra diximus, non corpus Christi, sed solas corporis species frangi, & hæc quidem perpetua fides Ecclesiæ fuit, ut ex Patribus omnibus constat.

I. Quot in partes frangitur hostia?

R. Apud Græcos in partes quatuor dividitur. Apud Hispanos olim frangebatur in partes novem, ut fit hodieque in ritu Mozarabico, cuius vestigium conservatur in Ecclesia Toletana. Apud reliquum Occidentem ex antiquissimo ritu frangitur in partes tres (B).

(B) Ioan. Bona S. R. E. Card. *Rer. Liturg. lib.* 1. *cap* 11. *num.* 5. Interim Sacerdos frangit hostiam per medium in duas partes: & accepta una parte facit ex ea quinque particulas, & ponit in patena in linea recta, habentque singulæ proprium nomen: nam prima vocatur *Corporatio*, hoc est, Incarnatio, 2. *Nativitas*, 3 *Circumcisio*, 4. *Apparitio*, 5. *Passio*. Accepta similiter altera parte facit ex ea quatuor particulas, quarum hæc sunt nomina, 6. *Mors*, 7. *Resurrectio*, 8 *Gloria*. 9. *Regnum*; & eas collocat in patena ordine hic expresso.

Corporatio
Mors Nativitas Resurrectio
Circumcisio Gloria
Apparitio Regnum
Passio.

Lib. 2. *cap.* 15 *num* 3 Orationi, *Libera nos* consueta clausula apponitur, *Per Dominum nostrum I. CH* quam dum profert Sacerdos, hostiam frangit ritu antiquissimo & cum ipsa huius Sacramenti institutione exorto. Christus enim
Matth. xxvi. 26. in mystica cœna *accepit panem, benedixit & fregit; deditque discipulis suis, dicens: Hoc est corpus meum:* & quia præcepit Apostolis, ut idem in eius commemorationem facerent, eumdem morem & ipsi sequuti sunt, & Ecclesiæ tradiderunt. Ideo in actis ipsorum *cap* xx.
Act. xx. 7. legimus quod die Dominico conveniebant cum Fidelibus ad frangendum panem, ipsique fideles *cap.* 11 perseverasse narrantur in communicatione fractionis panis.
Ibid. ii. 42. Non utique panis communis, sed Eucharistici, de quo ait Apostolus, 1. Cor. x. *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?*
1 Cor. x. 16. Hunc igitur ritum ex Domini traditione accepimus, qui passionem suam mox futuram ea fractione designavit. Ideo Ecclesia, quæ hoc Sacrificio incruento eamdem passionem quotidie repræsentat, corpus eius sub specie panis immolatum quotidie frangit, quia quæ fiunt in speciebus panis, in Christi corpore dicuntur fieri, quod sub illis reipsa exsistere non dubitamus. Frangitur autem & dividitur ad divisionem specierum, ipso in se integro permanente & in qualibet particula exsistente; sicut anima rationalis, ut præclare dixit Aug lib. 6 de Trinit cap 6. *& in toto corpore tota est, & in qualibet eius parte tota est*. Apte id explicat Cæsarius lib. 3. Dialog. interrog. 169 *Credimus secundum sermonem divinum, id esse corpus Dominicum, quod in divina mensa sancte consecratur, & universo cœtui sacro absque sectione dividitur, & absque defectu participatur*. Hoc sensu Chrys. hom. 24. in 1. ad Corinth. exponens Paulli verba, *Panis quem frangimus*, ait: *Hoc licet videre fieri in Eucharistia, in cruce autem non item, sed utique ei contrarium*. Os *enim, inquit*, eius non
Exod. xii. 46. Ioan. xix. 37. conteretur: *sed quod non est passus in cruce, hoc in oblatione patitur propter te; & patitur frangi, ut omnes impleat*. Dividitur enim, ut scite dixit Cæsarius, sine sectione; frangitur incruenta fractione, eodem modo quo Christus in cœna corpus suum fregit absque scissu-

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22.n.27.

ra, & dolore: quod multo magis nunc fit cum eius corpus immortale est, nullique passioni obnoxium. Huius fractionis tamquam in Ecclesia semper & ubique a temporibus Apostolorum usitatæ mentionem faciunt sancti Patres, & alii Ecclesiastici Scriptores. Clemens Alex. lib. 1. Stromat. *Cum Euchariſtiam, ut mos eſt, diviſerint, permittunt unicuique ex populo eius partem ſumere.* Dionysius cap. 3. Eccles. Hierarch. §. 13. *Pontifex obtecta munera in apertum producit, ipſorumque unitatem in plura dividit.* Gregor. Nazianz. Epist. 240. ad Amphilochium: *O Dei cultor ſanctiſſime, ne cuncteris orare & intercedere pro nobis, quando dicto allicis Verbum Dei, quando incruenta ſectione corpus & ſanguinem Dominicum ſecas, vocem adhibens pro gladio.* Aug. Epist. 59. ad Paullinum loquens de pane Eucharistico: *Cum benedicitur*, inquit, *& ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur.* Omitto alios innumeros, præsertim recentiores. Liturgiæ quoque quæcumque exstant, hanc fractionem præscribunt.

Num 4. Latini dividunt in tres partes, Græci & reliqui Orientales in quatuor, Mozarabes in novem. Olim, fracta hostia, una pars servabatur usque ad finem Missæ .... quam pro infirmis reservatam fuisse asserit Micrologus. Ordo quoque Romanus ait particulam oblatæ quam frangit Pontifex ab eo relinqui super altare. Maronitæ, dum hostiam frangunt; *Credidimus*, inquiunt, *& obtulimus, ſignamus, & frangimus Euchariſtiam hanc, panem cæleſtem, corpus Verbi Dei vivi in calice ſalutis & gratiarum actionis: ſignamus in face ardenti, propitianti, & plena myſteriis ab excelſo: in nomine Patris vivi in vitam: & Filii unigeniti & ſancti, geniti ab eo, & illi conſubſtantialis in vitam: & Spiritus ſancti principii & finis, & ſigilli totius quod factum eſt, & fit in cælo & in terra. Una virtus, una poteſtas, una voluntas. Unus Deus verus, benedictus & excelſus, in quo non eſt diviſio, a quo eſt vita in ſecula ſeculorum. Amen.* Græci frangunt statim post elevationem hoc modo. Diaconus stans a dextris Sacerdotis ait: *Divide, Domine, panem ſanctum.* Sacerdos vero frangit in quatuor partes dicens: *Frangitur & dividitur Agnus Dei, Filius Patris; qui frangitur, & non comminuitur: qui ſemper comeditur, & non conſumitur: ſed eos qui ſunt participes ſanctificat.* Tum accipit partem unam, & in manu tenet; & Diaconus ostendens sacrum calicem dicit, *Imple, Domine, ſanctum calicem.* Ait Sacerdos; *Plenitudo fidei Spiritus ſancti*: & exprimens signum crucis immittit in sanctum calicem.... Ritu Ambrosiano post orationem, *Per quem hæc omnia*, Sacerdos dividit hostiam super calicem dicens: *Corpus tuum frangitur, Chriſte, calix benedicitur.* Tum aliam detrahit particulam dicens: *Sanguis tuus ſit nobis ſemper ad vitam: & ad ſalvandas animas, Deus noſter.* Mox particulam ponens in calicem, ait: *Commixtio conſecrati corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, nobis edentibus & ſumentibus proficiat ad vitam & gaudium ſempiternum....* Romano more Sacerdos fracta hostia in duas partes æquales; unaque deposita super patena, ex altera parte quam tenet sinistra manu, aliam particulam decerpit, qua ter signans calicem, dicit: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum:* quæ salutatio in Ordine Romano, & in omnibus antiquis Missalibus reperitur. Illam vero particulam mittit in calicem, dicens: *Hæc commixtio & conſecratia*, &c..... Abest a quibusdam codicibus vox *conſecratia*, quæ de exteriori quadam consecratione ex corporis & sanguinis mixtione intelligenda est... Exstat hæc mixtio in Liturgia Iacobi, & in vetustissimo Ordine Romano, aliisque Missalibus; sed oratio, quæ miscendo dicitur, in diversis codicibus aliis verbis concepta est, quæ tamen idem significant.... In codice Ratoldi apud Menardum: *Hæc ſacroſancta commixtio corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti fiat omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, & ad vitam capiendam æternam præparatio ſalutaris.* In codice Tilano apud eumdem: *Sancti ſanguinis commixtio cum ſancto corpore Domini noſtri Ieſu Chriſti proſit omnibus ſumentibus ad vitam æternam.* Apud Micrologum cap. 23 *Fiat commixtio & conſecratio corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti accipientibus nobis in vitam æternam* Ritu Maronitarum, dum Sacerdos ponit particulam in calice, dicit: *Coniunxiſti, Domine, divinitatem tuam cum humanitate noſtra, & humanitatem noſtram cum divinitate tua, & vitam tuam cum mortalitate noſtra, & mortalitatem noſtram*

I. Quæ ratio est varii huius ritus?

R. Græci frangunt hostiam in partes quatuor, quarum una Sacerdoti destinatur, altera populo communicaturo, tertia servatur in communionem infirmorum, quarta miscetur in calice cum sanguine Christi.

Mozarabes frangunt hostiam in partes novem, & unamquamque partem appellant nomine unius ex Christi Mysteriis, ut designent singulos status in quibus Christus vel fuit vel futurus est. Quo ritu innuunt sacrosanctæ Missæ sacrificio singula Christi Mysteria exhiberi. Primam partem vocant *Incarnationem*, alteram *Nativitatem*, tertiam *Circumcisionem*, quartam *Apparitionem*, id est, *Transfigurationem*, quintam *Passionem*, sextam *Mortem*, septimam *Resurrectionem*, octavam *Gloriam*; id est, Christi in cælum in-

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §.32.n.27.

---

cum vita tua. Tu nostrum tulisti, & dedisti nobis tuum in vitam & salutem animarum nostrarum, tibi gloria in secula. Amen.

Lib. 1. *cap.* 11. *num.* 1. Officiom divinum, quo olim Hispania & vicinæ gentes utebantur, Gothicum & Mozarabicum dictum est. Gothicum, quia originem habuit eo tempore quo Reges Gothi ibidem dominabantur. Mozarabicom vero, quia cum Arabes Hispaniam pene omnem occupassent, Christiani *Mixtarabes* & corrupto vocabulo Mozarabes, id est, mixti cum Arabibus dicti sunt. Quidam a Muza Arabe, qui Toletum expugnavit, Christianos qui in ea civitate remanserant, Muzarabes dictos autumant; sed prior etymologia præferenda, cui rerum Hispanicarum Scriptores consentiunt. A quibus & quo tempore hoc officium institutum fuerit, incertum est. Baronius anno 633. eius auctorem fuisse putat Isidorum Hispalensem.... Mihi autem, ne huic sententiæ statim adhæream, quædam sunt, quæ gravem ingerunt difficultatem. Nam primo, in Missa S. Martini in oratione *post nomina*, hæc verba leguntur: *Hunc virum, quem ætatis nostra tempora protulerunt, iubeas auxilium nostris ferre temporibus.* Martinus autem obiit anno Domini 402. & primus ex Confessoribus paullo post obitum publico cultu cœpit honorari; ergo multo ante Isidorom hæc Missa scripta fuit... Crediderunt hoc officium Concilio tertio Toletano, cui Leander interfuit, antiquios esse, & seculo quinto iam in uso fuisse, ut ex Missa sancti Martini modo ostendimus; sed de primo eius auctore non constare, ab ipso tamen Leandro illustratum, ab Isidoro auctom, ab aliis progressu temporis amplificatum, nominatim ab Ildefonso...

Num. 2.... Diu vigoit hic ritus in Hispania, in Gallia item Narbonensi, & in aliis regionibus Gothorum regno subiectis, donec Gregorii VII. auctoritate in Romanum mutatus est.

Num. 3. Circa annum millesimum octuagesimum, subditis pervicaciter contradicentibus, qui a veteri precandi ordine, & ab avitis ceremoniis ægerrime discedebant,... in Hispania Romanus ritus, Mozarabico abrogato, receptus fuit, qui tamen in aliqoibus Monasteriis aliquanto tempore custoditos est; ut asserit Rodericus, qoi etiam testatur translationem Psalterii ritus Gothici propriam, adhuc ipso vivente in plorimis Ecclesiis Cathedralibus, & in Monasteriis recitatam fuisse. Adeo verum est ægre divelli homines a consuetudinibus, quas a maioribus receperunt. Ne autem tantæ antiquitatis ritus omnino interiret, viri celeberrimi Francisci Ximenii Archiepiscopi Toletani cura providit: e Gothicis enim tumulis suscitatum novis characteribus recodi iussit, instituto Sacerdotum collegio a quibus quotidie divina officia & Missarum sollemnia usqoe in hodieroum diem hoc ritu celebrantor in sacello, qood in maiori Ecclesia Toletana ædificavit. Soot etiam Toleti aliquot Parœciæ, in quibus ordo iste Mozarabicus adhuc servatur, idemqoe fit Salmanticæ in sacello Doctoris Talabsicensis.

Matth. xxviii. 18. Hebr. ii. 8.

troitum, nonam *Regnum*, nimirum Christi, cui iam *data est omnis potestas in cælo & in terra*, & cui subiicientur omnia postquam iudicatis vivis & mortuis, posuerit *inimicos suos scabellum pedum suorum.*

Romana Ecclesia cum reliquo Occidente dividit hostiam in partes tres: unam ad commixtionem utriusque speciei, alteram ad communionem Sacerdotis, tertiam ceteris grandiorem, quæ in ipsa communione rumpebatur olim in complures alias particulas, quarum aliæ distribuebantur in communionem populi circumstantis, aliæ servabantur absentibus & infirmis (C). Nam Ecclesia panes olim ad missam exhibebat & spissiores & maiores: nunc autem singulis singulos panes minutos conficit.

Huius antiqui ritus vestigium habes, quoties summus Pontifex Missam Romæ vel alibi sollemniter celebrat: tunc enim dividit hostiam sicuti Sacerdotes omnes in partes tres, quarum unam miscet in calice cum sanguine Domini, alteram sibi sumit, qua sumpta tertiam partem mediam dividit in communionem Diaconi & Subdiaconi ministrantium (D). Itemque in ordinatione

---

(C) MICROLOG. *de Ecclesiast. observat. cap.* 17. Cum autem dicit, *Per Dominum nostrum*, rumpit hostiam ex dextro latere iuxta ordinem, ad designandam Dominici lateris percussionem. Deinde maiorem partem in duo confringit, ut tres portiones de corpore Dominico efficere possit. Nam unam in calicem, faciendo crucem, mittere debet, cum dicit, *Pax Domini sit semper vobiscum;* ad designandum corporis & animæ coniunctionem in resurrectione Christi. Alteram vero ipso Presbyter necessario sumit, ante calicis participationem, iuxta Dominicam institutionem: Tertiam autem communicaturis sive infirmis necessario dimittit.

(D) IOAN BONA S. R. E. Card. *Rer. Liturg. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 8. Ordo communionis hic erat, ut primo quidem Celebrans seipsum communicaret, deinde Episcopos si qui aderant, vel Presbyteros simul cum eo synaxim agentes; tum Diaconos, Subdiaconos & Clericos; Monachos, Diaconissas, & sacras virgines; novissime populum adiuvantibus Presbyteris, primum viros, postea mulieres. Idem in calicis distributione servabatur, nisi quod Presbyteri per se illum sumebant, Diaconi a Presbyteris, reliqui a Diaconis, ut ex Ordine Romano & ex Græcorum Euchologio constat. Præmittebatur communicantium exploratio & notitia, unde illa vox in quibusdam Liturgiis, *Agnoscite vos invicem:* & Græci nunc etiam hoc servant, ut nomen communicantis inquirant, si ignotus sit; & cum Sacerdos alicui porrigit Eucharistiam, nomen eius exprimit dicens: *Sumis serve Dei N. pretiosum & sanctum corpus & sanguinem Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi in remissionem peccatorum tuorum, & vitam æternam.* Quod spectat ad locum, Celebrans in medio altaris, alii Presbyteri in circuitu, Diaconi retro altare communicabant, Subdiaconi & Clerici in limine sanctuarii, sive in choro, reliqui extra cancellos; Græci sanctoarium ingredi soli permiserunt Imperatori, *can Trullano* 69 ... Græci stantes divina dona percipiunt, ita enim præscribunt ipsorum Ritualia, quibus consonant SS. PP. sed prono capite, & demissis oculis... Hodie in Missa sollemni Romani Pontificis Diaconus communicat stans, omnino ex veteri ritu..... Summus Pontifex cum sollemniter celebrat, sedens communicat hoc modo: Data pace Episcopo & duobus Diaconis assistentibus, qui os eius & pectus osculantur, adscendit ad sedem suam comitantibus ipsum Diaconis & Episcopis. Tum Diaconus Evangelii apud altare patenam cum Sacramento reverenter accipiens, ambabus manibus in altum elevat usque ad oculos, haben-

Digitized by Google

seu consecratione Episcoporum, Episcopus consecrator fracta pro more in partes tres hostia, partem unam immittit in calicem, alteram sibi sumit, tertiam dat in communionem Episcopo consecrato, & concelebranti (E).

I. Cur Sacerdos fracta hostia pacem precatur populo his verbis: *Pax Domini sit semper vobiscum?*

R. Hoc genus benedictionis est, quam populo precatur Sacerdos per meritum hostiæ pro eis fractæ. Proinde ad hæc verba, *Pax Domini*, signum crucis ter ducit cum hostia super calicem.

In Missis Pontificalibus per totum olim Occidentem hic dabatur ab Episcopo sollemnis benedictio: qui ritus etiamnum observatur Parisiis & in aliis multis Galliarum Ecclesiis. Hic etiam Romæ fiebant olim sollemnes denuntiationes festorum & ieiuniorum, quæ iam fiunt in Pronao post Evangelii lectionem. Ante annos nongentos is erat Ecclesiæ Romanæ ritus (F).

I. Cur portionem hostiæ Sacer-

---

tem desuper auream stellam cum nominibus duodecim Apostolorum, ne hostia labi possit. Et primo vertit se ad latus Epistolæ cum summa gravitate, & per eamdem viam revertitur ad medium altaris: postea eodem modo vertit se ad latus Evangelii, ubi Subdiacono genuflexo patenam tradit cum Sacramento. Tum surgit Subdiaconus, & ipse Diaconus flectit genua, donec ille discesserit portans Sacramentum Pontifici, qui ei advenienti profunde inclinat ac ipsum reverenter adorat. Subdiaconus vero cum pervenerit ad Pontificem, stat rectus ad eius sinistram. Post hæc Diaconus accipiens calicem parvo velo aureo coopertum, eodem modo se vertit ad utrumque latus altaris, sicut cum patenam tenebat: & inde cum ipso calice ad dextrum latus Pontificis accedit. Pontifex vero sumit unam partem hostiæ, & aliam in duas partes dividit pro communione Diaconi & Subdiaconi. Sumpto autem a Pontifice Christi corpore, Episcopus Cardinalis assistens porrigit ei calamum aureum, quo sanguinis partem sugit, residuum dimittens pro Diacono & Subdiacono. Tum Pontifex communicat Diaconum stantem, & tenentem dextera manu calicem, calamum sinistra; qui accepto corpore Christi faciem Pontificis osculatur, & reversus ad altare partem sanguinis sugit. Eodem modo corpus Christi porrigit Pontifex Subdiacono coram se genuflexo & patenam tenente; qui & ipse ad cornu altaris accedens residuum sanguinis cum calamo sugit. Unus autem ex ipsis particulam hostiæ, quæ calici de more immissa fuerat, ad labia ipsius calicis retrahit & sumit. Hæc ex Ceremoniali Romani Pontificis excerpta sunt, quæ ab antiquissimo Ordine Romano in paucis discrepant.

(E) PONTIFIC ROMAN. *in consecr. Episcop. pag.* 79. Ponatur una hostia consecranda pro consecrante & consecrato; & vinum consecrandum, in calice, sufficiens pro utroque.... Deinde postquam consecrator corpus Domini sumpserit, non totum sanguinem sumit, sed solum partem eius cum particula hostiæ in calicem missa, & priusquam digitos abluat communicat consecratum ante se in eodem cornu capite inclinato stantem, & non genuflectentem, prius de corpore, tum de sanguine; deinde purificat se, postea consecratum.

(F) IOAN. BONA S.R.E Card. *Rer. Liturg. lib* 2 *cap.* 10. *num.* 1. Olim post orationem *Libera nos*, antequam Sacerdos diceret, *Pax Domini sit semper vobiscum*, interponi solebat benedictio, quam Scriptores sacrorum rituum Episcopalem vocant, quia ad solum Episcopum pertinebat. Exstant eiusmodi benedictiones in vetustis libris Sacramentorum, & in Romano Pontificali edito sub Leone decimo... Eiusdem benedictionis ritus sic fusius describitur in Missali Vaticano ms. cod 4743. *Responso* Amen *post orationem* Libera, *Pontifex ponit parti-*

dos miscet cum sanguine Christi?

R. Id agit ex perpetua Ecclesiæ traditione, quam omnes omnino Ec-

culam super patenam. Tum Diaconus ad populum conversus cambucam (ita baculum pastoralem vocant medii ævi Scriptores), *in manibus tenens, dicit alta voce*, Homiliate vos ad benedictionem, *& chorus respondet*, Amen: *& statim cantat alta voce*, Princeps Ecclesiæ, Pastor ovilis, tu nos benedicere digneris. *Mox Diaconus rursus ait*: Cum mansuetudine & caritate humiliate vos ad benedictionem. *Chorus dicit*: Humili voce clamantes, atque dicentes Deo gratias semper agamus. *Quibus dictis Pontifex convertit se ad populum ante medium altaris, & legit benedictionem sollemnitati congruentem; qua dicta, ait*: Et pax eius sit semper vobiscum: *tum particulam mittit in calicem, dicens*, Fiat commixtio. Idem fere ritus habetur in Pontificali ms. Bibliothecæ Barberinæ *num.* 1866. & in aliis codicibus apud Menardum *pag.* 2;. Ritu Mozarabum non solum Episcopi, sed omnes Presbyteri hanc benedictionem in singulis Missis impertiri solent; de qua re loquitur canon. 18. Concilii IV. Toletani: *Nonnulli Sacerdotes post dictam orationem Dominicam statim communicant, & postea benedictionem in populo dant: quod deinceps interdicimus, sed post orationem Dominicam; & coniunctionem panis & calicis benedictio in populum sequatur.*

Num. 4. In libro Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ ante annos nongentos scripto.... post salutationem *Pax Domini sit semper vobiscum*, hæc ex usu illorum temporum adnotantur: *Post hæc commonenda plebs pro ieiuniis quarti, septimi & decimi mensis temporibus suis: sive pro scrutiniis, vel aurium apertione; sive orandum pro infirmis, vel annuntianda natalitia Sanctorum.*

Domn. Ioan. Mabillon. M. B. *Comment. in Ord. Rom. num.* 7. *tom.* 2. *Musæi Ital. pag.* 51. Post orationem Dominicam fit fractio panis consecrati, & una ex tribus particulis in calicem dimittitur. At duplex in Missa Pontificali commixtio antiquitus fiebat: una ante *Agnus Dei* ex priori sacrificio,..... alia post communionem Pontificis ex præsente. Verum iam a multis seculis unica tantum nempe posterior fit commixtio ex relicta parte Eucharistiæ intra digitos Pontificis post communionem. In Gallicanis, & Hispanicis Ecclesiis antequam diceretur *Pax Domini sit semper vobiscum*, benedictionem populo circumstanti ab Episcopo sacra celebrante impendi antiquus mos est. ut patet tum ex antiquissimis libris Ordinis Gallicani, tum ex Concilii IV Toletani canone 18.

De Liturg. Gallic. lib. 1. *cap.* 4. *n.* 13. Concil. Tolet. can. 18. arguitur quorumdam Sacerdotum consuetudo, qui *post dictam orationem Dominicam statim communicant, & postea benedictionem in populo dant*: statuiturque ut *post orationem Dominicam: & coniunctionem panis & calicis, benedictio in populum sequatur* ante communionem. Huic decreto affine est quod Cæsarius in sermone 281. Appendicis ad novam editionem Sermonum Augustini, Fideles monet, ut qui vult Missam *ad integrum celebrare*, id est, audire *usquequo oratio Dominica dicatur, & benedictio populo detur*, se in Ecclesia contineat.

Num. 14 In Missali Mozarabico benedictio obique communioni præmittitur, itemque in Gallicano passim apud Thomasium: & hactenus benedictio Episcopalis ante communionem datur. Quippe licebat iis, qui non communicabant, accepta benedictione, ante communionem discedere: ut ex prædictis locis intelligitur: atque hinc patet, non omnes qui tunc Missæ aderant, in eadem communionem accepisse. Immo vero Diaconus ante communionem clamare solebat: *Si quis non communicat, det locum*, testante Gregorio Magno in *lib.* 2 Dialogorum *cap.* 23. quod non tantum de pœnitentibus, sed etiam de quibusvis aliis, qui non communicabant, intelligendum existimo.

Cap. 5. *num.* 23. Communionem subsequentem præcedebat benedictio ab Episcopo vel Sacerdote impertita, ad quam Diaconus præsentes elata voce admonebat ut se inclinarent.

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22.n.27.

clesiæ retinuerunt, ut constat ex omnibus Liturgiis (G).

Huius ritus prima forte ratio hæc fuit, quod cum olim communicarent omnes etiam laici sub utraque specie, si forte deficeret species vini, vinum aliud infundebatur in calicem: ut autem vinum illud sanctificaretur saltem commixtione corporis Domini, immittebatur in calicem pars hostiæ consecratæ, quam tandem consumebat Diaconus ante purificationem calicis, ut fit etiamnum in iis Ecclesiis, in quibus communio sub utraque specie conceditur Diacono & Subdiacono ministrantibus.

Huius quoque rei vestigium habes in Missa Præsantificatorum, quæ celebratur apud nos feria sexta maioris Hebdomadæ: cum enim sola species panis pridie consecrati reservetur in crastinum, ut Sacerdos feria sexta communicaturus servet saltem umbram communionis sub utraque specie, immittit in vinum particulam hostiæ pridie consecratæ, sumptoque corpore Domini, sumit vinum ea commixtione sanctificatum (H).

(G) Dom. Ioan. Mabillon. M. B. *Comment in Ord. Rom art. 2. Vide hocce §. litt seq.* (H)

(H) Dom. Ioan. Mabillon. M. B. *Comment. in Ord Rom. art. 12. num.* 1. Ordo Romanus... *Cum vero dixerint* Amen, *sumit de sancta, & ponit in calicem, nihil dicens nisi forte secrete aliquid dicere voluerit.* Pax Domini *non dicat, quia non sequuntur oscula circumadstantium. Sanctificet autem vinum non consecratum per sanctificatum panem*.... Ordini Romano succedat Amalarius in lib 1. cap. 15. *In superius memorato libro inveni scriptum, ut duo Presbyteri afferant post salutationem crucis corpus Domini, quod pridie reservatum fuit, & calicem cum vino non consecrato: quod tunc consecretur, & inde communicet populus .. Qui iuxta ordinem libelli per commixtionem panis & vini consecrat vinum, non observat traditionem Ecclesiæ, de qua dicit Innocentius, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari ... Ratus ordo est ut exspectemus, usquedum Dominus noster consecret sacramenta corporis & sanguinis sui in cruce, & nova ea faciat per resurrectionem suam: & sic tandem manducemus & bibamus saluberrimum illud sacramentum.*

Vulgatus Alcuinus iisdem ferme verbis utitur atque editus Ordo Romanus: *Cum vero dixerint* Amen, *sumit de pane sancto, & ponit in calicem silendo*... Pax Domini *non dicit, quia non sequuntur oscula circumstantium. Sanctificatur autem vinum non consecratum per sanctificatum panem.*

Hi sunt Auctores, quos de hac consecratione seu sanctificatione mentionem fecisse invenimus ante damnatum Berengarium. Proxime post mortem Gregorii VII. qui Berengario tandem silentium imposuit, scribebat Micrologus, qui ea de re agit in capit 19. *Non est autem authenticum, quod quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo distribuunt. Nam Ordo Romanus contradicit, quia & in Parasceve vinum non consecratum, cum Dominica oratione & Dominici corporis immissione iubet consecrare, ut populus plene possit communicare*.... Iacobus Caietanus habet in cap. 92. *sanctificari vinum non consecratum per corpus Domini immissum*; Petrus Amelii, *per corporis Domini missionem*, quod idem est. Maior est difficultas in decimo libello nostro hic edito, ubi cum agitur de viatico infirmorum, præscribitur eis tradi *Eucharistiam Dominici corporis vino intincti, & vinum, tali intinctione sanctificatum in Christi sanguinem transmutatum, dicendo*: Accipe, frater, viaticum corporis & sanguinis, *&c.* Hic enim transmutationis vocabulum nullam relinquit ambigui sensus dubitationem.

Num. 3. Disquirendum est, quæ fuerit Amalarii... sententia super consecratione vini in Parasceve: & quid de-

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22.n.27.

mum in suæ sententiæ recognitione emendaverit. In priori loco ait, *sanctificari vinum non consecratum per sanctificatum panem*; in posteriori quasi non satis valere animadverteret sanctificationem illam ex commixtione particulæ consecratæ, ulterius progressus est in lib. 4. cap. 26. ratus vini consecrationem fieri per solam orationem Dominicam. Atque ut eum de vera & proprie dicta consecratione loqui appareat, ita mentem suam exponit, ut dicat, *nisi esset admonitum ex Romano Ordine, ut reservaretur corpus Domini a feria quinta usque in sextam, non esset necessarium reservari*, Quid ita? *Quoniam sufficeret sola oratio Dominica ad consecrandum corpus, sicut sufficit ad consecrandum vinum & aquam*. Hoc in loco manifestum est, Auctorem agere de vera ac proprie dicta Dominici corporis consecratione, quæ fieret per solam orationem Dominicam in feria sexta, si ex priori consecratione nihil fuisset reservatum. Unde consequens est, eamdem orationem Dominicam, secundum Amalarium, *sufficere ad consecrandum vinum & aquam*, consecratione non tantum accidentaria, sed vera & reali.

Nunc vero quid in secundis curis sui operis Auctor in his duobus locis emendavit? De priori facilis est solutio ex comparatione, quam mox fecimus, primæ editionis cum secunda, ubi nemo non videt, mutata potius fuisse verba, quam sensum. Nam in prima concludit, *Sanctificari vinum non consecratum per sanctificatum panem*: in secunda vero *iuxta ordinem libelli* Romani *per commixtionem panis & vini consecrari vinum*. Et ne quis putet id interpretandum de metaphorica consecratione, addit, qui hoc fecerit, *non observare traditionem Ecclesiæ, de qua dicit Innocentius, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari*, Atqui Innocentius agit de vera consecratione mysteriorum: ac proinde Amalarius, qui hac commixtione prædictam traditionem violari extimavit, eidem commixtioni veram consecrationem tribuit.

Sed quia in posteriori loco primæ editionis consecrationem illam non commixtioni, sed orationi Dominicæ adscripserat; ut sibi ipse constaret, totum hunc locum sustulit, ut totam consecrandi vini virtutem commixtioni tribueret.

Num. 3. Interim unum afferre lubet Micrologum, qui in cap. 17. ubi *reverende memoriæ* Gregorium VII. laudat, se post eius obitum scripsisse satis innuit. Is de vitanda intinctione agens, ita loquitur in cap. 19. *Non est autem authenticum, quod quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo distribuunt. Nam ordo Romanus contradicit, qui & in Parasceve vinum non consecratum, cum Dominica oratione & Dominici corporis immissione iubet consecrare, ut populus plene possit communicare, quod utique superflue præciperet, si intinctum Dominicum a priori die corpus servaretur, & ita intinctum populo ad communicandum sufficere videretur*. In his verbis nullus ambigendi locus relictus est, quin Micrologus veram consecrationem Dominica oratione, & Dominici corporis immissione fieri crediderit: tum quia ex calice ita consecrato complementum communionis dari putat: tum quia eiusmodi consecrationem tantumdem valere, atque ex vero sanguine intinctionem opinatur.

*Art.*13 Aliarum etiam Ecclesiarum hac de re sententiam investigare iuvat.... Atque ut a Gallicanis Ecclesiis exordium faciamus, in primis occurrit Remensis, in cuius veteri Missali ad diem Parasceves præscribitur, ut de *Sacrificio* particula mittatur in calicem, dicendo: *Fiat unitio, & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumentibus in remissionem peccatorum in vitam æternam*. Quæ verba nullum sensum videntur habere, si calix ex contactu in sanguinem conversus non credatur. Quomodo enim alias fieret *unitio corporis & sanguinis*? Favet Pontificale Ecclesiæ Noviomensis, in quo hæc distincte leguntur: *Commixtio corporis, & consecratio sanguinis D. N. I. Ch* &c. ubi commixtio distinguitur a consecratione sanguinis quæ fit per illam commixtionem.

Iisdem vestigiis insistebant etiam aliæ eiusdem metropolis Ecclesiæ, Suessionensis & Ambianensis. Suessionensis quidem in hæc verba: *Interea sumens Episcopus de sancta, nihil dicens ponit in calice; factoque in eo signo crucis, communicent se & omnes qui voluerint, & sic sanctificatur vinum non consecratum per panem sanctificatum*. Quæ verba sunt vulgati Ordinis Romani, relata in veteri

Digitized by Google

Missali Suessionensi, quod ad seculum duodecimum videtur pertinere. At expressius aliud eiusdem Ecclesiæ Missale seculi nostro superioris: *Nihil dicendo mittat Sacerdos unam partem de corpore Christi in calicem: quo facto, nihil dicendo, communicet se, & sanguinem Domini percipiat. Consecratur enim vinum per commixtionem factam in calice de corpore Christi.* Paullo minus expressa est Ecclesiæ Ambianensis definitio in suo Ordinario: *Vinum & aqua in calice sanctificantur, cum corpus Domini admiscetur.* Hæc de Metropoli Remensi.

Eadem etiam verba leguntur in Ordinario Viennensi. At Virdunense Missale: *Hic consecratur vinum per corpus Domini.* Denique, ut paucis absolvam, Mimatense Pontificale ubi de communione infirmorum: *Tradat ei Sacerdos Eucharistiam Dominici corporis intincti vino; & vinum tali intinctione sanctificatum, & in Christi Domini sanguine transmutatum, dicens:* Accipe frater viaticum corporis & sanguinis Domini, *&c.* quæ totidem verbis habentur inferius in decimo nostro libello.

In Monasteriis etiam Gallicanis plerisque vigebat eadem sententia. Ceremoniale Sancti Benigni apud Divionem, ante annos quingentos scriptum, ita præscribit in Parasceve .... *Sumit de sancta, & dimittit in calicem; sanctificaturque vinum non consecratum per panem sanctificatum.* Ubi sanctificari idem est ac consecrari: cum æque dicatur *sanctificatus panis*, atque *sanctificatum vinum*.

Ordinarium sancti Apri apud Tullum Leucorum quædam singularia continet pro cœna Domini, quæ huc referre visum est: *Post ultimum* Agnus Dei, *ille qui primus est in choro, dicat*, Confiteor; *& Fratres respondeant*, Misereatur tui. *Deinde dicant & ipsi*, Confiteor: *& ille qui primus est dicat*, Misereatur vestri; *item dicat*, Indulgentiam, *& responso ab omnibus* Amen, *accedant Fratres ad sacram communionem. Dimittatur aliquo pars de corpore Christi in calice, & portetur a Diacono super altare beati Apri, & teneat ibi calicem, & unus puer ampullam in qua sit vinum quod in calicem fundatur cum necesse fuerit, donec biberint omnes fratres Monachi. Sanctificatur enim vinum per corpus Christi consecratum & in calice depositum, cum dicitur*, Fiat hæc

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22.n.27.

commixtio. *Sacrista vero habeat alium calicem & urceum cum vino ad altare sancti Christophori, & ibi bibant Conversi & Conversæ, qui corpus Domini susceperunt.* Hoc in loco aliter communicant Monachi choro addicti, aliter vero Conversi & Conversæ. Monachi enim sumpta panis Eucharistici specie bibunt ex calice, in quo particula consecrata commixta fuerat ad sanctificandum vinum: at Conversi & Conversæ sumebant vinum ex alio calice non sanctificatum.

Nec omittendum Missale cœnobii Elnonensis seu sancti Amandi in Belgio ad diem Parasceves: *Hic consecratur vinum per corpus Domini; sanctificatur non sanctificatum per sanctificatum.* Et Viconiense: *Hic consecratur vinum per corpus.* At in Rotonensi anni 1531. hæc consecratio verbis ipsius Sacerdotis exprimitur: *Quando Sacerdos divisit hostiam in tres partes, tunc mittat partem panis consecrati in calicem, dicendo hæc verba:* Per panem istum sanctificatum & consecratum sanctificetur & consecretur vinum istud non consecratum. *Postea communicet se Sacerdos more solito.* Hactenus de Gallicanis Ecclesiis.

Quod attinet ad alias aliorum regnorum Ecclesias, Sarisberiense in Anglia Missale duplex, seculi xv. & xvi. eadem verba refert, quæ infra ex Rotomagensi afferemus: & Oxoniense ubi de communione infirmorum: *Hic communicetur infirmus & ponat sacrificium in vino sine aqua, dicens:* Fiat commixtio & consecratio corporis & sanguinis D. N. I Ch *&c.* Ad hæc Bambergense in Germania: *sanctificatur vinum non consecratum per sanctificatum panem.* Utrobique idem vocabulum ad designandam panis & vini consecrationem ut de Benigniano Ceremoniali superius notavimus.

Postremo in Missa Mozarabum, ubi de die Parasceves hæc leguntur: *Particulæ* Regnum, *&* Gloria (sic appellantur duæ ex novem particulis consecratis, in quas hostia frangitur) *mittuntur in calicem. Qua particula secundum quosdam consecrat vinum in calicem.* Quam opinionem etsi rubrica non approbet, non tamen eam reiicit, uti apparet ex sequenti cautela: *Accipiat patenam & mundet eam super calicem cum pollice, & mundatam ponat eam sub mento, & posita sumat vinum de calice cum sua particula: quia secundum quosdam con-*

PARS III SECT. II. CAP. VII. §.22.n.27.

ſecrat vinum in calice. Ex quibus manifeſtum eſt, hanc opinionem ſub dubio in Hiſpanicis Eccleſiis propoſitam fuiſſe.

Hactenus argumenta, quæ conſecrationem ex contactu ſtabilire poſſunt, retulimus: nunc quæ in negantem partem ferunt, proponenda ſunt. Unum ſuppeditat Eccleſiæ Pariſienſis Miſſale poſterioribus ſeculis ſcriptum, in quo hæc verba; *Non eſt conſecratum vinum per immiſſionem partis hoſtiæ conſecratæ in ipſum, quod facit Eccleſia die Veneris ſancte*. Tum additur; *Caveat maxime ne dicat*, Hæc ſacroſancta commixtio corporis & ſanguinis, *aut aliud, ubi fiat verbum de ſanguine*. Eamdem ſententiam confirmat vetus Rituale Dionyſianum.

Pontificale quoddam Eccleſiæ Remenſis: *Nec vinum propter hoc exſtat conſecratum, ſed tantummodo benedictum... Orationes dicendæ ſine mentione ſanguinis... Nec debet fieri mentio de ſanguine, quia iſta die ſanguis non conſecratur*. Miſſale ſancti Remigii in eadem urbe, editum medio ſeculo ſuperiori, eodem ſpectat, uti & Miſſalia Rotomagenſia eodem ſeculo vulgata, tametſi Miſſale anni MCXIII. non ſibi conſtet, cum diſtincte habeat in Paraſceve de Sacerdote: *Poſt accipiat corpus Domini dicendo* Corpus Domini, *&c. deinde calicem, dicens*, Corpus & ſanguis, *&c. more ſolito & communicetur qui voluerit, ſicut heſterna die*. Cur enim diſtincte *corpus & ſanguis* pro calice, ſi vinum ex contactu (quod idem Miſſale dicit) non conſecratur?

Præter hæc duo alia nobis ſuppetunt argumenta in partem negantem, unum ex Rituali Corbienſi, quod annos minimum quingentos præ ſe fert, ſuggeritque hæc verba in Paraſceve: Pax Domini, Agnus Dei, *&* Hæc ſacroſancta commixtio *non dicentur: ſed fruſtum fractionis ſinet cadere infra calicem, nihil dicendo*. Domine I. Ch., Corpus Domini, Quod ore ſumpſimus *dicentur, ſed ſanguis non nominabitur*. Placeat tibi *non dicetur. Omnibus communicatis, capiet quiſque de vino per fiſtulam, & poſt bibet, calicibus ante mains altare præparatis*. Ubi licet vinum ex fiſtula ſeu calamo de more ſumatur, diſerte tamen præcipitur a mentione ſanguinis abſtinendum. Quod etiam ſtatuit Fontiſebraldenſe anni MDXXI. Poſtremo Miſſale Cluniacenſe anni MDXXX. conceptis verbis reiicit hanc conſecrationem, dicendo: *Vinum ex tactu ſacræ hoſtiæ non conſecratur, ſed ſanctificatur, ac reverendum efficitur*. Hactenus libri rituales: in quibus colligendis fateor me non parum profeciſſe ex obſervationibus, quas mihi ſubminiſtravit religioſus & eruditus Claudius DE VERT Cluniacenſis Theologus.

Iam vero ſi Auctores hac de re conſulamus, compugnantes etiam inveniemus eorum ſententias. Non repetimus hic quæ ſuperius diximus de Amalario, Micrologo, aliiſque nonnullis. Pro affirmante parte militare videntur Græci nonnulli. In his Michael Cerularius Patriarcha C. P. ante annos ſexcentos, ab Allatio relatus in tractatu *de Præſanctificatis*, credit admixtione panis præſanctificati mutari vinum in ſanguinem Domini. Idem cenſet Simeon Theſſalonicenſis, trecentis annis Michaele inferior, apud eumdem Allatium.

Ad eamdem ſententiam revocari poteſt quoddam de Euchariſtia miraculum, quod Helmoldus Abbas ſuo tempore, id eſt ſeculo XII. deſinente, accidiſſe narrat. Id vero contigit in quadam Thuringiæ puella, quæ cum ſuſcepto a Sacerdote viatico *portiunculam Euchariſtiæ in bicarium*, in quo Sacerdos data communione manus ſuas abluerat, deciſiſſe animadvertiſſet, & ſibi ad bibendum iuſſiſſet afferri, totam aquam *in ſanguinem mutatam* deprehendit, & particulam ipſam verſam *in cruentam carnem*. Baronius hoc factum refert in fine an. MCXCII. atque hanc narrationem hoc modo concludit: *Hæc de tranſubſtantiatione aquæ in ſanguinem Chriſti, per commixtionem Chriſti corporis divinitus facta: quod ſemper fieri in vino, cum commixtio intercederet, antiquitas extimavit. Unde illud Romani Ordinis*: Vinum etiam non conſecratum, *&c.*

Verum quod Baronius antiquitati tribuit, non ita accipiendum eſt, quaſi generalis fuerit totius antiquitatis ea perſuaſio. Nam ne quid dicam de primis octo ſeculis, in quibus nulla huiuſce opinationis apparent veſtigia, immo in quibus illa converſio nonniſi verbis Chriſti a Sacerdote prolatis fieri ſemper & ubique credita eſt: certe in ſubſequentibus ſeculis, quo tempore apud nonnullos hæc opinio invaleſcere cœpit,

Digitized by Google

multi Auctores iique gravissimi in contrariam abierunt sententiam; alii media via incedentes, rem sub dubio reliquerunt.

Inter auctores partis negantis quasi princeps censendus est sanctus Bernardus Abbas Claraevallensis, qui ex immissa in vinum non consecratum particula vinum quidem *Sacrum*, sed non vere ac proprie consecratum fuisse dicit in Epistola 69. Huic occasionem praebuit factum cuiusdam Abbatis Sacerdotis, qui cum super solam aquam in calice temere positam verba consecrationis protulisset, atque errore animadverso postea vinum infudisset, ac consecratae Eucharistiae particulam in calicem immisisset ad consecrationem supplendam, Bernardum, quid super hac re sentiret, consuluit, hocque responsum impetravit. *Nec sub tanta articulo melius fieri potuisse putamus, arbitrantes, liquorem, etsi non ex consecratione proprie atque sollemni in sanguinem mutatum, sacrum tamen fuisse ex contactu corporis sacri* .. Iacobus a Vitriaco in Historiae Occidentalis cap. 38. *Non dicimus*, inquit, *quod ex tactu sanguinis vinum ablutionis convertatur in sanguinem. sed remanet purum vinum, licet ex contactu sancta rei sit sanctificatum, sicut aqua fluminis, aquae benedictae commixtu, dicitur sanctificari*. Quibus praemissis haec subdit quae in rem nostram magis expresse faciunt: *Mentiuntur ergo qui dicunt, quod in die Parasceve, corpus Christi contactu mutat vinum in sanguinem. Illo enim die corpus, sed non sanguis sumitur, neutrum autem conficitur, eo quod die illo in veritate immolata fuit hostia: & ideo non immolatur in figura*. Non poterat Iacobus magis affirmate sententiam pronuntiare.

Dixerit aliquis, Iacobum post medium seculum tertium decimum vixisse, quo tempore iam pene desierat communio sub altera specie. Verum Iacobi tempore nondum ubique abrogata erat communio sub altera specie. Deinde haec obiectio non militat in sancto Bernardo, cuius tempore perseverabat communio sub utraque specie, ex dictis. Idem dicendum de Hugone Victorino, sciscitante, cur in die Parasceves *non sumitur sanguis Christi, sicut & caro*: quod contra esset, si vinum ex contactu esset transmutatum in sanguinem .... Iacobo a Vitriaco praeivit uno ferme seculo Ioannes Belethus, qui & ipse negantem sententiam sequitur, ac ratione confirmat in cap. 99. *Si quis autem roget, num istud vinum quod eo die*, scilicet Parasceves, *sumitur ex Dominici corporis contactu consecretur? Quamvis complurium scripta illud asserere videantur, nos tamen veritatem magis sequentes, & ea quae sancti Patres tradiderunt, dicimus, vinum illud omnino non esse consecratum ex illo contactu, sed sanctificatum*.

Rationes huius sententiae subdit idem Auctor, easdem totidem fere verbis repetit Guillelmus Durandus in Rationalis lib. 6. cap. 75. art. 14. In Ecclesia Romana sanguis e calice consecrato refundebatur in calicem ministerialem, in quo vinum erat: in quibusdam vero Ecclesiis cum ad communicandum populum sanguinis consecrati copia non sufficiebat, tantum vini in calicem infundebatur cum reliquo sanguine commiscendum, quantum ad supplementum communionis satis erat. Prioris generis commixtionem exhibent tres primi libelli Ordinis Romani; posteriorem liber Ritualis sancti Benigni, Usus Cistercienses, itemque Victorini, & Constitutiones Anglicanae a Guillelmo de Linvvode relatae, quorum omnium testimonia attulimus in superiori capite octavo.

Perseverabat alter hic ritus in nonnullis Ecclesiis sub finem seculi tertii decimi, testante Guillelmo Durandn in Rationalis cap. 42. num. 1. *In quibusdam locis*, inquit, *post sumptionem corporis & sanguinis Christi, aliquid de ipso sanguine reservatur in calice, & superinfunditur vinum purum, ut ipsi communicantes inde sumant. Non enim esset decens tantum sanguinem conficere, nec calix capax inveniretur*. Idem Auctor in consequentibus negat vini consecrationem vere effici ex eiusmodi contactu. Quas huc affert rationes, utrique speciei communes sunt: quarum praecipua est, quod numquam fiat vera conversio panis aut vini in Eucharistia, nisi per sollemnia consecrationis verba, quae Christus instituit... Quaerat aliquis, cur non ex puro sanguine calicis communio populo tribueretur? Non una, sed plures huius facti rationes. Prima est, ut aliqua praerogativa Sacerdoti ceterisque Mi-

Digitized by Google

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §.2.n.27.

Nihil autem vetat ritum huius sacrosanctæ commixtionis mystice explicari. Et hæc quidem est huius expositio mystica. Quemadmodum facta separatim utriusque speciei consecratione, mortem Domini annuntiamus; ita utriusque speciei facta deinde commixtione, eiusdem Resurrectionem exhibemus, innuimusque sacrosancta communione sumi Christum a mortuis suscitatum (I).

Observandum porro præter commixtionem de qua hactenus egimus, hoc olim in usu positum fuisse, ut aliquando immitteretur in calicem & altera particula hostiæ in alia Missa prius consecratæ.

1. Quotiescumque summus Pontifex sacram synaxim sollemniter agebat, ferebatur ante ipsum particula hostiæ quam alia die iam consecraverat. Hanc super altare repositam Pontifex ad altare accedens adorabat, miscebatque ante communionem cum Christi sanguine, ut eo ritu significaret Sacrificium hac die oblatum non aliud fuisse ab eo quod pridie oblatum fuerat. Si forte alius Episcopus summi Pontificis vices ageret in offerendo Sacrificio, hunc eumdem ritum observabat, quo intelligerent omnes sacrificium hoc idem esse cum eo quod Papa prius obtulerat.

2. Pontifex singulis Dominicis diebus mittebat per Acolythos portionem hostiæ a se consecratæ ad singulos urbis Presbyteros, quam illi inter missarum sollemnia miscebant cum speciebus corporis & sanguinis Christi a se consecrati; ut hoc ritu significarent & suam cum Pontifice communionem, & unitatem Sacrificii novæ legis, & secundi ordinis Sacerdotes subiectos esse Pontifici, sine cuius iussu vel permissione non offerrent Sacrificium.

3. In ordinatione Episcoporum & Presbyterorum, Consecrator tradebat olim Episcopo seu Presbytero a se mox ordinato hostiam grandem in Missa mox consecratam. Novus autem Episcopus seu Presbyter per quadraginta dies continuos offerebat quidem Sacrificium, sed portionem hostiæ ab Episcopo consecratore acceptæ mi-

nistris sacris, quibus sanguis purus concedebatur, præ laicis tribueretur. Quæ ratio potissimum valet in ritu Ecclesiæ Romanæ. Secunda ratio est, quod difficile esset accurate tantum sanguinis consecrare, quantum communicandis laicis sufficere poterat, ut ne superaret vel deesset sanguinis copia communicaturis. Unde minor quantitas sanguinis in quibusdam Ecclesiis consecrabatur; ut cum deficere cœpisset, vino superaddito augeri potuisset. Tertia mox dictæ rationi proxima est; quod ubi magna populi frequentia erat, vix tantus calix haberi posset, qui sufficientem multitudini quantitatem sanguinis continere posset. Quam rationem attulit supra Guillelmus Durandus. Quarta denique ratio adduci potest, saltem pro ritu Romano, ut periculo effusi sanguinis minori incommodo occurreretur. Nam longe minus incommodum erat, si quid liquoris ex vino commixto inter communicandum stillaret e calice, quam si purus sanguis effusus fuisset.

(I) MICROLOGUS *de Eccles. observationib. cap.* 17. Unam portionem in calicem faciendo crucem mittere debet, cum dicit, *Pax Domini sit semper vobiscum*, ad designandum corporis & animæ coniunctionem in resurrectione Christi.

Digitized by Google

scebat ante communionem cum speciebus panis & vini mox a se consecratis; ut hoc ritu intelligerent idem esse Sacrificium quod offerebat cum eo quod Episcopus consecrator obtulerat.

Hoc triplici in casu fiebat in missa commixtio duplex hostiæ cum sanguine Christi: primo hostiæ de præcedenti Sacrificio reservatæ, 2. hostiæ mox consecratæ a Sacerdote consecrante (K).

PARS II. SECT. II. CAP. VII. §. 22. n. 27.

(K) Dom. IOAN. MABILLON. M. B. *comment. in ordin. Roman art.* 6. *num.* 1. In processione Pontificis ad altare..... *duo Acolythi* (inquit Ord. Rom. I. *n.* 8.) *tenentes capsas cum Sanctis apertas, & Subdiaconus sequens cum ipsis tenens manum suam in ore capsæ, ostendit Sancta Pontifici, vel Diacono qui præcesserit. Tunc inclinato capite Pontifex vel Diaconus salutat Sancta & contemplatur: ut si fuerit superabundans, præcipiat ut ponatur in conditorio*.... Hoc vocabulo Eucharistiam significari *probo*. Principio ubicumque hoc nomen *sancta* in plurali solitarie occurrit, maxime in his libris; aut semper, aut fere semper Eucharistiam significat, exemplo Græcorum: qui τὰ ἅγια appellant; & Tertullianus *sanctum* absolute appellat tum in libro de oratione, tum in alio de præscriptione. Idem Ordo Romanus n. 17. *Cum dixerit*, Pax Domini sit semper vobiscum, *faciens crucem tribus vicibus manu sua super calicem, mittit Sancta in eum*. Hunc locum de Eucharistia intelligendum nullus dubitaverit. Mihi vero nihil aliud esse videtur quam particula consecrata ex illis *Sanctis*, quæ Pontifici ad altare procedenti in capsa ostensa sunt, quæ & cum Diacono adoravit... Duplex itaque particula mittebatur in calicem, una scilicet ante oblatæ fractionem: alia post fractionem, ex ipsa oblata. Adeoque prima nihil aliud esse videtur quam particula ex antea consecrata Eucharistia, quam Pontifex ad altare procedens adoraverat in capsa ostensam: ex qua partem quæ *superabundans* fuisset, præceperat reponi *in conditorio* id est, in eo loco, ubi Eucharistia soleret asservari... Constat igitur duplicem Eucharistiæ particulam fuisse immissam in calicem, unam ex priori (ut quidem opinor) consecratione, alteram ex præsente. Cur autem particula ex Eucharistia asservata immissa fuerit in calicem? Fortasse ut Sacrificii unitas & perpetuitas hoc ritu inculcaretur. Id enim colligi potest ex alio persimili ritu, qui in eodem primo libello nostro subsequitur num. 21. ubi contigerit, Pontifice absente, missam in loco, in quo statio fuerit, ab Episcopo celebrari. *Sexto loco quando dici debet*, Pax Domini sit semper vobiscum, *deportatur a Subdiacono oblationario particula fermenti, quod ab Apostolico consecratum est, & datur Archidiacono: ille vero porrigit Episcopo. At ille consignando tribus vicibus, & dicendo* Pax Domini sit semper vobiscum, *mittit in calicem*. Hic locus insignis est ad probandum.... fermentum illud, de quo agit Innocentius primus in Epist. ad Decentium, esse ipsammet Eucharistiam consecratam, non Eulogiam seu panem benedictum. Deinde ex hoc ritu Missæ Episcopalis, absente Pontifice celebratæ, illustrari similem ritum Missæ Pontificalis, in qua particulam Eucharistiæ antea consecratæ deferri ad altare, & postea immitti in calicem modo observabamus. Deinde hoc ritu Sacrificii unitatem commendari, atque unionem Pontificis cum Sacerdote, qui sancta prius consecrasset, & Episcopi cum Pontifice, fermenti, id est, Eucharistiæ particulam a Pontifice antea consecratam in calicem immittentis.

Ex his non obscure conficimus, *Sancta* hæc, quæ Pontifici ad altare procedenti præferebantur, Eucharistiam fuisse. Consimilis ritus in Parasceve observabatur seculo XIV. teste Iacobo Caietano in Ordinarii sui cap. 92. ubi cum descripsit processionem Papæ cum suo Clero ab Ecclesia Lateranensi ad Basilicam S. Crucis cum corpore Domini, hæc subdit: *Presbyter qui portat corpus Domini, ponat illud in secretario, dum Dominus Papa præparat se; illo præparato, reportet illud ante Papam in proces-*

Nunc autem, dum fit hæc commixtio, Sacerdos hac utitur formula: *Hæc commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam æternam. Amen.*

I. Quid sibi vult ea vox, *Consecratio*, quam valde miror hic adhiberi, cum corpus & sanguis Christi nullam possint mutua commixtione consecrationem de novo accipere?

R. 1. Quemadmodum consecrationem dicimus mysticam separationem corporis & sanguinis Christi, quam exhibet distinctio utriusque speciei: ita commixtionem utriusque speciei consecrationem appellari nihil vetat, quia Christi surrectio illa commixtione, ut diximus, exhibetur. Utraque autem illa consecratio fit nobis in vitam æternam, cum digne communicamus.

2. In multis Missalibus antiquissimis & plerisque Galliarum non legebatur olim hic ea vox, *Consecratio*, sed, *Hæc sacrosancta commixtio*, vel, *Hæc commixtio & consecratio*. Hæc fere eodem recidunt: suum quisque ritum sequatur: parvi sane momenti est illa differentia.

I. Quid agere debet populus circumstans, dum Sacerdos frangit hostiam, eiusque particulam miscet cum sanguine Domini?

R. Debet 1. gratias agere Christo, qui sic dilexit nos, ut suum nobis corpus & sanguinem in cibum dederit: 2. Petere ab eo, ut commixtio utriusque speciei, qua forte exhibetur & significatur Christi resurrectio, sit nobis pignus futuræ resurrectionis ad gloriam.

XXVIII. Agnus Dei: *Pacis osculum.*

I. Post fractionem hostiæ & com-

---

sione ad altare. Hinc illustrari & confirmari possunt ea quæ hac de re superius diximus.

Num. 2. Hoc porro fermentum nihil aliud esse quam Eucharistiam constat ex vetustissimo codice Ratisponensi, in quo habentur Glossæ super decretales Pontificum Epistolas, cuius codicis hæc verba sunt... *De fermento quod dicit, mos est Romanis, ut de Missa quæ cantatur in cœna Domini, & in Sabbato sancto, & in die Paschæ, & in Pentecostem, & in Natali Domini, de Sancta... per totum annum servetur: & ubicumque per stationes, si ipse Papa ad Missam præsens non fuerit, de ipsa Missa* (forte Sancta) *mittitur in calicem, cum dicitur,* Pax Domini sit semper vobiscum; *& hoc dicitur, fermentum.* Hinc illustrantur ea quæ superius notavimus tum de fermento sumpto pro Eucharistia, itemque de *Sancta*; tum de asservata Eucharistia ex priori Sacrificio ad immittendam particulam consecratam in Missis subsequentibus; tum denique de ritu usitato in Missa Episcopali, ubi statio fuisset absente Pontifice. Eiusdem glossæ verba proxime addita subiungo: *Tamen Sabbato-sancto Paschæ nullus Presbyter per Ecclesias baptismales neminem communicat, antequam mittatur ei de ipsa Sancta, quam obtulit Dominus Papa...* Consimilis ritus servabatur in ordinatione Episcoporum & Presbyterorum.... quibus ab Ordinatore porrigebatur integra oblata consecrata, ex qua communicabant in certos a sua ordinatione dies, immittendo scilicet particulam ex accepta prius oblata in calicem a se consecratum: ut sic suam cum suo Ordinatore communionem, atque Sacrificii unitatem protestarentur &c. *Vide superius §. 8. cap. 7. sect. 1. huiusce partis litt.* (H)

mixtionem utriusque speciei, quid agit Sacerdos?

R. Ter recitat orationem sequentem, percutiendo pectus suum: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis*: & tertia vice *Dona nobis pacem*. Si celebret pro defunctis, prætermissis his vocibus, *Miserere nobis*, & *dona nobis pacem*, ait: *Dona eis requiem*, & tertia vice, *Dona eis requiem sempiternam*.

Hæc oratio nulla indiget interpretatione: nemo ignorat Christum in Scripturis sæpius Agnum Dei dici (A).

I. Cur hic recitatur vel canitur hæc oratio?

R. Ut imploratione divinæ misericordiæ, tum populus tum Sacerdos præparent se ad sacrosanctam communionem. Antiquitus ter dicebatur, *Agnus Dei... Miserere nobis*. Sed ab annis circiter septingentis præcepit Ecclesia ut in tertia repetitione diceretur, *Dona nobis pacem*; quibus verbis voluit Ecclesia postulari pacem Ecclesiæ, pacem inter Christianos Principes. Pacem precatur Ecclesia in omnibus orationibus, ab oratione Dominica ad communionem.

I. Quid agere debet populus circumstans, dum Sacerdos recitat orationem, *Agnus Dei?*

R. Hæc oratio sollemniter canitur a choro: hæc itaque Ecclesiæ mens est, ut canat populus cum choro; vel si Missa sine cantu peragatur, seorsum cum fide & fervore recitet unusquisque, *Agnus Dei*, &c. PARS III. SECT. II. CAP. VII. §. 22. n. 28.

I. Recitata hac oratione, quid agit Sacerdos?

R. Profunde inclinatus pacem Ecclesiæ postulat his verbis:

Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, *ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ: eamque secundum voluntatem tuam pacificare & coadunare digneris, qui vivis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.* Ioan. xiv. 17.

I. Cur pacem etiam tunc precatur Sacerdos, postquam universus populus iam pacem precatus est his verbis, *Dona nobis pacem?*

R. Hanc ipsam precem Sacerdos fusius hic prosequitur; quia ex veteri ritu iamiam unusquisque circumstantium daturus est pacis osculum. Orat igitur Sacerdos ut mente sincera se se invicem singuli osculentur, adeo ut omnia & singula membra, quibus Ecclesia constat, coadunentur, omnesque sint unum corpus & anima una de uno pane, Christi nimirum corpore mox reficiendi.

I. Cur datur pacis osculum ante communionem?

R. Ut significetur verum esse

(A) IOAN. I. 29. Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi.

APOCALYPS. v. 12. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.

1. Cor. x. 17 quod ait Apostolus: *Unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*. Utque mysticæ huius unitatis mysterium exprimeretur, voluit Christus sacrosanctum Eucharistiæ mysterium his rebus perfici, quæ sunt symbolum communionis, immo & unitatis. Quod quidem sic explicat sæpius sanctus Augustinus: Quemadmodum panis ex multis granis simul attritis & in unum corpus compactis efficitur, vinum ex multis acinis confluit; ita fideles omnes, qui ad sacram mensam admittuntur, sacratissimi Christi corporis participatione sic adunantur in Christo, ut unum cum ipso corpus efficiant: proinde necesse est ut sint & ipsi quid unum inter se, utpote qui unius omnes Christi spiritus, unius omnes Christi corporis participatione vegetentur (B).

I. Estne veteri in more positum ut fideles dent sibi invicem pacis osculum ante sacrosanctam communionem?

R. Mos ille continua ab Apostolis ad nostra usque tempora traditione servatur per omnes Ecclesias (C), cum eo solum discrimine, quod in multis Ecclesiis detur

---

(B) S. Aug. *serm.* 227. *alias* 83. *de diversis in die Paschæ* 4.... Debetis scire quid accepistis, quid accepturi estis, quid quotidie accipere debeatis. Panis ille quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei, Corpus est Christi. Calix ille, immo quod babet Calix sanctificatum per verbum Dei, sanguis est Christi. Per ista voluit Dominus Christus commendare corpus & sanguinem suum, quem pro nobis fudit in remissionem peccatorum. Si bene accepistis, vos estis quod accepistis. A-
1. Cor. 12. 17 postolus enim dicit, *Unus panis, unum corpus, multi sumus* Sic exposuit Sacramentum mensæ Dominicæ: *Unus panis, unum corpus, multi sumus*. Commendatur vobis in isto pane quomodo unitatem amare debeatis. Numquid enim panis ille de uno grano factus est? Nonne multa erant tritici grana? Sed antequam ad panem venirent, separata erant: per aquam coniuncta sunt, & post quamdam contritionem. Nisi enim molatur triticum, & per aquam conspergatur, ad istam formam minime venit, quæ panis vocatur. Sic & vos ante ieiunii humiliatione & exorcismi sacramento quasi molebamini. Accessit baptismum & aqua; quasi conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum est panis sine igne. Quid ergo significat ignis? Hoc est Chrisma. Oleum etenim ignis nostri, Spiritus sancti est sacramentum .... Accedit ergo Spiritus sanctus, post aquam ignis: & efficimini panis, quod est corpus Christi: & ideo unitas quodammodo significatur ... Post ipsam (*Orationem Dominicam*) dicitur: *Pax vobiscum*: & osculantur se Christiani in osculo sancto. Pacis signum est. Sicut ostendunt labia, fiat in conscientia. Id est, quomodo labia tua ad labia fratris tui accedunt, sic cor tuum a corde eius non recedat.

(C) S. Cyrill. Hierosolym. *Catech.* 5. *mystag. num* 2. Deinde clamat Diaconus: *Complectamini & osculemini vos invicem;* atque tunc mutuo nos osculo salutemus. Non hoc ita accipias, quasi osculum illud sit eiuscemodi, quale in foro inter communes amicos esse consuevit: neque enim tale est. Hoc igitur osculum animas mutuo conciliat, & omnem malorum oblivionem illis spondet. Signum igitur est hoc osculum reconciliationis animorum, universæque iniuriarum memoriæ deletæ. Propterea & Christus Dei Filius dicebat: *Cum offers munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversus te relinque munus tuum ad altare, & vade prius, & reconciliare fratri tuo, & tunc accedens offer munus tuum.* Igitur osculum hoc reconciliatio est, atque idcirco sanctum. De quo & Paullus dicit: *Salutate vos invi-* Matth. v. 23. 24. Rom. xvi. 16. &c.

Digitized by Google

reipsa pacis osculum, in aliis autem porrigatur in signum pacis instrumentum pium singulis osculandum, quod idem est fere ac si se singuli invicem oscularentur: eadem enim in porrectione instrumenti verba proferuntur quæ in amplexu, nimirum & qui proximum osculatur, & qui pacis instrumentum osculandum porrigit, aiunt, *Pax tibi*, & respondetur, *Et cum Spiritu tuo*.

I. Sacerdos dicta oratione, *Domine Iesu Christe*, cur osculatur altare antequam det pacem Diacono? Cur Diaconus dat deinde pacem Subdiacono, & Subdiaconus Clero?

R. Sacerdos osculatur altare, qui Christi typus est, ut significet acceptam a Christo pacem se dare Diacono, & per Diaconum Clero & populo circumstanti. Is olim plurimarum Ecclesiarum mos erat, ut Sacerdos non altare sed ipsum Christi corpus oscularetur antequam daret pacem Diacono: qui ritus in Ecclesia Parisiensi ad annum millesimum sexcentesimum octavum usque perseveravit, ut patet ex Missali huius ævi, in quo hæc verba leguntur: *Postea osculato corpore Christi* (Sacerdos) *dat osculum ad pacem, dicens*: Pax tibi, frater, & Ecclesiæ sanctæ Dei.

PARS III. SECT. II. CAP. VII. §.22.n.29

I. Quid agere debet populus circumstans, dum datur pacis osculum?

R. Hic revocet unusquisque apud se verba Christi: *Si offers*, inquit, *munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum*. Quibus verbis liquido constat, si quis odio prosequatur fratrem suum, si quis, quod in se est, pacem cum omnibus non habuerit, nefas illi esse ad sacrosancti Sacrificii communionem accedere. Id itaque singuli meditentur, dum datur pacis osculum; simulque orent enixe, ut divina aspirante gratia adstringatur magis & magis in dies pacis vinculum, quo fit ut omnes in Christo fratres simus & (Apostoli verbis utor) Christo concorporales: nec umquam vinculum illud pacis cuiusquam culpa dissolvatur.

Matth. v. 23. 24.

Ephesiis. 6.

XXIX. *De Communione Sacerdotis*.

I. Quid agit Sacerdos dum circumstantes dant sibi invicem pacis osculum?

R. Recitat seorsum sequentes orationes duas, quibus præparat se ad communionem.

Rom. xvi. 16. &c. 1. Petr. v. 3.

cem in osculo sancto, & Petrus inquit, *in osculo dilectionis*.

S. IOAN CHRYSOST. *Homil.* 18. *in* 2. *ad Corinth. n.* 3. At hæc cum pax danda, vicissimque accipienda est, omnes mutuo nos exosculamur.

Acta SS. M.M. MONTANI, *&c. apud* THEOD. RUINART., *pag.* 242. Et sacramentis legitimæ pacis nullus profanus arbiter interesset..... Sic consummatis omnibus fratribus & pace perfecta... huiusmodi verba dimisit: Habetis, inquit, fratres dilectissimi nobiscum pacem, si noveritis Ecclesiæ pacem, & dilectionis unitatem servaveritis.

PARS III. SECT. II. CAP. VII §.22.n.29

Domine Iesu Christe Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrosanctum corpus & sanguinem tuum, ab omnibus iniquitatibus meis, & universis malis; & fac me tuis semper inhærere mandatis, & a te numquam separari permittas, qui cum eodem Patre & Spiritu sancto, vivis & regnas in secula seculorum. Amen.

Perceptio corporis tui, Domine Iesu Christe, quod ego indignus sumere præsumo, non mihi proveniat in iudicium & condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis & corporis, & ad medelam percipiendam, qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, Per omnia secula seculorum. Amen.

I. Debetne populus circumstans has orationes seorsum recitare?

R. Qui communicaturi sunt debent ad eam mentem orare, ut præparent se ad communionem. Sive autem has orationes recitent, sive alias similes, sive taciti orent ad hanc mentem, perinde est.

Qui autem non sunt communicaturi sacramentaliter, debent saltem ex mente Ecclesiæ spiritualiter communicare; proinde facient rem a mente Ecclesiæ non alienam, si utramque orationem vel saltem alteram earum quæ ordine prima est recitent.

I. Absolutis his precibus quid agit Sacerdos?

R. Accipiens manibus corpus Christi, submissa voce pronuntiat hæc verba Psalmi cxv. 13. *Panem cælestem accipiam & nomen Domini invocabo*. Quibus verbis suam fidem, suum erga Christum amorem excitat. Deinde voce paullulum elatiore ter dicit, percutiens pectus suum,

Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo & sanabitur anima mea.

In hunc modum precatus est Centurio pro famulo ægrotante; *Domine*, inquit, *non sum dignus ut sub tectum meum intres, sed tantum dic verbo & sanabitur puer meus*. Matth. VIII. 8.
Cuius fidem admiratus Christus, ait illi: *Vade & sicut petisti fiat tibi*. Ibid. 13.
Proinde verba hæc ipsa vult Ecclesia recitari ab iis omnibus qui iam iam percepturi sunt corpus Christi, ut illis ipsis verbis intelligant qua fide, qua humilitate accedere oporteat ad tremendam corporis Christi communionem.

I. Quid agit postea Sacerdos?

R. Sumit ore reverenter corpus Christi sub specie panis, facto prius cum Christi corpore signo crucis in memoriam passionis Dominicæ, dictisque simul his verbis: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.*

Postquam autem communicavit sub specie panis, accepta patena colligit fragmenta si quæ sint super corporale, patenam quoque diligenter extergit & suos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat: interim recitat hæc verba Psalmi cxv. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi*: sumensque manu calicem, verba Psalmi prosequi- Vers. 12.

Verſ. 13. tur, *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero.* *Ps. XVII. 4*

Deinde signans se signo crucis cum calice ait:

Sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

Quo dicto sumit reverenter totum sanguinem cum particula speciei panis in calicem prius iniecta.

Episcopi & Presbyteri stantes communicant dum sacrum agunt. Sed Papa cum sollemniter celebrat, sedens in throno communicat: qui ritus antiquissimus est, & propius accedit ad exemplum Christi, qui discumbens Discipulis simul discumbentibus corpus suum manducandum dedit. Nihil obstat stando, sedendo, genuflectendo Christum adorari. Papa porrectum sibi a Diacono corpus & sanguinem Christi profunde inclinatus adorat, antequam communicet, ut habetur expresse in ordine Missæ Papalis; & mentionem huius adorationis faciunt Ordines Romani antiquissimi (A).

PARS III. SECT. II. CAP VII. §. 22. n. 30

I. Quid agere debet populus circumstans, dum Sacerdos communicat?

R. Si communicaturi sunt debent præparare se ad proximam communionem; sin minus, cum intimo humilitatis sensu agnoscant indignitatem suam, dicantque cum Propheta: *In spiritu humilitatis & in animo contrito suscipiamur a te Domine, & sic fiat sacrificium hoc in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, (& prosit nobis,) Domine Deus.* Deinde, *Domine non sum dignus ut intres*, &c. *Dan. III. 39. & 40.*

XXX. *De Communione Populi.*

I. Quid agit Sacerdos postquam communicavit corpori & sanguini Domini?

R. Si qui sunt qui communicare velint, dat eis corpus Domini: & interim canitur in choro antiphona quæ Communio dicitur; cui antiphonæ addebatur olim Psalmus, ut Dei laudibus vacaret populus, dum ceteri communi-

(A) IOAN. BONA S. R. E. Card. *Rer. Liturg. lib 2. cap. 17. n. 8. Vide supra huiusce §. num. 27. litt.* (D)

ORD. ROM. I. & II. Expleta confractione, Diaconus minoe levata de Subdiacono patena, defert ad sedem, ut communicet Pontifex.

ORD. ROM. III. Expleta confractione, Diaconus minor, levata de Subdiacono patena, defert eam ad Pontificem, ut commuoicet corpore Dominico.

ORD. ROM. IV. Expleta confractione, quando communicat Domnus Apostolicus, partem sibi mordet, & reliquam in calice mittit, faciens crucem de ea tribus vicibus super calicem, nihil dicens. Et sic confirmatur de calice, tenente calicem Archidiacono. Quando vero Domnus Apostolicus descendit ab altari, incipit communicare populus. *Ad altare ergo non ad sedem corpus Domini sumpsit.*

ORDO ROM. V. Fractis itaque oblatis, iubeat Diaconus Acolytho ut deferat unam patenam ad sedem ante Pontificem. Qui surgens vertat se ad Orientem, & communicet. *Hic ad sedem defertur Eucharistia, sed stans eam sumit Pontifex. Quæ verba retulit in Notis ad I. Ord. Rom.* Domn. IOAN. MABILLON, *ex quinto Ordine ceteros interpretans.*

carent. Mos ille canendi Psalmum, dum fieret sacra communio, introductus est primum in Africa tempore sancti Augustini, ut refert ipse libro secundo Retractationum capite undecimo. Isque retinetur hodieque per totum Orientem, ut constat ex omnibus Liturgiis Orientalibus, etiam antiquissimis (A). Antiphona autem quæ communio dicitur, exprimit ut plurimum sensum accommodatum sacrosanctæ Eucharistiæ mysterio.

I. Quis erat olim ritus communionis?

R. Postquam Sacerdos celebrans communicaverat, distribuebat corpus & sanguinem Christi sub utraque specie Presbyteris concelebrantibus, (nam ut dixi, Presbyteri omnes adstantes concelebrabant.) Deinde Diaconi omnes sumebant corpus Christi de manu Sacerdotis, & sanguinem de manibus Presbyterorum concelebrantium; Subdiaconi & ceteri omnes de Clero corpus Christi de manu Sacerdotis, sanguinem de manu Diaconorum, accipiebant. Presbyteri omnes adstantes simul cum Sacerdote celebrante distribuebant populo, per circuitum Ecclesiæ in suo cuique ordine stanti, corpus Christi: Diaconi calicem singulis offerebant. Primo viri acceptum corpus Christi, inextensa palma dexteræ manus deferebant ad os: deinde mulieres recipiebant quidem in extensa manu corpus Christi, sed modestiæ caussa, in multis Ecclesiis, manum operiebant linteolo quod Dominicale dicebatur. Presbyteri omnes ad altare communicabant; Diaconi retro altare, sic enim erant disposita altaria ut circuirentur facile, Subdiaconi & ceteri de Clero intra chori ambitum, populus extra septa chori in suo quisque loco communicabat, nec enim movebatur loco populus ad communionem, ne fieret confusio.

Huiusce c. §. 18.

Ante communionem Diaconus iterum alta voce pronuntiabat, *Sancta, sanctis*. Quæ verba pronuntiantur etiamnum a Sacerdote ante communionem in Ecclesia Græca.

Probabilius est omnem olim populum non genuflexum, ut nunc fit, sed stantem communicasse non secus ac Sacerdotes: qui ritus observatur hodieque apud Græcos. Et quoties Papa Missam sollemniter celebrat, Diaconus & Subdiaconus stantes de eius manu communicent sub utraque specie.

Porrigendo corpus Christi Sacerdos singulis inquiebat, *Corpus Christi*: & singuli respondebant, *Amen*; ut hac voce fidem profiterentur suam circa venerabile mysterium. Qui ritus observatur etiamnum in Ecclesia Parisiensi, in Meldensi aliisque non paucis: & Pontificale Romanum in ordinationibus & benedictionibus Abbatum, Abbatissarum, Regum aliisque huiusmodi servari præcipit. De hoc ritu mentio fit apud omnes fere SS. Patres ex antiquioribus (B).

(A) Const. Apostol. *lib.* 8. *cap.* 13. *Vide superius* §. 14. *huiusce cap. litt.* (B)

(B) S. Cyrill. Hieros. *Catech. mystag.* 5. *versus finem*. Sacerdos autem postea

dicit: *Sancta, sanctis*. Sancta scilicet ea quæ in ara proposita sunt, adventu Spiritus sancti sanctificata: sancti & vos cum sitis sancto Spiritu donati, atque ita sancta sanctis conveniunt. Vos deinde respondetis: *Unus Sanctus, unus Dominus Iesus Christus*. Vere unus est ille Sanctus, qui est natura sanctus; vos autem etsi sancti sitis, non tamen natura, sed participatione, exercitio & precatione. Audistis deinceps divina quadam melodia psallentem, atque ad sacrorum mysteriorum communionem vos adhortantem: *Gustate & videte quod suavis est Dominus*. Num hoc corporeo palato ut istud diiudicetis, vobis præcipitur? Nequaquam, sed potius fide certa, & omnis dubitationis experti. Gustantes enim, non panem aut vinum ut gustent, iubentur, sed quod sub specie est, (videlicet panis & vini) corpus & sanguinem Christi. Accedens autem ad communionem non expansis manuum volis accede, neque cum disiunctis digitis, sed sinistram, veluti sedem quamdam subiicias dexteræ, quæ tantum Regem susceptura est: & concava manu suscipe corpus Christi, dicens: *Amen*. Sanctificatis ergo dilig nter oculis, tam sancti corporis contactu, communica. Cave autem, ne quid inde excidat tibi: quod enim amittas, hoc tamquam ex proprio membro amiseris. Nam si quis tibi ramenta aurea daret, nonne magna cum diligentia illa teneres, cavens, ne quid ex illis periret, damnumque sustineres? Et non multo magis & diligentius de hoc, quod auro gemmisque pretiosius est, ne mica aliqua ex illo cadat, providebis? Tum vero post communionem corporis Christi, accede & ad calicem sanguinis illius, non extendens manus, sed pronus adorationis in modum, & venerationis, dicens, *Amen*. Sanctificeris eo sanguine Christi, quem assumis: & cum adhuc est humiditas in labiis tuis, manibus attingens, & oculos, & frontem & reliqua sensuum organa consecra.

S. Hieron. *Epist.* 39. *alias* 62. *ad Teophil. adv Ioan. Hierosol.* Qua conscientia ad Eucharistiam accedam, & respondebo Amen: cum de caritate dubitem porrigentis?

S. Fulgentius *Respons. ad duas inquisit. Ferrandi Diaconi, seu Epist.* 12. *cap.* 11. *num.* 25. *seu potius* S. August. *Serm.* 272. *alias* 16 *ex Vignerianis, quem* S. Fulgent. *Epist. sua subiunxit*. Si ergo vos estis corpus Christi & membra, mysterium vestrum in mensa Domini positum est, mysterium Domini accipitis. Ad id quod estis, *Amen* respondetis: & respondendo subscribitis. Audis ergo, *Corpus Christi* & respondes, *Amen*. Esto membrum corporis Christi, ut verum sit, *Amen*.

Ordo Rom. I. *Tom.* 2. *Musæi Ital. pag.* 14. *num.* 20. Deinde venit Archidiaconus cum calice ad cornu altaris, & adnunciat stationem: & refuso parum calice in scyphum inter manus Acolythi, accedunt primo Episcopi ad sedem ut communicent de manu Pontificis secundum ordinem; similiter & Presbyteri, ut communicent post eos. Episcopus autem primus accipit calicem de manu Archidiaconi, & stat in cornu altaris sequentis ordinis usque ad primicerium defensorum. Deinde Archidiaconus accepto de manibus illius calice, refundit in scyphum, quem supra diximus; & tradit calicem Subdiacono regionario, qui tradit ei pugillarem cum quo confirmat populum. Calicem autem accipit Subdiaconus sequens: dat Acolytho, quem ille revocat in paratorium. Qui dum confirmaverit quos Papa communicat, descendit Pontifex a sede cum primicerio notariorum & primicerio defensorum, tenentibus ei manus, ut communicet eos qui in senatorio sunt: post quem Archidiaconus confirmat. Post hæc Episcopi communicant populum, annuente eis primicerio cum manu sub planeta, percontato Pontifice. Post eos Diaconi confirmant. Deinde transeunt in partem sinistram, ut faciant similiter. Presbyteri autem, annuente primicerio, iussu Pontificis communicant populum; & ipsi vicissim confirmant. Nam mox ut Pontifex cœperit in senatorio communicare, statim schola incipit antiphonam ad communionem per vices cum Subdiaconibus, & psallunt usque dum, communicato omni populo, annuat Pontifex ut dicant *Gloria Patri*: & tunc repetito versu quiescunt. Et Pontifex mox ut communicaverit in parte mulierum, redit ad sedem: & communicat regionarios per ordinem, & eos qui in filo steterant: & in diebus festis de schola xii. Nam ceteris diebus in Presbyterio communicant. Post hos

Pars III. Sacr. II Cap. VII. §. 22. n. 30.

omnes redeuntes Nomenculator & Sacellarius, & Aeolythus, qui patenam tenet, & qui manutergium tenet & qui aquam dat, ad sedem communicant, & post Pontificem Archidiaconus eos confirmat.

Num. 21. Adstat autem Subdiaconus regionarius ante faciem Pontificis, ut annuat ei. Ille vero contemplans populum, si iam communicati sint; & annuit ei. Et ille vadit ad humerum, aspicit ad primum scholæ, faciens crucem in fronte sua, annuit ei dicere *Gloriam*: & ille resalutato eo dicit *Gloria, sicut erat*, & versum Finita autem antiphona surgit Pontifex cum Archidiacono, & veniens ante altare dat orationem ad complendum, directus ad Orientem.

Plures auctoritates invenies infra apud Ioan. Bona *hacce litt.*

Pontific. Rom *in ordinat. Presbyt. p.* 51. Pontifex ponit plures hostias consecratas super patenam, quam ori cuiuslibet communicandi supponit, & singulos communicat, cuiliber dicens: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam æternam:* Quilibet respondet, *Amen*.

Ioan. Bona S. R. E. Card. *Rer. Liturg. lib* 2. *cap.* 17. *n.* 3. Olim ante communionem clamabat Diaconus, *Sancta sanctis*: ac si diceret, Qui non est sanctus non accedat. Eadem verba nunc etiam apud Græcos dicit Sacerdos ..... Ipsam autem Eucharistiam sumpturis, tabellæ quædam spongia perpolitæ a ministris apponebantur, veluti mensulæ, ut ex Chrysostomo & Athanasio observat Baronius *an.* 57. *n.* 146. quibus hodie linteamina successerunt, ut si quid forte decidat, his excipiatur. At vero Sacerdos Sacramentum distribuens, quid daret contestabatur dicens, *Corpus Christi*; & accipiens respondebat, *Amen*; qua voce verum illud esse profitebatur. Auctor Constitutionum Apost. lib. 8. cap. 13. *Episcopus tribuat oblationem dicens*: Corpus Christi; *& accipiens dicat*, Amen: *Diaconus vero tribuat calicem dicens*, Sanguis Christi, poculum salutis; *& bibens dicat*, Amen... Ambros. lib. 4 de Sacramentis cap. 5 *Dicit tibi Sacerdos*, Corpus Christi, *& tu dicis*, Amen, *id est verum* .... Aug. lib. 12. contra Faustum c. 10 *Habet enim magnam vocem Christi sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus respondetur*, Amen. Leo Mag. serm. 6. de ieiunio 7. mensis: *Sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur quod fide creditur, & frustra ab illis* Amen *respondetur, a quibus contra id quod accipitur disputatur*.... Ipsa quoque sacra communio antiquo ritu non ore exeipi solebat, ut hodie fit, sed manu: quam qui susceperat ori reverenter admovebat... Cyrillus Hierosol. Catech. 5. Mystag. *Accedens ad communionem, non expansis manuum volis accede, neque cum disiunctis digitis, sed sinistram veluti sedem quamdam subiiciens dexteræ, quæ tantum Regem suscepture est, & concava manu suscipe corpus Christi dicens*: Amen. Hunc ipsum ritum commendat Damascenus lib. 4. Orthod. fidei, cap. 14. *Ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibusque in crucis formam compositis crucifixi corpus suscipiamus*.... Porro hic notandum est in susceptione Eucharistiæ inter viros & mulieres discrimen aliquod fuisse: nam viri in nuda manu, mulieres subiecto linteolo, quod Dominicale dicebatur, illam accipiebant Sic statutum legimus in Conc Antissidor. cap. 36 *Non licet mulieri nuda manu Eucharistiam accipere*: & cap. 42. *Ut unaquæque mulier, quando communicat, Dominicale suum habeat; quod si qua non habuerit, usque ad alium diem Dominicum non communicet*. Aug Serm. 252. de tempore, diu ante hoc Concilium invaluisse per Africam hanc consuetudinem testis est dicens: *Mulieres quomodo nitidum exhibent linteolum, ubi corpus Christi accipiant, sic corpus castum & cor mundum exhibeant*.

Num. 6. Quod si olim licitum fuit & domi privatim habere Eucharistiam, & eam secum in itinere deferre, multo credibilius est in Ecclesiis conservatam fuisse, ut semper in promptu esset ad infirmos communicandos. Nec desunt probationes. Nam Optatus Milevitanus de conservata in templo Eucharistia intelligendus est, cum a Donatistis inaudito scelere traditam canibus narrat *lib.* 2. non sine signo divini iudicii; canes enim accensi rabie homines ipsos dente vindice laniarunt. Victor Episcopus *lib.* 1. *Africanæ persequutionis* de divinis quoque Sacramentis in Ecclesia asservatis agit, cum Valerianum Episcopum utili-

Digitized by Google

ter dimicaſſe ait, ne ipſa traderet, qua de cauſſa ab impio rege Genſerico foras civitatem ſingularis iuſſus eſt pelli, addito præcepto, ne quis eum in domo aut agro permitteret habitare. Cyrillus Alexandrinus eiuſdem moris teſtis eſt *in Epiſtola ad Caloſyrium* præfixa libro adverſus Antropomorphytas, qua eos redarguit, qui dicebant, Euchariſtiam in ſequentem diem ſervandam non eſſe. Idem colligitur *ex Pœnitentiali* Columbani Abbatis, in quo præſcribit quæ pœna ſit illis imponenda quorum negligentia Euchariſtia corrupta & putrefacta ſit. Eudocia Martyr apud Henſchenium *die 1. Martii*, antequam ad Martyrium duceretur, brevi morula a ſatellitibus impetrata ad ſacram ædem cucurrit, & arcula reſerata ſacri doni corporis Chriſti particulam acceptam ſinu recondidit, & eum militibus abiit... Recte vero obſervat Morinus *lib. 8. de Pœnitentia cap.* 14. ſervatum antiquitus in Eccleſia corpus Chriſti propter infirmorum communionem, addens hodiernam conſuetudinem plures particulas reſervandi ad fideles in ipſa Eccleſia etiam extra ſacrificium communicandos, a mendicantibus primum introductam, & ab aliis deinde uſurpatam, ipſo Romano Rituali refragante, in quo nunc etiam decernitur propter infirmos aſſervari. Sanis veteri ritu nullus erat communionis uſus extra Sacrificii actionem, niſi cum permiſit Eccleſia, ut accepta myſteria domum deferrent. Notabile eſt autem quod *in Baſilii vita* refertur; cum enim precibus a Deo gratiam obtinuiſſet, ut ſuis verbis ſacrificium offerre poſſet, accepto divinitus pane & vino, ipſiſque conſecratis; tempore confractionis panem diviſit in tres partes, & unam quidem cum multo timore & veneratione ſumpſit, alteram vero una ſecum ſepeliendam ſervavit, tertiam denique in columba aurea depoſitam deſuper ſacrum altare ſuſpendit. Quod ideo hoc loco adnotandum cenſui, quia olim viguit hic mos conſepeliendi mortuis Euchariſtiam, non ſolum apud Græcos, ſed etiam apud Latinos.... Hic mos vetitus eſt *c.* 6. Conc. III. Carthaginenſis & *c.* 12. Antiſſiodorenſis, & *c.* 83 Trullani.

Num. 7. Simili modo deſiit mos accipiendi manibus Euchariſtiam, & eam domum deferendi, pœniſque graviſſimis tranſgreſſoribus impoſitis ſancitum fuit, ne quis eam exceptis Miniſtris, attrectaret.

N. 8 *Vide ſuperius, num.* 27. *huiusce §. litt.* (D)

D. Ioan. Mabillon. *Comm. in Ord. Rom. num.* 8. *art.* 14. Confirmato Pontifice, Archidiaconus *refundebat parum de calice*, ſeu de ſanguine conſecrato *in ſcyphum*, quem tenebat Acolythus. Hic eſt ſcyphus ſeu calix miniſterialis, in quem vinum oblatum ex maiori calice refuſum fuiſſe ſuperius notavimus; ac proinde ſanguis refuſus in illum ſcyphum cum vino iam in eum refuſo commiſcebatur ad populum confirmandum.... In aliis locis & Eccleſiis non infundebatur vinum cum ſanguine conſecrato, niſi ubi advertebant Miniſtri non ſuffecturum ſanguinem puram communicaturis.

Huius rei exemplum habemus in Uſuum Ciſtercienſium cap. 53. *Dum autem fratres percipiunt ſanguinem*, infundatur vinum in calice a Diacono, cum opus fuerit, *de ampulla a Subdiacono ante præparata iuxta altare. Si quid autem reſiduum fuerit de ipſo ſanguine, bibat illud cum calice*: &c. Ergo ſanguis abſolute dicebatur etiam poſt illam vini admixtionem.

Num. 15. Mox accedebant Epiſcopi & Presbyteri, ut a Pontifice communionem acciperent: Epiſcopi quidem ſtantes ad ſedem Pontificis; Presbyteri vero ad altare genibus flexis, ut patet ex Ceremoniali Caietani, *pag.* 312. & 313. contra veterem ritum ſaltem Græcorum, de quo Valeſius in Euſebium *pag.* 145. Utroſque Archidiaconus ſanguine Dominico; Epiſcopus vero ſequentes ordines ſtans in cornu altaris, confirmabat. Presbyteri & Diaconi manu, Subdiaconi ore Euchariſtiam accipiebant, *ex libello ſexto*; at *in quinto* Subdiaconus calicem præbet primo Presbytero communicanti, qui & tribuat ſubſequenti, & ſic de aliis ſucceſſive.

Num. 17. Pontifex e ſede deſcendebat in ſenatorium ubi Magnates Euchariſtia reficiebat: & in adverſam partem, ubi matronæ conſiſtebant, eiſdem communionem præbiturus, ſubſequente Archidiacono cum ſcypho prædicto ad utroſqe confirmandos. Primis temporibus Euchariſtia etiam laicis tribuebatur in manus, qua de re teſtis eſt in primis Auguſti-

[illegible] Pars III Sect. II. Cap. VII. §. 22. n. 30.

I. Quis nunc est communionis ritus in Ecclesia Occidentali?

R. Postquam Sacerdos celebrans communicavit sub utraque specie, Minister facit confessionem pro communicaturis, dicens: *Confiteor Deo*, &c. qua facta, Sacerdos dicit: *Misereatur vestri* &c. &: *Indulgentiam* &c. (C). Deinde, postquam responsum est, *Amen*, sumit sinistra manu pyxidem, & dextera tenens corpus Christi, conversus ad communicaturos semel ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: deinde, *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea*; qua oratione ter dicta, ut eam singuli communicaturi seorsum apud se ter quoque recitent, dat singulis corpus Christi sub specie panis, dicens unicuique, *Corpus Domini nostri Iesu Christi* (Parisiis, Meldis, & alibi respondet quisque communicans, *Amen*: tum pergit Sacerdos) *custodiat animam tuam in vitam æternam*. Resp. *Amen*.

Sacerdos autem dans singulis Corpus Christi, facit prius cum hostia signum crucis super pyxidem seu patenam.

Diaconus & Subdiaconus ministrantes, & Presbyteri, si qui sint communicaturi, communicant in supremo gradu altaris, ceteri de clero in infimo, populus ex veteri ritu extra septa sanctuarii: singulis extenditur linteum, quod a singulis extensum teneri oportet, ut particulæ, si quæ forte excidant, eo linteo recipiantur; neque enim alius est huius lintei usus, nec recte faciunt qui eo utuntur ad abstergenda labia, vel qui id iunctis manibus tenent. Iam non ponitur in manu communicantium corpus Christi, sed hoc Sacerdos uniuscuiusque ori apponit: unde necesse est ut singuli ore aperto linguam aliquatenus admoveant, ad recipiendam in ea corpus Christi.

I. Cur populus iam non communicat sub utraque specie?

R. Antequam Ecclesia usu calicis laicis interdiceret, iam pridem communio sub specie vini abierat in desuetudinem, ut fuse probavimus sectione de Sacramentis capite de sacramento Eucharistiæ: ibique reddidimus huius desuetudinis rationem (D). *Universe p. sect. 1. c. 4. l. 9.*

In eodem capite diximus quo-

nus tum *in libro* 2. *contra Epistolam Parmeniani: cap.* 7. tum *in libro* 2. *adversus litteras Petiliani cap.* 23. Verum apud Romanos iam ante Gregorii M. pontificatum in os immittebatur a Sacerdote, ut probat *lib.* 3. *Dialogorum cap.* 3. ubi Agapitus Papa cuidam muto & claudo *corpus Dominicum in os misisse* perhibetur.

Num. 18 Interim Episcopi & Presbyteri, annuente primicerio, populum hinc & inde sacræ communionis participem faciebant, Diaconis ex scypho confirmantibus.

(C) Pontif. Rom. *de Ordinat. Presbyteri, pag.* 51. Presbyteri ante communionem non dicunt confessionem, nec datur eis absolutio, quia concelebrant Pontifici: propterea si non sunt alii ordinati, confessio & absolutio prædictæ (*id est*, Misereatur *&* Indulgentiam) omittuntur.

(D) Domn. Ioan. Mabillon. M. B. *Comment. in Ord. Rom. num.* 9. *&c.* Ioan.

Digitized by Google

que qua ratione, qua mente, quibus præviis dispositionibus accedere oporteat ad communionem.

I. Qui non communicant sacramentaliter, quid agere debent dum ceteri communicant?

R. Debent saltem mente communicare, id est, meditari mysteria sacrosancto hoc Sacramento & Sacrificio contenta; cum magna cordis contritione confiteri Domino peccata sua, quibus huius Sacramenti participatione indigni efficiuntur; Christo intimis affectibus coniungi; petere suppliciter ab eo dispositiones necessarias ad sancte communicandum; tandemque supplicare, ut spiritualis hæc communio divina aspirante gratia prosit ad salutem, non secus ac si corpori Christi sacramentaliter communicatum fuisset?

I. Licetne ad sacrosanctam communionem accedere ante Missarum sollemnia?

R. Id solis infirmis licet, aliis neutiquam.

I. Debetne populus communicare intra vel post Missarum sollemnia?

R. Intra Missarum sollemnia, statim atque Sacerdos hausit sacrum sanguinem, ut habetur expresse in Rubricis Missalis & in ordine Missæ (E).

I. Cur ergo populus multis in

Bona, *Vide supra huiusce part. sect. 1. cap. 4. §). litt.* ()

(E) *Vide* Ioan. Bona *supra hacce §. litt.* (B)

Domn. Ioan. Mabillon. M. B. *de Liturg. Gallic. lib.* 1 *cap* 2. *num.* 7. Communio præbetur astantibus his verbis, *Corpus Christi;* & respondetur, *Amen.*

Cap 5. *num.* 24. Post benedictionem & Sacerdotis communionem, fideles communicaturi ad altare accedebant, etiam mulieres, contra quam apud Hispanos, apud quos sancitum est Concil. IV. Tolet. can. 17. *Ut Sacerdotes & Levitæ ante altare communicent, in choro Clerus, extra chorum populus.* Idem fere statutum Conc. Laodic. can. 19 Contrarius mos apud Gallos: in II Conc. Turonensi can. 4. vetat laicos choro misceri psallentium Clericorum: *Ad orandum vero & communicandum laicis & feminis, sicut mos est, pateant sancta sanctorum.*

Num. 25. De Eulalii Comitis ad altare accessu insignis est etiam locus apud ... Gregor. Turon lib. 10. cap. 8 ex quo discimus, particulam hostiæ communicaturis a Sacerdote porrectam, atque ab eis in manus acceptam fuisse: *Convenientibus civibus cum Sacerdote,* seu Episcopo Arvernorum Cautino, *ad festivitatem B. Martyris Iuliani, ad pedes Episcopi Eulalius ille prosternitur querens se inauditum a communione remotum. Tum Episcopus permisit eum cum ceteris spectare sollemnia. Verum ubi ad communionem ventum est, & Eulalius ad altarium accessisset, ait Episcopus: Rumor populi parricidam te proclamat esse. Ego vero utrum perpetraveris hoc scelus, an non, ignoro. Idcirco in Dei hoc & beati Martyris Iuliani statuo iudicio. Tu vero si idoneus, ut asseris, accede propius, & sume tibi Eucharistiæ particulam, atque impone ori tuo. Erit enim Deus respector conscientiæ tuæ. At ille accepta Eucharistia communicans abscessit.* Ex hoc Gregorii loco quatuor colligimus; unum, *Eucharistiæ* nomine hic solam panis speciem designari. Alterum, ex *particula* eius, non ex integra panis formula communionem datam fuisse. Tertium, communionem hac in occasione sub sola panis specie factam: si quidem Eulalius, *accepta Eucharistia*, id est, *Eucharistiæ particula*, statim abscessit. Quartum denique, Eucharistiam eidem in manus fuisse traditam: ac proinde antiquum illum Ecclesiæ morem eo usque perseverasse. Mulieres tamen linteo Dominicali utebantur, ut notum

Pars III Sect II Cap. VII §22. n. 30

Ecclesiis non communicat prius quam Missa fuerit absoluta?

R. Morem hunc numquam Ecclesia ulla lege, ullo statuto probavit: abusum forte recte dixeris: introductus primum fuisse videtur in Ecclesiis magno populorum concursu frequentatis, ne multitudine communicantium Missa nimis protraheretur. Morem hunc, ne dicam abusum, tollunt quantum fieri potest Episcopi non pauci, solliciti ut par est, ne quid præter ordinem fiat; monentque Rectores Ecclesiarum in Statutis synodalibus, in decursu visitationum, ut ne sacram communionem extra Missarum sollemnia dent cuiquam nisi infirmo.

[illegible]

Et recte quidem. Nam ut sæpius diximus, & ipsis sacrificii precibus demonstravimus, Missæ sacrificium est populi non secus ac Sacerdotis: Sacerdotis quidem sacrificantis & offerentis; populi vero cum Sacerdote offerentis. Peracta communione, Postcommunio, sicut & reliquæ preces, dicitur a Sacerdote & suo & populi circumstantis nomine. Ad eam orationem, quæ est gratiarum actio post factam communionem, respondet populus, *Amen*, sicut ad reliquas orationes. Ordo certe præposterus si populus gratias agat de communione quasi percepta, quam tamen nondum perceperit; nec admittatur ad sacram mensam, nisi postquam finito Sacrificio dimissus est per hæc verba, *Ite Missa est*. Laudandi proinde eorum Episcoporum diligentia, qui tollunt hunc abusum, & pristinum restituunt morem communicandi intra Missarum sollemnia. In Ecclesiis magno communicantium concursu frequentatis, si multi simul Presbyteri dent communionem populo, res brevi temporis intervallo conficietur, nec multum protrahetur Missa.

Sunt qui existiment morem distribuendi extra Missarum sollemnia corporis Christi cuilibet poscenti, ex Ecclesia Hierosolymitana forte in totum Occidentem invectum fuisse; in illa autem Ecclesia fuisse quadam veluti necessitate introductum. Cum enim ad illam Ecclesiam concurrerent ex toto terrarum orbe peregrinorum maxima frequentia, quorum singuli communionem Christi corporis appetebant, nec liceret, ex prisco Ecclesiæ Orientalis more, quotidie Missam celebrare; ut eorum devotioni consuleretur, diebus aliturgicis dabatur peregrinis sacrosancta communio ex præsanctificatis. Id iam superius annotavimus (F). [illegible]

I. Cur populus antequam com-

---

est ex canone 42. Concilii Antisiodorensis. Sumpta Eucharistiæ particula, calix sacratus porrigebatur... Porro calicem præbebant Diaconi: at *corpus Christi præsente Presbytero tradere* non eis licebat, ex Concilii Arelatensis II. *can.* 15.

(F) Dom. Joan. Mabillon *Liturg. Gallic. lib.* 1 *cap.* 9. *num.* 26. Ceterum ex asservata Eucharistia soli communi-

municet, facit confessionem peccatorum, dicendo, *Confiteor Deo*, &c.?

R. Mos ille est recentioris ævi, ex ritu antiquissimo communionis infirmorum introductus ad communionem quæ fit intra Missarum sollemnia: ob eam forte rationem, quod cum Sacerdos initio Missæ facit confessionem ad altare cum Ministris, canit populus antiphonam quæ Introitus appellatur; cum Sacerdos dicit, *Domine non sum dignus*, canit chorus *Agnus Dei*. Cum ergo his cantibus occupatus populus nondum fecerit confessionem, nondum dixerit *Domine non sum dignus*, visum est expedire ut preces illæ a populo ante communionem recitarentur. Ritus autem ille, sicut & plures alii, ex sollemni Missa ad Missas privatas translatus est; proinde servandus est ex more hodierno.

Antiquum ritum tenent etiamnum Carthusiani: Apud eos, ex prisco more initio Missæ, fit alta voce confessio alternatim a celebrante & a Monachis in choro stantibus, nec repetitur ante communionem. Postquam autem Celebrans communicavit, si qui communicare velint, dat illis communionem, non dictis prius, *Misereatur, Indulgentiam, Ecce Agnus Dei, Domine non sum dignus*. Idem observari vidi Parisiis apud Cluniacenses. Suum quisque ritum sequatur.

I. Cur Episcopi dant manum osculandam communicantibus, antequam dent eis corpus Christi?

R. Habes hic vestigium antiquissimi ritus. Antiquitus Episcopi & Presbyteri sacro Christi corpore reficiebant neminem, nisi dato prius pacis osculo. Erat is ritus Orientalis non secus ac Occidentalis Ecclesiæ: observatur ille multis in Ecclesiis etiamnum ab Episcopis in communione Ca-

cabant infirmi, non sani, quibus vix umquam extra Missam communio a Sacerdote porrigebatur. Contrarius mos in Ecclesia Ierosolymitana primum cœpisse videtur ex Humberto Cardinali in responsione contra Græcorum calumnias in hæc verba: *Ad hæc si quid ex sancta & venerabili Eucharistia in Ierosolymis Ecclesiis superfuerit, nec incendunt, nec in foveam mittunt: sed in pixidem mundam recondunt, & sequenti die communicant ex ea populum, quia quotidie communicant ibi: eo quod conveniunt illuc ex diversis provinciis Christiani, qui propter fidem & maximum amorem Filii Dei communicare ibi desiderant.* Hæc longe probabilior est ratio, quam eorum qui passim id actitant sine delectu contra veterem Ecclesiæ morem. Quo tempore id fieri cœperit in Ecclesia Ierosolymitana non est exploratum. Sane antiquissimum esse asservandæ illis in partibus Eucharistiæ morem colligimus ex Cyrillo Alexandrino, qui in Epistola ad Calosyrium arguit eos, *qui mysticam benedictionem nihil ad sanctificationem iuvare dicebant, si quid ex ea fieret reliqui in alium diem.* Quos insanire, ait Cyrillus. *Neque enim alterari Christum, neque sanctum eius Corpus immutari: sed benedictionis vim ac facultatem, & vivificantem gratiam perpetuam in ipso exsistere.*

Comment. in Ord. Rom. n. 9. Vide supra huiusce partis sect. 1. *cap.* 4. §. 9. *litt.* (O)

nonicorum. Iam brevitatis caussa vulgo dant manum osculandam, quod idem est fere ac si darent pacis osculum (G).

XXXI. *De Postcommunione, & fine Missæ.*

I. Peracta communione quid agit Sacerdos?

R. Calicem infuso vino purificat, dicens: *Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.*

Haustoque vino, abluit digitos vino & aqua super calicem, aitque interea: *Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, & sanguis quem potavi adhæreat visceribus meis, & præsta ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura & sancta refecerunt sacramenta: qui vivis & regnas in secula seculorum. Amen.*

Sumptaque ablutione dat calicem abstergendum Subdiacono: ipse autem reversus ad cornu Epistolæ legit antiphonam quæ communio dicitur, quia canitur a choro dum fit communio populi. *Vide n. sup.* Hanc autem antiphonam non legebat olim Sacerdos in Missis sollemnibus, quia ut iam diximus, Sacerdos nihil recitabat horum quæ canebantur a choro. *Num. 3. huius §.*

Dicta Communione, Sacerdos ad medium altaris redit, eoque osculato, ad populum conversus dicit, *Dominus vobiscum*. Postquam autem responsum est pro more, *Et cum spiritu tuo*, Sacerdos invitat populum ad orandum, dicens, *Oremus*; deinde canit *Postcommunionem*. Sed olim inter admonitionem, *Oremus*, & Postcommunionem interponebatur brevis pausa; omnesque interim orabant aliquantulum secreto, ut iam diximus, ubi egimus de Collecta ante Epistolam. *N. 5. huius §.* Dicta Post-

(G) Innocent. III. *De Mysteriis Missæ lib. 6. c. 9.* Particulam unam cum osculo tradit Diacono..... Diaconus & qui superioris sunt ordinis, cum percipiunt Eucharistiam, osculum suscipiunt ab Episcopo.

Domn. Ioan. Mabillon. M. B *Comm. in Ord. Rom. art. 8. n. 11. hæc Innocentii* III. *verba interpretans:* Non dubito, inquit, quin Pontifex Eucharistiam tradendo Diacono, eumque ita, ut dicit Innocentius, osculando, dixerit verba superiora, *Pax secum*, respondente Archidiacono, *Et cum spiritu tuo.*

Sane olim fideles, suscepta Eucharistia, Episcopum seu Sacerdotem, a quo eam acceperant, osculari solebant, cum in Oriente, tum in Occidente. Hieronym. in Epistola 62. adversus Ioannem Hierosolymitanum: *Quisquamne tibi invitus communicat? quisquamne extenta manu vertit faciem, & inter sacras epulas Iudæ osculum porrigit?* Paullus Emeritensis Diaconus de vitis Patrum cap. 7. de Fideli Episcopo loquens, *Vade*, inquit, *communica, & da nobis osculum*. Denique in quodam tractatu Fratrum Prædicatorum apud Stervartium edito: *Participationem sanctæ communionis non similiter Græci, ut nos, perficiunt: sed dicunt, quod qui Missam celebrat Sacerdos, osculatur volentem communicare* Subdit post præmissa Innocentius tertius: *Diaconus, & qui superioris sunt ordinis, cum percipiunt Eucharistiam, osculum suscipiunt ab Episcopo, Acolythus, & qui sunt inferiorum ordinum non suscipiunt Subdiaconus vero, quia character huiusmodi quondam inter non sacros, nunc autem inter sacros ordines reputatur: in perceptione corporis non suscipit osculum a Pontifice, sed in perceptione sanguinis suscipit osculum a Diacono.*

Digitized by Google

communione populus respondet, *Amen*: qua responsione intelligitur hanc orationem a Sacerdote tam suo quam populi nomine recitari. Ad quam proinde populus attentum debet se præbere, ut corde & ore respondeat. Est autem Postcommunio, ut diximus, gratiarum actio de percepta communione (A). *Num. sup.*

I. Quid est ea oratio quam per Quadragesimam in Missa feriali, absolutis Postcommunionibus, dicit Sacerdos Diacono præcinente, *Humiliate capita vestra Deo*?

R. Hæc dicitur, *Oratio super populum*; ideoque Diaconus monet humilianda esse capita: cui monitioni ut obtemperetur, debet unusquisque flexis genibus, & inclinato in signum humilitatis capite, cum summa mentis attentione iungere se oranti Sacerdoti, & absoluta oratione respondere, *Amen*, quod quidem corde & ore dicendum est. Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22.n.3.

Quæ sit origo & ratio huius orationis non constat, certum est eam dici ex antiquissimo ritu: nam in Sacramentario Gelasiano, quod publici iuris fecit vir eruditione & sanctitate non minus commendabilis quam Cardinalitia purpura, Ioannes Thomasius, quodque antiquius est Sacramentario Gregoriano, ad singulas Missas legitur præter postcommunionem oratio super populum, idque non Quadragesimæ solum tempore, sed per totum annum.

Quidam putant eam orationem dictam fuisse in gratiam eorum qui non communicabant sacramentaliter (B).

Alii hanc recitatam fuisse existimant pro pœnitentibus.

(A) S Cyrillus Hierosol. *Catech mystag.* 5. *in fine*. Postremo, exspectata oratione, Deo gratias age, qui te tantis mysteriis dignum reddidit.

(B) Amalarius *lib de div. officiis*, *lib.* 3. *cap.* 37 Est ultima benedictio de qua nunc agimus. quam potissimum frequentamus tempore Quadragesimali: hoc est, post illam ultimam continuatam, in qua spiritalis refectio commendatur: restat hæc ulterior, de qua nunc, ut diximus, agitur, in qua milites Christi cenmendantur pugnæ contra antiquum hostem. Si omni tempore necesse est paratum esse bellicosum adversus insidias sive impetus inimicorum; quanto magis in procinctu? Quadragesimali tempore scit adversarius noster a sancta Ecclesia singulare certamen commissum esse contra se, ac ideo instat fortius ad rapiendum atque prosternendum, si forte aliquem invenerit negligentem. Sacerdos noster, ut prudens agonotheta & pugnator, quantum in maiore periculo videt milites fore, tantum munit eos amplius sua benedictione. Arma nostra contra diabolum, sunt humiliras & ceteræ virtutes. Vult Sacerdos noster, ut nostris armis vesriri simus: propterea iubet per Ministrum, ut humiliemus capita nostra Deo; & ita tandem infundit super milites protectionem benedictionis suæ. Benedictio Sacerdotis morem antiquum tenet, ut in novissimo porrigatur. Iacob Patriarcha in novissimo vitæ suæ benedixit filiis suis Scriptum est in Genes. *Benedixit singulis benedictionibus propriis* .. Similiter scriptum est de Moyse in libro Deuteronomii: *Hæc benedictio, qua benedixit Moyses, homo Dei, filiis Israel ante mortem suam*. Denique & ipse Dominus Salvator.. . ante ascensionem suam in cælum, benedixit Discipulis suis. Et ut cetera prætermittam sanctorum Patrum exempla, caussa compendii breviter dico: Quando familiarem affatum habemus cum servis Dei, more relligionis

Gen. xlix 28 Deuter. xxxiii 1. Luc. xxiv. 51.

nostræ, antequam separemur ab illis, in ultimo benedictionem petimus

Micrologus *cap.* 51. *de Eccles. observationib.* Orationem super populum in Quadragesima ideo frequentamus: quia cum maiorem conflictum in ieiuniis & orationibus contra spiritales nequitias sumimus, necessario nos instantius Deo commendare debemus. Nam oratio post communionem, pro solis communicantibus solet orare. Populus autem etsi quotidie in Quadragesima conveniat, non tamen quotidie, ut deberet, communicat. Ne ergo populus ita oratione ut communione careret, adiecta est oratio super populum. In qua non de communicatione, sed pro populi protectione specialiter oratur. In Dominicis tamen diebus non dicitur, quia genuflexio vitatur, quæ huic orationi a populo antiquitus persolvebatur, vel potius ideo quia omnes, iuxta attestationem sancti Ambrosii, in Dominicis diebus communicare deberent, quibus & oratio post communionem pro benedictione sufficere posset. Sciendum est autem iuxta antiquos Patres, quod soli communicantes divinis mysteriis interesse consueverunt; unde & ante oblationem iuxta Canones iubebantur exire catechumeni & pœnitentes, videlicet qui nondum se paraverunt ad communicandum. Hoc quoque ipsa Sacramentorum innuit confectio, in qua Sacerdos non pro sola sua oblatione & communicatione, sed & aliorum rogat; & maxime in oratione post communionem, pro solis communicantibus orare videtur. Nec proprie communio dici potest, nisi plures de eodem Sacrificio participent. Apud Græcos etiam, ut legitur, excommunicandus est, qui usque ad tertiam Dominicam non communicaverit. Beatissimi quoque Patres nostri Ambrosius & Augustinus, ad quotidianam nos hortantur communionem. Sed quia hoc modo nec ab omnibus Presbyteris in Quadragesima, nedum a laicis observatur, congrue adiecta est oratio super populum; ut vel eo tempore populus ultima benedictione non careret, dum tamen communicare non soleret. Hinc quoque & illa consuetudo apud modernos, quæ non fuit apud antiquos, inolevisse videtur, ut & in aliis temporibus, etiam Presbyteri post finem Missæ benedicant, ne populum ita benedictione ut communione privatum discedere permittant.

Ioan. Bona S. R. E. Card. *Rer. Liturg. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 1. (Oratione) *Corpus tuum Domine quod sumpsi, &c.* carent veteres libri, nec eam reperii nisi in Missa edita ab Illyrico. Lotionis manuum post communionem mentio fit in Ordine Romano, sed non ablutionis, quæ nunc sumitur a Sacerdote: tantummodo monet, ut Diaconus caute procuret, ne quid in calice aut patena sanguinis vel corporis Christi remaneat. Ritus Missæ a Ioanne Episcopo Abrincacensi descriptus apud Menardum, post communionem Sacerdotis & aliorum, ait: *Particulam quæ in calice remansit Sacerdos sumat, & post Diacono calicem, ad mundandum, & sumendum quod remansit, porrigat; qui in sinistrum cornu altaris calicem cum patena deferat, ubi partem sibi accipiat, & partem Subdiacono tribuat. Post mundata utraque utrique participent. Acolythus vero alterum calicem Sacerdoti ad mundandos digitos deferat.* Sed quid fieret de ablutione non dicit: puto autem proiectam in sacrarium, nam in antiquis Ecclesiis, præsertim Monachorum, singula altaria a parte Epistolæ, parvam habent piscinam in hunc usum paratam. In libro Usuum Ordinis Cisterciensis cap. 53. hic modus ablutionis præscribitur: *Si quid residuum fuerit de sanguine, bibat illud Diaconus cum calice. postquam fistulam reddiderit Subdiacono. Quam fistulam antequam reddat, in quantum potuerit, ab utraque parte sugendo a sanguine Domini evacuet. Subdiaconus vero tenens fistulam contra faciem suam transversam, eat ad Sacerdotem per retro altare ministrare vinum in calice. Qui recepto calice respergat digitos suos in ipso, quem ponens super altare, eat ad piscinam abluere in ipsa digitos aqua. Quibus tersis redeat ad altare sumere vinum quod dimisit in calice. Quo sumpto iterum aspergat calicem vino. Quo hausto, ponat illum non reclinatum super altare in sua patenam....* Nihil autem antiquius occurrit, nisi quod semper summa diligentia Ministri altaris curarunt, ne quæ reliquiæ Sacramenti... peracta synaxi remanerent, iis particulis exceptis quæ pro communicandis infirmis conservabantur.

Neutra ratio arridet. Non secunda, quia tunc pœnitentes aberant a cœtu, dimissi, ut diximus, ante initium Missæ fidelium: admonitione autem Diaconi iubentis ut ad hanc orationem humilientur capita Deo, patet hanc orationem dictam fuisse pro iis qui præsentes aderant.

Num. 1.§.31.

Nec prima ratio placet, quia ex multis eiusmodi orationibus *super populum*, constat eas dici in gratiam eorum qui divini sacramenti participatione refecti sunt: id ut liquido demonstretur unam ex iis profero, quæ recitatur feria quarta cinerum in capite ieiunii. Hæc autem sic habet:

Pars II. Sect. II. Cap VII. § 22.n.31.

Inclinantes se, Domine, maiestati tuæ propitiatus intende; ut qui

---

Num. 2. Diaconus vero ex præscripto Ordinis Romani videns omnes communicasse, faciebat signum crucis in fronte, ut prior scholæ Cantorum ex eo intelligeret, quandoque debeat post antiphonam, quæ Communio vocatur, gloriam S. Trinitati psallere & versum repetere. Olim enim post ipsam communionem Psalmus, & Diacono innuente versiculus *Gloria Patri* cantari solebant, cum antiphonæ repetitione. Tum surgens Pontifex e sede sua, & veniens ad altare, dabat orationem ad complendum...., Porro istæ orationes pro communicantibus institutæ sunt, quando omnes vel plerique, qui aderant Sacrificio communicabant: nam & ipsum communionis vocabulum improprie hic usurparetur, nisi plures de eodem Sacrificio participarent.

Num. 4. Sequitur recentiori ritu benedictio, quam olim ante communionem Episcopus largiri solebat. Illi enim potissimum convenit populum benedicere, qui peculiari quadam ratione Christum summum Sacerdotem & Episcopum animarum nostrarum repræsentat... Ritu veteri Cisterciensi, qui paucis ab hinc annis mutatus est, nulla exstat in fine Missæ benedictio, sed Sacerdos dicta oratione *Placeat tibi sancta Trinitas, &c.* osculatur altare dicens, *Meritis & precibus istorum & omnium Sanctorum suorum misereatur nostri omnipotens Dominus. Amen.* Sicque signans se & inclinans recedit. Eodem ritu utuntur Carthusiani .... quia qui populum non habent, non obligantur ad huiusmodi benedictionem dandam. Carthusiani autem non habent populum....

Mozarabes præter benedictionem, quæ datur ante communionem, aliam dant in fine Missæ, his verbis: *In unitate sancti Spiritus benedicat nos Pater & Filius.* Græci sæpe benedicunt, aliquando cum dicerio & tricerio, cereo scilicet duplici vel triplici, aliquando sola manu signum crucis efformantes. In fine autem Liturgiæ Sacerdos depositis sacris vestibus rursum benedicit populum, dicens: *Custodiat Dominus Deus omnes vos sua gratia & humanitate perpetuo, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen*: & populus respondet: *Benedicentem & sanctificantem nos, Domine, conserva in annos multos*; & in pace cum Deo discedunt.... Maronitarum benedictio in fine Missæ hæc est: *Benedictio Domini nostri Iesu Christi veniat de cælo, & requiescat super me & super vos & ignoscat debitis vestris & dimittat defectus vestros, & requiescere faciat animas defunctorum vestrorum, & scribat nomina vestra in libro regni cælestis, ac nos & vos eripiat Deus a damnatione & confusione in die iudicii iusti & recti. Pater, & Fili, & Spiritus sancte, tibi gloria in secula seculorum. Amen.....* In Missis pro defunctis omittitur benedictio, quia pertinet ad solemnitatem, qua carent officia defunctorum. In quodam tamen Missali MS hanc assignatam legi: *Deus qui est vita vivorum, & resurrectio mortuorum benedicat vos in secula seculorum.* Carmelitæ post benedictionem ante medium altaris genuflexi dicunt antiphonam *Salve Regina* cum versu & oratione: tempore autem Paschali dicunt stantes, *Regina cæli*.

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §.22.n.31.

divino munere sunt refecti, cælestibus semper nutriantur auxiliis. Per Dominum &c.

Placet magis subiecta hæc tertia ratio: nimirum orationem hanc veram fuisse postcommunionem. Id patet ex ea quam mox protulimus: & certe quemadmodum non una sed plures collectæ dicebantur ante lectionem Epistolæ, & super oblata, ita multæ dicebantur orationes in gratiarum actionem acceptæ communionis: ad ultimam autem earum iubebatur populus humiliare capita sua Deo, ut iam iam dimittendus orationis fervorem & instantiam augeret.

I. Absoluta postcommunione quid agit Sacerdos?

R. Absoluta postcommunione Missa finita est. Proinde Sacerdos redit ad medium altaris, quo osculato salutat populum solita adhibita formula, *Dominus vobiscum*; quæ quidem salutatio toties repetita mirifice indicat perpetuum concentum populi & Sacerdotis in singulis precibus, monetque Sacerdoti populum in omnibus iungi oportere. Salutatum a Sacerdote populum Diaconus, (& in Missis privatis Sacerdos ipse) dimittit his verbis, *Ite Missa est*, quorum hic sensus est, *Vobis abire licet, nam fit missa, id est, dimissio.* Respondet populus, *Deo gratias.*

Diebus ferialibus, vel ieiunio aut pœnitentiæ consecratis non dimittitur populus his verbis, *Ite Missa est*: Sed Diaconus (seu Sacerdos) ait, *Benedicamus Domino.* Respondet populus, *Deo gratias.* In Missis autem pro defunctis dicit Diaconus (vel Sacerdos,) *Requiescant in pace*, & respondetur, *Amen.*

I. Cur peracto sacrificio non semper dimittitur populus?

R. Quia non dimittebatur olim populus peracto sacrificio, si nondum abeundum esset, propter alia quædam officia, ritus aliquos, quibus ipsum interesse oporteret; & hæc ratio est cur non dicatur in Missis pro defunctis, *Ite Missa est.*

Adde quod sollemnis erat illa populi dimissio, unde Missæ nomen: proinde non fiebat diebus minus sollemnibus, adeoque prætermittebatur, ut nunc fit, diebus ferialibus, aut ieiunio & pœnitentiæ vel luctui destinatis. *Vide infra c. §. 8.*

I. Cur dimisso sollemniter populo, datur benedictio, & legitur initium Evangelii secundum Ioannem? Ordo certe præposterus: deberet benedictio & Evangelii lectio præmitti dimissioni populi?

R. Benedictio illa, & Evangelii lectio sunt recentioris instituti. Dicto, *Ite Missa est*, fas olim erat unicuique discedere. Sacerdos autem conversus ad altare, & ad eum profunde inclinatus recitabat, ut nunc fit, privatam gratiarum actionem in hunc modum.

Placeat tibi, Sancta Trinitas, obsequium servitutis meæ, & præsta, ut sacrificium quod oculis tuæ maiestatis indignus obtuli tibi sit acceptabile, mihique & omnibus pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quo dicto discedebat ab altari Sacerdos.

Qui ritus observatur hodieque

Digitized by Google

multis in Ecclesiis Galliarum ad Missam Pontificalem, ceterasque maiores, & apud Carthusianos ad Missas omnes seu sollemnes seu privatas.

Episcopi benedicebant sollemniter populum post fractionem hostiæ ante *Agnus Dei*, ut supra observavimus, nec benedicebant iterum in fine Missæ: qui ritus observatur etiam nunc multis in Ecclesiis quotiescumque Episcopi sollemniter celebrant,

Huiusce § n. 29.

Presbyteri ius non habebant dandæ populo sollemniter benedictionis: hoc erat reservatum Episcopis; & hæc quidem est ratio cur nunc Presbyteri ex recentiori ritu non canendo, sed submissa voce dant benedictionem in Missa etiam sollemni; dixi ex recentiori ritu, neque enim Presbyteri ullatenus benedicebant populum olim in fine Missæ. Carthusiani Presbyteri ex veteri ritu abstinent hactenus a danda populo benedictione, sive Missam celebrent sollemnem, sive privatam.

Ad lectionem Evangelii quod attinet, ea est perquam recentis instituti. Primus omnium S. Pius V. summus Pontifex in nova Romani Missalis editione præcepit ab omnibus legi hoc Evangelium post Missam. Antea legebatur ad libitum Sacerdotis: alii legebant hoc ad altare, alii recitabant illud dum redirent ab altari ad sacrarium, alii legebant illud in sacrario antequam sacras deponerent vestes, alii non legebant omnino, ut fit etiamnum a Carthusianis.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. §. 22. n. 31.

Legendi huius Evangelii post Missam venit ritus forte primitus ex pia devotione fidelium, qui ut impetrarent a Deo misericordiam & gratiam verbi divini virtute, rogabant legi sibi Evangelium stola Sacerdotis sibi super caput apposita, ut fit in ritu Baptismi super caput recens baptizatorum: qui quidem ritus nihil habet quod reprehendi iure possit, modo nihil habeat adiunctum superstitionis (C). Quod cum sacerdotes facile concederent populis hinc sensim invaluit ritus recitandi post Missam Evangelii: qui ritus tandem lege firmatus est (D).

(C) Concil. Salegunstad. *ann.* 1022. *can.* 10. Quidam etiam laicorum, & maxime matronæ, habent in consuetudine, ut per singulos dies audiant Evangelium, *In principio erat Verbum*, & Missas peculiares, hoc est, de sancta Trinitate, aut de sancto Michaele: & ideo sancitum est in eodem Concilio, ut hoc ulterius non fiat nisi suo tempore, & nisi aliquis fidelium audire velit pro reverentia sanctæ Trinitatis, non pro aliqua divinatione.

(D) Ioan. Bona S. R. E. Card. *Rer. Liturg. lib* 2. *cap.* 20. *num.* 5. Denique Sacerdos, postquam a Deo benedictionem populo precatus est, legit initium Evangelii secundum Ioannem, in quo fidei orthodoxæ quædam veluti anacephalæosis continetur..... Hoc in novissima Missalis recognitione Pius V. legi præcepit, cum antea sine certa lege ex sola consuetudine a quibusdam dici, ab aliis omitti, pro cuiusque arbitrio soleret, ut Paris Crassus testatur in Ceremoniali summi Pontificis inedito cap. 65. Qua de caussa in quibusdam Missalibus, tam editis quam manuscriptis, tam Romanis quam aliarum Ecclesiarum, nihil de eo decernitur, sed dicta oratione, *Placeat tibi sancta Trinitas, osculetur*, inquiunt, *altare & recedat, dicens canticum trium puerorum*. Ita Missale Romanum a Paullo IV. recognitum & Lugduni editum *ann.* 1550.

Pars III Sect. II Cap. VII. § 24 n 31.

I. Quid agere debet populus circumſtans, dum dat Sacerdos benedictionem finita Miſſa?

R. Debet humiliare ſe ſub potenti manu Dei, & petere ut benedictio ſibi larga concedatur per miniſterium Sacerdotis.

I. Quid agere debet populus circumſtans, dum legitur initium Sancti Evangelii ſecundum Ioannem?

R. Standum dum legitur: ſacra verba aure avida reverenter excipienda: Verbum æternum in ſinu Patris adorandum: gratiæ illi maximæ agendæ, quod pro nobis caro fieri voluerit: petendum ſuppliciter, ut ne ſimus de numero eorum, de quibus dicitur in hoc Evangelio,
Ioan. I. 11. *Verbum... in propria venit, & ſui eum non receperunt;* ſed quoniam
Ibid. 12. *quotquot receperunt eum, dedit illis poteſtatem filios Dei fieri,* rogandum ut quam nobis incarnatione, morte, reſurrectione, aſcenſione meruit adoptionem divinam, illam ad finem uſque vitæ, gratia ſua nobis opitulante, cuſtodiamus.

I. Quid agendum finita Miſſa?

R. Colligendum ſe aliquantulum ante egreſſum ex Eccleſia, ad meditanda ſacroſancta Miſſæ myſteria; agendæ ex intimo corde Deo gratiæ, & petendum ab eo enixe, ut oblatum pro nobis Sacrificium ſit ipſi acceptabile, nobiſque ad ſalutem proſit.

CAPUT OCTAVUM.

De Exorciſmis, & Benedictionibus.

§ I. *De Exorciſmis.*

I. Quid eſt Exorciſmus?

R. Exorciſmus eſt ritus ſacer ab Eccleſia inſtitutus ad expellendos vel arcendos dæmones, vel a corporibus quæ illi poſſident vel obſident, vel ab aliis rebus quibus abutuntur aut abuti poſſunt.

I. Quis dedit hanc Eccleſiæ poteſtatem ut dæmones expelleret?

R. Chriſtus ipſe. *Convocatis,* inquit Lucas, *duodecim Apoſtolis,* Luc. IX. 1.
dedit illis (Ieſus) *virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia.* Et Marcus, *Signa eos, qui crediderint,* Marc. XVI. 17.
hæc ſequentur; in nomine meo dæmonia eiicient. Et alibi paſſim.

I. Cur exorcizantur etiam res vita & ratione carentes?

R. Quia illis dæmones abuti poſſunt, & quotidie abutuntur, ad hominum perniciem.

Nam, ut ait Apoſtolus, *exſpectatio creaturæ revelationem filiorum* Rom. VIII. 19. 22.
Dei exſpectat. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe,

---

Missale Paris. *Ioan.* du Bellay S. R. E. C. Faciens benedictionem de patena dicat: *Benedicat vos omnipotens Deus Pater & Filius & Spiritus ſanctus.* Proſtratus ante altare dicat, *Placeat tibi ſancta Trinitas* &c. Exuens ſe caſula dicat: *Dominus vobiſcum, & cum Spiritu tuo. Initium ſancti Evangelii ſecundum Ioannem In principio* &c.

Eadem leguntur in Missali Paris. *Petri* de Gondy. *anni* 1585 *quo uſa eſt Eccleſia Pariſienſis uſque ad annum* 1606.

quia & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit & parturit usque adhuc.

His verbis Apostolus docet res omnes etiam vita carentes, quia ad gloriam Dei creatæ sunt, esse velut in statu violento, quando contra Dei institutum vanitati & cupiditati hominum serviunt. Vanitati tamen illi subiiciendas illas esse usque ad consummationem seculi, quia ad finem usque seculi dæmones & homines creaturis abutentur ad fovendam augendamque mundi corruptionem. Proinde illas veluti gemere & parturire, donec ab illa servitute corruptionis liberentur.

Merito itaque exorcizat Ecclesia res vita carentes. His exorcismis Ecclesia postulat a Deo, ut ne dæmones abutantur rebus ad Dei gloriam conditis, quibus uti vult Ecclesia ad sacros usus.

I. Quas res sæpius exorcizat Ecclesia?

R. 1. Homines quorum corpora a dæmonibus vel possidentur vel obsidentur.

2. Loca a dæmonibus infesta.

3. Res quibus utitur Ecclesia ad sacros ritus, verbi gratia, aquam, sal, oleum, &c. Pars III. Sect. II. Cap. VIII. §. 1.

I. Quid præcipue observandum in exorcismis faciendis ad liberandos homines ab obsessione vel possessione dæmonum?

R. 1. Non temere faciendi exorcismi, sed attente & sedulo considerandum an vera sit possessio dæmonis, nec tentandum ea de re quidquam inconsulto Episcopo, ne detur errori vel fraudi locus.

2. Ad exorcismum præparet se Exorcista ieiunio & oratione, est enim *genus dæmoniorum*, inquit Christus, *quod non expellitur nisi oratione & ieiunio:* Matth. xvii. 20.

3. Magna debet esse Exorcista præditus humilitate, magna vitæ integritate.

4. Inter exorcizandum abstineat ab omni quæstione curiosa & inutili; & sequatur adamussim quidquid libro exorcismorum continetur (A).

I. Quid agere debent qui præsentes adsunt exorcismis?

R. Debent fundere preces ad De-

(A) Rituale Rom. *de exorcismis*. Sacerdos, seu quivis alius legitimus Ecclesiæ Minister, vexatos a dæmone exorcizaturus: ea qua par est pietate, prudentia, ac vitæ integritate præditus esse debet; qui non sua sed divina fretus virtute, ab omni rerum humanarum cupiditate alienus tam pium opus ex caritate constanter & humiliter exsequatur. Hunc præterea maturæ ætatis esse decet, & non solum officio, sed etiam morum gravitate reverendum.

Ut igitur suo munere recte fungatur, cum alia multa sibi utilia documenta,.... ex probatis Auctoribus, & ex usu nosse studeat; tum hæc pauca magis necessaria diligenter observabit.

In primis ne facile credat aliquem a dæmone obsessum esse, sed nota habeat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui atra bile, vel morbo aliquo laborant. Signa autem obsedentis dæmonis sunt, ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere: distantia & occulta patefacere: vires supra ætatis seu conditionis naturam ostendere; & id genus alia, quæ cum plurima concurrunt, maiora sunt indicia.

Hæc autem ut magis cognoscat, post

Digitized by Google

unum aut alterum exorcismum interroget obsessum, quid senserit in animo, vel in corpore: ut sciat etiam ad quænam verba magis diaboli conturbentur, ut ea deinceps magis inculcet, ac repetat.

Advertat, quibus artibus ac deceptionibus utantur dæmones ad Exorcistam decipiendum: solent enim ut plurimum fallaciter respondere, & difficile se manifestare, ut Exorcista diu defatigatus desistat, aut infirmus videatur non esse a dæmonio vexatus. Aliquando postquam sunt manifesti, abscondunt se, & relinquunt corpus quasi liberum ab omni molestia, ut infirmus putet se omnino esse liberatum: sed cessare non debet Exorcista, donec viderit signa liberationis. Aliquando etiam dæmones ponunt quæcumque possunt impedimenta, ne infirmus subiiciat se exorcismis, vel conantur persuadere infirmitatem esse naturalem: interdum in medio exorcismi faciunt dormire infirmum, & ei visionem aliquam ostendunt, subtrahendo se, ut infirmus liberatus videatur. Aliqui ostendunt factum maleficium, & a quibus sit factum, & modum ad illud dissipandum; sed caveat ne ob hoc ad magos, vel ad sagas, vel ad alios, quam ad Ecclesiæ Ministros confugiat, aut ulla superstitione, aut alio modo illicito utatur. Quandoque diabolus infirmum quiescere, & suscipere sanctissimam Eucharistiam permittit, ut discessisse videatur. Denique innumerabiles sunt artes & fraudes diaboli ad decipiendum hominem, quibus ne fallatur, Exorcista cautus esse debet.

Quare, memor Dominum nostrum dixisse, genus esse dæmoniorum, *quod non eiicitur nisi per orationem & ieiunium*, hæc duo potissimum remedia ad impetrandum divinum auxilium, dæmonesque pellendos, exemplo sanctorum Patrum, quoad eius fieri poterit, tum per se, tum per alios curet adhiberi.

Matth. xvii. 20.

In Ecclesiam, si commode fieri potest, vel in alium relligiosum & honestum locum seorsum a multitudine perductus energumenus exorcizetur; sed si fuerit ægrotus, vel persona nobilis, vel alia honesta de caussa, in domo privata exorcizari poterit.

Admoneatur obsessus, si mente & corpore valet, ut pro se oret Deum, ac ieiunet, & sacra confessione & communione sæpius ad arbitrium Sacerdotis se communiat: & dum exorcizatur, totum se colligat, & ad Deum convertat, ac firma fide salutem ab eo deposcat cum omni humilitate. Et cum vehementius vexatur patienter sustineat, nihil diffidens auxilio Dei. Habeat præ manibus, vel in conspectu crucifixum: relliquiæ quoque sanctorum, ubi haberi possint decenter ac tuto colligatæ, & coopertæ ad pectus, vel ad caput obsessi reverenter admoveantur; sed caveatur, ne res sacræ indigne tractentur, aut illis a dæmone ulla fiat iniuria. Sanctissima vero Eucharistia super caput obsessi, aut aliter eius corpori non admoveatur, ob irreverentiæ periculum.

Exorcista ne vagetur in multiloquio, aut supervacaneis vel curiosis interrogationibus, præsertim de rebus futuris & occultis, ad suum munus non pertinentibus; sed iubeat immundum spiritum tacere, & ad interrogata tantum respondere: neque ei credatur, si dæmon simularet se esse animam alicuius Sancti, vel defuncti, vel Angelum bonum.

Necessariæ vero interrogationes sunt, ut de numero, & nomine spirituum obsidentium, de tempore quo ingressi sunt, de caussa, & aliis huiusmodi. Ceteras autem dæmonis nugas, risus & ineptias Exorcista cohibeat, aut contemnat, & circumstantes, qui pauci esse debent, admoneat, ne hæc curent, neque ipsi interrogent obsessum; sed potius humiliter & enixe Deum pro eo precentur.

Exorcismos vero faciat, ac legat cum imperio & auctoritate, magna fide & humilitate, atque fervore: & cum viderit spiritum valde torqueri, tunc magis instet & urgeat: & quoties viderit obsessum in aliqua corporis parte commoveri, ac pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi faciat signum crucis, & aqua benedicta aspergat, quam exorcizando in promptu habeat.

Observet etiam ad quæ verba dæmones magis contremiscant, & ea sæpius repetat; & quando pervenerit ad comminationem, eam iterum & sæpius proferat, semper pœnam augendo: ac si videat se proficere, in ipsa perseveret per duas, tres, quatuor horas, & amplius prout poterit, donec victoriam consequatur.

Caveat proinde Exorcista ne ullam me-

Digitized by Google

dicinam infirmo vel obsesso præbeat aut suadeat, sed hanc curam medicis relinquat.

Mulierem exorcizans, semper secum habeat honestas personas, quæ obsessam teneant, dum exagitatur a dæmonio, quæ quidem personæ sint patienti, si fieri potest, cognatione proximæ. Atque honestatis memor Exorcista caveat, ne quid dicat, vel faciat, quod sibi, aut aliis occasio esse possit pravæ cogitationis.

Dum exorcizat, utatur sacræ Scripturæ verbis potius quam suis, aut alienis: iubeatque dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica signa, vel instrumenta, quæ si obsessus ore sumpserit, evomat, vel si alibi extra corpus fuerint, ea revelet, & inventa comburantur. Moneatur etiam obsessus, ut tentationes suas omnes Exorcistæ patefaciat.

Si vero obsessus liberatus fuerit, moneatur, ut diligenter sibi caveat a peccatis, ne occasionem dæmoni præbeat
Luc. 11. 26. in ipsum revertendi: ne fiant *novissima hominis illius peiora prioribus*.

Itaque Sacerdos, sive alius Exorcista rite confessus, aut saltem corde peccata sua detestans, peracto, si commode fieri potest, sanctissimo Missæ sacrificio, divinoque auxilio piis precibus implorato, superpelliceo, & stola violacea, cuius extrema pars ad obsessi collum circumponatur, indutus, & coram se habens obsessum ligatum, si fuerit periculum, eum, se & astantes communiat signo crucis, & aspergat aqua benedicta, & genibus flexis, aliis respondentibus dicat Litanias, &c.

Rituale Paris. *Tit. de Exorcismis. Postquam ea fere quæ ex Rituali Rom. attulimus descripsit, addit:* Caveat in primis (*Exorcista*) ne quemquam exorcizet, nisi petita & obtenta a D. Archiepiscopo exorcizandi facultate.

In Ecclesiam, si commode fieri potest, vel in alium religiosum & honestum locum seorsum a multitudine perductus, præsentibusque dumtaxat paucis viris probis, præsertim vero Ecclesiasticis ex licentia speciali D. Archiepiscopi, & non alias, energumenus exorcizetur. *Cetera ut supra in Rituali Rom.*

Mulierem exorcizans, semper secum habeat honestas mulieres a Domino Archiepiscopo facultatem habentes, quæ energumenam teneant dum exagitatur a dæmonio.

Pars III. Sect. II. Cap. VIII. §. 1.

Sacerdos, exorcizaturus energumenum, præmissa confessione aut saltem interna peccatorum detestatione, indutus superpelliceo & stola violacei coloris, vel post celebrationem Missæ alba & stola, cum cruce & aqua benedicta, cereoque accenso, habens energumenum coram se genuflexum; post invocationem Spiritus sancti & astantium monitionem ut suas preces cum Sacerdotis actione coniungant, præmisso etiam crucis signo super se, dicat clara voce, *In nomine Patris*, &c.

Rituale Rom *Taurini anno* 1580. Vide ne delecteris aut credas nugis immundi spiritus, sed exemplo Christi & Sanctorum insta ut obmutescat & exeat. Et omnes cruces fac in fronte cum pollice, nisi ubi specialiter in alia parte corporis fieri debeat .. Si adhoc oppressus non fuerit liberatus, prosequere fide forti, & noli quasi fatigatus desperare; sed etiam cave ne sub curiositate cuiusquam tibi fiat mora vel protractio in loquendo cum immundo spiritu, quamvis multa occulta & mirabilia dicat; sed continuo, & devicta omni confusione, legendo aperte & distincte, devotionem tuam non permittas interrumpi, vel retardari.... Primo interroga quod est nomen illius, & quot socios habeat ... Accipe ignem cum sulphure benedictum, & perfumiga, donec dixerit veritatem... Aspergat eum aqua benedicta, & dimittat in pace

Instruct. sur le Rituel d'Aleth. 5. *Instruct. sur les Exorcismes*. Necesse est ut Exorcizans multa sapientia, modestia, fide, cordis puritate, humilitate, discretione prælitus sit, quæ omnia artibus, incis, malitiæ, temeritatique dæmonis opponat, seque, iuxta Christianæ prudentiæ regulas, gerere possit.

Neque vero quisquam exorcizet nisi prius obtenta ab Episcopo facultate, qui semper consulendus est, ipsique aperienda sunt possessionis signa, ut de illius veritate inquirat, ut fraudes fieri solitæ evitentur. Ab eo vero etiam petat, quomodo ipse in illa actione se gerere debeat.

Rituale Cathalonense *ann.* 1649. *de Exorcismis*. Sacerdos obtenta licentia ab illustrissimo Domino Episcopo.... si

um pro Exorcista, & pro eorum liberatione in quorum gratiam fiunt exorcismi.

§. 2. *Quid sit Benedictio.*

I. Quid est Benedictio?

R. Vox ea, *Benedictio*, plures habet significationes.

1. Sumitur pro beneficio alicui collato, quo sensu gratiæ Dei dicuntur benedictiones: *Benedictus Deus... qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus.* Ephes. I. 3.

Hoc etiam sensu eleemosynam Apostolus vocat benedictionem. *Necessarium*, inquit, *existimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non tamquam avaritiam*. De eleemosynis loquitur. 2. Cor. IX. 5.

2. Sumitur pro abundantia & copia, quo sensu ait Apostolus loco mox laudato. *Benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non tamquam avaritiam:* ac deinde ibidem: *Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Ibid. 6.

3. Sumitur pro fausta adprecatione beneficiorum Dei, sive illa precatione beneficia reipsa conferantur, sive non. Eo sensu Melchisedech benedixit Abrahæ, id est, ipsi fausta & prospera precatus est; Isaac benedixit filio suo Iacob; Iacob benedixit duodecim filiis suis; omnis populus Israel benedixit Iudith in urbe Bethulia post trucidatum Holophernem. Infinita propemodum alia habentur in Scripturis exempla benedictionis eo sensu acceptæ(A). Eo quoque sensu Sacerdotes populo benedicunt.

4. Sumitur pro precibus quibus flagitat a Deo Ecclesia, ne dæmones vel homines rebus ad gloriam Dei & usum hominis conditis abu-

---

dubium aliquod occurrat obsessionis vel possessionis, recurratur ad illustrissimum D. Episcopum, & caveat diligenter quilibet Sacerdos, etiam regularis, ne quemquam exorcizet, eo inconsulto, & non ab eo scriptis obtenta exorcizandi facultate.

(A) Genes. XIV. 18. At vero Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei, (Abrahæ,) & ait: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit cælum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.

XXVII. 27. Accessit & osculatus est eum (*Isaac Iacob.*) Statimque ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait (*Isaac:*) Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.

XLIX. 25. Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus uberum & vulvæ. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius; donec veniret desiderium collium æternorum: fiant in capite Ioseph & in virtute Nazaræi inter fratres suos... Hæc loquutus est eis pater suus (Iacob) benedixitque singulis benedictionibus propriis.

Iudith. XV. 10. Quæ cum exisset ad illum (*Ioachim summum Sacerdotem*) benedixerunt eam omnes una voce, dicentes: Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri. Quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, & post virum tuum alterum nescieris: ideo & manus Domini confortavit te, & ideo eris benedicta in æternum. Et dixit omnis populus: Fiat, fiat.

Digitized by Google

tantur. Eo sensu benedicit Ecclesia domos, naves, aquam maris, fluminum & fontium, agros, vineas, thalamum nuptialem, pannos quibus infantes involvuntur, arma & vexilla bellica, vestes, baculos peregrinorum, omne ciborum genus, &c. His benedictionibus precatur Ecclesia, ut iis omnibus utantur homines ad Dei gloriam, suamque salutem, nec dæmonum fraudibus circumveniantur & deludantur (B).

5. Sumitur pro precibus & ritibus sacris, quibus Ecclesia applicat homines alicui officio, vel ad aliquam evehit dignitatem, datque iis sollemni ritu officii eius vel dignitatis insignia, precaturque Deum ut ad Dei laudem, suamque & proximi salutem electus suo munere fungatur. Eo sensu benedicit Ecclesia Abbates, Abbatissas, Virgines, Milites &c. Huc referri quoque potest coronatio Imperatorum, Regum, & Reginarum.

6. Sumitur pro precibus & ritibus sacris, quibus Ecclesia res quasdam ab usu profano ad usum sacrum transfert. Eo sensu benedicuntur Ecclesiæ, Oratoria, Calices, Cœmeteria, Cruces, Campanæ, Altaria, Vasa, Ornamenta, Linteamina, Vestes, Aqua, Sal, Oleum, quidquid denique in usum sacrum assumitur. Si autem ad has benedictiones sacrum chrisma, vel oleum adhibeatur, hæc benedictio *consecratio* appellatur: proinde Ecclesiæ, Altaria, Calices, Patenæ Deo dicuntur consecrari. Homines Baptismo, Confirmatione, Ordinatione Deo consecrantur.

His precibus & ritibus aliquando petit Ecclesia, ut Deus virtutem sancti Spiritus effundat in res inanimas, ut per eas effectus aliqui divini præter naturæ ordinem producantur. Hoc petit in benedictione aquæ Baptismalis, sacri olei, & chrismatis, quæ sunt materia Sacramentorum. Hoc petit etiam in benedictione salis & aquæ, quibus constat aqua lustralis, quæ benedicitur singulis Dominicis diebus. Hoc petit summus Pontifex quotannis in benedictione agnorum cereorum. Hoc quotidie petitur in benedictione rosariorum, scapularium, numismatum, aliorumque huiusmodi, quorum benedictione satisfit piæ populorum devotioni. Eiusmodi benedictionibus petit a Deo Ecclesia, ut qui his rebus pie & fideliter usi fuerint, effectum Ecclesiæ precibus designatum consequantur.

I. Vereor ne quid superstitionis insit in usu benedicendi res inanimas, ad producendos per eas effectus aliquos præter naturæ ordinem?

R. Si quis putaret absque virtute & potentia divina fieri posse ut res inanima producat effectum aliquem præter naturæ ordinem, superstitiosa esset eiusmodi cogitatio. Nihil autem est quod superstitionem sapiat, si existimemus cum Ecclesia his rebus, non propria virtute, sed virtute & potentia Dei, posse aliquid præter naturæ ordi-

(B) *In* PONTIFICALI ROM. *nova pag.* 384. *ad pag.* 398. *reperies benedictionem crucis proficiscentium ad defensionem terræ Sanctæ, armorum, ensis, vexilli,* &c.

nem effici. Fide credimus virtutem hanc divinitus inesse illis rebus quæ sunt materia Sacramentorum, si forma materiæ applicetur. De ceteris rebus hoc unum credit Ecclesia, nimirum posse Deum illis vim divinam infundere, ad remunerandam fidem eorum qui iis utuntur cum debita his rebus reverentia quas Ecclesia orationibus suis benedixit & consecravit.

I. Orationes illæ quæ Benedictiones appellantur, suntne veteris in Ecclesia ritus?

R. Ritus Apostolici. Sic enim loquitur Apostolus prima ad Timotheum Epistola: *Omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Hic loquitur de cibis, aitque nullum ex iis esse reiiciendum ut natura sua malum, omnis enim Dei creatura, natura sua bona est: at quoniam peccato factum est, ut dæmones vel homines creaturis abutantur ad malum, ideo eas verbo Dei & oratione sanctificari, id est, precibus & benedictionibus effici ut illæ Dei gloriæ serviant secundum intentionem Creatoris.

1. Tim. iv. 4. & 5.

Erat ergo temporibus Apostolicis hoc in usu positum, ut orationes funderentur super res omnes hominum usui servientes. Orationes autem illas benedictiones appellamus, quarum perpetuum usum probant & omnium seculorum scripta, & Euchologia seu libri rituales omnium omnino Ecclesiarum tam Orientis quam Occidentis.

§. 3. *Qui sint præcipui Ritus Benedictionum.*

I. Quos ritus frequentius adhibet Ecclesia in benedictionibus, præter orationes?

R. 1. Signum crucis. 2. Aspersionem aquæ benedictæ. 3. Turis suffitum. 4. In consecrationibus addit olei & chrismatis unctionem.

1. Signum crucis adhibet, ut hoc signo intelligamus, non posse quidquam post primi peccatum hominis accipere benedictionem a Domino, nisi per Christum, & per virtutem crucis eius. Neque enim in homines solum operatur crux Christi, sed etiam in ceteras res omnes. Natura omnis peccato hominis confusa & turbata est. Hoc peccato factum est ut dæmones creaturis omnibus ad hominum perniciem abutantur, ut homines ipsi dæmone instigante abutantur quoque creaturis omnibus ad fovendas cupiditates suas. Hæc est vanitas illa, *cui,* ut loquitur Apostolus, *omnis creatura subiecta est non volens.* Non nisi Rom. viii. 20.
per Christum, & per virtutem crucis eius liberantur ab illa servitute corruptionis creaturæ; quia non possunt homines creaturis ad Dei gloriam & propriam salutem uti, nisi per gratiam quam illis Christus in cruce moriendo promeruit: nec potest cohiberi potestas satanæ, nisi per virtutem Christi crucifixi. Et hæc quidem ratio est, cur dicat Eph. i. 10.
Apostolus, Deum Patrem *instaurare omnia in Christo quæ in cælis & quæ in terra sunt.* Hæc quoque ratio est, cur Ecclesia, præter signum crucis quod in omnibus be-

Digitized by Google

nedictionibus adhibetur, sæpe præmittat exorcismum benedictioni, ut iam diximus: nam etsi ligata est nunc dæmonis potestas in homines Christianos, adeo ut non possit nocere cuiquam Christiano nisi volenti, magnam tamen habet, Deo ita permittente, potestatem in ceteras res, quibus proinde quotidie abutitur. (§. 1. huiusce cap.)

2. Tus adhibet Ecclesia ad benedictiones, ad significandum orare se, ut dirigantur orationes suæ sicut incensum in conspectu Domini, ad impetrandam benedictionem a Domino. (Ps. cxl. 2.)

Est quoque aliquando turis suffitus species exorcismi, secundum id quod ait Raphael Angelus Tobiæ, loquens de corde piscis: *Cordis eius*, inquit, *particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, sive a viro sive a muliere, ita ut ultra non accedat ad eos.* (Tob. vi. 8.)

3. Aquam lustralem adhibet ad cohibendam quoque virtutem diaboli, ut patebit ex infra dicendis, dum agemus de aqua lustrali.

4. Tandem unctionem olei & chrismatis adhibet in consecrationibus: qui ritus ex veteri Testamento sumpsit originem, & in novo traditione Apostolica continuatur. (§. 10 huiusce cap.) In veteri quidem Testamento legimus ante legem Mosaicam a Iacob Patriarcha unctum fuisse oleo lapidem in consecrationem (A). In lege Mosaica quidquid Deo consecratum est, fuit olei inunctione, Dei ipsius iussu, consecratum (B). Idcirco autem Ecclesia ex traditione Apostolica olei unctione utitur, non secus ac synagoga, quod unctio illa denotet & significet Spiritus sancti infusionem & virtutem. Iesus ab unctione *Christus* dicitur, quia erat in eo Spiritus sanctus: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me*, inquit. (Isai. lxi. 1. & Luc. iv. 18.) Et in Actibus Apostolorum dicitur: *Convenerunt adversus puerum tuum Iesum quem unxisti, Herodes & Pilatus cum gentibus & po-* (Act. iv. 27.)

(A) Genes. xxviii. 18. Surgens ergo Iacob mane, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens oleum desuper.

xxxi. 13. Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, & votum vovisti mihi.

(B) Exod. xxix. 36.... Mundabisque altare cum immolaveris expiationis hostiam, & unges illud in sanctificationem.

xxx. 25. Faciesque unctionis oleum sanctum, unguentum compositum opere unguentarii, & unges ex eo tabernaculum testimonii & arcam testamenti, mensamque cum vasis suis, candelabrum & utensilia eius, altaria thymiamatis, & holocausti, & universam suppellectilem quæ ad cultum eorum pertinet. Sanctificabisque omnia, & erunt sancta sanctorum: qui tetigerit ea, sanctificabitur. Aaron & filios eius unges, sanctificabisque eos, ut Sacerdotio fungantur mihi.

xl. 9 Et assumpto unctionis oleo unges tabernaculum cum vasis suis; ut sanctificentur: altare holocausti & omnia vasa eius: labrum cum basi sua; omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint sancta sanctorum. Applicabisque Aaron & filios eius ad fores tabernaculi testimonii, & lotos aqua indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi & unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat. *Id pluribus sacrarum Litterarum testimoniis confirmare possem, sed hæc sufficiant, cum res sit per se notissima.*

Pars III. Sect. II. Cap. VIII. §. 5.

R. Præter benedictiones quæ Christi vel Apostolorum auctoritate reservantur Episcopis, ut diximus, alias quasdam Episcopis Ecclesia reservavit ob eminentiam Pontificiæ dignitatis, alias ad disciplinæ Ecclesiasticæ custodiam, ne quid fiat inordinatum, ne abusus irrepant.

Ob eminentiam Pontificiæ dignitatis & honoris vel iurisdictionis, vel sollemnitatis caussa reservantur Episcopis benedictiones Abbatum, Abbatissarum; consecratio virginum; coronatio Imperatorum, Regum, Reginarum, benedictio novorum militum, armorum & vexillorum bellicorum; benedictio crucesignatorum proficiscentium ad bellum sacrum: item dedicatio Ecclesiarum, consecratio altarium, calicum, patenarum.

Ad disciplinæ Ecclesiasticæ custodiam, ne quid fiat inordinatum, ne abusus irrepant, reservantur Episcopis benedictiones quædam, quas, licet minus sollemnes, fieri tamen non expedit nisi vel ab Episcopo, vel a Sacerdote delegato: quales sunt benedictio minus sollemnis Ecclesiæ, benedictio oratorii, cœmeterii, campanæ, Sacerdotalium indumentorum, linteaminum sacri altaris, corporalium, sacrorum vasorum, Tabernaculi, Crucis vel imaginis palam exponendæ, & ceterorum id genus. Antequam enim hæc omnia benedicantur, & usui Relligionis destinentur, necesse est ut nihil in iis sit indecens, nihil præter Canones & statuta Synodalia: verbi gratia, si benedicenda sit campana in usum alicuius Ecclesiæ parochialis, videndum est prius num quid sculptum in ea sit, quod parum deceat. 2. An facile sonus eius exaudiri possit per totum Parochiæ ambitum. Si crux, si imago palam & publice exponenda sit fidelium venerationi, videndum est priusquam benedicatur, ne quid in iis sculptum pictumve sit quod parum conveniat Christianæ relligionis maiestati. Idem dicendum de vasis, & ornamentis, & linteaminibus in usum Ecclesiæ benedicendis: idem dicendum de oratoriis & cœmeteriis benedicendis. At iudex horum omnium est Episcopus. Ne quid ergo benedicatur in usum Ecclesiæ contra Canones, quod parum deceat, quod non sit recte dispositum, quod non sit suis omnibus numeris absolutum, reservat Ecclesia benedictiones illas Episcopis, qui singulis mature perspectis & cognitis, vel per se, vel per delegatos Sacerdotes, quorum notam habent probitatem & in illis rebus peritiam, res benedicendas benedicunt, non benedicendas respuunt.

§. 5. *De Benedictione sacrorum Oleorum & Chrismatis, quæ fit ab Episcopo feria v. in cœna Domini.*

I. Quæ olea benedicuntur ab Episcopo feria v. in cœna Domini?

R. 1. Oleum ad ungendos infirmos. 2. Oleum ad ungendos Catechumenos. 3. Oleum mixtum balsamo, quod *Chrisma* dicitur; quo quidem chrismate utitur Ecclesia ad Sacramenta & ad consecrationes. Olea autem illa aliis etiam usibus destinantur.

I. Oleorum benedictio estne ritus antiqui?

Oooo 2

Digitized by Google

R. Ritus ille traditione Apostolica ad nostra usque tempora perseverat, & solis Episcopis eadem traditione reservatur.

Id constat, 1. ex omnibus, quotquot exstant etiam antiquissimi Pontificales libri Ecclesiæ, tum Orientalis tum Occidentalis. 2. Ex usu omnium omnino Ecclesiarum: neque enim ante Lutherum, & Calvinum vel una fuit quæ ritum hunc non observaret. 3. Ex Conciliis & Patribus seculorum omnium, etiam eorum quæ a Protestantibus puriora nuncupantur: ex secundo Concilio Carthaginensi, ex tertio Carthaginensi, ex primo Toletano (A); ex SS. Cypriano, Basilio, Cyrillo Hierosolymitano, Augustino (B). Possem proferre & alia multa SS. Conciliorum & SS. Patrum testimonia pro hoc ritu. Proferant Protestantes, si possunt, vel unum ex Conciliis aut SS. Patribus antiquioribus

(A) Conc. Carthag. II. *Tom. III. Conc. Labb. pag.* 870. *an.* 397. *can* 3 Fortunatus Episcopus dixit ... Memini præterito Concilio fuisse statutum, ut chrisma, vel reconciliatio pœnitentium, necnon & puellarum consecratio, a Presbyteris non fiant ... Ab universis Episcopis dictum est: Chrismatis confectio, & puellarum consecratio, a Presbyteris non fiant.

Concil. Carthag III. *pag.* 885. *can.* 36. Ut Presbyter inconsulto Episcopo Virgines non consecret, chrisma vero numquam conficiat.

Concil. Tolet. I. *pag.* 1602. *ann.* 400. *can.* 20. Quamvis pene ubique custodiatur, ut absque Episcopo nemo chrisma conficiat; tamen quia in aliquibus locis vel provinciis, Presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum, chrisma facere, & per diœcesim destinare: ita ut de singulis Ecclesiis ad Episcopum ante diem Paschæ Diaconi destinentur, aut Subdiaconi; ut confectum chrisma ab Episcopo destinatum ad diem Paschæ possit occurrere (*vel, ut habet alia lectio*, possit ad tempus deferre.) Episcopo sane certum est omni tempore licere chrisma conficere: sine conscientia autem Episcopi, nihil penitus faciendum. Statutum vero est Diaconum non chrismare, sed Presbyterum, absente Episcopo; præsente vero, si ab ipso fuerit præceptum. Huiusmodi constitutionem meminerit semper Archidiaconus, vel præsentibus, vel absentibus Episcopis suggerendam; ut eam Episcopi custodiant, & Presbyteri non relinquant.

(B) S Cyprian *Epist.* 70. *ad Ienuar.* Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit. Porro autem Eucharistia est unde baptizati unguntur oleum in altari sanctificatum. *Cyprian. per Cyrill interpretare inf. n* 3.

S Basil. *De Spiritu sancto*, *cap.* 27. Benedicimus autem & aquam baptismatis, & oleum unctionis, immo ipsum etiam qui baptismum accipit. Ex quibus scriptis? Nonne a tacita secretaque traditione? ipsam vero olei unctionem, quis sermo scripto proditus docuit?

S. Cyrill. Hierosol. *Catech. mystag.* 2. Deinde vero iam exuti, exorcizato oleo a summis capillis ad infimos usque peruncti estis, & participes effecti fructiferæ illius oleæ Iesu Christi. .... Illud ergo exorcizatum oleum, symbolum est pinguedinis Christi nobiscum communicatæ, & quod omne vestigium diabolicæ operationis in nobis deletum sit. Nam ut insufflationes Sanctorum, & nominis Dei invocatio, tamquam vehementissima quædam flamma urit dæmones, & in fugam convertit: & sic & exorcizatum hoc oleum, per orationem, Deique invocationem, tantam virtutem consequitur, ut non modo ardentia peccatorum vestigia expurget: verum etiam omnes invisibiles dæmones repellat.

Catech. mystag. 3. *num.* 1. Vobis, postquam ... ex aquis sacri lavacri ascendistis datum est chrisma, quod imaginem gerit illius quo unctus est Christus, hoc autem est Spiritus sanctus.

Digitized by Google

vel recentioribus, qui usum hunc vel observari neget, vel observatum improbet (C).

I. Qui ritus observantur in benedictione oleorum?

R. Hæc sunt quæ Pontificali Romano præcipiuntur.

Feria quinta in cœna Domini singulis annis benedicitur ab Episcopo oleum infirmorum, & oleum catechumenorum; & conficitur chrisma.

Ad hanc benedictionem præter Ministros ordinarios Pontificis adhibentur duodecim Presbyteri, septem Diaconi, septem Subdiaconi, Acolythi & alii inferiores Clerici; omnes induti vestibus sacris suo Ordini congruentibus.

Quibus ad altare suo ordine dispositis celebratur Missa more solito, usque ad hæc verba Canonis exclusive, *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas*. Quæ verba antequam recitet Pontifex procedit ad benedictionem olei infirmorum in hunc modum.

Monet Archidiaconus afferri oleum infirmis destinatum. Hoc Subdiaconus e sacrario affert, & tradit Archidiacono. Archidiaconus ampullam olei acceptam a Subdiacono collocat super mensam ante Pontificem, qui illud præmisso exorcismo benedicit: facta benedictione refertur oleum ad sacrarium, ibi diligenter custodiendum. Prosequitur autem Missam Pontifex; factaque communione, procedit ad benedictionem sacri chrismatis, & olei catechumenorum, in hunc modum.

Iussu Archidiaconi Presbyteri duodecim, septem Diaconi, totidem Subdiaconi, ceterique inferioris ordinis Clerici sollemni pompa vadunt ad sacrarium & cum eo comitatu inde Subdiaconus vasculum cum balsamo, Diaconi ampullas ad sacrum chrisma & pro oleo Catechumenorum deferunt: interimque canitur Hymnus. Collocato vase balsami & ampulla olei chrismalis super mensam per Archidiaconum, Pontifex benedicit balsamum, benedictumque miscet cum modico olei ex ampulla chrismali sumpti.

Quo facto Pontifex ter halat in modum crucis super os ampullæ

Num. 2. Vos uncti estis unguento facti participes & consortes Christi.

Num. 3. Ceterum vide ne illud esse putes unguentum tantum. Quemadmodum enim panis Eucharistiæ, post sancti Spiritus invocationem, non amplius est panis communis, sed est corpus Christi: sic & sanctum hoc unguentum, non amplius est unguentum nudum, nec, ut ita dicam, commune, postquam iam consecratum est: sed est charisma quod Christi & Spiritus sancti, id est, divinitatis eius præsentiam efficit, quo frons & alii sensus corporis tui symbolice inunguntur: & corpus equidem isto visibili unguento perungitur, anima vero sancto vivificoque Spiritu sanctificatur.

S. AUGUST. *lib.* 5. *de Baptismo contra Donat. cap.* 20. *num.* 27. *ad obiectiones Donatistarum.* Quomodo aquam mundat & sanctificat homicida? Quomodo benedicunt oleum tenebræ? *Respondet*: Si autem Deus adest Sacramentis, & verbis suis per qualeslibet administrentur, & Sacramenta Dei ubique recta sunt, & mali homines quibus nihil prosunt, ubique perversi sunt. *Eadem fere iterat num* 28.

(C) *De his, vide quæ diximus supra huiusce operis* 2. *part. sect.* 4. *cap.* 2. §. 10.

Pars III. Sect. II Cap. VIII. §. 5.

chrismalis: idem faciunt Sacerdotes duodecim.

Deinde Pontifex præmisso exorcismo benedicit oleum ad chrisma, mixtumque tandem cum balsamo benedicto, ter salutat dicens: *Ave sanctum chrisma*; osculaturque labium ampullæ sacri chrismatis. Duodecim Presbyteri accedentes per ordinem, ter quoque eodem modo singuli salutant sanctum chrisma, & osculantur labium ampullæ.

Facta benedictione chrismatis, collocatur super mensam per Archidiaconum ampulla olei pro catechumenis, super quam tam Pontifex quam duodecim Presbyteri halant modo prædicto. Oleum hoc deinde Pontifex præmisso exorcismo benedicit; benedictumque salutat his verbis: *Ave sanctum oleum*: tandemque osculatur ampullam olei: idem faciunt Presbyteri duodecim. Quo facto sacrum chrisma & sanctum oleum refertur sollemni pompa in sacrarium: Pontifexque Missam prosequitur.

I. Cur ad has benedictiones adhibentur Presbyteri duodecim, septem Diaconi, totidemque Subdiaconi, ceterique inferioris ordinis Ministri?

Vide ſup. c. 7. huius ſect. §. 18. & alibi

R. Quia hæ benedictiones fiunt in Missa sollemni per Pontificem celebrata, in qua ex antiquissimo ritu adstabant Presbyteri concelebrantes, omnesque Diaconi, Subdiaconi, ceterique Ministri suis quique vestibus sacris induti. Proinde habemus hic venerandæ antiquitatis vestigium: neque enim sollemnioribus ritibus facile receditur a more antiquo.

Hæc responsio ut planior fiat, simulque facilius innotescat ratio ritus illius, qui iam videtur insolens; revocandum in memoria est quod iam supra diximus, id prisco fuisse in more positum, ut quoties Episcopus sollemne sacrum ageret, toties circum ipsum adstarent omnes Presbyteri suis induti vestibus sacris, ipsique concelebrarent, ut fit hodieque in Ecclesiis Orientalibus: huiusque ritus vestigium habemus apud nos in Ordinationibus Episcoporum & Presbyterorum. Adstabant quoque omnes Diaconi, Subdiaconi, ceterique de Clero suis quique vestibus sacris induti. Intra Missarum sollemnia fiebant olim, ut nunc, Ordinationes, pleræque benedictiones, ceterique ritus sollemnes. Ex veteri ritu fit etiamnum intra Missarum sollemnia sacrorum oleorum benedictio. Presbyteri omnes adstantes Pontifici cum essent cooperatores Sacrificii, erant quoque cooperatores rituum omnium qui in Missa peragebantur. Apostolo docente (D) novimus in ordinationibus fieri a toto Presbyterio manuum impositionem, quod fit etiamnum in Presbyterorum ordinationibus. In benedictionibus oleorum adstantes Presbyteri duodecim halant super olea, eaque salutant non secus ac Pontifex, dicunturque in

Vide ibid. & huiusce part. ſect. 1. c. 7. §. 18.

Vide ſup. huiusce ſect. c. 7. §. 22. & 25.

Tim. iv. 14.

(D) 1 Timoth. iv. 14. Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.

Pontificali Romano adstare Pontifici *ut ministerii cooperatores*. Parisiis hac die Archidiaconi simul cum Archiepiscopo Missam celebrant (E), idem fit in multis aliis Galliarum Ecclesiis, fiebatque olim ubique (F). Hæc Presbyterorum adstantium cum Episcopo concelebratio unitatem sacrificii & Sacerdotii novæ legis significanter exprimit. Diaconi vero & Subdiaconi adstant hic, inquit Pontificale Romanum, *ut ministri & spectatores*. Sunt autem numero septem, quia septem omnino Diaconos elegerunt Apostoli; ad quorum normam multæ olim Ecclesiæ non habebant Diaconos plures quam septem. Non fuerunt Romæ primitus nisi septem Diaconi Cardinales totidem urbis regionibus præpositi (G). Presbyteri autem nunc adhibentur numero duodecim, ut expressius designetur numerus Apostolorum duodecim, quibus Christus distribuit Sacramentum corporis sui, cuius hac die recolitur institutio. In Sacramentario Gregoriano non determinatur ad hanc benedictionem numerus Presbyterorum & Diaconorum, sed dicitur solum Presbyteros & Diaconos omnes adesse oportere (H).

I. Qui nunc observantur ritus in benedicendis oleis sacris, sunt ne antiquissimo usu firmati?

R. Tam antiquo, ut horum prorsus ignoretur initium. Id patet ex vetustissimis Ecclesiæ seu Græcæ seu Latinæ libris, quibus harum benedictionum ritus continentur. Certe habentur in Sacramentariis Gelasiano & Gregoriano. Gelasius autem seculo quinto floruit, Gregorius seculo sexto. Non fuit autem Gelasius rituum horum institutor. Quod a prædecessoribus accepit hoc tradidit & scripto reliquit ( ).

I. Cur Episcopus & Presbyteri

(E) *Id precipit* Ceremoniale Paris. *an.* 1703. *part.* 4. *cap.* 10. *artic.* 1.

(F) Amalar. *de divinis officiis*, *lib.* 1. *cap.* 12. De oleo pro infirmo sic continetur in Sacramentario: antequam dicatur, *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*, levantur de ampullis quas offerunt populi, & benedicit tam Dominus Papa, quam omnes Episcopi... Benedicit tam Dominus Papa, quam omnes Presbyteri. Mos est Romanæ Ecclesiæ, ut in confessione immolationis Christi adsint Presbyteri, & simul cum Pontifice verbis & manibus conficiant: at quia in ipsa perioeha concluditur consecratio olei huius, oportet ut simili modo sicut & cetera, cum Pontifice Presbyteri oleum conficiant.

(G) Iacob. Cohellius. *in notitia Cardinalatus cap.* 7. *ait.* Septenarium numerum Diaconorum longo tempore durasse, neque auctum usque ad mille annos; quia ante id tempus maiorem Diaconorum numerum in Ecclesia non invenerit.

(H) S. Gregor. M. *Feria v. in cœna Domini* Inde hora tertia ingressi sacrarium, induunt dalmaticas, tam Pontifex quam omnes Diaconi. Tunc (*scilicet* post consecrationem) offertur Pontifici oleum, & benedicit eum, tam ipse quam omnes Presbyteri ad ungendum infirmum.

(I) *Sacrament.* S. Gregor. M. *Feria v, in cœna Domini*, præparantur ampullæ duæ cum oleo, quarum melior defertur Pontifici, ut accepto balsamo, & commiscitato cum oleo, manu sua impleat eam. Illam vero aliam Ministri retineant plenam .. (*Post consecrationem vero addit:*) Tunc offertur Pontifici oleum, & benedicit eum, tam ipse quam omnes Presbyteri ad ungendum infirmum, his verbis: *Emitte, Domine, Spiritum sanctum tuum Paracletum, de cælis in hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem corporis, ut tua sancta benedictione sit omni hoc unguentum tangenti tutamentum men-*

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. VIII §. 5.

tis & corporis, ad evacuandos omnes dolores, omneſque infirmitates, omnem ægritudinem corporis. Unde unxiſti Sacerdotes, Reges, Prophetas, & Martyres, Chriſma tuum perfectum, Domine, a te benedictum in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas, ſanctificas †, &c...

Poſt communionem vero dicitur .... Et continuo duo Acolythi involutas ampullas cum ſyndone alba ſerica, ita ut videri poſſint a medio, tenentes brachio ſiniſtro, projectis ſyndonibus ſuper ſcapulam ſiniſtram, ita ut pertingant ſcapulam dexteram, quatenus poſſint dependentia detineri, a quibus ſub humero ſtantibus, venit Subdiaconus & accipit ampullam commixtam, una cum ſyndone, & dat eam Archidiacono, & ille defert Pontifici ante ſedem. Tunc Pontifex ſtans in ſede, & reſpiciens ad Orientem, Archidiacono tenente ante ipſum ampullam in ſiniſtro brachio revoluta ſyndone,... halat in ipſa ampulla, & intrat in conſecrationem chriſmatis excelſa voce: *Dominus vobiſcum: & cum Spiritu tuo. Sursum corda: Habemus ad Dominum: Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum & juſtum eſt. Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui in principio inter cetera bonitatis & pietatis tuæ munera, terram producere fructifera ligna juſſiſti, inter quæ hujus pinguiſſimi liquoris miniſtræ oleæ naſcerentur, quarum fructus ſacro chriſmati deſerviret. Nam & David prophetico ſpiritu gratiæ*

Pſ. xxiii. 11. *tuæ ſacramenta prænoſcens, vultus noſtros in oleo exhilarandos eſſe cantavit; & cum mundi crimina diluvio quondam expiarentur effuſo, ſimilitudinem futuri*

Gen. viii. 11. *muneris columba demonſtrans, per olivæ ramum pacem terris redditam nunciavit. Quod in noviſſimis temporibus manifeſtis eſt effectibus declaratum, cum baptiſmatis aquis omnium criminum commiſſa delentibus, hæc olei unctio vultus noſtros jucundos efficit ac ſerenos. Inde etiam Moyſi famulo tuo mandatum de-*

Levit. viii. *diſti, ut Aaron fratrem ſuum prius aqua lotum, per infuſionem hujus unguenti*

Marc. i. 9. & ſeq. *conſtitueret Sacerdotem. Acceſſit ad hoc amplior honor, cum Filius tuus Jeſus Chriſtus Dominus noſter lavari ſe a Joanne undis Jordanicis exegiſſet, Spiritu ſancto in columbæ ſimilitudinem deſuper miſſo, Unigenitum tuum, in quo tibi optime complacuiſſet, teſtimonio ſubſequentis vocis oſtenderes: & hoc illud eſſe manifeſtiſſime comprobares, quod eum oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis ungendum* Pſ. xliv. 8.
David Propheta ceciniſſet. Te igitur deprecamur, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per eumdem Jeſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum, ut hujus creaturæ pinguedinem ſanctificare tua benedictione digneris, & ſancti Spiritus ei admiſcere virtutem, cooperante potentia Chriſti tui, a cujus ſancto nomine chriſma nomen accepit: unde unxiſti Sacerdotes, Reges, Prophetas, & Martyres, ut ſpiritualis lavacri baptiſmo renovandis, creaturam chriſmatis in ſacramentum perfectæ ſalutis vitæque confirmes: ut ſanctificatione unctionis infuſa, corruptione primæ nativitatis abſorpta, ſanctum uniuſcujuſque templum acceptabilis vitæ innocentiæ odore redoleſcat: ut ſecundum conſtitutionis tuæ ſacramentum regio & Sacerdotali, propheticoque honore perfuſi, veſtimento incorrupti muneris induantur, ut ſit his qui renati fuerint ex aqua & Spiritu ſancto Joan. iii. 5
chriſma ſalutis, eoſque æternæ vitæ participes, & cæleſtis gloriæ facias eſſe conſortes. Per eumdem Dominum,

Qua expleta benedicit ampullam ordine quo ſupra declaratum eſt: & ſimiliter halat in ipſa, ſed tacite ipſam benedicat: *Dominus vobiſcum. & cum Spiritu tuo. Oremus. Deus incrementorum & profectuum ſpiritualium, qui virtute ſancti Spiritus tui, imbecillitatem mentium rudimenta confirmas, te oramus, Domine, ut venturis ad beatæ regenerationis lavacrum tribuas per unctionem iſtius creaturæ purgationem mentis & corporis, ut ſi quæ illis adverſantium ſpirituum maculæ inhæſerint, ad tactum ſanctificati olei hujus abſcedant. Nullus ſpiritualibus nequitiis locus: nulla refugis virtutibus ſit facultas: nulla inſidiantibus malis licentia relinquatur; ſed venientibus ad fidem ſervis tuis, & ſancti Spiritus tui operatione mundandis, ſit unctionis hujus præparatio utilis ad ſalutem: quam etiam cæleſtis regenerationis nativitate in ſacramento ſunt baptiſmatis adepturi. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem.*

Digitized by Google

Ampolla autem, quæ cum chrismate est, statim ut benedicta fuerit, cooperitur, ut a nemine videatur, sed tenente eam Acolytho omnes eam per ordinem salutent: nam Episcopus, & Diaconi omnes eam nudam salutant.

Ordo Romanus I. *num.* 30. Præparantur ampullæ duæ cum oleo, quarum melior defertur Pontifici, ut accepto balsamo, & commiscitato cum oleo, manu sua impleat eam: illam vero aliam Ministri teneant plenam. . Antequam dicatur, *per quem hæc omnia*, benedicitur oleum pro infirmis quod populus affert

Num. 31... Continuo duo Acolythi involutas ampullas cum sindone alba serica, ita ut videri possint a medio, tenent in brachio sinistro, protectis sindonibus super scapulam sinistram, ita ut pertingant scapulam dextram qua tensius possint dependentia retinere. A quibus sub humero stantibus venit Subdiaconus, & accipit ampullam commixtam una cum sindone, & dat eam Archidiacono, & ille defert Pontifici ante altare Tunc Pontifex respiciens ad Orientem, & Diaconus tenet ante ipsum ampullam in sinistro brachio involutam sindone,.... hic halat ter in ampullam chrismatis, & dicit ontifex, *Sursum corda*. Resp. *Habemus ad Dominum*; & intrat in consecrationem chrismatis excelsa voce: sed antequam benedicatur insufflat ter in ampullam. Qua expleta, benedicit ampullam olei ordine quo supra dilatam: & similiter halat in ipsam, sed tacite. Ampulla autem quæ cum chrismate est statim ut benedicta fuerit, cooperitur, ut a nemine nuda videatur, sed tenente eam Acolytho, omnes eam per ordinem salutent, quam Episcopus & Diaconus prius nudam salutant.

Idem legitur in Appendice 3. *num:* 7. *Musæi It lici tom* 2. *pag.* 33.

Ordo Rom. X. *num.* 1. Hac die in toto orbe sanctum chrisma conficitur... Mane huius diei primo Mansionarii præparent omnia, quæ necessaria sunt ad consecrationem chrismatis: tres ampullas oleo mundissimo plenas, maximam vero ampullam, quæ ad chrisma debet fieri de panno serico albo, alias autem de alio serico coopertas Sit autem pannus adeo subtilis quod ampullæ possint videri per eum. Hora vero tertia vel sexta sonetur signum, & veniant omnes ad Ecclesiam, in qua chrisma consecrari debet.

Num. 3. Deinde tam Pontifex, quam Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & alii Clerici, quisque induatur ornatu sui ordinis. Pontifex induit vestimenta alba, Episcopi pluvialia, Presbyteri planetas, Diaconi dalmaticas, pro reverentia chrismatis Pontifex vero iam indutus dalmatica, habens mantum ad collum, sedeat in sede sua. Cui præsentetur ampulla, quæ maior est, cum oleo ab Acolythis, & balsamum: & ipse Pontifex balsamum cum oleo commisceat & conficiat, circumvolvendo cum palmis baculum immissum in ampullam. Omnes vero ampullæ remaneant ibi, & diligenter custodiantur, quousque ad altare portentur.

Num. 4. Postmodum autem Pontifex lotis manibus, indutus planeta procedit cum Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus, & Acolythis, & omnibus Ordinibus: & habeant in processione crucem, Evangelium, septem candelabra, turibulum cum incenso; & sic processionaliter pergant ad altare cum ampulla.

Num. 5. Postqoam Domnus Papa intrat ad sacrificandum, tunc Acolythus conducit iuniorem Diaconum Cardinalem, & cum eo plures Subdiaconi. Unus autem ex eis Subdiaconis portet crucem, Acolytho antecedente cum turibulo & ture: & sic processionaliter vadunt ad Ecclesiam S. Thomæ vel S. Gregorii, ubi ampullæ cum chrismate & oleo conservantur. Cardinalis Diaconus accipit illam ampullam, quæ est chrismatis: duo alii Subdiaconi accipiunt illas duas olei exorcizati & olei infirmorum, portantes eas super brachium sinistrum, & eo modo quo iverunt revertantur. Venientes autem ad altare, antequam Domnos Papa dicat, *Per quem hæc omnia*, Subdiaconus qui baiulat ampullam olei infirmorum, repræsentet eam sommo Pontifici ad benedicendum. Pontifex vero & omnes Episcopi & Presbyteri Cardinales, & alii existentes dicant plana voce: *Exorcizo te immundissime spiritus*. &c. *& per nomen dile issimi filii eius Domini nostri Iesu Christi, qui venturus est iudicare vivos & mortuos & seculum per ignem*. Benedictio olei infirmorum: *Emit-*

te quæsumus Domine &c. *permanens in visceribus nostris in nomine Domini nostri Iesu Christi qui venturus est*, &c.

Num. 10 Percepto itaque corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, Pontifex ascendit ad sedem ligneam, & continuo duo Acolythi deferunt ampullas involutas cum sindone alba serica, in sinistro brachio, ita ut videri possit a medio: & Diaconus, qui assistit Domino Papæ, accipit ampullam unam mixtam cum balsamo, & repræsentat eam summo Pontifici, tenens eam in sinistro brachio involutam. Tunc Pontifex halet ter in illam; halent etiam in ipsam omnes Episcopi, qui assistunt ibi, & Presbyteri Cardinales, & dicant sine cantu, & sine *Dominus vobiscum*: *Exorcizo te creatura olei*, &c. *ut fias omnibus qui ex te ungendi sunt in adoptionem filiorum per Spiritum † sanctum, in nomine Patris omnipotentis, & Iesu Christi filii eius Domini nostri, qui cum eo regnat & vivit Deus in unitate eiusdem Spiritus sancti*. Deinde dicit excelsa voce, Episcopi & Presbyteri dicant submisse, *Per omnia secula*, &c. *ut supra in Sacramentario S. Gregorii*.

Num. 11. Tunc Episcopus salutat chrisma nudum & ceteri omnes: quo expleto, benedicat ampullam olei delatam eo ordine quo supra: & similiter halet Pontifex ter in ipsam, sed tacite; & præter ipsum omnes Episcopi & Presbyteri Cardinales & alii Episcopi halent ter in ipsam, & tunc dicit sine cantu & sine *Dominus vobiscum*: *Exorcizo te creatura olei in nomine*, &c. *ad omnem gratiam spiritualem accipiendam sanctificata per eumdem* &c. & dicit Pontifex *Dominus vobiscum*. *Et cum Spiritu tuo* Oratio: *Deus incrementorum & profectuum spiritualium remunerator*, &c. *in sacramento sunt baptismatis adepturi*: *per eumdem*, &c. Post benedictionem vero istam omnes Episcopi, & Presbyteri Cardinales, & alii Episcopi salutent sanctum chrisma, & oleum, ter pro quolibet, & in salutando inclinent capita dicentes, *Ave sanctum chrisma*, ter pro quolibet, & deosculentur ampullam semel tantum, & deferatur a Subdiacono ampulla olei: & summus Pontifex salutet oleum, & deosculando ampullam, sicut fecit de chrismate, & ceteri omnes salutent per ordinem ampullam in deosculando. Postea reportentur ampullæ processionaliter, sicut fuerunt adductæ, ad sacrarium, vel locum ubi sedere debent; & deinde distribuatur unicuique sicut decet, & fuerit opportunum.

ORD. ROM. XI. *n.* 40. Ad Missam descendit Dominus Pontifex in secretarium. Præparatis ampullis plenis oleo, misceat balsamum cum oleo... Sanctificat chrisma & oleum, sicut in ordine Episcopali dictum est.

ORD. ROM XII. *art.* xi. *n.* 23 Feria v. in cœna Domini.... Dominus Papa...., induit se usque ad dalmaticam, & induunt se Diaconi Cardinales Dalmaticis, Presbyteri planetis & mitris. Tunc præsentantur Domino Papæ. Sciendum est quod Acolythi debent recipere de altari S. Petri unam aquaritiam olei, & fanones, & ampullas: & Camerarius debet tres denarios pensati balsami. Præsentatur maior ampulla cum oleo a priore Diacono, & residente ipso in sede sua, mittit balsamum in ipsa ampulla, & miscet balsamum oleo cum quibusdam palmarum ramusculis. Postmodum vero reponitur ampulla super altare sancti Thomæ.

Num. 24. Nos dicimus Symbolum propter consecrationem chrismatis ...Cum autem Præfatio inchoatur, vadunt Diaconi Cardinales cum Subdiaconis & Acolythis pro ampullis afferendis ad benedicendum, præcedente cruccm turibulo & duobus cereis; antequam dicatur, *Per quem hæc omnia*, Dominus Pontifex benedicit oleum pro infirmis ..Statimque *post communionem* duo Acolythi tenent ampullas involutas cum sindone alba serica in sinistro brachio, ita ut videri possint a medio, & veniens unus e Diaconibus accipit unam ampullam de balsamo mixtam, & portat Archidiacono, & ille defert Pontifici ante altare. Tunc Pontifex respiciens ad Orientem, Diacono tenente ampullam ante ipsum in sinistro brachio involutam sindone, halat ter in ampullam, ut intret in consecrationem chrismatis... Completa benedictione benedicit ampullam olei, delatam ordine quo supra: & similiter halat in ipsam, sed tacite.... Porro ampulla, quæ de chrismate est, statim ut benedicta fuerit, cooperiatur, ut a nemine videatur; sed Diacono tenente, Dominus Papa salutat eam, & dicit, *Ave sanctum chrisma*, tribus vicibus, &

Digitized by Google

osculatur eam. Acolythus vero recipit ampullam, & eo tenente, omnes per ordinem salutant nudam eam, tam Episcopi, quam Presbyteri & Diaconi.

Ordo Rom. XIV. *n.* 83... Hac die (*in cœna Domini*) in toto orbe sanctum chrisma conficitur, &c. *ut in Ord. X. n. 1. supra.*

Ordo Rom. XV. *n.* 63. Sciendum quod Romani Præsules in primo anno coronationis consueverunt conficere sacrum chrisma .... Anno ergo illo in quo vere conficitur sanctum chrisma, summo mane quasi in ortu solis, Dominus Papa indutus paramentis, & Cardinalibus omnibus indutis sacris vestibus secundum Ordinem suum, scilicet Episcopi pluvialia, Presbyteri casulas, Diaconi tunicellas & dalmaticas, & alii Prælati pluvialia recipiunt cum septem candelis, si sint processiones generales, ut conficiatur sanctum chrisma.

Num. 65. Mane huius diei primo Mansionarii, Sacrista, & Clerici capellæ ad hoc destinati, præparent omnia quæ necessaria sunt ad consecrationem chrismatis, videlicet tres ampullas de argento, non tamen eiusdem quantitatis, quoniam maior debet esse de sancto chrismate, mundissimo oleo plenas. Maxima vero ampulla quæ ad chrisma debet fieri, de panno serico albo tenuissimo cooperitur: aliæ autem de alio panno serico dissimili coopertæ habeantur: sed tamen pannus adeo subtilis quod ampullæ possint videri per Papam, & alios.... Pontifex alba recipit paramenta, & omnes Cardinales & Prælati prout moris est, videlicet Episcopi pluvialia, Presbyteri planetas, Diaconi vero tunicellas, & dalmaticas pro reverentia chrismatis. Papa vero indutus iam dalmatica sedeat in sede sua: cui præsentetur ampulla quæ maior est, cum oleo ab Acolythis, & balsamum per Camerarium, aut per Sacristam: & balsamum cum oleo Papa misceat, nihil dicens; & bene commisceatur vel conficiat. Omnes vero ampullæ, id est, aliæ duæ, ibidem super mensam remaneant coopertæ, & diligenter custodiantur, quousque ad altare portentur... Esse debent in processione septem candelabra cum cruce, Evangelio & ampulla quæ est chrismatis, aliis ibidem remanentibus.

Nota, quod si non conficeretur hodie sanctum chrisma, non essent nisi duo candelabra in processione. Notandum etiam quod omni anno debent sanctum chrisma consecrare cum purissimo & mundissimo oleo olivarum, & addimus cum tribus guttis de finissimo balsamo, quas Episcopus non commiscere debet cum oleo: sed ita per alios, & non per Papam, nisi de septem in septem annos, nec alium in eius præsentia.

Portatur turibulum semper cum incenso, & sic processionaliter pergant ad altare cum ampulla.... incensato altare, ampulla reportatur ad locum inter duas alias... Facta ergo elevatione corporis Christi vel post *Sanctus*, si expediat, unus Acolythorum ducit iuniorem Diaconum Cardinalem, & cum eo plures Subdiaconos. Unus ex eis Subdiaconibus portat crucem, Acolytho antecedente cum turibulo & ture sine luminaribus: & sic processionaliter vadunt ad capellam sancti Thomæ, vel sancti Gregorii, vel ubi ampullæ cum chrismate & cum oleo servantur: & Cardinalis Diaconus prædictus accipit illam ampullam quæ est chrismatis; & duo Subdiaconi accipiunt alias duas olei exorcizati, & olei infirmorum, super brachium sinistrum eas portantes: & eo modo quo venerunt, postea revertantur. Dominus vero Papa, vel ille qui conficit sanctum chrisma, aut celebrat ipsa die, antequam dicat, *Per quem hæc omnia*, descendat ad sedem sive cathedram suam ante altare paratam, versa facie ante altare: & Subdiaconus qui baiulat ampullam infirmorum olei, repræsentat eam summo Pontifici ad benedicendum; & Papa dicat plana voce, *Exorcizo te immundissime*, &c. Quibus benedictionibus peractis, Papa revertitur ad altare, & dicit. *Per quem hæc omnia.*

Num. 66. Postea Papa, si facit sanctum chrisma, ascendit ad cathedram coram altari paratam, versa facie ad altare: & continuo duo Acolythi deferunt ampullas involutas cum tobalea subtili albo serico in sinistro brachio, ita ut videri possint medio, id est, per medium sericum & a medio sursum; & Diaconus iunior, qui assistit Papæ, accipit ampullam unam mixtam cum balsamo, & repræsentat eam Papæ tenens eam in sinistro brachio involutam panno serico. Tum Papa halet ter in ipsam, & postea halent etiam in ipsam omnes Episcopi qui assistunt ibi induti sacris vestibus,

Digitized by Google

& etiam Presbyteri, sive sint Cardinales, sive non. Quo facto Papa dicit sine cantu: *Dominus vobiscum. Exorcizo te Creatura Dei* &c.

Post benedictionem vero istam omnes Episcopi, & Presbyteri Cardinales salutent post Papam sanctum chrisma per ordinem suum. Qui quidem ordo sic debet observari, primo latere dextro Papæ Episcopi Cardinales, & post eos Presbyteri Cardinales, Patriarchæ vero inter Episcopos Cardinales: Diaconi Cardinales a lateribus Papæ hinc inde iuxta ordinem suum a latere sinistro; Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri Cardinales induti secundum Ordinem suum, & in halando salutando post Episcopos Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi debent præcedere Presbyteros Cardinales: quoniam ad solos Episcopos pertinet seu spectat sanctum chrisma conficere; & Episcopos salutent Presbyteri Cardinales; & in salutando quilibet inclinet caput, dicens: *Ave sanctum chrisma*, ter; & post salutationem quilibet deosculatur semel immediate. Facta salutatione & deosculatione chrismatis ab Episcopis & Presbyteris, Papa benedicet ampullam olei delatam in ordine quo supra: & similiter halet Pontifex ter in ipsam, sed tacite: & omnes Episcopi & Presbyteri Cardinales, & etiam alii Episcopi halent ter in ipsam. Hic mutatur ordo inter Presbyteros Cardinales & Episcopos non Cardinales: & dum halatur in ampullis ab aliis Pontifex sedet: sed quando salutat, stant omnes alii etiam. Deinde surgens dicit sine cantu: *Dominus vobiscum*, &c. *Exorcizo te creatura olei* &c.

Post benedictionem vero istam omnes Episcopi & Presbyteri Cardinales salutent per ordinem suum sanctum chrisma, & in salutando inclinent capita dicentes: *Ave sanctum chrisma*, & deosculantur ampullam. Facta salutatione chrismatis ab omnibus Episcopis & Presbyteris, statim debet fieri olei salutatio ab eisdem, hoc modo. Salutet Papa chrisma, & statim postea oleum, dicens: *Ave sanctum oleum*. Ita & ceteri singuli dicere debent.

Postea reportantur ampullæ processionaliter, sicut fuerunt adductæ, ad sacrarium, vel ad locum quem Sacrista ordinavit, ubi stare debent. Deinde idem Sacrista distribuit unicuique sicut debetur, & fuerit opportunum.

Amalarius *de Ecclesiast. Off. lib.* 1. *cap.* 12. Sexta varietas est in quinta feria quam vocamus cœnam Domini.... In ea consecratur tribus modis oleum trium officiorum... Illud oportet hoc in loco intimare, ut, secundum Apostolum, ex visibilibus invisibilia intelligantur. *Heb.* xi. 3. Sine oleo enim potest Deus sanare infirmos; sanctificareque suos, & dæmones effugare... Oleum enim visibile, in signo est: oleum spirituale, intus est. Potest Deus per se oleum tribuere spirituale sine corporali: sed propter animales aguntur visibilia, ut invisibilia facilius capiantur. Si quis dixerit, Si potest, quare tanto studio observatur cultus consecrationis olei? Respondebitur, Nonne antiqui iusti potuerunt Deo placere sine circumcisione? Potuerunt utique: sed postquam eis præceptum est, ut circumciderentur; nisi circumciderentur, peccati vinculo tenebantur... Apostoli autem hac arte eius olei utebantur in redintegratione infirmorum: Apostolici viri in consignatione neophytorum. Quapropter non sine peccato a nobis potest dimitti, quod eorum auctoritas consecravit. Sic enim scriptum est in Evangelio: *Exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa eiiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabant*. *Marc.* vi. 12. & 13. Unde Beda: Dicit Apostolus Iacobus: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini... & si in peccatis sit, dimittentur ei*. *Iacob.* v. 14. & 15. Unde patet, ab ipsis Apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum, ut energumeni, vel alii quilibet ægroti ungantur oleo Pontificali benedictione consecrato. De eo oleo, quod infunditur super neophytos, non tale quid legimus, sed tenemus Apostolicam consuetudinem, & auctoritatem suam accepimus a Romana Ecclesia, quam pro lege tenere oportet, dicente Augustino ad Casulanum Presbyterum de ieiunio Sabbati: in his enim rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei vel instituta Maiorum pro lege tenenda sunt. Nunc vero quia demonstratum est de generali ratione olei, restat ut primo dicamus de oleo quod consecratur pro infirmo. Consecratur enim in ipso officio consecrationis corporis & sanguinis Domini: non habet proprium officium, id

singuli ter halant super ampullam chrismatis & olei catechumenorum?

R. Hoc halitu postulant a Deo ut descendat super hæc olea virtus Spiritus sancti. Christus ipse daturus Spiritum sanctum Apostolis, *Insufflavit super eos, dicens, accipite Spiritum Sanctum.*

Ioan. xx. 22.

I. Cur absoluta benedictione chrismatis, ac deinde olei catechumenorum, Episcopi ac dein Presbyteri salutant hæc olea his verbis: *Ave sacrum chrisma, ave sanctum oleum*? Vereor ne ritus ille ad idololatriam proxime accedere videatur?

R. 1. Ritus ille vigebat iam a seculis quinto & sexto, quo tempore nondum erat idololatria plane extincta (K). Proinde si in eo ritu censuissent summi Pontifices, quid inesse quod idololatriam saperet, non tolerassent certe, nedum hoc observari præciperent.

2. Salutatio illa immensum distat ab adoratione. Salutantur quotidie, & quidem ex perpetuo Ecclesiæ ritu, Christi crucifixi imagines pictæ vel sculptæ, altaria, sacrosanctæ Scripturæ libri, Sanctorum relliquiæ; quin & civili ritu salutantur Regum

---

est, nec in capite verba salutationis, nec *oremus*, nec in fine concluditur, ut ceteræ orationes, *Per Dominum nostrum Iesum Christum*: sed tantum, *in nomine Domini nostri Iesu Christi*. In eo loco ubi solemus uvas benedicere, ibi consecratur oleum pro infirmo, concluditurque conclusione, *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*: unde intelligimus embolim esse supra dicti efficii..... Nunc transeundum est ad principalem consecrationem chrismatis. Ipsa enim dicitur principalis, quia ad eius unctionem principalis spiritus tribuitur. Habet enim proprium officium per se, inchoatur a *Sursum corda*: finitur *Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit*. Consecratur in eo loco, ubi pacem inter nos solemus dare. Hic non solum oleum, sed & balsamum consecratur..... Sequitur exorcismus olei: ut Isidorus, exorcismus Græce, Latine coniuratio, seu sermo increpationis est adversus diabolum, ut discedat; & concluditur sic, *Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui venturus est iudicare vivos & mortuos, & seculum per ignem*. Illo inunguntur catechumeni, ut si quæ maculæ inhæserunt corpori aut menti, postquam ad scrutinium accesserunt, recedant, & munimentum deinceps habeant per hanc unctionem, & non possit diabolus repedare. Verba orationis hæc demonstrant, dicendo: *Ut si quæ illis adversantium spirituum inhætere relliquia ad tactum sancti olei omnes abscedant: nullus spiritualibus nequitiis locus, nulla refugis virtutibus sit facultas*, & reliqua.

PONTIFICALE ROM. *De officio in 5. fer. cœn. Dom. pag.* 410. In primis procedit Turiferarius quem sequuntur duo Ceroferarii; post hos septem Subdiaconi, bini & bini, & in tertio loco tres simul vadunt; tum septem Diaconi, etiam bini, & bini & in tertio loco tres; post hos duodecim Presbyteri, bini & bini, quos sequitur Subdiaconus librum Evangeliorum portans ante pectus, cum manipulo in eo reposito; deinde Diaconus, & a dextris eius Capellanus assistens: quos demum Pontifex sequitur, incedens medius inter duos digniores Canonicos Ecclesiæ, aut in dignitate constitutos, si Pontifex sit in Ecclesia sua; alioquin ibit medius inter Diaconum & assistentem. Et si Pontifex sit Archiepiscopus, vel Patriarcha, & in Ecclesia sua, portatur etiam in huiusmodi processione crux per unum ex Ministris ad hoc ordinatum, qui medius inter Ceroferarios incedit.

Duodecim Presbyteri, suo ordine iuxta sedilia in fine Presbyterii posita, hinc & inde stabunt, vel sedebunt aut genuflectent, prout tempus postulabit, facies semper ad altare vertentes; post eos stabunt septem Diaconi, & post Diaconos septem Subdiaconi in gradibus presbyterii, &c. *ut in Ord. Rom.*

(K) *Sacramentarium* S. GREGOR. MAGN. *in cœna Domini. Vide supra hocce §. litt.* (I)

pictæ vel sculptæ imagines. Quis dixerit hos ritus seu sacros seu civiles ad idololatriam pertinere? Sive salutationes illæ tacite fiant, sive salutando dicatur, *Saluto vos*, perinde est.

3. Salutatio illa non ad olea ipsa refertur, sed vel ad Christum, vel ad Spiritum Sanctum, quorum virtus his continetur (L).

§. 6. *De Benedictione Campanarum.*

I. Campanarum benedictio estne ritus antiqui?

R. Non semper usa est Ecclesia campanis ad congregandos fideles. Baronius censet eorum usum introductum fuisse a Ioanne XIII. anno 968. Quidquid sit de harum antiquitate, certum est iam a seculo septimo id fuisse positum in more, ut benediceret Ecclesia signum, qualecumque tandem illud esset, quo congregabatur populus ad Ecclesiam (A).

I. Qui ritus observantur in benedictione campanarum?

R. Plures instituit Ecclesia, eosque venerabiles. Hos subiicio ex Pontificali Romano.

1. Canuntur Plures Psalmi, ad

(L) Amalarius *de Ecclesiast. Offic lib.* 1. *cap.* 12. Ampulla enim cum chrismate quodammodo corpus Domini ex Virgine Maria assumptum significat ... At postquam salutata est a Pontifice & Ministris altaris ampulla, cooperitur, ut a nemine nuda videatur: cooperta tamen salutatur ampulla. Christus namque postquam præsentiam suam eis secundum suam dispositionem exhibuit, quos voluit esse testes suæ resurrectionis, ascendit in cælum, & invisibilis hominibus factus est.... Quamvis præsentiam eius corporalem non videamos, tamen venerando eam quotidie salutamus.

Rupertus Abbas, *lib.* 5. *de divinis Officiis, cap.* 18 In hoc loco ubi solemus uvas benedicere, consecratur oleum pro infirmis, concluditurque conclusione, *Per quem hæc omnia*, &c... Huius vero chrismatis olei consecratio, quæ dicitur principalis, quia ad eius unctionem principalis tribuitur spiritus, id est, septiformis Paracletus, habet officium per se. Primo exorcizatur, deinde eius benedictio inchoatur ... Consecratur autem in eo loco, ubi pacem solemus inter nos dare, & hoc est opus divinæ gratiæ, ut pax & concordia regnet in nobis. Duodecim Presbyteri, qui ordinantur circa Episcopum, testes & auditores eiusdem mysterii, duodecim Apostolos significant: quorum in præsentia summus Pontifex Christus hodie testamentum conscripsit, totamque hereditatem salutis, suæque discessionis fructum, id est spiritum Paracletum ostendit... Eius namque gratiæ sacramentum chrisma continet, qui ex quo mortis pretio quodammodo emptus & acquisitus est, cœpit (quod ante non fiebat) in remissionem peccatorum dari. Unde & Paracletus tunc primum appellatus est... Ampulla cum chrismate quodammodo significat corpus Christi, sumptum ex Virgine, corporaliter in se habitantem, continens Spiritus sancti plenitudinem... (Coloss. II. 9) Ampulla vero, postquam benedicta fuerit, & ab altari redit, a Pontifice & Ministris altaris visibiliter & nuda salutatur; hoc significat, quod Christus, postquam ab altari crucis transivit, præsentiam suam corporalem eis præbuit quos testes suæ resurrectionis esse voluit. Quod ceteris invisibilis & operta ad salutandum defertur, significat, quod Christus rediens in cælum, invisibilis hominibus factus est, ut ipse testatur. *Exivi a Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* (Luc. XXIV. 51. Ioan. XVI. 28.) Nos vero, quamvis corporalem eius præsentiam non videamus, tamen venerando eum quotidie salutamus.

(A) Ioan. Bona S. R. E. Card. *Rerum Liturgic. lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 1.... Quia difficile potuit credentium multitudo ætate, sexu, conditione diversa, & habitatione ac loco dissidens, statis horis

in Ecclesia adunari; credibile est aliquod signum antecessisse, quo omnes in unum cogerentur. Quale autem hoc fuerit, conicere quidem possumus, sed non certo definire. Amalarius *lib.* 4. *de divin. Offic. cap* 21. lignorum sonitu Christianum populum congregatum ait, quando latitabat per civitates propter persequutores. Non assentitur Amalario Baronius *ann.* 58. *num.* 103. & merito: tum quia huius rei nullum exstat antiquum monumentum: tum etiam quia ratio ipsa non patitur ut eo tempore, quo abdita loca ad conveniendum studiosissime quærebant, eo lignorum strepitu se proderent, & ad necem sibi inferendam Gentiles provocarent. Verisimilior videtur Strabonis coniectura *cap.* 5 *de rebus Eccles.* quod nimirum sola devotio aliquos cogeret ad statutas horas concurrere; alii prænuntiatinnibus publicis invitarentur, & in una sollemnitate proxime futuras discerent. Sed hæc referre ad nascentis Ecclesiæ tempora difficillimum est: nam vexati fideles acerbissimis gentium persequutionibus, locum sæpe mutare, eumque abditissimum, nec inventu facilem quærere cogebantur, unde nec solo religionis studio convenire poterant, nec in uno conventu alterius præmoneri .... aliquam sane tesseram sive signum fuisse, quo Christiani & se mutuo agnoscerent, & loca scirent ac tempora synaxeos peragendæ, certæ fidei res est; sed quale hoc signum fuerit, ignoramus.

Num. 2 Conversa autem ad fidem Constantino, cum pace & tranquillitate potiri cœpit Ecclesia, summa pietas Imperatoris, & Christianorum alacritas, quam describit Eusebius testis oculatus *initio libr* 10. *suæ historiæ*, nos dubitare non sinit, quin publicis signis, quæ ab omnibus perciperentur, populus ad Ecclesiam cœperit convocari. Ea diversa fuisse veterum Scriptorum monumenta testantur. Pachomius Abbas tubæ sonitu congregari Monachos præcipit, sicut olim Moysi imperavit Deus *Numer. cap.* 10. ut duas tubas argenteas faceret, quarum sonitu ad movenda castra, ad festa, ad sacrificia multitudo convocaretur. *Cum audierit*, inquit Pachomius Regulæ suæ cap 3. *vocem tubæ ad Collectam vocantis, statim egrediatur*. Climacus idem ait *Gradu* 19. signo sacræ tubæ canente coactos Fratrum cœtus. Alii malleo utebantur, quo singulorum cellæ pulsabantur. Historia Lausiaca cap 104. in vita Abbatis Adolii: *Excitatorio malleo*, inquit, *pulsabat cellas omnium, eos congregans ad Oratoria*. Cassianus lib. 4 Institut. cap. 12 *Cum sonitum pulsantis ostium ac diversorum cellulas percutientis audierint, ad orationem eos scilicet, seu ad opus aliquod invitantis, certatim e cubilibus suis unusquisque prorumpit*. In Bethleemitico Monasterio hac voce, *Alleluia*, convocatas Monialesad Collectam scribit Hieronymus *Epist.* 27 Usi sunt etiam Græci lignorum percussione, quorum usum antiquissimum esse ex actis secundæ Synodi Nicænæ constat. Ibi enim *Act* 4. ex libro miraculorum S. Anastasii Martyris legimus, quod cum eius Relliquiæ Cæsareæ appropinquarent, cives omnes lætitia magna perfusi ligna sacra pulsantes obviam facti sunt: Eorumdem frequens habetur mentio apud Græcos Scriptores. Theodorus Petreorum Episcopus in vita S. Theodosii Archimandritæ: *Monachi*, ait, *lignum pulsabant præter solitam propemodum horam*. Nicephorus Blemides in vita S. Paulli Latrensis, imperat, *ut ante tempus lignum congregans Monachos pulsetur, & sacra Mistagogia peragatur*. Theodorus Studita in carminibus. *Veluti tuba percute lignum tempore suo ut opus est*. Auctor vitæ S Niconis cognomento Metanœitæ: *Et ligni pulsatione omnes fratres convocat*. Et tubæ quidem ac mallei usus ad sola Monasteria pertinuisse videtur, ligna autem ab omnibus Ecclesiis Orientalibus usurpata fuerunt, longoque spatio permansit eorum consuetudo, quia, ut paullo post videbimus, campanas serius receperunt. Nunc quoque Græci & aliæ nationes sub tyrannico Turcarum imperio iisdem lignis utuntur quæ a Græcis semanteria, sive chirosemantra, quod manibus teneantur atque pulsentur, nuncupantur; Ea sic describit Leo Allatius in dissertatione de recentiorum Græcorum templis. *Sacerdotes Græci ligneo instrumento ad Græcos in Ecclesiam convocandos utuntur. Id est lignum binarum decempedarum longitudine, duorum digitorum crassitudine, latitudine quatuor, quam optime dedolatum, non fissum aut rimosum, quod manu sinistra medium tenent*

Pars III. Sect. II. Cap. VIII. §. 6.

PARS III. SECT. II. CAP. VIII. §. 6.

impetrandam divinam misericordiam & protectionem: quibus recitatis, Pontifex seu Presbyter ab eo delegatus, aqua prius cum sale more solito a se benedicta, totam campanam interius exteriusque lavat, adiuvantibus Ministris. Quæ lotio est species quædam exorcismi, cuius rationem supra reddidimus, ubi de præcipuis benedictionum ritibus ageretur; dicemusque deinde plura ubi de benedictione lustralis aquæ sermo erit. Dum autem Ministri lotionem a Sacerdote inchoatam perficiunt, ac deinde campanam abstergunt linteo, Sacerdos Psalmos alios in laudem Dei recitat.

§. 2. huiusce c. — Huiusce c. 10.

2. Sacerdos campanam inungit semel in modum crucis oleo sancto infirmorum: quo facto, recitat orationem ad impetrandam Spiritus sancti virtutem ad depellendas hoc tintinnabulo tempestates & fugandas potestates aereas. Canitur deinde Psalmus XXVIII. *Afferte Domino:* quo absoluto, Sacerdos septies inungit in modum crucis exterius campanam oleo infirmorum, & quater interius per spatia æqualia sacro chrismate: & ad singulas unctiones ait, *Sancti + ficetur, & conse + cretur, Domine, signum istud. In nomine Pa + tris, & Fi + lii, & Spi + ritus sancti: In honorem sancti N. Amen. Pax tibi.* Tum recitat orationem a iam, qua postulat a Deo, „ ut tintinnabulum hoc cælesti benedictione perfundat, ut ante sonitum eius longius effugentur ignita iacula inimici, percussio fulminum, impetus lapidum, læsio tempestatum: ut cum præsens

Pont. Rom.

„ vasculum, sicut reliqua altaris vasa, sacro chrismate tangitur, oleo sancto ungitur, quicumque ad sonitum eius convenerint, ab omnibus nimici tentationibus liberi, semper fidei catholicæ documenta sectentur.

Ideo autem campanam inungit Sacerdos sancto oleo & sacro chrismate, quia ut iam diximus, ad consecrationes omnes olei & chrismatis unctio adhibetur. In honorem Sancti alicuius campana consecratur, ut eo nomine distinguatur a ceteris. Addit Sacerdos, *Pax tibi*, id est, *Ne amplius usibus profanis servias, sis signum & instrumentum pacis, quo numquam dæmones abutantur.*

3. Sacerdos imponit in turibulo thymiama, tus, & myrrham, si haberi possunt: quibus impositis, turibulum ipsum supponitur campanæ, ut totum fumum recipiat; interimque canuntur versiculi quidam ex Psal. LXXVI. quibus absolutis Deum precatur Sacerdos in hunc modum.

Omnipotens Dominator Christe, quo... dormiente in navi, dum oborta tempestas mare conturbasset, te protinus excitato & imperante dissiluit, tu necessitatibus populi tui benignus succurre: tu hoc tintinnabulum sancti Spiritus rore perfunde, ut ante sonitum illius semper fugiat bonorum inimicus, invitetur ad fidem populus Christianus, hostilis terreatur exercitus, confortetur in Domino per illud populus tuus convocatus: ac sicut Davidica cithara delectatus descendat Spiritus sanctus,.... ita dum eius vasculi soni-

Pont. Rom. Luc VIII. 23. 24.

tus transit per nubila, *Ecclesiæ tuæ conventum manus servet Angelica*, *fruges credentium*, *mentesque & corpora salvet protectio sempiterna*. *Per Dominum*, &c.

§. 4. huius c. Iam diximus supra cur in plerisque benedictionibus tus adhibeatur.

4. Tandem totus benedictionis huius ritus absolvitur sollemni lectione Evangelii ex Lucæ c. x. sumpti, ubi dicitur Martha excepisse Christum in domum suam, & dum illa satageret circa frequens ministerium, Maria soror eius sedens audisse verbum Christi, qua lectione exprimitur, ad hoc præcipue benedici & consecrari campanas, ut congregent populum Christianum ad audiendum in Ecclesia verbum Dei, & sacrum cum Christo convivium agendum (B).

Sacerdos vel alius, *dextra malleo ex eodem ligno cursim hinc inde transcurrens modo in unam partem*, *modo in alteram*, *prope vel eminus ab ipsa sinistra*, *ita lignum diverberat*, *ut interdum nunc plenum*, *nunc gravem*, *nunc acutum*, *nunc crebrum*, *nunc extensum edens*, *perfecta musices scientia auribus suavissime moduletur*.

Num. 6. Mihi vero propius videtur, statim ac reddita Christianis est pax, ad convocandum populum adhibita fuisse tintinnabula, primum minora, deinde grandiora.... Nec dubito quin de tintinnabulo S. Benedictus intelligi debeat, cum de significanda hora operis Dei agens, in Regula cap. 43. ait: *Ad horam divini Officii*, *mox ut auditum fuerit signum*, *relictis omnibus summa cum festinatione curratur*.

Num. 7. Signum vero sive campanam pulsare pertinebat antiquitus ad Sacerdotes, & S. Benedictus *in Regula cap.* 47. hoc munus Abbati imponit, ut ipse horam operis Dei diu noctuque nuntiet, aut tali sollicito fratri iniungat hanc curam, ut omnia horis competentibus compleantur. Amalarius *lib.* 3. *cap.* 1. hoc officium non esse a Presbytero subterfugiendum ait: & in Capitul. Carol. Magni *lib.* 6. *cap.* 168. statuitur ut Sacerdotes signa tangant horis canonicis.... At hodie officium Ostiarii est, quem decet superpelliceo indutum esse, dum signa pulsat, quia munus sui ordinis exercet. Nec sine ratione maiores nostri decreverunt a Deo sacratis viris signa tangi, quia & sacra res est fidelem populum ad divinum officium, ad Missam, ad communionem, ad audiendum verbum Dei coadunare: & ipsæ campanæ Episcopali benedictione, sanctique olei unctione consecratæ sunt, & inter sacra Ecclesiæ vasa connumerantur.... In ipsa vero consecratione nomine alicuius Sancti campana insignitur, sive ut a ceteris proprio veluti nomine distinguatur; sive quia ad pietatem magis conducere arbitrati sunt primi huius ritus institutores, si voce alicuius Sancti plebs ad Ecclesiam convocari diceretur.

Vide quæ diximus supra huiusce operis par. 2. *sect.* 4. *cap.* 2. §. 10.

(B) Hugo Menardus Monach. Bened. Congreg. S. Mauri *in Doctissimis suis ad Sacrament. S. Gregor. notis p.* 207. *Ordo in benedictione signi*, *hoc est nolæ*, *seu campanæ*. *Qui exstat in codicibus* Remensi & Ratoldi *Abbatis*. In codice igitur Remensi ita habetur: *Ad signum Ecclesiæ benedicendum*. Benedic, Domine, hanc aquam benedictione cælesti, &c. In cod. Ratoldi: *Ad signum Ecclesiæ benedicendum*. *In primis intingue ter in aqua*, *& laves in ea quæ benedicenda est*, *his verbis*: Benedic, Domine, hanc aquam benedictione cælesti &c. ut in Ordine Romano. *Post hæc cantabis Psalmos sex*, Lauda, anima mea, Dominum, *usque ad finem Psalterii*. *Interim laves eum de aqua* (benedicta videlicet, ut præcipitur in cod. Remensi;) *cum oleo & sale*, *& dic*: Deus qui per Moysen legiferum tubas argenteas fieri præcepisti, &c. ut in Ord. Rom *Tunc exterges eum linteo*, *& dicas*: Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas, *usque in finem*. *Post hæc tangit eum de*

Ps. cxlv. & seq.

Ps. xxviii. 3.

Digitized by Google

Poteſt & totus ille prædictus conſecrationis ritus allegorice explicari de Paſtoribus, quorum ut ita dicam typum campanæ exhibent, ut patebit ex mox dicendis (C).

1. Campanæ in altum ſuſpenduntur. Debent eſſe Paſtores, ut ait S. Auguſtinus, *a terra ſuſpenſi, præceptis tonantes*; a terra, inquam ſuſpenſi, hoc eſt, a terrenis omnibus cupiditatibus alieni. In altum poſiti (D), ſpeculatores ſcilicet conſtituti domui Iſrael, quorum iam converſatio in cælis ſit.

Enarrat. 2 in Ps. x. III n. 5. *Ezech. III. 17.* *Phil. III. 20.*

2. Campanarum ſonus longe lateque diffunditur. De Apoſtolis autem, quibus Paſtores Eccleſiæ ſucceſſere, dicitur: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*.

Ps. XVIII. 5. Rom. X. 18.

3. Campanæ convocant populum ad Eccleſiam, tempus orationis annuntiant: hoc eſſe munus Paſtorum patet (E).

---

chriſmate ſeptem vicibus foris, intus quaternis. Oratio: Omnipotens ſempiterne Deus, qui ante arcam fœderis, &c. *ut in ord. Rom.* In codiee Remenſi legitur in hunc modum: *Et dicis antiphonam cum capite*, vox Domini, &c. *Tunc pones incenſum in acerna* (lege *acerra* id eſt turibulo) *& myrrham; & faciat fumum intus & extra: cantes:* Viderunt
Ps. LXXVI. 17. te aquæ, Deus, viderunt te aquæ *uſque ad finem Pſalmi*. Omnipotens Dominator, Chriſte, cui (*lege*, quo) ſecundum aſſumptionem carnis dormiente in navi, &c. ut in Ord. Rom. In Codice Remenſi ſic habetur: *Tunc imponis incenſario, & thymiamata & myrrham, & erigis cloc-*
Ps. LXXVI. 14. *cam, & dicis Antiphonam*. Deus in ſancto via tua: quis Deus magnus ſicut Deus noſter? vers. Viderunt te aquæ Deus, *Uſque ad finem Pſalmi; & dicis collectam*, Omnipotens dominator Chriſte, &c. Et hæc de signi benedictione. Clocca autem cuius eſt in codice Remenſi mentio, ſignum eſt, nola, campana, Gallice *Cloche*. Ita docet Otholonus lib. 2. de Vita S. Bonifacii Epiſcopi Moguntini: *Interea ſignum Eccleſiæ, quod vulgo appellari ſolet glocca* (lege *clocca*) *abſque humano motu ſonare cœpit*. Mentio fit in Epiſtola Gutberti ad S. Lullium, quæ 89. eſt inter Epiſtolas eiuſdem S. Bonifacii, *& cloccam qualem ad manum habui, tuæ paternitati mittere curavimus*.

IOAN. BONA S. R. E. Card. *R. Liturg. lib. 1. cap 22 n. 6. & 7. Vide ſup. hocce §. litt.* (A)

(C) GEMMA ANIMAE. (*Huius libri Auctor florebat ann. 1124*) *lib. 1. cap. 5.* Campanæ ſunt Prophetæ, campanæ ſonabant, quia prophetæ Chriſti adventum prænuntiabant

Cap 142 Signa, quæ nunc per campanas dantur, olim per tubas dabantur. Hæc vaſa primum in Nola Campaniæ ſunt reperta, unde ſic dicta. Maiora quippe vaſa dicuntur campanæ, a Campaniæ regione; minora nolæ, a civitate Nola Campaniæ. Itaque Prædicatores deſignant, qui populum ad Eccleſiam convocant. Earum ſonatio eſt illorum prædicatio, quorum *ſonus in omnem terram exivit, & in fines orbis terræ verba eorum*. Ex ære ſunt fuſæ, quod eſt durum & ſonorum; quia prædicatio illorum contra vitia eſt dura, & de virtutibus eſt ſonora. Ideo autem in modum vaſorum formantur, quia Prædicatores vaſa ſpiritus ſancti appellantur. Ps. XVIII. 5.

(D) ISAI. XL. 9. Super montem excelſum aſcende tu, qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Ieruſalem: exalta, noli timere. Dic civitatibus Iudæ: Ecce Deus veſter.

S. AMBROS. *lib. 3. Hexaem. cap.* 12. *n.* 50. Poſuit (Deus) in Eccleſia velut turrim Apoſtolorum, & Prophetarum, atque Doctorum, qui ſolent pro Eccleſiæ pace prætendere.

(E) ISAI. LVIII. 1. Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.

1. CORINTH. IX 16. Nam ſi evangelizavero, non eſt mihi gloria; neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt, ſi non evangelizavero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo. Si autem invitus, diſpenſatio mihi credita eſt.

Digitized by Google

4. Campanæ tempestates avertunt, & vim habent ad depellendas potestatum aerearum insidias. Hoc quoque munus est & officium Pastorum, ut verbo, exemplo, oratione, sacrosancto Sacrificio vim omnem dæmonum infringant, salvent populum ab irruentibus malis; moneant, satagant, murum opponant pro domo Israel: adeo ut si, dicente Domino ad populum, *Morte morieris*, non moneat Pastor; si malis ob peccata populi imminentibus, iram Dei quantum in se est non avertat Pastor, sanguis populi de manu Pastoris requirendus sit (F).

Ier. xv. 20. Ezech. xiii 5. Ezech. iii. 18.

His positis, facile est intelligere allegorice de Pastoribus ritus omnes benedictionis campanarum.

Campana interius exteriusque tota abluitur, postquam multi recitati sunt Psalmi, ad impetrandam divinam misericordiam & protectionem: quo ritu intelligimus debere neminem ad Pastoris munus evehi, nisi prius fuerit ab omni sorde peccati mundatus, & spiritus sancti virtute expiatus & sanctificatus. Oportet enim Pastorem esse sanctum, innocentem, mundum a peccatis, irreprehensibilem; ut Christum perfectius exprimat, de quo scriptum est: *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*, &c.

Heb. vii. 26.

1. Septies ungitur exterius sacro oleo, & quater interius sacro chrismate campana: unguntur & Sacerdotes, & consecrantur unctione olei & chrismatis.

2. Septies ungitur exterius campana oleo sacro: unguntur & Sacerdotes oleo; quo significatur septiformis gratia Spiritus sancti. Quater ungitur interius campana sacro chrismate: Sacerdotes quoque sacro chrismate consecrantur, ut intelligamus Sacerdotis intima veluti præcordia Spiritu sancto penetrari oportere, ut possit esse vox Dei, qui dat voci suæ vocem virtutis. Quadripartita autem illa unctio caritatem designat sacerdotalem ad omnia, & si necesse sit, ad quatuor mundi cardines extendi oportere: in omnem enim terram ad Dei nutum exire debet sonus Sacerdotis, & in fines orbis terræ verba eius. Tempestates undequaque imminentes debet pro viribus avertere, dissipare.

3. Campanæ sacro chrismate unctæ supponuntur aromata fumigantia. Quo ritu magna res nobis innuitur, nimirum Sacerdotis esse sacro chrismate uncti gestare in corde vota, preces, gemitus, necessitatem omnem populi Christiani, ut ea offerat ad altare Dei. Sacerdos enim, ut ait Malachias, *Angelus Domini exercituum est*. At Ange-

Malach. ii. 7.

(F) Ezech. xiii. 13. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Et erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione mea, & imber inundans in furore meo erit: & lapides grandes in ira in consumptionem. Et destruam parietem quem linistis absque temperamento: & adæquabo eum terræ, & revelabitur fundamentum eius: & cadet, & consumetur in medio eius: & scietis quia ego sum Dominus. Et complebo indignationem meam in pariete, & in his qui liniunt eum absque temperamento, dicamque vobis: Non est paries, & non sunt qui liniunt eum.

Digitized by Google

PARS III SECT. II. CAP. VIII § 6.

Apocal. VIII. 4.

lorum est perferre ad thronum Dei vota fidelium (G): preces autem fidelium incensi aromatibus designantur in Scripturis: *Ascendit fumus incensorum*, inquit Ioannes in Apocalypsi, *de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo* (H).

4. Tandem lectione Evangelii, qua ritus illius benedictionis perficitur, duo nobis declarantur. Primum, unum ex præcipuis Pastorum officiis esse, ut populum Christianum adhortentur & convocent ad audiendum verbum Dei, ad sacram Christi mensam; alterum, ut ipsi meminerint peracto ministerio suo, sibi quotidie redeundum ad Christi pedes, ad audiendum verbum illius sacraque Scripturarum mysteria meditanda (I).

I. Cur benedictio campanarum vocatur baptismus?

(G) TOBIAE XII. 12. Quando orabas cum lacrimis, ... ego obtuli orationem tuam Domino.

(H) PSAL. CXL. 2. Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.

APOC. V. 8. Et cum aperuisset (agnus) librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.

(I) S. GREG MAGN. *Regul. Pastor. part.* 2. *cap.* 11. Sed omne hoc rite a Rectore agitur, si supernæ formidinis & dilectionis Spiritu afflatus, studiose quotidie sacri eloquii præcepta meditetur: ut in eo vim sollicitudinis, & erga cælestem vitam providæ circumspectionis, quam humanæ conversationis usus indesinenter destruit, divinæ admonitionis verba restaurent: & qui ad vetustatem vitæ per societatem secularium ducitur, ad amorem semper spiritalis patriæ compunctionis aspiratione renovetur. Valde namque inter humana verba cor defluit: cumque indubitanter constet quod externis occupationum tumultibus impulsum a semetipso corruat, studere incessabiliter debet, ut per eruditionis studium resurgat. Hinc est enim quod prælatum gregi discipulum Paullus admonet, dicens: *Dum venio attende lectioni*. Hinc David ait: *Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est*. Hinc Moysi Dominus de portanda arca præcepit, dicens: *Facies quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos. Faciesque vectes de lignis sethim, & operies auro: inducesque per circulos qui sunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis: qui semper erunt in circulis, nec umquam extrahentur ab eis*. Quid per arcam nisi sancta Ecclesia figuratur? Cui quatuor circuli aurei per quatuor angulos iubentur adiungi, quia in eo quod per quatuor mundi partes dilatata tenditur, procul dubio quatuor sancti Evangelii libris accincta prædicatur. Vectesque de lignis sethim fiunt, qui eisdem ad portandum circulis inseruntur: quia fortes perseverantesque doctores velut imputribilia ligna quærendi sunt, qui instructioni sacrorum voluminum semper inhærentes, sanctæ Ecclesiæ unitatem denuncient, & quasi intromissis circulis arcam portent. Vectibus quippe arcam portare, est bonis doctoribus sanctam Ecclesiam ad rudes infidelium mentes prædicando deducere. Qui auro quoque iubentur operiri, ut dum sermone aliis insonant, ipsi etiam vitæ splendore fulgescant De quibus apte subditur: *Qui semper erunt in circulis, nec umquam extrahentur ab eis*. Quia nimirum necesse est, ut qui ad officium prædicationis excubant, a sacræ lectionis studio non recedant. Ad hoc namque vectes esse in circulis semper iubentur, ut cum portari arcam opportunitas exigit, de intromittendis vectibus portandi tarditas nulla generetur: quia videlicet cum spiritale aliquid a subditis Pastor inquiritur, ignominiosum valde est si tunc quærat discere, cum quæstionem debet enodare Sed circulis vectes inhæreant, ut doctores semper in suis cordibus eloquia sacra meditantes, testamenti arcam sine mora elevent, si quidquid necesse est, protinus docent.

1. Tim. IV 13.

Ps. CXVIII. 97.

Exod. XXV. 12. & seq.

Digitized by Google

R. Populari illi loquutioni parum accuratæ locum dedit conformitas quædam inter baptismi & benedictionis campanarum ritus.

Quia sicut in baptismo nomen accipimus suggerentibus susceptoribus, qui Patrini & Matrinæ vulgo nuncupantur, abluimurque, & tandem inungimur oleo, & chrismate; ita abluitur campana, oleoque & chrismate ungitur & nomen alicuius Sancti accipit, suggerentibus, ut moris est in nonnullis Diœcesibus, viro & femina, qui patrinus & matrina nuncupantur a plebe.

Verum non campanæ solum, sed res aliæ, ut altaria & templa, ante consecrationem abluuntur, post ablutionem inunguntur oleo & chrismate, & nomine Sancti alicuius designantur; nec propterea horum consecratio baptismus appellatur. Baptismi quidem vox si sensum litteralem spectes, cuilibet lotioni congruit; sed usu Ecclesiæ determinatur ad significandum sacramentum regenerationis, quod pro hominibus solis institutum est. PARS III. SECT. II. CAP VIII. §. 6.

I. Cuius est pulsare campanas?

R. Id erat olim Presbyterorum officium (K). S. Benedictus in sua Regula præcipit, vel ab Abbate ipso, vel ab alio Monacho, cuius diligentia perspecta sit, ceteros Monachos ad oratorium convocari (L). Is etiam nunc Carthusianorum mos est, ut singuli Monachi chorum ingressi pulsent campanam. Ideoque ex veteri more campanilia vel super vel iuxta choros Ecclesiarum posita sunt. *Cap. 47.*

Nunc campanarum pulsatio Ostiariorum officium est; & ex quo pleraque Ostiariorum officia commissa sunt laicis Apparitoribus, qui Bidelli & Macicoti alicubi sive alio speciali nomine nuncupantur, mi-

(K) *Capitula* CAROLI MAGNI *lib. 6. cap.* 171. Ut Sacerdotes signa tangant horis canonicis, & illorum officium agant, sive diurnale, sive nocturnale, quia scriptum est, *Sine intermissione orate;* & idcirco non dimittant horas canonicas. *1. Theſs. v. 17.*

Capitula CAROLI MAGNI *an.* 803. *capitul.* 8 Ut omnes Sacerdotes horis competentibus diei & noctis suarum sonent signa Ecclesiarum, & sacrata Deo celebrent officia, & populos erudiant quomodo aut quibus Deus adorandus est horis.

Capitulare quintum, cap. 5. Ut ipsi Presbyteri tales scholares habeant, id est, ita nutritos & insinuatos, ut si forte ei contingat non posse occurrere tempore competenti ad Ecclesiam suam officii gratia persolvendi, id est tertiam, sextam, nonam, & vesperas; ipsi scholarii & signum in tempore suo pulsent, & officium ho este Deo persolvant.

Capitula HERARDI Archiep. Turon. *cap.* 54. Ut signa pulsentur horis canonicis, & ut nullus se per ambitionem alteri præferat.; sed omnes agnoscant tempus suæ ordinationis.

(L) *Regula* S. BENEDICTI, *cap.* 47. Nuncianda hora operis Dei die noctuque sit cura Abbatis, ut aut ipse nunciet, aut tali sollicito fratri iniungat hanc curam, ut omnia horis competentibus compleantur.

AMALARIUS *lib.* 3. *cap.* 1. *de divin offic.* Presbyter, qui signum movet, quando funem sequitur sursum, id agit, ut in se ipso recogitet quantum ad bona opera sit erectus: quando deorsum trahit, id considerat quantum iaceat adhuc in pravis... Ne despiciat Presbyter hoc opus agere, ut in ipso imitator sit filiorum Aaron, sicut & in multis ceteris. Qui se cognoscit debitorem esse prædicationis, non debet se retrahere a movendis signis, cum ex eisdem possit prædicare populo.

nisterium illud iis permittitur. Sed satius esset, & menti Ecclesiæ magis accommodum, si a Clericis indutis veste linea pulsarentur campanæ, saltem minores; nam vix fieri potest ut maiores & immensi ponderis campanæ, in maioribus Ecclesiis turribus suspensæ, pulsentur ab aliis quam ab apparitoribus. Et hæc quidem ratio est cur præter turrita campanilia, in quibus maiores campanæ suspenduntur, sint in Ecclesiis maioribus campanilia minora iuxta chorum, quibus campanæ minores suspenduntur. Illas autem campanas minores a Clericis sacra veste indutis pulsari oporteret, ut fit in Ecclesia Parisiensi, & alibi forte. Est enim hoc ostiariorum Clericorum officium.

I. Quinam abusus irrepere possunt circa campanas, vel eorum pulsationem?

R. 1. Si in fusione metalli fiat aliqua superstitio.

2. Si pulsentur campanæ ad usus mere profanos.

3. Si ad funera, ceteraque pro defunctis officia, pulsentur immoderate, contra monita & præcepta Episcopi, cum gravi vicinorum incommodo.

4. Si campanis sacris quis moduletur cantus profanos, ut diximus de organorum modulatione. Profanos autem cantus dico eos, qui ex frequenti usu populi verba profana his cantibus accommodata revocare solent in memoriam, statim atque audiuntur. *Huiusce sect. c. 6. §. 6.*

§. 7. *De ritu Consecrationis & Dedicationis Ecclesiæ, & Altaris.*

I. Estne prisco in more positum, ut dedicentur & consecrentur Ecclesiæ?

R. Tantæ antiquitatis est ille ritus, ut eius ignoretur initium. Hunc iam ab ineunte quarto Ecclesiæ seculo viguisse testes sunt omni exceptione maiores S. Athanasius, Eusebius Cæsariensis, S. Ambrosius, (A) &c. Ad Ecclesiarum dedicatio-

(A) S. Athanas. Episc Alexand. *ad Imperat. Constantin. Apolog.* Ceterum quia de magna Ecclesia crimen concinnant, quod ibi synaxis habita sit, priusquam dedicaretur, age, etiam ea de re tuæ pietati responsum demus: eo enim nos trahunt illi, qui in nos odia congerunt. Factum est (agnosco;) nam quum prima dixerim sine mendacio, non hic quod verum est inficiabor; sed longe aliter, quam ipsi criminantur, res gesta est. Age quæso, accipe quæ dicam. Non Encæniorum festum celebravimus, religiosissime Auguste: id enim celebrare ante tuum decretum prorsus nefarium fuisset; neque de industria eo devenimus, neque Episcopus quispiam aut ullus Clericus eo nomine evocatus est, neque ulla denunciatione ad synaxim coitum est, ut isti inde aliquam detrectandi occasionem rapiant. Sed quid actum est, norunt omnes: tu autem, quæso, pro mansuetudine & longanimitate ausculta: Festum erat Paschæ, & tanta vis populorum aderat, quantum Christianorum in urbe esse Christicolæ Principes optarint. Quum igitur & Ecclesiæ paucæ parvæque essent, magnoque tumultu posceretur, ut in magna Ecclesia conventus celebrarentur, atque ibidem preces pro tua salute fierent, quod & factum est, egoque reniterer adhortationibus, ut rem aliquousque differrent, & potius quomodocumque liceret, etiam cum compressione & afflictione in aliis Ecclesiis cœtus agerent, mihi neutiquam

nem convocabantur Episcopi, qui data occasione concilia celebrabant. Hoc qui neget, næ is in luce meridiana cœcutiat. Mos ille consecrandarum Ecclesiarum, nemine, quod sciamus, instituente, nemine contradicente, obtinuit per totum orbem, ubi primum per Imperatores & Principes facta Christianis potestas est templa ædificandi. Constat itaque ex laudato superius non semel Sancti Augustini axiomate (B),

Pars III. Sect. II. Cap VIII. § 7.

Ep. 54. alias 118. ad [illegible] c. 1. n. 1.

---

obtemperatum est. Quin potius urbem egredi parati erant, ut in desertis locis, & sub dio conventus facerent, melius esse laborem itineris ferre, quam cum luctu festum celebrare.. ..Quum non ignorarem istiusmodi exempla apud patres superesse. Beatæ siquidem memoriæ Alexander, quum alia loca angusta essent, in Ecclesia maiore Theone, quam ædificabat, synaxes celebrari voluit: id enim iubebat hominum frequentia, nec in cogendo populo respexit, eam nondum exædificatam esse. Quinimmo frater tuus beatæ memoriæ in huiusmodi templo quum Aquileiæ synaxis haberetur, ipse quoque eo se contulit. Ita nimirum & ego quoque feci, nec tamen celebrata sunt a nobis Encœnia, sed tantummodo precationum synaxis habita est....Superest igitur, ut anticipem in quod ille dentem figere posset: obiicit enim in suis calumniis, pus nondum dedicatum fuisse, ac proinde illegitime ibi preces conceptas.

Eusebius *lib.* 10. *Hist. Ecclesiast cap.* 3. (*sub Constantino & Licinio.*) Post hæc (scilicet post persequutiones) votivum nobis ac desideratum spectaculum præbebatur, dedicationum scilicet festivitas per singulas urbes, & oratoriorum recens structorum consecrationes.

Lib 4. *de vita Constantini, c* 43. Ab Imperatore nuntius supervenit, qui oblatis Imperialibus litteris, Synodum hortatus, ut nulla interposita mora omnes quamprimum Hierosolyma properarent ... Totusque ille locus maximo Dei cœtu tandem refertus fuit, cum ex universis provinciis insignes Episcopi Hierosolymis in unum convenissent.

Cap. 44. (Marianus) basilicam omnem Regalibus donariis magnifice exornavit.

Cap 45 At Sacerdotes Dei partim precationibus, partim sermonibus festivitatem ornabant.... Hoc modo dedicationis sollemnitas.....summa cum hilaritate celebrata est.

S. Gaudentius Brixiens. Episcop. *Serm.* 17. *de dedicat. initio* Ut venerandas Sanctorum relliquias haberemus, Deus noster tribuit: deinde, ut hanc honori eorum fundare basilicam valeremus, ipse largitus est; & hodie, ut adepti summorum Sacerdotum præsentiam, dedicationem celebrare mereamur, ipse concessit. Convenerunt enim sancti Antistite & Apostolici viri, ad persolvendum beatissimis patribus & præceptoribus suis debitæ devotionis obsequium, ut ubertate plenissima benedictionum spiritualium ditaremur.

S. Ambrosius *Epist.* 4. *alias* 5. *vel* 60. *ad Felicem*, *n.* 1... Ortus enim sermo de Basilicæ, quam condidit Apostolorum nomine, dedicatione, dedit huic sermoni viam.

Epist. 22. *alias* 84. *aut* 54. *ad sororem suam n.* 1.... Cum ego basilicam dedicassem, multi tamquam uno ore interpellare cœperunt, dicentes: Sicut Romanam Basilicam dedices? Respondi: Faciam si Martyrum relliquias invenero.

Num 13 Succedant victimæ triumphales in locum ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est: isti sub altari, qui illius redempti sunt passione. Hunc ego locum prædestinaveram mihi; dignum est enim ut ibi requiescat Sacerdos, ubi offerre consuevit: sed cedo sacris victimis dexteram portionem, locus iste Martyribus debebatur. Condamus ergo relliquias sacrosanctas, & dignis ædibus invehamus, totumque diem fida devotione celebremus.

Exhortat virginit. cap. 2. *n.* 10 Hæc sanctæ viduæ negare non potuimus postulanti. Munera itaque salutis accipite, quæ nunc sub sacris altaribus reconduntur. Ea igitur vidua sancta est Iuliana, quæ hoc Domino templum paravit atque obtulit; quod hodie dedicamus.

(B) S. Aug *lib* 4 *de Bapt. cap.* 24 *n.* 31. *Vide supra* §. 12. *cap.* 7. *huiusce sect. litt.* (H).

morem hunc ex traditione Apostolica ad nostra usque tempora permanare.

I. Idemne dicendum de consecratione Altarium?

R. Idem prorsus. Iam a quarto seculo per totum orbem Christianum id moris erat ut consecrarentur altaria: huius ritus initium ignoratur (C).

I. Quibus ritibus agitur Ecclesiæ & altaris dedicatio?

R. Ad consecrationem Ecclesiæ Pontificali Romano præcipitur prolixa quidem, sed augustissima & venerabilis series rituum. Hanc subiicimus.

Pontifex consecraturus Ecclesiam, & qui petunt sibi Ecclesiam consecrari, pridie consecrationis ieiunare debent.

Vespere ante diem cosecrationis Pontifex parat SS. Martyrum relliquias in altari consecrando includendas, ponitque eas in decenti & mundo vaseulo cum tribus granis turis, & membrana scripta in hunc modum:

(C) S. Gregor. Nyss. *Orat. in S. Christi Bapt. pag.* 801. Altare hoc sanctum, cui adsistimus, lapis est natura communis, nihil differens ab aliis crostis lapideis, ex quibus parietes nostri extruuntur, & pavimenta exornatur: sed quoniam Dei cultui consecratum atque dedicatum est, ac benedictionem accepit, mensa sancta, altare immaculatum est, quod non amplius ab omnibus, sed a solis Sacerdotibus iisque venerantibus contrectator.

S. Ambros. *Epist.* 22. *ad sororem suam*, *n.* 1. *&* 13. *& lib. de Exhortat. virginit.* *p.* 2. *n.* 10. *Vide supra hocce §. litt.* (A)

S. Hier. *Contra Vigilant. pag.* 284 *edit. PP. BB. tom.* 4. Male facit ergo Romanos Episcopus; qoi super mortuorum hominom Petri & Paolli, secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculom, offert Domino sacrificia, & tomulos eorum Christi arbitratur altaria.

S. Dionys *seu* Auctor *de Eccles. Hierarchia*, *cap.* 4. §. 12. Hoc etiam sancte observa, ut sacratissimorum lex illa mysteriorum purissimis unguenti sacratissimi effusionibus divini quoque altaris consecrationem perficiat. Est utique supra cælestis ac supersubstantialis hæc divina operatio universæ divinitus nobis præstitæ sanctificationis initium & essentia virtusque perfectiva. Etenim si Iesus, qui est altare nostrum divinissimum, divina est divinarum mentium consecratio, in quo secundum Scripturam sanctificati & mystice in morem holocausti concremati, accessum obtinemus, supra mundanis oculis divinissimum illud altare intueamur (in quo ea quæ initianda sunt, consecrantur ac sanctificantur) ipsomet unguento divinissimo initiatum: sanctificat enim semetipsum pro nobis sanctissimus ille Iesus, nosque omni replet sanctitate, dum ea quæ in eo geruntor per dispensationem, ad nos veluti Deo genitos, benefice dimanant.

Codex Canon. Eccles. Afric. *can.* 83. Item placuit, ut altaria quæ passim per agros, & per vias tamquam memoriæ Martyrum construuntur, in quibus nullum corpus, aut relliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui locis eisdem præsunt, si fieri potest evertantur. Si autem hoc per tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, ot qoi recte sapiont, nulla ibi soperstitione revincti teneantur Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetor, nisi ubi corpus aut aliquæ relliquiæ sont, aut origo alicuius habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicumque constituuntur altaria, omnimodo improbentur.

Conc. Agathense *an.* 506. *Tom* VII. *pag.* 327. *can.* 14. Altaria placuit non solum unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.

Anno.... die.... mensis.... Ego..... Episcopus.... consecravi Ecclesiam & altare hoc in honorem sancti.... & Relliquias SS. Martyrum N. & N. in eo inclusi: & singulis Christi fidelibus hodie unum annum, & in die anniversario consecrationis huiusmodi ipsam visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia, in forma Ecclesiæ concessi.

Sigillatque Pontifex vasculum diligenter, illudque sub tentorio ante fores Ecclesiæ parato decenter collocat cum candelabris & luminaribus ardentibus.

Canitur autem nocte officium nocturnum cum matutinis laudibus ante Relliquias ibi depositas.

Pinguntur in pariete cruces duodecim, tres videlicet quantum fieri potest in quolibet ex quatuor parietibus; & ad caput cuiusque crucis applicatur unus clavus, cui affigatur cereus.

Mane Pontifex Ecclesiam ingreditur ordinaturus quæcumque ordinanda sunt: eiusque iussu accenduntur supra dicti cerei duodecim.

Mox Pontifex exit de Ecclesia, iubetque cunctos inde exire, relicto inibi uno tantum Diacono, amictu, alba, cingulo & stola albi coloris induto; & clauduntur omnes Ecclesiæ fores.

Tunc Pontifex, comitante Clero & populo, accedit ad tentorium ubi pridiæ relliquiæ positæ sunt; recitatque cum Clero septem Psalmos pœnitentiales, interimque vestibus sacris induitur.

Recitatis Psalmis, redit Pontifex cum Ministris ante fores Ecclesiæ consecrandæ; & implorato sanctissimæ Trinitatis auxilio, in genua procumbit; canunturque interim Sanctorum Litaniæ. Pars III. Sect. II. Cap. VIII. §. 1.

Quibus absolutis, aquam & sal benedicit more solito Pontifex, & aqua benedicta aspergit se & Clerum & populum, quibus comitantibus circuit Ecclesiam, eiusque parietes in superiori eorum parte & cœmeterium aspergit, dicens ad singulas aspersiones, *In nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spi✝ritus sancti:*. Pont. Rom. in consecr. Eccl.
„ Canitur interea responsorium.
„ Expletoque circuitu, ad fores Ec-
„ clesiæ reversus orat Dominum,
„ ut ipso protegente nulla ibi ne-
„ quitia contrariæ potestatis obsi-
„ stat; sed virtute sancti Spiritus
„ operante, ibi pure & libere sem-
„ per Domino serviatur.

Quo dicto, Pontifex acceptis mitra & baculo pastorali, accedit ad ostium Ecclesiæ, percutitque illud semel cum baculo, dicens: *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales; & introibit Rex gloriæ.* Pſ. xxiii. 7.

Diaconus in Ecclesia residuus respondet, *Quis est iste Rex gloriæ?* Ibid. 8.
Tum Pontifex, *Dominus*, inquit, *fortis & potens, Dominus fortis in prælio.*

Quo dicto, fores non aperiuntur. Itaque Pontifex circuit iterum Ecclesiam, ut prius, aspergendo parietes iuxta fundamentum ipsorum & cœmeterium his verbis, *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti;* caniturque interea responsorium. Et reversus post circuitum ad fores Ecclesiæ, orat Dominum, ut fideles ibi congregandos indissolubili vinculo caritatis coniungat,

sub regimine Pastoris illis præpositi.

Pars III. Sec. II. Cap. VIII. §. 7. Deinde percutit iterum ostium iisdem verbis usus, *Attollite portas* &c. Respondet Diaconus ut prius, *Quis est iste Rex gloriæ?* iterum Episcopus, *Dominus fortis & potens* &c. Non aperitur ostium.

Pontifex itaque circuit Ecclesiam tertio & parietes in media parte eorum cœmeteriumque aspergit ut prius; reversusque ad ostium Ecclesiæ orat in hunc modum:

Ex Pont. Rom. . *Omnipotens & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ ceteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine digne perfecteque ab iis agitur, a te fieri credatur; quæsumus immensam clementiam tuam, ut quidquid modo visitaturi sumus, visites, quidquid benedicturi sumus, benedicas, sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per* &c.

Postea ostium Ecclesiæ percutiens tertio baculo pastorali dicit, *Attollite portas* &c. Respondet Diaconus, *Quis est iste Rex gloriæ?* Pontifex & universus Clerus in-

Ps. xxiii. 10. quiunt, *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ*, adiicientes, *Aperite, Aperite, Aperite*.

Quo dicto, Pontifex signat signo crucis limen ostii, dicens,

Ecce crucis † signum, fugiant phantasmata cuncta.

Apertoque statim ostio, intrat in Ecclesiam solus cum Ministris, Cantoribus, & cæmentariis ad collocandum & liniendum lapidem super sepulcrum Relliquiarum, ceteris de Clero & populo extra fores Ecclesiæ remanentibus. Et clauditur ostium.

Ingressus autem ecclesiam Pontifex ait, *Pax huic Domui*. Idem precantur omnes circumstantes.

Canitur antiphona, qua dicitur salutem factam domui Zachæi Christo in eam ingresso.

Dum canitur antiphona, Pontifex procedit ad medium Ecclesiæ, flexisque ibi genibus inchoat. Cantorum schola prosequente, hymnum, *Veni creator Spiritus*.

Interim unus ex Ministris spargit cinerem per pavimentum Ecclesiæ in modum crucis, faciendo ex eo lineas duas transversas, unam ab angulo dextro Ecclesiæ iuxta ostium usque ad caput Ecclesiæ, alteram ex transverso ab angulo sinistro ad caput alterum Ecclesiæ.

Finito hymno, canuntur Litaniæ Sanctorum. Postquam autem dictum est, *Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus audi nos* surgit Pontifex, & accepto baculo pastorali dicit:

Ut locum istum visitare digneris. Ex Pont. Rom. Resp. *Te rogamus audi nos*.

Ut in eo Angelorum custodiam deputare digneris. Resp. *Te rogamus.*

Ut Ecclesiam & altare hoc ad honorem tuum, & nomen sancti N. consecranda bene†dicere digneris. Resp. *Te rogamus*.

Ut Ecclesiam & altare hoc ad honorem tuum & nomen sancti N. consecranda benedicere † & sancti†ficare digneris. Resp. *Te rogamus audi nos*.

Ut Ecclesiam & altare hoc ad honorem tuum & nomen sancti N. consecranda, bene†dicere, sancti†ficare & conse†crare digneris. Resp. *Te rogamus audi nos*.

Finitis Litaniis, Pontifex orationibus duabus auxilium divinum implorat. Tum canitur canticum Zachariæ *Benedictus Dominus Deus Israel*, cum antiphona. (Luc. I. 68. & seq.) Dum autem canitur hoc canticum, Pontifex super cineres cum baculo pastorali scribit in linea una alphabetum Græcum, & in altera Latinum.

Quo facto, accedit ad maius altare consecrandum, flexisque genibus dicit, *Deus in adiutorium meum intende*; (Ps. LXIX. 2.) Ministri respondent, *Domine ad adiuvandum me festina*. Pontifex, *Gloria Patri*; Ministri, *Sicut erat*, &c. Quod iterum & tertio fit.

Tum benedicit aquam, miscetque cum sale cinere & vino, præmissis singulorum benedictionibus.

Post huius aquæ benedictionem, accedit ad ostium Ecclesiæ, & signum crucis cum baculo pastorali facit in parte superiori & in parte inferiori ostii intrinsecus, oratque ut hanc domum ingredientibus sit pax, liberatio a malis omnibus, & omne genus benedictionis.

Postea reversus ad locum ubi aquam cum sale, cinere & vino benedixit, procedit ad consecrationem altaris, vel altarium, si plura sint consecranda.

(Ps. XLII. 4.) Inchoat antiphonam, *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuventutem meam*: quæ tota canitur post singulos versus Psalmi XLII. *Iudica me Deus*, unde sumpta est.

Dum autem hæc canuntur, Pontifex cum pollice dextræ manus intincto aqua mox benedicta crucem imprimit in medio & in quatuor angulis altaris, ad singulas crucis impressiones dicens, *Sanctificetur* ✝ *hoc altare in honorem Dei omnipotentis, & gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, & ad nomen & memoriam sancti N. in nomine Patris* ✝ *& Filii* ✝ *& Spiritus* ✝ *sancti. Amen*. Oratione fusiori orat postea, ut hoc altare Deus sanctificet. Tum aspergit septies altare per circuitum aqua eadem, utiturque aspersorio de herba hyssopi facto. Interimque canitur antiphona, *Asperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me & super nivem dealbabor*, (Ps. L. 9.) cum Psalmo L. *Miserere*, unde sumpta est.

Postea ter circuit interius Ecclesiæ parietes, eosque aspergit, in primo quidem circuitu versus partem eorum inferiorem; in altero circuitu versus medium; & in tertio circuitu versus eorum partem superiorem. Interea canitur Psalmus CXXI. pars Psalmi LXVII. & Psalmus XC. Peracta trina illa aspersione, aspergit eadem aqua totum Ecclesiæ pavimentum per circuitum Ecclesiæ; & positus tandem in medio Ecclesiæ, idem pavimentum aspergit versus Orientem, Occidentem, Aquilonem, & Meridiem. Tres postea recitat orationes, quibus Ecclesiam benedicit, oratque Deum, ut propitius sit omnibus ad eam orationis caussa accessuris.

Post benedictionem Ecclesiæ, procedit ad altare, ibique aqua prædicta mixta cum calce & sabulo facit cæmentum ad condendas in altari Sanctorum relliquias, illudque benedicit.

Postea procedit Pontifex cum cruce & Clero ad tentorium, in

quo sacræ Relliquiæ pridie depositæ sunt, ut eas ad Ecclesiam introducat; interimque inter eundum & redeundum canuntur antiphonæ in laudem sanctorum Martyrum.

Cum ad fores Ecclesiae a tentorio perventum est, relicta ibi schola Cantorum, Pontifex præcedentibus ipsum duobus Ceroferariis, cruce, Turiferario & Sacerdotibus sacras relliquias portantibus, circuit exterius Ecclesiam cum Relliquiis, populo sequente & clamante, *Kyrie eleison*.

Reversus ad fores Ecclesiæ Pontifex, sedens cum mitra brevi sermone populum alloquens, exponit quanta debeatur templis Deo dicatis reverentia, monet deinde solvendas esse relligiose decimas. Tum per Archidiaconum iussu Episcopi leguntur decreta duo Concilii Tridentini, unum contra invasores bonorum Ecclesiasticorum, alterum contra non solventes decimas. Tandem Fundatorem Ecclesiæ dedicandæ alloquitur Pontifex, eumque interrogat quos reditus Ministrorum huius ecclesiæ sustentationi destinaverit, declaratque quæ sint privilegia Fundatoribus in perennem accepti beneficii memoriam ab Ecclesia concessa. Respondet Fundator quod voluerit: respondet pariter populus se monitis Episcopi obtemperaturum. Iubet deinde Episcopus fieri orationes ad Deum pro eo qui Ecclesiam construxit & dotavit, redditque cum participem bonorum omnium quæ ibi facienda sunt.

Quo facto, schola Cantorum capit responsorium, post cuius finem Pontifex, dicta oratione qua petit ut Deus ipse domum sibi dedicatam ingrediatur, sacro chrismate inungit in modum crucis ostium Ecclesiæ dicens, *In nomine Patris † & Filii † & Spiritus † sancti, porta sis benedicta, sanctificata, consecrata, consignata, & Domino Deo commendata: Porta sis introitus salutis & pacis: Porta sis ostium pacificum per eum qui se ostium appellavit, Iesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus in secula seculorum*. Resp. *Amen*. Ex Pont. Rom. — Io. 10. 7. & 9.

Quo facto, imposita antiphona in honorem Sanctorum, fit processio sollemnis cum relliquiis Sanctorum per circuitum interiorem Ecclesiæ. Et ubi ad altare perventum est, deponuntur iuxta illud Relliquiæ, canunturque Psalmi CXLIX. & CL. cum antiphona: dictaque oratione ad benedictionem & consecrationem sepulcri Relliquiarum, illud Pontifex in quatuor angulis inungit sacro chrismate, ad singulas unctiones dicens, *Consecretur, & sanctificetur hoc sepulcrum. In nomine Patris † & Filii † & Spiritus † sancti. Pax huic domui*. Deinde ponit in sepulcro vasculum Relliquiarum pridie consignatum, positumque turificat.

Postea lapidem, quo claudendum est sepulcrum, sacro chrismate inungit interius, dicens, *Consecretur † & sanctificetur † hæc tabula* (vel, *hic lapis*) *per istam unctionem & Dei benedictionem. In nomine Patris*, &c. Moxque lapidem oblitum prius a se cæmento ponit super sepulcrum: dictaque oratione in

honorem Sanctorum quorum ibi reliquiæ conditæ sunt, firmat cæmento tabulam cum sepulcro, adiuvantibus cæmentariis. Quo facto, chrismate tabulam exterius inungit in modum crucis, dicens, *Signetur* † *& sanctificetur* † *hoc altare. In nomine Patris*, &c.

Ap. viii. 3. & 4. Benedictoque incenso inchoat antiphonam, *Stetit Angelus iuxta aram templi habens turibulum aureum in manu sua: & data sunt ei incensa multa; & ascendit fumus aromatum in conspectu Dei*. Dum autem antiphonam hanc chorus canendo prosequitur, Pontifex turificat altare undique ad dextrum latus & sinistrum, ante & desuper, donec antiphona finita sit: qua absoluta, recitat orationem sequentem:

Ex Pont. Rom. *Dirigatur oratio nostra quæsumus Domine sicut incensum in conspectu tuo, & copiosa beneficia Christianus populus adsequatur; ut quicumque tibi in hoc altari sacranda libamina devotus obtulerit, & vitae subsidia præsentis accipiat, & remissionem omnium peccatorum pariter consequatur, & gratiam sempiternæ redemptionis percipiat*. Per &c.

Post hæc abstergitur altaris mensa a Ministris, moxque Pontifex illam in medio & in quatuor eius angulis turificat; benedictoque rursus ture, tradit turibulum Sacerdoti, qui continue altare circuit turificando, donec perficiatur altaris consecratio, nisi quando illud Pontifex ipse turificat.

Tum Pontifex inchoat responsorium sequens, *Dirigatur oratio*
Ps. cxl. 2. *mea sicut incensum* * *in conspectu tuo Domine*. Vers. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* * *in conspectu tuo Domine*. Quod dum canitur circuit ter altare Pontifex continue turificando.

Finita turificatione, Pontifex inchoat antiphonam, *Erexit Iacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper; votum vovit Domino*. Gen. xxviii. 18. & 20. Qua finita canitur Psalmus LXXXIII. *Quam dilecta*.

Prosequente autem choro antiphonam & Psalmum, Pontifex oleo catechumenorum inungit in formam crucis quinque cruces impressas in medio & in quatuor angulis altaris, ad singulas unctiones dicens, *Sancti* † *ficetur & conse* † *cretur lapis iste in nomine Pa* † *tris & Fi* † *lii, & Spi* † *ritus sancti, in honorem Dei & gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, ad nomen & memoriam sancti N. Pax tibi*. Deinde Pontifex circuit semel altare turificando: interimque canit chorus responsorium, *Dirigatur*, ut prius; Dictaque oratione ad hunc ritum accommodata, iterum inungit oleo catechumenorum quinque supra dictas altaris cruces, dicens ad singulas unctiones ut prius, *Sancti* † *ficetur* &c. interimque canitur antiphona, *Mane surgens Iacob erigebat* ibid. *lapidem in titulum, fundens oleum desuper: votum vovit Domino: vere locus iste sanctus est, & ego nesciebam*, & post illam Psalmus XCI. *Bonum est confiteri Domino*.

Facta secunda unctione, Pontifex altare iterum circuit continue turificando: caniturque interea superius responsorium, *Dirigatur*, &c. quo dicto recitat Pontifex orationem huic unctioni convenientem.

Pars III. Sect. II. Cap. VIII. §. 7.

Qua finita, inchoat antiphonam, *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. Chorus prosequitur antiphonam, & post
Ps. xliv. 2. eam canit Psalmum XLIV. *Eructavit cor meum verbum bonum*.

Interea Pontifex sacro chrismate inungit quinque supra dictas altaris cruces, ad singulas unctiones dicens ut prius, *sancti † ficetur & conse† cretur*, &c. Circuitque semel altare, ut prius, illud turificando continue dum canitur dictum responsorium, *Dirigatur* &c. recitatque orationem convenientem.

Qua dicta Pontifex inchoat anti-
Ps. xlv. 5. phonam, *Sanctificavit Dominus tabernaculum suum, quia hæc est domus Dei, in qua invocabitur nomen*
Deut. vii. 1. 3 Reg. viii. 29. *ejus, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dominus*. Choro autem antiphonam prosequente cum Psalmo XLV. *Deus noster refugium & virtus*, Pontifex spargit de oleo catechumenorum & Chrismate pariter super altare, illud manu dextera confricans, liniens & perungens. Quo facto, canitur Psalmus LXXXVI. *Fundamenta eius in montibus sanctis*, cum antiphona.

Quibus absolutis, Pontifex dicit:
Ex Pontif. Rom. *Lapidem hunc, Fratres carissimi, in quo unguentum sacræ unctionis effunditur, ad suscipienda populi sui vota & sacrificia, oremus ut Dominus noster benedicat & consecret, & quod est unctum a nobis sit unctum in nomine eius: ut plebis vota suscipiat, & altari per sacram unctionem perfecto, dum propitiationem sacrorum imponimus, ipsi propitiatores Dei esse mereamur. Per Iesum Christum Dominum nostrum*.

Quo dicto, inchoat antiphonam, *Lapides pretiosi omnes muri tui, & turres Ierusalem gemmis ædificabuntur*. Antiphonam chorus prosequitur cum Psalmo CXLVII. *Lauda Ierusalem Dominum*, & responsoriis duobus in honorem cælestis Ierusalem: quo innuitur omnes fere ritus illos esse mysticos. Dum autem hæc canuntur Pontifex sacro chrismate inungit cruces duodecim per circuitum Ecclesiæ in parietibus pictas, ad singulas unctiones dicens, *Sancti † ficetur & consecretur † hoc templum. In nomine Pa † tris & Filii & Spi † ritus sancti, in honorem Dei, & gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, ad nomen & memoriam sancti N. Pax tibi*: & perunctam quamlibet crucem turificat triplici ductu turibuli.

Quibus peractis, ad altare revertitur, & turificans inchoat antiphonam, *Ædificavit Moyses altare Domino Deo, offerens super illud holocausta; & immolans victimas, fecit sacrificium vespertinum in odorem suavitatis Domino Deo, in conspectu filiorum Israel*. Qua finita dicit:

Dei Patris omnipotentis miseri- Ex Pontif. Rom.
cordiam supplices imploremus, fratres carissimi, ut altare hoc sacrificiis spiritualibus imbuendum, nostræ vocis exoratus officio, præsenti bene † dictione sanctificet, atque in eo semper oblationes famulorum suorum studio sanctæ devotionis impositas bene † dicere & sancti † ficare dignetur, & spirituali placatus incenso precibus familiæ suæ promptus exauditor assistat. Per &c.

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. VIII. §. 7.

Deinde ex ture benedicto prius & asperso aqua lustrali format Pontifex quinque cruces, singulas de quinque granis turis; formatasque imponit quinque crucibus sculptis in altari, oleoque & sacro chrismate inunctis: singulis autem crucibus ex ture factis adiungit unam crucem eiusdem mensuræ factam ex cereis minutulis, ut apposito lumine cerei simul cum ture ardeant & concrementur. His ita dispositis, accenduntur quinque cerei facti in modum crucis, & turi appositi. Quibus accensis, Episcopus flexis genibus Spiritum sanctum advocat, canunturque antiphonæ duæ; quibus finitis, recitat Episcopus orationem huic ritui convenientem: interim cerei cum ture concremantur.

Combustis crucibus ex cera & ture factis, cineres huius combustionis abraduntur, & proiiciuntur a Ministris in sacrarium. Pontifex autem conversus ad altare recitat interim orationem sequentem:

Fa Pont. Rom. *Deus Omnipotens, in cuius honorem, ac beatissimæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, ac nomen & memoriam sancti tui N. nos indigni altare hoc consecramus, clemens & propitius preces nostræ humilitatis exaudi; & præsta, ut in hac mensa sint libamina tibi accepta, sint pinguia, & sancti Spiritus tui semper rore perfusa, ut omni tempore in hoc loco supplicantis tibi familiæ tuæ anxietates releves, ægritudines cures, preces exaudias, vota suscipias, desiderata confirmes, postulata concedas. Per.*

Postea dicit præfationem, qua Dominum erat, „ ut templum hoc „ & altare benedicere & sanctificare, & hostias super hoc imponendas proprio ore benedicere, „ & benedictas suscipere dignetur, „ ut participatione earum vita acquiratur æterna.

Præfatione finita, Pontifex inchoat antiphonam, *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis a templo sancto tuo quod est in Ierusalem* Postea canitur Psalmus LXVII. *Exsurgat Deus*. Dum autem hæc canuntur, Pontifex chrismate inungit in modum crucis frontem altaris, & finito cantu, recitat orationem huic unctioni convenientem. Deinde chrismate inungit in quatuor altaris angulis coniunctiones tabulæ altaris cum stipite, ad singulas cruces dicens. *In nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spi†ritus sancti;* recitatque orationem his unctionibus convenientem. Ps. LXVII. 29. & 30.

Post hæc Subdiaconi abstergunt altare, & interim Pontifex lotis manibus benedicit linteamina nova & munda, vasaque & ornamenta ad cultum Ecclesiæ, & altaris mox consecratorum; & post benedictionem aspergit aqua lustrali.

Quibus benedictis, Ministri vestiunt altare; interimque Pontifex lavat manus, chorus autem cantat antiphonas & responsoria convenientia, Psalmumque LXII. *Deus, Deus meus*: quibus finitis, Pontifex inchoat schola prosequente antiphonam, *Omnis terra adoret te Deus, & psallat tibi, Psalmum dicat nomini tuo Domine*: totumque ritum huius consecrationis absolvit duabus orationibus sequentibus: Ps. LXV. 4.

Ex Pont. Rom.

Descendat quæsumus Domine Deus noster, Spiritus tuus sanctus super hoc altare, qui & dona nostra & populi tui in eo sanctificet; & sumentium corda dignanter emundet. Per Christum Dominum nostrum. Resp. *Amen.*

Omnipotens sempiterne Deus altare hoc nomini tuo dedicatum cælestis virtutis benedictione sancti ✝ fica, & omnibus in te sperantibus auxilii tui munus ostende; ut hic Sacramentorum virtus, & votorum obtineatur effectus. Per &c. *Dominus vobiscum. Benedicamus Domino.*

Peracta Dedicatione, Pontifex Missam ritu Pontificali sollemniter celebrat, vel si nimis fatigatus celebrare noluerit, iubet eam ab aliquo presbytero coram se sollemniter celebrari.

§. 8. *Explicantur præcipui ritus consecrationis Ecclesiæ, vel Altaris.*

I. Cur tot Ecclesia preces fundit, cur tam multiplicem adhibet rituum apparatum, ad templi consecrationem?

R. Ut intelligamus ex hoc mystico & laborioso variorum rituum apparatu, Christum non sine magnis laboribus & sudoribus pervenisse ad dedicationem templi spiritualis, cuius ipse est architectus, fundamentum, lapis angularis, & consecrator. Rem explico.

Templa quæ per Episcopos dedicantur, sunt, ut iam diximus, figura & typus ædificiorum spiritualium. *Vos estis*, inquit Apostolus, *super ædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu: in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino: in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu.*

Part. 2. sect. 6. c. 2. § 25.

Ephes. 11. 20. & seq.

Hanc Apostoli allegoriam Ecclesia sequuta, voluit ritibus ex parte mysticis fieri templorum dedicationem, ut is significaretur templorum spiritualium dedicatio.

Dico, *ex parte mysticis*: neque enim quidquid agitur in tam multiplici rituum apparatu, mysticum est. Multæ sunt preces & ceremoniæ adhibitæ ad templi materialis sine mystica significatione consecrationem, ut fit in ceteris fere omnibus quæ ad Dei cultum destinata benedicuntur & consecrantur. Ex ritibus autem in Ecclesiæ dedicationem adhibitis, quidam explanatione non indigent, eorum enim ratio cernentibus & legentibus statim occurrit & plana est. Eos ergo solum explanare necesse est, qui vel magni momenti sunt, vel aliquid habent obscuritatis; quorum proinde rationem & intelligentiam assequi difficilius est.

I. Cur Episcopus Ecclesiam dedicaturus & populus cuius in usum Ecclesia dedicanda est pridie dedicationis ieiunare tenentur?

R. Ieiunium hoc præcipit Ecclesia pluribus ex caussis, iisque gravibus.

1. Quia nihil agit Ecclesia, quod magni sit momenti, sine prævio ieiunio, ut patet ex Episcoporum, Presbyterorum, & Ministrorum Ordinatione.

2. Quia quemadmodum in veteri

Digitized by Google

Testamento sollemnitas dedicationis tabernaculi, & templi, ex institutione divina, inter maximas habebatur; ita & in novo Testamento templorum dedicatio sollemnitas est maxima ex instituto Ecclesiæ. At pridie maximarum sollemnitatum ieiunari mos est, ut norunt omnes, & quidem ex traditione Apostolica.

In hac operis parte in sed. 4. c. 4. §. 8.

3. Accedit & mystica ratio, quam alibi exposuimus, ubi egimus de ieiunio vigiliarum, quod quinto Ecclesiæ præcepto sancitum est. Nimirum, ut omnes intelligant, non nisi per magnos labores & mentis corporisque ieiunia perveniri ad sollemnitatem dedicationis templi spiritualis quod nos sumus. Templum hoc iam nunc laboriose ædificatur: in cælo exultantibus animis dedicabitur: *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.*

Ps. xxix. 6.

I. Cur Sanctorum relliquiæ, sub altari consecrando includendæ, pridie collocantur sub tentorio iuxta Ecclesiam præparato?

R. Ut inde facilius afferantur in templum, sub altari non prius reponendæ quam Ecclesia consecrata sit.

Addo rationem huius ritus mysticam. Quæ ut intelligatur,

Huius op. Cap. 7. §. 16.

Adverte 1. Altare, ut iam diximus, esse typum & figuram Christi, iuxta id quod dicitur in Apocalypsi, *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Christi*, Sanctorum ergo relliquiæ sub altari conduntur, ut intelligas Sanctos cum Christo regnantes, esse Christo veluti incorporatos: iuxta illud Apostoli: *Omnia detrimentum feci... ut Christum lucrifaciam, & INVENIAR in illo.*

Apoc. vi. 5.

Pars III. Sect. II. Cap. VII. § 22. a 31.

Adverte 2. quod ait Apostolus: *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*, interimque sumus *advenæ & peregrini*, & *qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: volumusque ut absorbeatur quod mortale est a vita*. Sancti ergo qui cum Christo iam in cælis regnant, vixerunt ut peregrini, quasi in tentoriis habitantes; & sic meruerunt Christo incorporari. Nec alia ratione fieri potest, ut in Christo inveniamur inserti & absconditi: & *absorbeatur* in nobis *quod mortale est a vita*.

Philipp. iii. 9.
Hebr. xiii. 14.
1. Petr. ii. 11.
2. Cor. v. 4.

I. Quid mysterii exhibetur crucibus duodecim in parietibus Ecclesiæ pictis, & cereis duodecim iuxta illas cruces affixis & accensis?

R. Cereis duodecim accensis iuxta cruces totidem in parietibus depictas, nobis exhibentur duodecim Apostoli, quos Christus appellat lucem mundi, quique lumen Evangelicum intulerunt per totum orbem. *In omnem enim terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* His præeuntibus & prædicantibus congregati sunt undique lapides, ex quibus coalescit & ædificatur Ecclesia, civitas illa cælestis, quæ construitur in cælis vivis ex lapidibus. *Murus huius civitatis*, inquit Ioannes Apostolus in Apocalypsi, *habet fundamenta duodecim, & in his nomina duodecim, Apostolorum Agni.*

Matth. v. 14.
Ps. xviii. 5.
Apoc. xxi. 14.

I. Cur cerei illi accenduntur antequam incipiatur dedicationis ritus?

R. Ut intelligamus missos prius a Christo Apostolos fuisse, & lumen Evangelicum per totum orbem sparsisse, quam cælestis illa Jerusalem in cælo dedicaretur.

I. Cur Episcopus ter aspergit aqua benedicta parietes Ecclesiæ primum exterius, ac deinde interius?

R. Ut eos mundet, purificet, & ab omni dæmonum incursione servet immunes, & procul abscedant universæ insidiæ latentis inimici. Hæc ergo aspersio aquæ species quædam est exorcismi, cuius rationem tradidimus supra, ubi de exorcismis.

Supra cap. 5. 1.

Hoc liquido patet ex oratione quam fundit Episcopus post aspersionem, in qua leguntur verba hæc: *Omnipotens sempiterne Deus.... huius domus, cuius es fundator, esto protector; nulla hic nequitia contrariæ potestatis obsistat; sed virtute Spiritus sancti operante, fiat hic semper purum servitium, & devota libertas*.

I. Cur post quamlibet omnium parietum aspersionem Episcopus percutit ostium templi, illudque aperiri postulat, nec tamen ostium aperitur nisi post iteratam tertio aspersionem?

R. Ut intelligamus non sine contradictione, sine vi, & varia pugna pulsum fuisse ab atrio suo diabolum, quem Christus vocat fortem armatum. Obtinebat ille imperium in terram universam, hunc Christus expugnavit, debellavit, & spoliavit imperio suo. *Expolians principatus & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso*, inquit Apostolus.

Luc. xi. 21.

Colof. ii. 15.

Hoc certum est illo ritu significari, postquam enim ostium templi apertum est, mox Episcopus crucem faciens cum baculo pastorali in limine templi, ait:

Ecce crucis signum, fugiant phantasmata cuncta.

I. Primo illo Pontificis ingressu in templum si quid mysterii significatur, exponas velim?

R. Primus ille Pontificis in templum dedicandum ingressus typus est ascensionis Christi in cælum, quando debellatas aerias *potestates traduxit confidenter* & *palam triumphans illos in semetipso* cælum victor ingressus est, incepturus templi cælestis dedicationem.

I. Cur Pontifex templum & altare dedicaturus, templum cum Ministris solus ingreditur; relictis extra Ecclesiam ceteris de Clero & populo: nec tamen prius perficit dedicationem, quam totus Clerus & populus ingressus sit?

R. Id ita fieri convenit, ut ritus dedicationis liberius & facilius peragatur: nam spatium vacuum esse necesse est, ut scribantur in pavimento alphabeta de quibus infra; item ut parietes interius aspergantur aqua lustrali, & cruces duodecim in illis depictæ inungantur: quod fieri vix aut nullatenus posset, si populus, cuius maximus in eiusmodi sollemnitate concursus est, urgeret undique & premeret. His autem peractis, Pontifex procedit ad locum in quo Sanctorum relliquiæ repositæ sunt, illasque sub altari condendas sollemniter in Ecclesiam transfert comitante universo populo, quo adstante dedicationis ritum per-

ficit; quia tunc populi concursus & frequentia nullo impedimento est quominus dedicatio perficiatur.

Accedit & mystica ratio, & quidem illa magni ponderis. Pontifex Ecclesiam dedicans, Christi spiritualem Ecclesiam in cælo dedicantis, ut sæpius diximus, typum gerit. Christus autem incepturus dedicationem in cælo spiritualis Ecclesiæ, quæ vivis ex lapidibus coalescit, cælum ingressus est primum cum minima parte electorum qui in templum cæleste sunt introducendi ad sollemnitatem dedicationis; & iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos: tuncque congregabit e quatuor ventis electos omnes lapides vivos, quos secum introducet ante faciem Patris, acturus cum illis æternam dedicationis templi sollemnitatem. *Matth. XXIV. 31.*

I. Cur Episcopus scribit cum baculo pastorali super sparsos in pavimento templi cineres alphabetum Græcum & Latinum in modum crucis, dum canitur canticum, *Benedictus?*

R. Quarumdam Ecclesiarum mos erat antiquitus, ut & Hebræum alphabetum scriberet Episcopus. Id autem fit: ut intelligamus, omnes omnino populos & lingua & moribus & religione dissimiles, in Ecclesiam fuisse per virtutem crucis Christi congregatos: cuius rei grates Deo rependuntur per canticum, *Benedictus*. Hoc enim cantico gratiæ aguntur Deo de beneficio incarnationis Christi, quo *fecit Deus redemptionem plebis suæ*, mittens Filium suum; qui in assumpta humanitate reconciliaturus erat homines Deo per crucem, eosque undique congregaturus ad templi cælestis dedicationem. *Luc. I. 68.*

Pars III. Sect. II. Cap. VIII. §. 8.

Si qua forte alia ratio ritus ejus habeatur, eam ignorare me fateor.

D. Claudius de Vert Monasterii Cluniacensis Thesaurarius, vir in ritibus Ecclesiasticis, dum viveret, haud mediocriter versatus, & mihi amicitia coniunctissimus, ritum hunc non secus ac ceteros Ecclesiæ ritus, censuit nihil mysterii continere; sed ait, „sumpta occasione Psalmi LXXXVI. *Fundamenta eius in* „*montibus sanctis*, in cuius versu „6. leguntur hæc verba, *Dominus* „*narrabit in scripturis populorum* „*& principum* &c. Ecclesiarum „Præsules facile adductos fuisse „ut scriberent cum baculo pasto„rali alphabetum Græce & Lati„ne, immo & Hebraice quibusdam „in Ecclesiis. Canebatur enim pri„mitus non canticum *Benedictus* „dum scriberet Episcopus alpha„beta, sed Psalmus *Fundamenta* „*eius* &c. cum antiphona. *Funda*„*mentum aliud nemo potest pone*„*re*, &c. Hæc ille. *In expoſit. Rituum Eccleſiæ tom. 2. p. 62. & 63.* *1. Cor. III. 11.*

Sed pace bonæ memoriæ viri dixerim, longe verisimilius videtur occasione alphabeti scribendi, selectum fuisse Psalmum *Fundamenta*, qui interim caneretur; quam occasione cantus huius Psalmi, introductam fuisse alphabeti scriptionem. Est enim Psalmus ille prophetia Ecclesiæ, cuius in sinum congregandi erant ex omni tribu & lingua populi, quod alphabeti scriptura ad oculum exhibetur. Et certe dum scriberetur alphabetum Græce, Hebraice, & Latine; non solum cane-

Pars III
Sect. II
Cap. VIII.
§. 8

batur Psalmus *Fundamenta*, sed & Psalmus, *Magnus dominus & laudabilis nimis*, qui & ipse prophetia est congregandi in Ecclesiam ex omni gente, tribu & lingua populi. *Ps. xlvii.* Hinc constat ritum hunc institutione sua fuisse omnino mysticum: quod quidem facile intelliget quisquis advertet plures alios ritus, in Ecclesiæ dedicatione non aliam habere rationem quam mysticam, alioqui nullo rationabili modo explicandos.

I. Cur benedicit Episcopus aquam, vinum, sal & cinerem, miscetque simul, ut his adspergat altare & muros Ecclesiæ?

R. Aqua hæc Gregoriana dicitur, quia hanc sic benedicendam & miscendam in adspersionem templorum dedicandorum instituit S. Gregorius magnus sexto seculo; & quidem ob mysticam hanc rationem.

Aqua symbolum est humanitatis Christi, vinum divinitatis, ut patet ex oratione liturgica quæ nunc recitatur dum vinum aqua miscet Sacerdos in calice, *Deus qui humanæ substantiæ dignitatem*, &c. Cinis symbolum mortis est, quia in cinerem cadavera resolvuntur. Sal symbolum est incorruptionis; sale enim condita corpora a corruptione servantur. Aqua ergo mixta cum vino, cinere & sale, symbolum exhibent Christi Dei & hominis, mortui & resuscitati: non nisi per hunc ita mundamur a sordibus & abluimur, ut templum Dei fieri mereamur.

I. Quam ob caussam sculptæ sunt in altaris tabula cruces quinque, quas Pontifex in modum crucis abluit aqua illa benedicta, ac deinde oleo catechumenorum, demumque sacro chrismate inungit?

R. Hic fere ritus est consecrationis rerum omnium quæ ab Ecclesia consecrantur, ut abluantur primum aqua benedicta, dein inungantur oleo, tum sacro chrismate perliniantur. Hoc ritu nos abluimur in Baptismo, dein inungimur sacro catechumenorum oleo, denique chrismamur, ut Conciliorum verbis utar, in vertice & in fronte. Hac quoque ratione consecrantur Pontifices & Reges, ritu ex veteri lege sumpto. Ad hunc modum sicut in veteri Testamento templum & altare dedicata fuerunt ablutione & unctione sacri olei: ita & in novo templa & altaria adsperguntur primum aqua benedicta, deinde sacro oleo & chrismate consecrantur & dedicantur. Addo rationem mysticam.

Altare, ut sæpius diximus, typus est Christi: quinque cruces in quatuor angulis & in medio altaris sculptæ, quinque plagas exhibent, quibus Christi corpus in cruce transfixum est. Inungitur altare aqua, oleo & chrismate, ut Christum significantius exprimat. Aqua illa Gregoriana Christi symbolum est, Dei & hominis, qui fuit mortuus & vivit. Oleum & chrisma quibus & cruces liniuntur & totum altare perungitur, symbolum sunt unctionis Spiritus sancti, qua Christus perunctus est, unde Christi nomen per Αντονομάσιαν Salvatori datum. *Huius sect. c. 7. §. 14. & sup. hunc §.*

I. Dum Episcopus circuit exterius Ecclesiam cum Presbyteris sacras relliquias portantibus, cur po-

pulus insequens clamat continuo, *Kyrie eleison?*

R. Ut intelligamus insequenda nobis esse Sanctorum vestigia sub duce Christo, cuius vices gerit in terris Pontifex, qui pro Christo legatione fungens, dicere gestis
2.Cor. v. 20. suis debet, *Tantam habentes nubem*
Heb. xii. 1. 1. Cor. xi. 1. *testium imitatores mei estote: sicut & ego Christi*. Sanctorum ergo sub duce Christo vestigiis insistentes perveniemus ad patriam, introducendi ad dedicationem cælestis Ecclesiæ. Interim autem dum hic vi-
1. Mach. iv. 10. vimus, *clamamus in cælum, ut* Christi, quem sequimur, meritis, & Sanctorum, quos imitari conamur, precibus placatus, *misereatur nostri Deus noster*, & ad patriam
Rom. vi. 23. perducat. *Gratia* enim *Dei*, *vita æterna*.

I. Dum Episcopus circuit interius Ecclesiam, Presbyteris sacras relliquias portantibus, comitante Clero & populo subsequente, cur canitur canticum laudis & lætitiæ in honorem Sanctorum cum Christo regnantium?

R. Hoc cantico exhibetur futura Sanctorum omnium lætitia, cum ad perficiendam templi cælestis dedicationem, omnes electos suos undique congregatos introducet Chri-
Ps. xliv. 16. stus *in templum regis*, secum in æternum regnaturos. Quæ quidem lætitia mirum in modum exprimitur Psalmo CXLIX. qui tunc canitur, &
Ps. cxlix. 1. antiphona ex eo sumpta: *Cantate Domino canticum novum: laus eius*
Ibid. 5. *in Ecclesia Sanctorum*, &c. *Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis*, &c.

I. Cur Episcopus sacras relliquias ita condit sub altari, ut deinceps non subiiciantur oculis?

R. Ut intelligamus Sanctos cum Christo regnantes unum cum ipso corpus efficere, ciusque sic absorberi lumine, ut solius Christi fulgentis splendor emicet.

I. Cur unus ex Presbyteris adstantibus altare iugiter turificando circuit, donec perficiatur dedicatio?

R. Hoc ritu mystico nobis exhibetur & ponitur ob oculos, quod agit *Ecclesia primitivorum qui con-* Heb. xii. 23.
scripti sunt in cælis, donec compleatur numerus electorum, qui congregandi sunt ad dedicationem templi cælestis, & compleatur illa dedicatio. *Ascendit* continuo circum alta- Apoc. viii. 4.
re, quod est in conspectu Dei, *fumus* aromatum *de manu Angeli*, item de manibus quatuor animalium & viginti quatuor seniorum, id est, Sanctorum omnium qui *habent sin-* Ibid. v. 8.
guli phialas aureas plenas odoramentorum. Hæc autem odoramenta *sunt orationes Sanctorum*, ut dicitur in Apocalypsi.

I. Cur sub finem consecrationis altaris, Pontifex componit quinque grana turis cum uno cereo minutulo super singulas cruces in altari sculptas, ut apposito lumine cerei simul cum ture ardeant & omnino concrementur?

R. Ritus huius ratio per se patet ex subiunctis precibus quas recitat Pontifex, dum cerei cum ture concremantur.

Statim atque lumen appositum est cereis, Pontifex flexis genibus intonat choro prosequente: *Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fi-*

delium, & tui amoris in nobis ignem accende.

Deinde sequentem antiphonam stans inchoat, *Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli.* (Apoc. viii. 4.)

Tum sequentem quoque, *Stetit Angelus iuxta aram templi habens turibulum aureum in manu sua: & ascendit fumus aromatum in conspectu Domini.*

Quibus expletis recitat orationem sequentem.

(Ex Pont. Rom.) *Domine sancte, pater omnipotens æterne Deus, clemens & propitius preces nostræ humilitatis exaudi: & respice ut huius altaris tui holocaustum, quod non igne visibili probetur, sed infusum sancti Spiritus tui gratia, in odorem suavitatis ascendat, & legitime sumentibus Eucharistia medicabilis fiat, ad vitamque proficiat sempiternam.*

(Malach. ii. 7.) Sacerdos *Angelus Domini exercituum est*, ut scribit Malachias Propheta: hoc ergo ritu facit in typo Episcopus quod Angeli stantes ante thronum Dei faciunt, ut patet ex antiphonis & precibus huic ritui accommodatis.

I. Cur Ecclesia & altare non in honorem Dei solum, sed & in honorem S. Mariæ Virginis ceterorumque Sanctorum consecrantur & dedicantur?

R. Ut intelligamus B. Mariam Virginem Deiparam, Sanctosque omnes sic esse Christo, & per Christum sanctissimæ Trinitati cohærentes, ut unum quid cum Christo sanctissimaque Trinitate efficiant; iuxta illud Christi in Evangelio. (Joan. xvii. 21.) *Rogo ut illi in nobis unum sint, sicut & nos unum sumus.* Honor ergo & cultus Deo exhibitus, in B. Virginem & Sanctos redundat, & quæcumque in Dei & Christi gloriam & honorem fiunt, in Sanctorum quoque gloriam & honorem fieri necesse est.

I. Cur singula templa & altaria sub nomine Sancti alicuius consecrantur?

R. 1. Ut suo quoque nomine distinguantur & designentur.

2. Ut fideles populi, quibus consecrantur Ecclesiæ & altaria, Sanctos illos veluti patronos & protectores specialius invocent & colant.

I. Cur totus consecrationis ritus sacrosancti Missæ sacrificii celebratione peragitur?

R. Ut hoc veluti complemento cumulus accedat dedicationi, & augustissimi Sacrificii oblatione, altaris huic Sacrificio destinati consecratio perficiatur: Quemadmodum in veteri lege templi & altaris dedicatio, hostiarum oblatione consummata est. Addo rationem mysticam.

Cum Christus consummaverit in cælo dedicationem templi spiritualis, cuius ipse est architectus, nos lapides vivi; quæ quidem dedicatio non perficietur nisi post corporum resurrectionem futurumque iudicium; tunc hæc una erit occupatio vivæ illius Ecclesiæ, ut consecrationem, & dedicationem suam in æternum cum Christo celebret, offeratque se iugiter Deo per Christum, offerat Christum, offeratur ipsa in Christo & per Christum Deo, effusa in amorem, adorationem, gratiarum actionem, benedictionem sempiternam. Hoc ipsum inchoat,

Digitized by Google

hoc agit Ecclesia militans, offerendo Missæ sacrificium in templis manufactis, ubi primum est eorum perfecta dedicatio, typus dedicationis
Mainste Sess. C. 7. §§. 9. & 10. æternæ. Nam ut diximus, & fuse exposuimus, Missa totius Ecclesiæ Sacrificium est; Sacrificium, inquam Christi capitis, & membrorum, qui & Christum offerunt, & offerunt se, & offeruntur in Christo & per Christum Deo, ut exhibeant supremo Numini debitos honores, adorationem, laudem, gratiarum actionem, benedictionem sempiternam (A).

(A) SS. Aug. & Bernard. *Serm de Dedic. Eccles. Vide supra huiusce Operis par 2 sect. 4. cap. 2. §. 25. litt* (B) *&* (C).

Gemma Animae *cuius* Auctor *floreb* *t sec.* xi. *lib.* 1. *cap.* 150. Ecclesiæ dedicatio, est Ecclesiæ & Christi nuptialis copulatio. Episcopus qui eam consecrat est Christus, qui Ecclesiam desponsaverat. Episcopus fontem in atrio benedicit, & in circuitu aspergit: quia Christus fontem baptismatis in Iudæa consecravit, & in circuitu mundi omnes gentes eo ablui imperavit.

Cap. 151. Domus non consecrata est gentilitas Dei ignara, & perfidiæ repagolis inclusa. In domo duodecim candelæ in circuitu accensæ eam illuminant, & duodecim Apostoli in circuitu orbis gentilitatem lumine doctrinæ illuminabant. Candela lucet & ardet, & Apostoli verbo lucebant, & caritate ardebant. Pontifex super liminare ostii cum baculo
Ps. xxiii. 7. ter percutit: *Tollite portas principes vestras & elevamini portæ æternales*, dicit: per Pontificem Christus, per baculum sceptrum potestatis intelligitur: trina autem percussio, terna potestas in cælo, in terra, in inferno accipitur: Quasi ergo ter Dominus ianuam cum ca-
Matth xviii. 18. pite percussit, dum Ecclesiæ potestatem ligandi atque solvendi in cælo & in ter-
Matth. xvi. 18. ra concessit, & portas inferi adversus eam non prævalere tribuit. Iubet etiam ut principes tenebrarum portas mortis ab Ecclesia tollant: portæ vero æternales, id est, cælestes eleventur & iusti ad vitam ingrediantur.

Cap. 152. Portæ quippe sunt mortis vitia & peccata: portæ vitæ sunt fides, baptisma, operatio. Per eum, qui intus respondet, diabolus intelligitur, qui de domo Ecclesiæ expellitur. Ipse quip-
Luc. xi. 21. pe quasi fortis armatus atrium suum custodivit, dum hunc mundum quasi iure possedit; sed fortior superveniens eum expulit, spolia eius distribuit; dum Christus eum passione vicit, & Ecclesiam ab eius iure eripuit. Mox ostium aperitur, & Episcopus ingreditur; quia Ecclesia ostium fidei Christo aperuit, & eum intra se devote recepit. Episcopus in rediens, *Pax huic domui* dicit, quia *Matth. x. 12.*
Christus mundum ingrediens, pacem hominibus contulit, quam resurgens a mortuis suis præbuit. *Pax*, inquit, *vobis*. Ter pax huic domui clamat, quia *Luc. xxiv. 36.*
reconciliationem Ecclesiæ per Trinitatem factam insinuat, vel quia unus est Deus, una fides, unum Baptisma. Deinde Pontifex prosternitur, pro consecratione domus Dominum precatur; & Christus se ante passionem in monte prostravit, & pro Ecclesiæ sanctificatione Patrem oravit. Surgens Pontifex populum per *Dominus vobiscum* non salutat, sed per *flectamus genua* ad orationem invitat, quia infideles & impii non sunt salutandi, sed ad conversionem & pœnitentiam provocandi.

Cap. 154. Quatuor Ecclesiæ anguli sunt quatuor plagæ mundi. Scriptura quæ terræ inscribitur, est simplex doctrina, quæ cordibus terræ imprimitur. A sinistro angulo Christus scribere incipit, quia Christus a Iudæa docere incœpit, Ipsa quippe sinistro angulo comparatur, quia ob perfidiam cum sinistris reputatur. Ideo angulus Orientis dicitur, quia Christus, qui est Oriens, in eo *Zach. vi. 12.*
secundum carnem oritur. Scripturam in dextrum angulum deducit Episcopus: quia doctrina Christi ad Ecclesiam usque pervenit. Ipsa enim dextro angulo assimilatur, quia eum dextris computatur. Ideo autem angulus Occidentis exsistit, quia in ea perfidia corruit, Christus Sol iustitiæ pro ea in morte occidit.

Cap. 155. Iterum Episcopus scripturam a dextro angulo Orientis inchoat, & in

sinistro Occidentis eam consummat; quia per doctrinam suam io primitiva Ecclesia inehoavit, & eam in fine mundi in Israelitico populo consummabir... Duo alphabeta, quæ ex diversis angulis in formam crucis conveniunt, sunt doo populi, qui ex diverso ritu in unam fidem erucis per Christum convenerunt. Duo enim testamenta sunt, quæ insimul coniuncta crucem passionis Christi ediderunt. Unum aurem Græce, alterum Latine scribitor; quia Græca lingua propter sapientiam, Latina autem imperialem potentiam aliis eminentior cognoseitur; quod utrumque ad fidem crucis convertitur.

Cap. 156. Post hæc Pontifex ante altare stans divinum auxilium per versom: *Deus in adiutorium meum intende*, sovocat, ut domum nomini eius digne consecrare valeat. *Gloria Patri* absque *Alleluia* subiungit, quia gloriam Trinitati in illa domo eantari innotescit: *Alleluia* non addit, eo quod adhuc ad vocem exultationis consecrata non sir. Post conseerationem autem *Alleluia* cantabitur, quia exclusa iam omni dæmonum fantasia, Deus in ea laudabitur. Ita Christus verus Pontifex ad aram crucis accedens, Patris auxilium invocavir, quo Ecclesiam sanctificare velit, quasi *Gloria Patri* cecinir, dum ad gloriam Trinitatis mortem pro Ecclesia subiit. Quasi *Alleluia* non addidit, dum totus mundos in eius passione fuit turbatus. Post resurrectionem autem quasi post conseerationem *Alleluia* cantabatur, quia cælum & terra de eius resurrectione lætabatur.

Ps. LXIX. 2.

Cap. 157. Deinde aqua benedicitur, vinum admiscetur, sal quoqoe & cinis commiscentur. Sal, quo omnes cibi sapidi fiunt, Christus Dei sapientia designatur, qua omnes sapere & intelligere acceperunt. Deinde Elizæos sal in aquam misit, & aquæ sanatæ sont, qoia Deus sapientiam, id est, Filium suom in homines misit, & sanati sunt... Hic cinis sali admiscetur, dum humanitas a divinitate in resurrectione resumitur. Cinis qooqoe sali commiscetur; dum nos Christiani, qui cinis sumus, & Ecclesia nominamur, divinitati Christi associamur.

4. Reg. II. 21.

Cap. 158. Item per vinum divinitas, per aquam intelligitur humanitas: hæc duo admiscentur, dum nostra humanitas per Christi sanguinem divinitati adiungitur. Ter crux cum sale & cinere super aqoam fit, qoia per crucem Christus hominibus fidem Trinitatis impressit.

Cap. 159. Notaodum quod hoc totum ad hominem refertur, qui templum Dei appellatur. Primum Pontifex ostium aperit, deinde preces fundit, post hæc alphabetum scribit, deinde aquam cum sale & cinere benedicit, vinum admiscet, deinde ongit. Ita cuilibet ad Dominum converso ostium fidei aperitur; deinde pro eo oratur: deinde Scriptura eius menti inscribitur, dum catechumenus exorcismis imbuitor, exinde per fidem Christi divinitas & humanitas doeetor, deinde fonte baptismatis purificatur, ad extremum chrismate ungitur, & sic templum Dei efficitor.

Cap. 160. Posr hæc Sacerdos digitum tingit, & crucem per quatuor cornua altaris facir. Altare hic primitivam Ecclesiam in Ierusalem exprimit. Quasi Christus crucem Pontifex super altare fecit, dum crucem in Ierusalem pro Eeelesia subiit. Quatuor cornua altaris signavit, dum quatuor partes mundi cruce salvavit. Deinde septies contra altare spargit, quia Christus post resurrectionem in septem donis Spiritus sancti Ecclesiam baptizari iussit. Aqua cum hyssopo adspergitur, quæ amara herba duritiam lapidum penetrare fertur, & signat Christi carnem in passione amaricatam, per quem baptismus datur, & duritia gentilium ad fidem emollitur. Deinde altare spargendo circuit, quia Dominus Angelum suum in circoitu timentium se nutrit. Altare ter aspergitur, quia Eeclesia a tribus peccatis mortis scilieet, operis, loquutionis & cogitationis emundatur. Deinde per totam Ecclesiam vadit, parietes ex utraque spargit parte; quia Christus per totam Iudæam populum baptizare præcepit. Interim canitur Psalmus: *Exsurgat Deus, & dissipentur inimici eius*; quia dum Christus surrexit, dæmones & Iudæi inimici dissipati sont. Et cum Christi resurrectio & baptismus per mundum prædicabatur, inimici Dei ab Ecclesia dissipabantur.

Ps. XXXIII. 8.

Ps. LXVII.

Cap. 161. Pontifex mittit Ministros, qui Ecclesiam cantando circomeant; quia Christus Apostolos misit, qoi baptismum per totum mundom prædicabant. Episcopus per mediam Ecclesiam

Digitized by Google

incedens cantat antiphonam *Domus mea*, & Christus per doctores visitans fecit eam domum suam. Incipiens autem antiphonam, *Introibo*, & post vadit canendo ad altare, & quod remansit de aqua ad basim altaris fundit, quia Christus fluenta doctrinæ in Ierusalem effudit, & inde fons baptismatis erupit. Post hæc altare linteo extergitur, per quod Dominica passio intelligitur; linus quippe de terra oritur, & cum labore ad candorem convertitur; & Christus de virgine nascitur, & cum magno labore passionis ad candorem resurrectionis redit. Hoc linteo altare extergitur, dum tribulatio Ecclesiæ exemplo passionis Christi delinitur: deinde offertur incensum, hoc est, orationes iustorum, qui se in odorem Deo offerunt, dum corpus suum pro eo affligunt.

Cap. 162. Postea Pontifex fundit oleum super altare faciens crucem in medio eius, & super quatuor cornua eius; quia Christus super primitivam Ecclesiam, Spiritum sanctum in Ierusalem effudit, in qua & crucem subiit. Deinde per quatuor mundi partes, hæc dona fidelibus tribuit. Tunc cantatur antiphona,
Gen. xxviii. 18. *Erexit lapidem Iacob in titulum*; lapis unctus fuit. Christus Spiritu sancto a Patre scilicet oleo lætitiæ unctus in caput anguli est factus, dum uterque populus in eo est coniunctus. Ter altare ungitur, bis oleo, tertio chrismate; quia Ecclesia insignitur fide, spe, caritate. Fuso autem oleo cantatur antiphona
Ibid. xxvii. 27. *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni*. Ager latitudo mundi intelligitur, per quem Ecclesia ubique diffunditur. Hic ager vernat floribus, dum Ecclesia resplendet virtutibus: odor florum ex fragrantia bonorum operum. Rosæ sunt Martyres; lilia, virgines; violæ, seculi contemptores; virides herbæ, sapientes; floridæ, proficientes; fructibus plenæ, animæ perfectæ.

Cap. 163 Demum per parietes Ecclesiæ crucem de chrismate facit cum pollice, incipiens a dextro latere usque in sinistrum; quia unctio chrismatis a primitiva Ecclesia incipiens, pervenit ad Ecclesiam gentium. Interim cantatur an-
Ps. xlv. 5. tiphona, *Sanctificavit Dominus tabernaculum*: Ecclesia nunc est Dei tabernaculum in huius mundi itinere, quæ postea erit templum in præventione. Deinde antiphona *Lapides pretiosi*: lapides pretiosi sunt, qui sacras Scripturas condiderunt. Muri & turres Ierusalem sunt munitiones Scripturarum, quibus arcentur Iudæi, Hæretici atque pagani. Gemmæ sunt sacræ sententiæ.

PARS III. SECT. II. CAP. VIII. §. 8.

Cap. 164. Tunc Pontifex crucem incensi super altare facit, & se ad orationem submittit. Christus quoque Pontifex Pontificum incensum crucis super altare ponit, quia apud Patrem pro nobis intervenit. Crucem namque incensi facere, est passionem suam pro Ecclesia Patri ostendere, & pro nobis interpellare. Unde Pontifex incipit antipho-
nam, *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis*, cum *Gloria Patri*; quia Christus Patrem pro Ecclesia exorat, ut redemptionem, quam ipse operatus est, in ea confirmet, & omnem terram ei subiiciat... In Ierusalem quippe salvatio humani generis cœpit, & inde in mundum totum manavit. Ierusalem enim est Ecclesia, in qua templum est Christi, in quo habitavit *plenitudo di-* Coloss. ii. 9.
vinitatis corporaliter; quæ tamen per Spiritum sanctum effusa humano generi profluxit largiter. *Gloria Patri* additur, quia hanc salvationem Trinitas operatur, quia Trinitati laus & gloria proinde canitur.

Cap. 165. Post hæc Subdiaconi, vel Acolythi, vasa, linteamina & omnia ornamenta offerunt Pontifici benedicenda: sunt hi qui ornatui Ecclesiæ eliguntur, & ad servitium Ecclesiæ ab Episcopo consecrantur, & vasa Dei dicuntur. His peractis vadit Pontifex in eum locum, in quo Relliquiæ positæ nocte cum vigiliis fuerunt, & elevat eas portans in locum præparatum: ita Christus verus Pontifex, postquam nobis præparavit locum, iustos, qui in præsenti nocte se vigili mente a malo custodiunt, assumit de locis suis, & perducit eos in domum Patris sui. Unde cantatur antiphona, *Ambulate sancti Dei, ingredimini civitatem Dei*, id est, cælestem Ierusalem. Quod autem sequitur, nobis ædificata est nova Ecclesia, hoc est, *Ie-* Ps. cxxi. 3.
rusalem nova, *quæ ædificatur ut civitas*. Diversæ antiphonæ cantantur: tripudium & exultationem Angelicarum virtutum imitantur, quæ exeuntes de corpore animas comitantur, usquequo pro meritis sibi debitis in mansionibus recipiantur. Veniens Pontifex ante altare, ubi relliquiæ sunt reconditæ, extendit velum in-

Ps. lxvii. 29.

Digitized by Google

ter se & populum; quia loca animarum secreta sunt a visione mortalium.

Cap. 166. Reliquiæ in altari sigillantur, quia animæ in cælestibus collocantur. Cantatur antiphona, *Exultabunt sancti in gloria*, quia animæ ovant in angelica curia. Ps. cxlix. 5

Cap. 167. Post hæc altare vestitur, quia animæ in resurrectione corporibus vestiuntur. Nudum erat altare dum animæ sine corporibus in cælis erant collocatæ. Altare vestitur, dum anima immortali & incorruptibili corpore induetur.

Cap. 168. Post hæc Pontifex altare benedicit, & Christus Ecclesiam his verbis benedicit: *Venite Benedicti Patris mei*. Matth. xxv 34. Pontifex revertitur in sacrarium cum ordinibus suis, & induit se vestimentis aliis, & Christus revertitur in mundum ad iudicium cum ordinibus Angelicis, aliis induitur indumentis, quia servilem formam præsentabit impiis, cum videbunt in quem crucifixerunt; & iusti *Regem* gloriæ *in decore suo videbunt*. Isai. xxxiii. 17. Deinde ornatur Ecclesia, & accenduntur luminaria; quia tunc opera iustorum splendescunt, pro quibus ornati perenniter ut sol fulgebunt. Tunc incipit Cantor, *Terribilis est locus iste*. Genes. xxviii. 17. Quid terribilius illa die, quando Angeli timebunt & impii in æternum supplicium ibunt. Tunc procedit Pontifex sollemniter, & fit officium cum omni lætitia; quia peracto iudicio videbitur Deus facie ad faciem in gloria sua, *& erit Deus omnia in omnibus*, 1. Cor. xv. 28. & ut lux oculis, sic gaudium animabus.

Cap. 169. Igitur sicut in Ecclesia dedicata rite Missa celebratur, sic in Ecclesia catholica legitime sacrificatur, & extra hanc nullum sacrificium a Deo acceptatur. Et quamvis Deus ubique sive in agro, sive in eremo, vel in mari, vel in omni loco dominationis eius iuste possit ac debeat benedici, & invocari, ut puta in templo totius mundi, tamen iure opportuno tempore ad Ecclesiam a fidelibus curritur, ut ibi Deus invocetur, Matth. xviii. 19. & 20. atque adoretur, in qua omnem rem quam duo ex consensu petierunt, se daturum pollicetur, & ubi ipse duobus vel tribus in nomine eius congregatis interesse perhibetur. Iustum quippe est ut Christianus populus in oratorium quasi ad prætorium conveniat, iudicia ac mandata æterni Regis audiat, atque de convivio vituli saginati percipiat. Cum ergo populus in Ecclesiam congregatur, quasi templum Deo ad inhabitandum ædificatur. Ecclesia autem in Ecclesia, est plebs Christiana in aula dedicata. Templum quoque est in templo, baptizatus quilibet in domo consecrata.

S. Bruno Astensis *opuscul. de Ecclesiast. ritib. in* Biblioth. PP. *Lugd. in fol. ann.* 1677 *tom* 20 *pag* 1735. *Florebat sec.* xii Episcopus Signiensium Gualterio Magalensi Episcopo .... Quando Ecclesia consecratur, solus Diaconus eam ingreditur, ianuas claudens ibidem exspectat, Episcopo responsurus. Tunc Episcopus de foris aquas benedicit: non sine sale, acceptoque fasciculo hyssopi ex aquis, quas modo sanctificaverat, Ecclesiæ parietes ter circumeundo adspergit: ter quoque cum virga pastorali ianuas percutiens dicit: *Tollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales & introibit Rex gloriæ* ... Ps. xxiii. 7. Et ille, *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*. Post tertiam itaque percussionem, paucos ex Ministris secum ducens, Ecclesiam ingreditur, cetera multitudine foris exspectante. Tunc Episcopus totum alphabetum in modum crucis bis in pavimento describit; ac deinde sicut prius alias aquas sanctificat quibus non tantum sal, sed cinerem quoque miscet & vinum. His autem altare & Ecclesia interius adspergitur & consecratur. Postea vero super altare oleo & chrismate fusis, lapidem ipsum Episcopus ungit. His igitur expeditis, significationem videamus... Audi igitur quid Dominus dicat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei*. Ioan. iii. 5. Aqua enim quæ lavandis corporibus idonea est, tantam virtutem divinitus accipere meruit, ut sicut corpora a sordibus, ita & animas mundet a peccatis.

Manifestum itaque est, quod hæc aqua Baptismum significet, cuius adspersione Ecclesia consecratur, & quodammodo baptizatur.

Ipsa vero Ecclesia, eam utique Ecclesiam designat, quæ in ea continetur, id est, multitudinem; unde etiam Ecclesia vocatur, eo quod Ecclesiam contineat ... Hæc Ecclesia ex lignis, lapidibusque constructa eam Ecclesiam designat, quæ ex vivis lapidibus ædificatur: cuius lapides

Digitized by Google

non calce, sed caritate iunguntur &
1. *Cor.* III. uniuntur: cuius *fundamentum Christus*
11. *est*: cuius portæ Apostoli sunt, cuius
Apoc. XXI. 14. columnæ Episcopi sunt & doctores: in qua
unusquisque lapis tanto amplius rutilat,
quanto fidelior & melior est... Interim
autem de sale dicamus. Sal enim in divino
eloquio frequenter pro sapientia ponitur.
Coloss. IV. 6. Unde est illud: *Sermo vester sale
sit conditus*. Et Dominus Discipulis:
Marc. IX. 49. *Habete*, inquit, *sal in vobis*, *& pacem
habete inter vos*. Itemque: *Vos estis sal
Matth.* V. 13. *terræ; quod si sal infatuatum fuerit, in
quo condietur*? Hinc etiam secundum le-
Levit. II. 13. gem nulla hostia sine sale offertur, sed
in omni Sacrificio ponitur. Unde manifestum
est, quia sal pro sapientia ponitur; sic est enim sapientia condimentum
omnium virtutum, sicuti sal condimentum omnium ciborum.

Hyssopus naturaliter in petra nasci-
1. *Cor.* X. 4. tur: *Petra autem*, ait Apostolus, *erat
Christus*. Bona herba hyssopus, quæ nascitur & renascitur & radicatur in Christo. Per hanc enim etsi tota fidelium multitudo intelligi possit, præcipue tamen illi per hyssopum figurantur, qui in Christi fide radicati ab eius amore divelli & separari non possunt. Per quod quid melius quam Episcopos & Presbyteros intelligere possumus, qui quanto maiorem in Ecclesia obtinent dignitatem, tanto firmius Christi fidei inhærere debent; & per hos quidem spargitur aqua: per hos & ab his baptizantur Christi fideles: his datum est perficere baptismatis Sacramenta. Nec illud quidem prætereundum est, quod ter Episcopus Ecclesiam circumit, ter parietes aqua adspergit.

Apparet enim etiam in hoc figura Baptismatis. Audi igitur quid suis Disci-
Matth. pulis Dominus dicat: *Ite*, inquit, *docete*
XXVIII. 19. *omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Hinc est igitur, quod sacri Canones ter in aquam mergi præcipiunt eos, qui baptizantur. Quia itaque Ecclesia non potest mergi in aquas, ter ab Episcopo circumeunte adspergitur aqua. Vides ergo quam bene omnia quæ superius dicta sunt Baptismi conveniant Sacramentis? Hinc autem illud quoque videamus, quod ter cum virga pastorali Ecclesiæ ianuas Episcopus percutit.

Quid enim virga pastoralis, nisi sermo divinus & prædicatio Evangelica intelligitur? Quod autem sermo virga vocetur, Propheta de Domino testatur, dicens:
Quia percutiet terram virga oris sui, Pars III.
& spiritu labiorum suorum interficiet im- Sect. II.
pium. Virga oris, sermo est. Virga igi- Cap. VIII.
tur ianuas percutere, est aures audien- § 8.
tium prædicationis voce ferire: aures e- *Isai* XI. 4.
nim portæ sunt, per quas ad corda audientium sanctæ prædicationis verba introducimus. Unde Psalmista ait: *Qui* *Psal.* IX. 15.
exaltas me de portis mortis, ut annunciem omnes laudes tuas in portis Filiæ Sion. Quid est enim in portis filiæ Sion, nisi in auribus & auditu fidelium? Illud quoque non vacat mysterio, quod ter Episcopus ianuas percutit. Numerus iste & notissimus & sacratissimus est. In omni enim dedicatione ter semper Episcopus ianuas percutere debet: quia sine invocatione Trinitatis nullum in Ecclesia fit Sacramentum.... Expositis autem omnibus, quæ in Ecclesiæ dedicatione exterius Episcopus agit, hinc etiam quid interius faciat videamus. Ingressus enim in Ecclesiam, bis totum alphabetum scribit in pavimento; per quod vel utrumque Testamentum, vel duplex sanctarum Scripturarum intelligentia figuratur.

Sed quid est quod non in directum, sed in obliquum, & in modum crucis hæ litteræ scribuntur? Nisi quia ad hanc sanctarum Scripturarum intelligentiam pertingere non valet, qui crucis mysterium non recipit; & Christi passione non se credit esse salvatum. Soli enim Christiani hanc intelligentiam habent, qui crucis signaculo insigniti sunt.... Post hæc autem Episcopus aliam aquam benedicit, cui non tantum sal, sicut priori.. sed vinum quoque cum cinere miscet.

Hæc autem aqua Spiritum sanctum significat, sine cuius afflatione nihil umquam sanctificatur & sine cuius gratia non fit remissio peccatorum. Quod autem Spiritus sanctus aqua vocetur, ipsa veritas ostendit dicens: *Qui credit in me... Joan.* VII. 38 39.
flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ: hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum... Vide ordinem Sacramenti, & exterius aqua, & interius Spirito, Ecclesia consecratur. Hoc est enim quod Dominus ait: *Nisi* *Joan.* III. 5.
quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto. Ecce aqua, ecce Spiritus sanctus... Hac igitur aqua & ipsum altare, & totum interius templum adspergitur... Dicamus igitur, quid vinum significet: vinum hoc in loco maiorem & spiritua-

Digitized by Google

lem divinæ legis intelligentiam designat; unde ad nuptias vocatus Salvator noster in vinum aquas convertit: quatenus majori intelligentia nos erudiret, & spiritualis novæque doctrinæ nectare satiaret. [Ioan. II. 1. & seq.] Divina namque Scriptura ad litteram intellecta, aqua est sine sapore & iucunditate; quæ si spiritualiter intelligatur, vinum fit, & quidem miri saporis magnæque suavitatis. Quod enim interest inter aquam & vinum, hoc interest inter litteram & spiritum... Restat nunc ut de cinere dicamus. Sed quid cinis nisi pœnitentia? Sedere namque in cinere, cilicio indui, pœnitentium est. Hoc est enim quod de Ninivitis pœnitentibus [Ion. III. 6.] dicitur: *Quia Rex ipse surrexit de solio suo, & indutus est sacco, & sedit in cinere*. [Ps. CI. 10.] Hinc & David: *Quia cinerem tamquam panem meum manducabam, & potum meum cum fletu temperabam*... Babyloniæ quoque per Prophetam Dominus loquitur: [Isai. XLVII. 1.] *Descende, sed in pulvere virgo filia Babylonis, non est solium ultra tibi*. Unde & consuetudo in Ecclesia inolevit, ut per singulos annos in initio Quadragesimæ capita nobis cinere adspergamus. His autem & similibus facile ostenditur, quia per cinerem pœnitentia designatur... Quibus ita permixtis, accedit Episcopus ad altare, & accepto fasciculo hyssopi hac supradicta aqua adspergit, atque sanctificat Ecclesiam & altare. Sed quid altare in templo significat? Apostolus enim dicit: [1. Cor. III 17.] *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*. Si ergo templum Dei sumus, & altare habemus. Altare nostrum, cor nostrum est. Hoc est enim cor in homine, quod est altare in templo. In hoc enim altari fit sacrificium laudis & iubilationis. Unde Psalmista: [Ps. L. 19.] *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non spernit*. In hoc altari commemoratio corporis & sanguinis Christi. Hinc preces ascendunt in cælum, quia ad cor respicit Deus. Hoc igitur altare adspergitur aqua, quando corda hominum Evangelica prædicatione mundantur a peccatis.

Nam & prædicatio aqua est secundum illud: [Isai. LV. 1.] *Omnes sitientes venite ad aquas*. [Prov. XVIII. 4.] Itemque: *Aqua profunda, verba ex ore viri*: & item: [Deut. XXXII. 2.] *Reputetur sicut pluvia eloquium meum*. Hac igitur aqua, id est, Evangelica prædicatione, & sancti Spiritus sanctificatione, & cordis altare & totus homo mundatur & sanctificatur...

Dicamus igitur, quid oleum & chrisma significet... Oleum misericordiam designat, quam qui non habet, idipsum, amisit quod baptizatus est. Unde ipsa veritas ait: [Matth. XVIII. 35.] *Si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*... Hinc est etiam quod Dominus ait: [Ose. VI. 6. Matth. XII. 13.] *Misericordiam volo & non sacrificium*... Hoc igitur ungatur, hoc oleo liniatur altare cordis nostri, ut semper misericordiæ memores ... baptismi regenerationem non dimittamus.

Cui si balsamum addamus fit chrisma, quo Reges unguntur & Sacerdotes. Balsamum autem tunc iungitur oleo, quando bonus odor iungitur misericordiæ: sed quid est bonus odor? Lætitia spiritualis & bona voluntas. Unde Apostolus ait: [Rom. XII. 8.] *Qui miseretur in hilaritate: hilarem enim datorem diligit Deus*. Tali igitur chrismate ungantur Christiani, ut vero nomine vocentur Christiani: quoniam Christianus a Christo, & Christus a chrismate dicitur. Ille enim tali chrismate unctus est qui vitæ honestate, & merito sanctæ conversationis longe circumquaque suæ bonæ famæ spargit odorem. Unde Apostolus: [2. Cor. II. 15 & 14.] *Christi bonus odor sumus Deo, qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco*. Sic igitur Ecclesia consecratur, sic Dei populus innovatur, benedicitur & sanctificatur.

Duodecim autem cerei, duodecim Apostoli sunt, quorum doctrina fugatæ sunt tenebræ, quorumque prædicatione illuminatus est mundus. Lapis autem altaris non solum Christum, sed Christi quoque membra significat. De quo lapide scriptum est: [Gen. XXVIII. 18.] *Erexit Iacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper*.. Sanctorum reliquiæ in altari ponuntur. Altare quoque cordis nostri sine Sanctorum relliquiis esse non debet. Sanctorum namque relliquias in corde gestamus, si eos semper in mente habemus, si eorum dicta & exempla tenemus, eorum verba memoriæ commendamus.

S. IVO CARNOTANS. *Serm.* 4 *de Sacram. Dedicat.* Primo itaque aquam benedicimus, cui & sal admiscetur. Aqua enim pœnitentiæ figuram gerit, quæ velut aqua peccatorum maculas abluit, quam tunc benedicimus, cum virtutem pœnitentiæ populis ad fidem venientibus prædicamus... cui admiscetur sal, id est, Evangelica doctrina, fluxa auditorum corda suavi mordacitate constringens, & ad conservandam vitæ novitatem sapien-

ter componens. Ista aqua ad quamdam baptismi imaginem gyrando Ecclesiam tunc exterius (*ter*) adspergimus... Interim autem in circuitu dedicandæ Ecclesiæ duodecim sunt accensa luminaria, quibus significatur, quod commendanda sit lucens & ardens Apostolica doctrina... Ad singulos vero circuitus accedit Pontifex ad ostium basilicæ. Clero & populo subsequente: & percutit superliminare virga pastorali, cantando antiphonam: *Tollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales*. Virga enim pastoralis potestas intelligitur sacerdotalis, quam Dominus Discipulis suis contulir, quando eos ad prædicationem mittens, nihil eos in via ferre nisi virgam tantum permisit. Qua virga sancti Sacerdotes & solantur humiles, & terrent superbos, & feriunt impœnitentes. Quam potestatem a Patre Filius accipit, eamdem... suis largitus est Præsulibus cum Petro, & in eo Ecclesiæ Principibus potestatem dedit, dicens: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis. Cui ergo portæ inferi non prævalebunt*, & cui ligandi atque solvendi in cælo & in terra privilegium traditur, constat quia & cælo & terræ & inferno principetur. Cum ergo Pontifex superliminare futuræ Ecclesiæ virga pastorali ter percutit, ostendit quia sibi cæli & terræ & inferi potestas cedit: unde & post trinam percussionem ostium aperitur, quia Sacerdoti potestatem suam indigne conservanti pars adversa resistere non potest. Nam ipsa Ecclesia, antequam Pontifex eam ingrediatur, populi ignorantis & perfidiæ tenebris inclusi figuram tenet... Imperat autem Pontifex dæmonibus, seu vitiis dicendo: *Tollite portas Principes vestras*.... Aperto vero ostio intrat Pontifex cum Clero & populo, dicens: *Pax huic domui*; ter, quia Christus mundum ingrediens per assumptionem carnis nostræ, parietem inimicitiarum peccatis nostris erectum destruxit: & pacem inter Deum & hominem, inter terrestria & cælestia sui adventus mediatione reformavit. Pontifex ergo Ecclesiam ingrediens, *Pax huic domui* clamat: quia sancti Doctores hoc intendunt, ut populus qui a Deo discordaverat per peccata, ei reconcilietur per bonorum exercitia. Quod vero, intrante Pontifice in Ecclesiam, Clerus, Sacerdos & Levitæ prostrati in terram ad Dominum clamant pro sanctificatione ipsius domus; Hoc est quod Dominus ante passionem fecit pro Discipulis & ceteris fidelibus orans: *Pater, sanctifica eos, quos mihi dedisti*. Ita enim Paullus tamquam Ecclesiam ingressus, cohortatur omnes ad orationem, dicens: *Obsecro primum omnium fieri orationes, postulationes pro omnibus hominibus*, &c. Pontifex ergo dum in novam Ecclesiam, eam sanctificaturus ingreditur, & statim ad orationem se confert, Apostoli vocem complet, qui pro omnibus hominibus orationem fieri monet. Et ita adhuc eorum typum tenet, qui rudem populum docere incipiunt. Inde est quod surgens ab oratione, nondum salutat populum, dicendo, *Dominus vobiscum*: sed tantum ad orationem cunctos hortatur, quia novellus populus necdum Sacerdotis salutatione dignus videatur... Orandum ergo est pro talibus qui nondum initiati sunt, non tamen salutandi sunt, quia non est eis consentiendum vel applaudendum. Unde ipsis Prædicatoribus Dominus dicit, ut *neminem salutent in via*: id est, neminem transitoria appetentem vana spe demulceant. His completis incipit Pontifex de sinistro angulo ab Oriente scribere per pavimentum alphabetum, usque in dextrum angulum Occidentis atque iterum a dextro angulo Orientis usque ad sinistrum angulum Occidentalem basilicæ. Quid autem per alphabetum, nisi initia & rudimenta doctrinæ sacræ intelligi convenit? Unde Paullus ad Hebræos: *Cum deberetis esse magistri propter tempus, rursum indigetis, ut instruamini quæ sint elementa sermonum Dei*. Scribit etiam Pontifex alphabeti ordinem, cum docet fidei simplicitatem... In tali schemate crux figuratur, ut doctrinæ Evangelicæ, qua simplices imbuendi sunt, mors Christi principaliter inseratur. Unde Paullus Corinthiis adhuc rudibus ita dixit: *Nescivi me scire aliquid inter vos, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum*. Sinister autem angulus Orientalis a quo primus versus incipit, populus intelligitur Iudaicus, ex quo ortus est Dominus. Pervenit autem usque in angulum Occidentalem: quia cum Dominus noster ex Iudæis sit ortus, fides incarnationis eius & mortis, agen-

Ps. xxiii. 9 · *Matth. x. 9. & seq. Marc. vi. 8.* · *Matth. xvi. 18. & 19.* · *Ioan. xvii. 11.* · *1. Tim. ii. 1.* · *Luc. x. 4.* · *Heb. v. 12.* · *1. Cor. ii. 2.*

tibus est suscepta. Sed cum idem versus ab angulo Orientali dextro, revertitur ad angulum Occidentalem sinistrum, hoc significari videtur, cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel salvus erit. (Rom. XI. 25. & 6.) Utriusque ergo populi collectionem illi duo versus significant in unam crucis compaginem. Hinc est quod Iacob filiis Ioseph benedicens, (Gen. XLVIII. 14.) & cancellatis manibus effigiem crucis faciens, dextram manum supra Ephraim iunioris, sinistram super caput Manasse maioris posuit: significans quia populus quondam dexter, in sinistrum vertetur, sinisterque in dextrum... Quod vero eadem scriptura virga pastorali peragitur, significatur quod iste transitus de Iudæis ad gentes & ea denuo conversio, quæ in fine mundi consummanda est, per officium Sacerdotum perficietur. Dehinc Pontifex ad altiora conscendit; & stans (Ps. LXIX.) ante altare.....dicit: *Deus in adiutorium meum intende*, &c. absque *Alleluia*... *Alleluia* enim non huius temporis laudes, sed æternæ vitæ gloriam significat: unde mos inolevit ut in diebus Septuagesimæ ante Pascha *Alleluia* non cantetur, quia sunt dies luctus & pœnitentiæ... Postea vero benedicitur aqua commixta sale & cinere. Et aqua quidem populum significari testatur Apocalypsis dicens (Apoc. XVII. 15.) *Aquæ multæ, populi multi*: Sal autem doctrinam verbi divini signat... Cinis autem memoriam signat Dominicæ Passionis, quam significabat cinis vitulæ adspersus ad expiationem populi. Aqua ergo benedicitur, ut sanctificetur. Sal cum cinere miscetur, cum populus ut sanctificari possit, divina sapientia & fide Dominicæ passionis instruitur. Fit autem crux ter super aquam & sal & cinerem, cum fidei divinitatis & passionis, fides additur Trinitatis. Huic ergo mixturæ & vinum additur cum aqua. Quæ duo geminam naturam significant in una persona, divinitatem scilicet & humanitatem. Et est ordo intuendus. Primum Pontifex ostium initiat; deinde pro populo orat; post hæc alphabetum scribit: inde aquam cum sale & cinere benedicit, cui vinum admiscet: quia unusquisque primum sibi per confessionem portam salutis aperit; deinde est Sacerdotis pro eo orare, post hoc primordia fidei ei tradere, & quasi catechumenum facere, deinde instrui, qualiter iungi possit corpori sui Salvatoris per sacram doctrinam: docere etiam quia Christus Iesus Deus & Homo: postremo sacro fonte purificari. Hoc idem significatum est in exteriori parietum adspersione, sed non ideo hic fieri ad interiorem parietum adspersionem supervacuum videri debet: quia quidquid in exteriori sanctificatione agitur superstitiosum est, nisi interiori homine compleatur. Post hæc tangit Sacerdos digitum in aqua, & facit crucem per quatuor cornua altaris. Altare enim Ecclesiæ figuram præfert: quod per quatuor cornua distenditur, quia per quatuor mundi cardines dilatatur. Pro cuius typo Abrahæ dictum est; (Gen. XXVIII. 14.) *Dilataberis usque ad Orientem & Occidentem, Septemtrionem & Meridiem*. Bene ergo crux de aqua fit per quatuor altaris cornua: ut ostendatur omnem Ecclesiam esse mundandam a sordibus peccatorum per lavacrum aquæ & fidem passionis. Inde venit ad altare, & adspergit illud septem vicibus, quo numero significatur plenitudo Spiritus sancti, id est, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & spiritus timoris Domini. Adspergitur autem eadem aqua cum hyssopo, quæ herba est humilis, interiora pectoris purgans, & duritiam saxorum radicibus penetrans, cuius adspergine munditiæ fiebant in lege. Significabat autem humilitatem Christi, qui superbiæ nostræ tumores, sui sanguinis adspersione sanavit. Aqua ergo cum hyssopo adspergitur, cum baptismus Christi sanguine consecratus Ecclesiæ tribuitur. Circuit autem altare spargendo eamdem aquam, ut ostendat doctorem non debere otio vacare, sed eorum quos initiaverit mundationi operam dare, & ut *Dominus mittat Angelum in circuitu eorum*, (Ps. XXXIII. 8.) qui eos erudiat semper orare. Circuit dehinc totam Ecclesiam, & adspergit parietes illius: ut demonstret se omnem curam impendere omni ætati, omni sexui. Facit autem secundo & tertio, ut ostendat eos qui baptizantur, non solum esse mundandos a peccato cogitationis, sed etiam loquutionis & operis. Canitur autem interim Psalmus LXVII. *Exsurgat Deus* cum Antiphona, ut viribus destituantur qui sacramentis fidei adversantur. Cantant etiam antiphonam: *Qui habitat in adiutorio Altissimi*, (Ps. XC. 1.) asserentes nullum a Deo protegi,

nisi eum qui de viribus suis nihil præsumens, Dei adiutorium semper imploraverit. Ipse tamen Pontifex non debet quiescere, sed quasi conspicuus per mediam Ecclesiam incedere, omnes suo exemplo informare, omnibus sacramenta crucis ac mortis Domini intimare,
Iſai LVI. 7. & cantare, *Domus mea, domus orationis vocabitur*: videlicet, ut talem Eccle-
Matth. XXI. 13 siam præparet, quæ non sit *spelunca latronum, sed domus orationis*, id est,
Pſ. XXXIII. 2. non fures & latrones, sed qui *benedicant Dominum omni tempore*... His peractis Pontifex se ad orationem confert, ut omnes qui eamdem domum oraturi intraverint exauditos se esse gaudeant; ut ostendat Pontifex, se omnium subdi-
2. *Cor.* XI. 28. torum curam cum Paullo gerere, & eorum memoriam se in orationibus suis frequentare... Pontifex... fundit quod remansit de aqua purificationis ad basim altaris: quia quod ipse nequit, Deo humiliter committit, purgationem scilicet subditorum, cui ipse tamquam homo cooperari & collaborare potest. Interior autem & perfecta mundatio, solius est Dei.. Postea extergitur altare linteo.. Deinde fit incensum, quod significat orationes sanctorum, secundum quod Ioannes dixit
Apoc. VIII. 3. de Angelo, quod *data sunt ei incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum super altare, quod est in conspectu Domini*... Interea mittit Pontifex oleum super altare, in medio altaris crucem ex eo faciens, & super quatuor angulos altaris. Est quidem satis congrue ordo servatus, ut post emundationem per aquam.. perfundatur oleo altare; quia & sancta Ecclesia prius aqua mundatur in fonte baptismatis, & sic unctione insignitur per manus Pontificis, ut Spiritus Sancti in se mereatur adventum. Nam oleum gratiam significat Spi-
Rom. V. 5. ritus sancti, qui *Caritas diffunditur in cordibus* electorum ad diligendum Deum & proximum. Dehinc insignitur altare sacrosancti chrismatis unctione & inte-
Pſ. XLIV. 8. rim cantatur antiphona, *Unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, ut hac unctione intelligamus plenitudinem gratiæ, quæ præcessit in capite, & postea refulsit in corpore, cum misso desuper Spiritu, data est Apostolis manifesta chrismatum gratia, de qua dicit Apo-
Ioan. I. 16. stolus: *Omnes de plenitudine eius accepimus gratiam per gratiam*, id est, per gratiam fidei diversa charismata. Hoc est, quod de consecrato altari chrismantur in parietibus illæ duodecim cruces, quæ typum gerunt Apostolicum, qui & primitias Spiritus acceperunt, & crucis mysterium populis & gentibus manifestare studuerunt. Peracta denique consecratione, albis velaminibus cooperitur altare, quibus & sacramentum intelligitur novitatis, & prænunciatur... gloria futuræ incorruptionis. Huius enim templi non manufacti, tunc vera & ple-

PARS III. SECT. II. CAP. VIII. §. 8.

na erit consecratio, cum *passibile hoc* 1. *Cor.* XV. 53. 54.
induerit impassibilitatem, & mortale hoc acceperit immortalitatem, & completum erit in corpore quod iam præcessit in capite. Unde in Psalmo qui iam intitulatur, in dedicatione domus, ex voce Mediatoris, tam pro se quam pro membris suis, ita continetur: *Convertisti* *Pſ.* XXIX. 12
planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia. Planctum dicit mortalitatem nostram, quæ tamdiu deflenda est, quamdiu *peregrinamur a Domino*.. Hic plan- 2. *Cor.* V. 6.
ctus, hic dolor in gaudium vertitur, cum ad patriam a qua nunc exulamus, peracta peregrinatione pervenitur. ... Saccus ergo noster conscinditur, cum passibilitas & mortalitas humanæ naturæ de peccato veniens in immortalitatem commutatur.

Hugo a S. Victore *de mysteriis Eccles. cap.* 2. *in Biblioth. PP.* Hittorp. *Tom* 10. Quanto autem studio, & amore Christus sibi sponsam ornat & præparat ad cælestem dedicationem, per temporalem Ecclesiæ dedicationem ex parte significatur. Pontifex enim ter circuit Ecclesiam dedicandam, adspergens eam aqua benedicta, Clero & populo sequente. Interim extrinsecus & intrinsecus duodecim ardent luminaria. Quoties ad portam venitur (propter mysterium clausam) Episcopus percutit su-
perliminare virga pastorali dicens: *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex* *Pſ.* XXIII. 7.
gloriæ. Diaconus respondet: *Quis est* *Ibid.* 8.
iste Rex gloriæ? Cui Pontifex: *Dominus* *Ibid.* 10.
virtutum ipse est Rex gloriæ. Tertia vice reserato ostio intrat cum Clero & populo
dicens: *Pax huic domui*. Deinde cetera *Matth.* X. 12.
peragit, quæ ad dedicationem pertinent. Quæ autem hic fiunt visibiliter, omnia in anima per invisibilem virtutem Deus operatur, quæ verum templum Dei est: ubi fides fundamentum facit, spes erigit, caritas consummat. Ipsa etiam Ecclesia catholica una ex multis lapidibus

Pars III. Sect. II. Cap. VIII. §. 9.

§. 9. *De Benedictione Aquæ baptismalis.*

Part. 2 huius oper. sect. 4. c. 2. §. 11. ad fin. (a).

I. Aquæ baptismalis benedictionem ex traditione Apostolica fieri iam superius demonstrasti. Age porro, nunc paucis expedi, quo ritu fiat illa benedictio?

R. In vigiliis sollemnibus Paschæ & Pentecostes, quibus baptizabantur olim sollemniter catechumeni, benedicitur aqua baptismalis hoc ritu.

---

adunata templum Dei est: quia multa templa, unum templum quorum unus Dominus & una fides. Domus ergo dedicanda, est anima sanctificanda, aqua, pœnitentia; sal, sapientia; trina aspersio, trina immersio baptizandi; luminaria duodecim, totidem Apostoli crucis mysterium prædicantes; Pontifex, Christus: virga, eius potestas; trina percussio, cælestium, terrestrium & infernorum dominatio, *ut trina rerum machina flectat genu iam subdita*; interrogatio inclusi, ignorantia populi; apertio ostii, evacuatio peccati. Pontifex intrans pacem domui precatur, & Christus ingrediens mundum pacem inter Deum & homines facit. Deinde prostratus pro sanctificatione Dominum orat, & Christus humiliatus ad passionem pro Discipulis & credituris hominibus orabat, dicens: *Pater sanctifica eos in veritate*: Surgens non salutat, sed orat tantum, quia non est applaudendum iis, qui nondum sanctificati sunt, sed pro iis orandum .... Descriptio alphabeti in pavimento, est simplex doctrina fidei in corde humano. Versus a sinistro angulo Orientis ductus in dextrum Occidentis, & alter a dextro Orientis in sinistrum Occidentis, crucem exprimunt & collectionem utriusque populi figurant: iuxta illud quod Iacob cancellatis manibus filios Ioseph benedixit .... Quod deinde stans ante altare Deum in adiutorium invocat, significat eos, qui percepta fide ad pugnam se præparant; & quia adhuc sunt in certamine, quasi inter suspiria, nondum *Alleluia* adiungitur. Post hoc aqua benedicitur cum sale & cinere etiam addito vino aquæ mixto: aqua est populus; sal, doctrina; cinis, memoria passionis Christi; vinum aquæ mistum, Christus Deus & homo; vinum, divinitas; aqua, humanitas. Sic populus sanctificatur doctrina fidei, & memoria passionis, iunctus suo capiti Deo & homini. Unde altare & Ecclesia interius adspergitur, ut intus sicut extra spiritualis Ecclesia sanctificanda ostendatur. Adspersorium de hyssopo, humilitas est, qua adspersa mundatur Ecclesia catholica. Circuit adspergendo quasi lustrans, & curam omnibus impendens. Interim cantatur. *Exsurgat Deus, & dissipentur*, &c. Responsorium eius cum antiphona, quam sequitur alia: *Qui habitat in adiutorio Altissimi*. Et Pontifex cantat, *Domus mea domus orationis vocabitur*: & item, *Narrabo nomen tuum fratribus meis*: & quia sine Deo nullum opus proficit, in consummatione orat, ut exaudiantur beneficia ibi ingredientes petituri. His factis venit ad altare cantans: *Introibo ad altare Dei*, cum psalmo toto, &c. & quod remansit de aqua ad basim altaris effundit committens Deo quod excedit vires humanas in tanto sacramento. Deinde altare linteo extergitur; altare Christus est, linteum caro eius tunsionibus passionis ad candorem & gloriam immortalitatis perducta. Hinc Pontifex offert super altare tus in modum crucis accensum in medio altaris, & per quatuor angulos eius crucem facit de oleo sanctificato. Deinceps cruces tres per singulos parietes Ecclesiæ de eodem oleo chrismantur; & sic peracta consecratione altare albo velamine operitur. Incensum, orationes; oleum, gratiam Spiritus sancti demonstrat. Cuius plenitudo (*sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron*) descendit in Apostolos eorumque discipulos, qui crucis mysterium per quatuor climata mundi Domino cooperante prædicaverunt. Album velamen immortalitatis mysticat lætitiam, de qua Filius exultat Patri dicens: *Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia*.

Vide eadem fusius explanata ab eodem Auctore lib. 1. de Ceremoniis Ecclesiasticis cap. 1. ad 12. exclusive, quæ non nisi præcedentium repetitio sunt.

Hymnus in die Ascens. — Ioan. XVII. 17. — Pſ. LXVII. — Pſ. XC. — Iſai. LVI. 7. & Matth. XXI. 13. — Pſ. XXI. 23. — Pſ. XLII. 4. — Pſ. CXXXII. 2. — Pſ. XXIX. 12.

Prophetiis ad catechumenorum institutionem perlectis, Clerus ad fontem aquæ baptismati destinatæ procedit præcedente cruce, & Ceroferario portante cereum Paschalem. Præcedunt quoque vel sequuntur catechumeni, si qui sunt baptizandi. Interea canit chorus ex Psalm. XLI.

Pſ. XLI. 2.3. & 4.

Vers. *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei. Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies, ubi est Deus tuus?*

Deinde Sacerdos salutato prius populo, recitat hanc orationem:

Ex Miſſ. Rom.

Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius ad devotionem populi renascentis, qui sicut cervus aquarum tuarum expetit fontem; & concede propitius, ut fidei ipsius sitis baptismatis mysterio animam corpusque sanctificet. Per &c.

Tum Sacerdos iterum salutato populo, benedictionem inchoat, hoc modo:

Ibid.

Omnipotens sempiterne Deus adesto magnæ pietatis tuæ mysterio, adesto sacramentis, & ad recreandos novos populos, quos tibi fons baptismatis parturit, Spiritum adoptionis emitte: ut quod nostræ humilitatis gerendum est ministerio, virtutis tuæ impleatur effectu. Per Dominum, &c.

Sequitur Præfatio benedictionis in hunc modum:

... Pater omnipotens æterne Deus, qui invisibili potentia Sacramentorum tuorum mirabiliter operaris effectum: & licet nos tantis mysteriis exequendis simus indigni, tu tamen gratiæ tuæ dona non deserens etiam ad nostras preces aures tuæ pietatis inclinas. Deus cuius Spiritus super aquas inter ipsa mundi primordia ferebatur, ut iam tunc virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet: Deus qui nocentis populi crimina per aquas abluens regenerationis speciem in ipsa diluvii effusione signasti; ut unius eiusdemque elementi mysterio, & finis esset vitiis & origo virtutibus: Respice, Domine, faciem Ecclesiæ tuæ, & multiplica in ea regenerationes tuas, qui gratiæ tuæ affluentis impetu lætificas civitatem tuam, fontemque baptismatis aperis toto orbe terrarum gentibus innovandis; ut tuæ maiestatis imperio sumat Unigeniti tui gratiam de Spiritu sancto.

Gen. 1. 2.

Hic Sacerdos manu extensa dividit aquam in modum crucis. Deinde prosequitur:

Qui hanc aquam regenerandis hominibus præparatam arcana sui numinis admixtione fœcundet; ut sanctificatione concepta ab immaculato divini fontis utero in novam renata creaturam progenies cælestis emergat: & quos aut sexus in corpore, aut ætas discernit in tempore, omnes in veram pariat gratia mater infantiam. Procul ergo hinc, iubente te Domine, omnis spiritus immundus abscedat, procul tota nequitia diabolicæ fraudis absistat. Nihil hic loci habeat contrariæ virtutis admixtio, non insidiando circumvolet, non latendo subrepat, non inficiendo corrumpat.

Pars III. Sect. II. Cap. VIII. §. 9.

Aquam hic manu tangens, exorcismum prosequitur his verbis:

Sit hæc sancta & innocens creatura, libera ab omni impugnationis incursu, & totius nequitiæ purgata discessu. Sit fons vivus aquæ regenerans; unda purificans: ut omnes hoc lavacro salutifero diluendi, operante in eis Spiritu sancto, perfectæ purgationis indulgentiam consequantur.

Finito exorcismo facit Sacerdos tres cruces super aquam, dicens:

Unde benedico te creatura aquæ, Per † Deum vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Deum qui te in principio verbo separavit ab arida; cuius Spiritus super te ferebatur.

Hic sacerdos manu aquam dividit, & effundit eam versus quatuor partes mundi, quem ritum explicant verba sequentia: sicut enim fons paradisi, ita fons baptismalis per totam terram ad regenerandos populos extenditur.

Gen. II. 10. *Qui te de paradisi fonte manare fecit, & in quatuor fluminibus totam*
Exod. XV. 25. *terram rigare præcepit: qui te in de-*
Ib. XVII. 6. *serto amaram, suavitate indita fecit esse potabilem, & sitienti populo de petra produxit. Benedico † & per Iesum Christum filium eius unicum Dominum nostrum, qui te*
Ioan. II. *in Cana Galileæ signo admirabili*
Matth. XIV. 25. *sua potentia convertit in vinum: qui pedibus super te ambulavit, & a*
Marc. I. 9. Ioan. III. 14. *Ioanne in Iordane in te baptizatus est: qui te una cum sanguine de latere suo produxit; & discipulis suis iussit, ut credentes baptizarentur in*
Matth. XXVIII. 19. *te, dicens:* Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Hæc nobis præcepta servantibus, tu Deus omnipotens, clemens adesto, tu benignus aspira.

Hic Sacerdos Christi vices & personam gerens, eiusque minister halat ter super aquas in modum crucis, dicens:

Tu has simplices aquas tuo ore benedicito, ut præter naturalem emundationem, quam lavandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces.

Hic Sacerdos paullulum in aquam dimittit cereum Paschalem, quem iam diximus esse typum Christi post mortem vivi, aitque:

Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus sancti.

Deinde extractum cereum de aqua paullo profundius mergit, dicens voce altiori:

Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus sancti.

Postea cereum rursus extractum de aqua tertio immergit usque ad fundum, altiori adhuc voce repetens:

Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus sancti.

Et hoc dicto sufflans ter in aquam secundum figuram litteræ Græcæ Ψ prosequitur:

Totamque huius aquæ substantiam regenerandi fœcundet effectu.

Mox tollitur cereus de aqua: & Sacerdos prosequitur:

Hic omnium peccatorum maculæ deleantur, hic natura ad imaginem tuam condita, & ad honorem sui reformata principii, cunctis vetustatis squaloribus emundetur; ut omnis homo sacramentum hoc regenerationis

Digitized by Google

ingressus, in veræ innocentiæ novam infantiam renascatur. Per Dominum.

Deinde adstantes Presbyteri spargunt de aqua sic benedicta super populum: & unus de Ministris Ecclesiæ accipit in vase aliquo de illa aqua ad adspergendum in domibus & aliis locis: possuntque fideles hanc aquam domi servare ad baptizandos infantes, si necesse sit, nec possit infans ad Ecclesiam portari.

His peractis, Sacerdos fontem benedicens effundit de oleo catechumenorum in aquam in modum crucis, intelligibili voce dicens:

Sanctificetur & fœcundetur fons iste oleo salutis renascentibus ex eo in vitam æternam. Resp. *Amen.*

Eodem modo infundit de sacro chrismate, dicens: *Infusio chrismatis Domini nostri Iesu Christi, & Spiritus sancti paracleti, fiat in nomine sanctæ Trinitatis.* Resp. *Amen.*

Postea accipit ambas ampullas dicti olei sancti, & sacri chrismatis; & de utraque simul in modum crucis infundens, ait:

Commixtio chrismatis sanctificationis, & olei unctionis, & aquæ baptismatis, pariter fiat in nomine Patris † & Filii † & Spiritus sancti. Resp. *Amen.*

Tum sacrum oleum & chrisma miscet cum aqua, & spargit manu sua per omnem fontem; & si qui sunt baptizandi eos baptizat.

Oleo catechumenorum & sacro chrismate iam supra diximus consecrari quidquid Ecclesia consecrat, rationemque ritus illius tradidimus. *Huiusce c. 4. §. 3.*

In nonnullis Ecclesiis non solum cereus Paschalis ardens ter mergitur in fontem sed & de ipso Sacerdos stillare facit aliquas guttulas in fontem in modum crucis: quo ritu exprimit Christi gratia & virtute aquas penitus affici & penetrari: nam, ut supra diximus dum egimus de benedictione illius cerei, cereus Paschalis typus est & symbolum Christi ex mortuis suscitati (A). *Parte 2. huius operis sect. 4. c. 3. §. 11.*

(A) S. Cyprianus *Epist.* 70. *ad Ianuar.* Oportet ergo mundari & sanctificari aquam prius a Sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis qui baptizatur, abluere.

S. Basil. *in Psalm.* xxviii. Forsan & mystice magis vox Domini super aquas erat, quando baptizato Iesu facta est superne vox: *Hic est filius meus dilectus.* Tunc enim Dominus super aquas erat multas, eas per baptismum sanctificans. *Matth. 3. 17.*

S. Gregor. Nyssen *Orat de Baptismate, tom. 3. edit Paris in fol. ann* 1638 *pag* 369. *mihi* 801. Spiritus, qui non apparet, qui fide vocatur, qui ineffabiliter accedit .. corpus quod baptizatur, & aquam quæ baptizat, benedicit. *Et pag.* 803 Aqua quæ benedicitur, purgat & illuminat hominem.

S. Ambros. *lib.* 1. *de Sacram. cap.* 5. *num* 15. Vidisti aquam: sed non aqua omnis sanat, sed aqua sanat, quæ habet gratiam Christi. Aliud est elementum, aliud consecratio: aliud opus, aliud operatio. Aqua opus est, operatio Spiritus sancti est. Non sanat aqua, nisi Spiritus descenderit, & aquam illam consecraverit.

Num. 18. Cum forma baptismatis & usus hoc habeat, ut ante fons consecretur, & tunc descendat qui baptizandus est. Nam ubi primum ingreditur Sacerdos, exorcismum facit secundum creaturam aquæ, invocationem postea & precem defert, ut sanctificetur fons, & adsit præsentia Trinitatis æternæ.

Victor. Vitensis *Episc. lib* 2. *de persequut Wandal. num.* 17. Cæcus ... no-

mine Felix.... visitator a Domino, diciturque ei nocte per visom, dies enim Epiphaniorum illucescebat: Surge, vade ad servom meum Eugenium Episcopum, & dices ei, quia ego te ad illum direxi. Et illa hora qua benedicet fontem, ut baptizentur accedentes ad fidem, continget ocolos tuos, & aperientur, & videbis lumen.... Eugenius... pergit cum eo, comitante officio Clericorum ad fontem. Ubi fixis genibus cum ingeati gemitu, pulsans singultibus cælum crispantem benedixit alveum fontis... Et cœco respondit: Præstet tibi Dominos secundom fidem tuam, & aperiat oculos tuos. Simolqoe vexillo crocis consignat ocolos eius: statimqoe cœcus visom, Domino reddente, recepit...

ORDO ROM. I. *num.* 41. Statim veniens unus Minister tenens ampullas in manibos suis, stans in dextro corno altaris; & tunc ascendit ipse præcedens Pontificem ad fontes. Tunc deinde schola descendit ad fontes ad letaniam faciendam, exspectantes parati Pontificem. Secundus vero scholæ tenet vas aureom in manu sua sinistra soper planetam, unde Pontifex mittere debet chrisma in fontem, & iussi faciont letaniam ternam. Deinde Pontifex procedit cum omni decore, sustentatus a duobos Diaconibus: & illa duo cereostata, quæ ante foerant illuminata, semper ante ipsum procedunt, usque dum omnia finierint.

Num. 43. Letania finita, facto silentio... dat orationem, *Omnipotens sempiterne Deus*. Item alia, *Deus, qui invisibili potentia:* hic primam crucem facit, *qui hanc aquam*. cum mano sua dividens aqoam in modum crucis: secondam, *unde benedico te*: similiter tertiam, *benedico te per Iesum Christum*. Hæc omnia expleta, fundit chrisma de vasculo in fonte super ipsam aquam in modum crucis, & cum manu sua misceitat ipsum chrisma cum aqua, & spargit per omnem fontem, vel super omnem populum. Hoc facto, omnis populus, qui voloerit, accipit benedictionem in vasis suis de ipsa aqua, antequam ibi baptizentur parvuli, ad spargendom in domibus eorum & vineis, & campis, & fructibus eorum.

Append. Ordin. Rom. I. num. 9 Veniens unus Minister tenens ampullas in manibus suis, stans in dextro corno altaris: & hinc ascendit ipse præcedens Pontificem ad fontes. Tone deinde schola descendit ad fontes ad letaniam faciendam, exspectantes parationem Pontificis; & non finiunt letaniam, dicentes *Agnus Dei* semper, usqoe dum Pontifex venerit, & annuat eis ot sileant. Secundos vero scholæ tenet vas aorrom in mano sua sinistra super planetam, unde Pontifex mittat chrisma in fonte. Deinde Pontifex procedit cum omni decore sustentatus duobus Diaconibos: & illa duo cereostata, quæ ante fuerunt illominata, semper ante ipsum præcedunt, usque dum omnia finierit. Mox ut venerit ante fontes stans benedicit fontes, ut mos est. Hic primam crucem facit, *qui hanc aquam*, cum manu sua dividens aquam in modum crucis; secundam, *unde benedico te*, similiter tertiam, *benedico te per Iesum Christum*, Post fontes benedictos mittit chrisma com vase aureo, & adspergit aquam cum mano sua super populum.

ORDO ROM. X. *num.* 20. Pontifex com omni schola Clericorum descendit ad benedicendos fontes, præcedentibus Subdiaconibus cum cruce & facula & alia necessaria ad benedictionem fontium, Primicerio & Cantoribus decantante tractum, *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum*; Subdiacono vero & reliqois de Clero letaniam facientibos. Sed antequam intret ad benedictionem, dicit hanc orationem iuxta fontem, *Omnipotens sempiterne Deus*, &c. *Animam corpusque sanctificet*. *Per*. Deinde ascendit gradus, adstantibus Ministris hinc inde cum faculis; factoque silentio dicit, *Dominus vobiscum*, &c.

Num. 21. Præfatio, *Per omnia*, &c. *Gratiam de Spiritu sancto*. Hic cum manu dividat aquam in modum crucis, *Qui hanc aquam* &c. *inficiendo corrumpat*. Hic aquam manu tangat, *Sit hæc sancta & innocens creatura*, &c. *indulgentiam consequantur*. Hic faciat crucem super fontem, *Unde benedico te*, &c. *cuius Spiritus super te ferebatur*. Hic dividat aquam in quatuor partes dicens: *Qui te de paradisi fonte*, &c. *Et sitienti populo de petra produxis*. Hic iterum crucem faciat, *Benedico te per Iesum Christum*, &c. *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. *Amen*. Hic mutet vocem, quasi lectionem legens, *Hæc nobis præcepta* &c. *& purificandis mentibus efficaces*. *Per Dominum nostrum*

§. 10. *De Benedictione Aquæ lustralis, & de usu huius aquæ.*

I. Estne prisco in usu positum, ut aquam lustralem Ecclesia benedicat?

R. Benedictionem aquæ Baptismalis ex traditione Apostolica fieri iam diximus & probavimus. Nec minoris antiquitatis est ritus ille, quo aqua cum sale benedicitur diebus Dominicis ad adspersionem populi & domorum, quæ lustralis aqua dici potest. Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 131. ritum hunc Apostolicæ traditioni adscribit. Quidquid sit, constat hunc esse antiquissimum (A).

§. Super.

I. Quo ritu fit illa benedictio?

Iesum. Hic ponit cereos in aquam. & dicat secundum pristinum tonum: *Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus sancti* Hic sufflet in aquam tribus vicibus in hunc modum, *Totam huius aquæ substantiam regenerandi fœcundet efficium*. Hic tollantur cerei, *Hic omnium peccatorum maculæ deleantur*, &c. *novam infantiam renascatur. Per Dominum nostrum* &c. Hic tollatur de aqua benedicta ad spargendum in omni loco, ubicumque voluerit. Postea infundat chrisma in fontem in modum crucis super ipsam aquam, dicens: *Sanctificetur, fœcundetur iste in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.* Tunc misceat ipsum chrisma cum eadem aqua, & spargat cum manu per totum fontem.

Ordo Rom. XII. *Artic.* 14 *n.* 30. Pontifex procedit ad fontes, & benedicit eos.

Alcuinus *de divinis Offic. cap.* 19 Procedit Pontifex ad fontes benedicendos cum omni decore, prosequente eum Clero seu populo: præcedit etiam benedictus cereus, sive duo illi cerei, quos tenent Notarii, ab eodem (*cereo Paschali*) scilicet illuminati, & ampulla cum oleo & balsamo in magna reverentia ... Euntes ad fontes, canunt Litanias ter tantummodo repetendo. Quibus finitis ante fontes, & facto silentio, stante Sacerdote, sequitur benedictio fontis: *Omnipotens sempiterne Deus*, & reliq. Sequitur consecratio fontis, in modum præfationis decantanda: *Æterne Deus, qui invisibili potentia Sacramentorum tuorum*. Ad invocationem vero Spiritus sancti, quem Sacerdos celsa voce proclamat, id est, alto mentis affectu, deponitur cereus benedictus in aquam, sive illi qui ab eo illuminati sunt, ad demonstrandam scilicet Spiritus sancti præsentiam, Sacerdote iam dicente, *Descendat in hanc plenitudinem fontis*, &c. Fonte benedicto, accipit Pontifex chrisma cum oleo mixto in vase ab Archidiacono, & adspergit per medium fontis in modum crucis. Tunc Pontifex adspergit cum manu de ipsa aqua super populum. Quo facto, accipit populus de ipsa aqua in vasculis ad spargendum in domibus suis, seu agris.

S. Greg. Turon. *de gloria Martyrum, lib* 1. *cap.* 24. ... Die tertia, quod est sabbati, convenientibus ad baptizandum populis, adveniens Episcopus cum civibus suis... Tunc cum exorcismo (fontem) sanctificatum, conspersum desuper chrisma, omnis populus pro devotione haurit, & vas plenum domi pro salvatione reportat, agros vineasque adspersione saluberrima tutaturus: & cum exinde multitudo amphorarum sine collecto numero hauriatur, numquam tamen vel cumulum minuit: licet ubi infans primus intinctus fuerit, mox aqua reducitur, & baptizatis omnibus, lymphis in se reversis, ut initio produntur nescio, ita & fine clauduntur ignaro.

Lib. 2. *de mirac. S. Martini, cap.* 38. Puella quædam... ab utero matris suæ muta processit.... Mater ... imposita ori eius aqua, quam quondam de fontibus acceperat benedictis,... interrogat qualem ei saporem præberet. Illa respondit: Bonum. Tunc mater cum gaudio sospitem domum filiam refert.

(A) S. Clemens seu Actor. *Constitut. Apost. lib.* 8. *cap.* 29. *Vide hocce § litt. seq.*

S. Gregor. Turon. Episc. *Lib. de glo-*

ria Confeſs. cap. 82. *de* S. Eusitio *recluso*. Quartanariis vero tam præsens beneficium erat, ut aquam tantum benedictam ad bibendum tribuens, continuo tos redderet sanitati.

Vit. Patr. cap. 4. *de* S. Quintino *Episc. num.* 3. Omnes familiæ quæ in domo illa erant, a febre corripiuntur & parumper ingemiscentes spiritum exhalabant. Quod cum iam die tertia ageretur, videns Hortensius sibi nihil de suis servientibus reservari, timens ne etiam & ipse pariter interiret, ad sanctum virum mœstus ingreditur, proiectusque ad pedes eius cum lacrimis veniam rogat. Qoam ille benignissime indulgens, benedictam aquam domui transmisit, illaque per parietes respersa, omnis ægritudo protinus est depulsa.

Baron. S. R. E. Card. *in Annal. Eccles. ad ann. Christi* 132. *n.* 3. In libro item de Romanis Pontificibus de eodem Alexandro Papa hæc leguntur... *Hic constituit aquam adspersionis cum sale benedici in habitaculis hominum*... De aqua benedictione sanctificanda, præter id, quod apud S. Clementem est Matthæi nomine apostolica institutio: nonne

1. Tim. iv 5. Paullus ad Timotheum scribens, tradit omnem creaturam per verbum Dei & orationem sanctificari? Sic igitur non aquæ tantum, sed & olei, aliarumque rerum hominum usui inservientium, benedictionem ex Apostolica traditione iure sibi Ecclesia vendicat, exemplo Christi, qui panem turbæ daturus, an-

Luc. 12. 16. tea (inquit Lucas) illis benedixit, ac postea fregit, & distribuit Discipulis suis.

Num. 4. Huius quidem rei usus semper & ubique viguit in Ecclesia Catholica, tam apud Orientales quam etiam Occidentales, divino utique in miraculorum virtute suffragio comprobatus; & tantum abest, ut (quod Novatores oblatrant) species sit quædam incantationis atque magiæ, ut potius ad eas dissolvendas, aliasque diaboli artes avertendas, ea solita sit adhiberi. Ad hæc namque (quod S. Epiphanius scribit) ea usus est Iosephus Comes tempore Constantini;

Epiphan. Hær. 30. & quod optavit, feliciter est consequutus. Aquæ haud communis, sed quoquo modo sanctificatæ itidem adspersione,

In vita S. Hilar. S. Hilarion eodem ferme tempore, Gentilis aurigæ magias (ut de eo S. Hieronymus scribit) penitus dissipavit. Sed & Marcellus Episcopus Apameæ omnem diaboli conatum ne Iovis Apameni famosum delubrum combureretur obnitentis, aquæ signo crucis benedictæ usu penitus superavit: scribit rem gestam fusius Theodoretus. Macarium itidem aquæ benedictæ virtute magicam imposturam & dæmonum præstigias effugasse, Palladius fide certa memoriæ commendavit. S. Germanus Episcopus Antisiodori concitatos Diaboli opera tumentes maris fluctus aquæ in nomine sanctissimæ Trinitatis sanctificatæ adspersione compescuit. Sed quis in his immoror? Sexcenta propemodum de his adducenda essent exempla, petita ex diversis Sanctorum Actis fideliter scriptis, quibus magicas incantationes, aliasque pravorum dæmonum molitiones, aquæ benedictæ adspersione constat esse fugatas.

Theod. lib. 5 cap. 21. Hiſt. Eccl.

Pallad. Hiſt. Lauſiac. c. 8.

Beda de Geſtis Angl. l. 1. c. 17.

Num. 5. Aquam igitur benedicendi ad quemcumque usum, antiquam esse traditionem ex Apostolicis fontibus manantem, modo quæ sunt dicta, demonstrant.

Ad ann. Christi 398. *num.* 1. 8. *ex* Theodoret. *Hist. Eccles. lib* 5. *cap.* 2. *de* Marcello *Apameæ Episcopo narrat, quod* cum aquam signo crucis signasset, Equitium, unum ex Diaconis, fide & pietatis studio egregie munitum, aquam iubet accipere, ocyus ad delubrum currere, & cum fide eam spargere, tignisque flammam adhibere. Qua re confecta, dæmon aquæ sparsæ vim non ferens penitus aufugit. Ignis autem, aqua, suæ naturæ maxime adversaria, velut oleo fotus, tigna occupat, eaque momento temporis prorsus absumit. Itaque columnæ, basi sublata, corruunt, aliasque duodecim secum deiiciunt: ipsum præterea templi latus columnis cohærens violento illarum casu pariter deturbatum est.

Ad annum 598. *num.* 25. *ex vita* Theodori *Siceota ab* Eleusio *discipulo conscripta hæc habet*: Mulier, quæ apud illum habitabat, cum filium quadriennem cæcum haberet, in ulnis eum suis ad sanctum virum gestavit, & multis lacrimis ante ipsum prostrata, puerum ad pedes eius deposuit, supplicans, ut lumen oculorum illi largiretur. Vir beatus cum pueri oculos obsignasset, eique benedixisset, aquam benedictam matri dedit, præcipiens ut aqua illa quotidie

℟. Diebus Dominicis ante Missarum sollemnia, vel alia quavis die & hora, si necesse sit, Presbyter, amictus superpelliceo vel alba, stolam habens circa collum, dicit:

Ex Miss. Rom. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.* Resp. *Qui fecit cælum & terram.*

Deinde incipit exorcismum salis in vase præparati, aitque:

4. Reg 11.21. *Exorcizo te creatura salis per Deum† vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum: per Deum qui te per Eliseum Prophetam in* *4. Reg. 2. 21.* *aquam mitti iussit, ut sanaretur sterilitas aquæ: ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, & sis omnibus sumentibus te sanitas animæ & corporis; & effugiat atque discedat a loco in quo adspersum fueris omnis phantasia & nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus adiuratus per eum qui venturus est iudicare vivos & mortuos, & seculum per ignem.* Resp. *Amen.*

Finito exorcismo recitat sequentem orationem:

Immensam clementiam tuam omnipotens æterne Deus humiliter imploramus; ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, bene†dicere & sancti†ficare tua pietate digneris, ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis; & quidquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione cælestis nequitiæ. Per &c.

Post benedictionem salis, facit exorcismum super aquam, hoc modo.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Pa†tris omnipotentis, & in nomine Iesu†Christi filii eius Domini nostri, & in virtute Spiritus† sancti: ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas, cum angelis suis apostaticis, per virtutem eiusdem Domini nostri Iesu

---

mane oculos lavaret. Quod eum ter egisset, mater quarto die filium sanum ad sanctum virum adduxit, laudans Deum.

Ad ann. 855. *num.* 6. *de* Stephano PP. VI *ex* Anastasio *refert quod*, eum clades itaque locustarum, quæ prædecessoris sui Hadriani videlicet totam patriam pene consumpserant, male multiplicato germine nasci cœpissent, & omnia replevissent; misertus idem sanctissimus Papa afflicti populi..... ad Ecclesiam Principis Apostolorum veniens, sese cum lacrimis in orationem dedit. Cumque diutius orasset, surrexit, & aquam propriis manibus benedicens, Mansionariis præcepit, dicens: Tollite & singulis distribuite, monentes, ut in nomine Domini agros suos circumeant, & hanc aquam spargant per sata & vineas, petentes divinum sibi suffragari subsidium. Quo facto tanta omnipotentis Dei subsequuta est misericordia, ut ubicumque ipsa aqua adspersa est, nulla penitus locusta remaneret.

Ad ann. 944 *num.* 22. De rebus Germanicis valde mirandum, quod hoc quidem contigisse anno Frodoardus sic narrat: „ In transrhenensibus Germaniæ „ regionibus..... per quosdam pagos „ ignei globi ferri videbantur in aere, „ quamquam nullas illic circumvolan„ tes incenderent domos & villas. A „ quibusdam vero locis crucibus oppo„ sitis cum benedictione Episcopali & „ aqua benedicta, repellebantur. „ Hæc Frodoardus sui temporis res gestas posteris fidelissime tradens.

PARS III. SECT. II. CAP. VIII. §. 10.

Christi, qui venturus est iudicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Resp. *Amen.*

Facto exorcismo recitat orationem sequentem:

Deus qui ad salutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum substantia condidisti; adesto propitius invocationibus nostris, & elemento huic, multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ bene† dictionis effunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos dæmones morbosque pellendos, divinæ gratiæ sumat effectum: ut quidquid in locis fidelium hæc unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiæ latentis inimici: & si quid est quod aut incolumitati habitantium invidet aut quieti, adspersione huius aquæ effugiat, ut salubritas per invocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum &c. Resp. *Amen.*

Mox Presbyter ter mittit sal in modum crucis, semel dicens:

Commixtio salis & aquæ pariter fiat in nomine Patris † & Filii † & Spiritus † sancti. Resp. *Amen.*

Dehinc prosequitur benedictionem, dicens:

Dominus vobiscum. Resp. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Deus invictæ virtutis auctor, & insuperabilis imperii Rex, ac semper magnificus triumphator: qui adversæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sævitiam superas, qui hostiles nequitias potenter impugnas: te Domine trementes & supplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam salis & aquæ dignanter adspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices: ut ubicumque fuerit adspersa per invocationem sancti nominis tui, omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, & præsentia sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus, ubique adesse dignetur. Per Dominum, &c. Resp. *Amen.*

Peracta benedictione, Presbyter ex aqua illa adspergit altare, Clerum & populum: interimque canitur antiphona, *Adsperges me hyssopo, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor*, cum Psalmo L. *Miserere*, Ps. L. 9.

Tempore autem Paschali, loco illius antiphonæ & Psalmi, dicitur antiphona, *Vidi aquam egredientem de templo a latere dextro, Alleluia; & omnes ad quos pervenit aqua ista salvi sunt, & dicent. Alleluia, alleluia*, cum Psalmo CXVII. *Confitemini.*

Facta adspersione, recitat Sacerdos orationem sequentem:

Oremus

Exaudi nos Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo: per Christum Dominum nostrum, Resp. *Amen.*

I. Cur fit illa benedictio?

R. Benedictionis huius ratio &

Digitized by Google

effectus satis superque intelliguntur ex precibus ad hanc benedictionem adhibitis, & supra descriptis (B).

I. Cur sal benedictum cum aqua benedicta miscetur?

R. Sal symbolum est prudentiæ (C): symbolum est & incorruptionis: aqua symbolum est simplicitatis & puritatis. Miscet ergo Ecclesia aquam cum sale, ut quicumque ex ea adspersi fuerint, careant omni immunditia, liberentur a noxa: non in iis resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens, arceantur ab iis omnes insidiæ latentis inimici, sed Spiritu sancto adiuvante sint *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Matth. x. 16.

I. Cur fit illa benedictio singulis diebus Dominicis? PARS III SECT. II. CAP. VIII. §. 10.

R. Ut populus Christianus die Dominica congregatus, aquam hanc deferre possit in domos.

I. Cur hac aqua adspergitur altare deinde Clerus & populus?

R. Ut ab altari, in quo sacra mysteria celebranda sunt, & ab omni Clero & populo omnis infestatio maligni spiritus abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, & præsentia sancti Spiritus fidelibus adsit misericordiam poscentibus, & mox sacrificium oblaturis per manus Sacerdotis (D).

I. Cur Presbyter Missam celebraturus, aqua benedicta adspergitur

(B) S. CLEMENS, *seu* AUCTOR *constit. Apost. lib* 8 *cap* 29 De aqua autem & oleo. . constituo ego Matthæus ut benedicat Episcopus aquam aut oleum. Sin vero non adsit, benedicat Presbyter, præsente Diacono Quando autem aderit Episcopus, adsistant Presbyter & Diaconus. Hunc vero in modum dicat: *Domine sabaoth, Deus virtutum, creator aquarum, & largitor olei: misericors, & hominum studiose, qui dedisti aquam ad potum, & expurgationem, & oleum ad exhilarandum vultum in exultationem letitiæ: ipse & nunc per Christum sanctifica hanc aquam, atque hoc oleum, nomine illius qui obtulit, aut illius qua obtulit, & da vim effectricem sanitatis, morborumque expultricem, dæmonum fugatricem, omnium insidiarum profligatricem, per Christum spem nostram.* Ps. ciii. 15.

(C) MARC. IX. 48. Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur. Bonum est sal: quod si sal insulsum fuerit: in quo illud condietis? Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.

(D) DURANT. Episc Mimatensis *lib.* 4. *cap.* 4. *de ritib. Eccl* Sacerdos... aquam ex institutione Alexandri Papæ primi benedicit: altare, Ecclesiam & populum aqua benedicta conspergit, ut omnis spirituum immundorum spurcitia tam de habitaculo, quam de cordibus fidelium propellatur: hæc enim virtus aquæ exorcizatæ inest.... In canone Alexandri ita legitur: *Aquam sale adspersam populis benedicimus, ut ea cuncti adspersi sanctificentur & purificentur, quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ adspersus populum sanctificabat atque mundabat, scilicet a venialibus: multo magis aqua sale adsperta divinisque precibus sacrata populum sanctificat, atque mundat a venialibus. Et si sale adsperta per Eliseum sterilitas aquæ sanata est: quanto magis divinis precibus sacratus sal sterilitatem rerum auferet humanarum, & coinquinatos sanctificat & purgat, & cetera bona multiplicat, & insidias diaboli avertit, & a phantasmatis versutiis homines defendit*..... Circa quod considerandum quod huiusmodi adspersio alia ratione fit super populum & super altaria.... Altare enim adspergitur propter reverentiam Sacramenti quod ibidem consecrandum est, ut inde omnium malignorum spirituum præsentia arceatur: & quemadmodum Christus per altare quod esse debet lapideum significatur secun- Hebr. IX. 13. 4. Reg. II. 21

ab Episcopo, si coram eo celebraturus sit, non ipse adspergit Episcopum?

R. Quia Episcopus superior est Presbytero, nec decet inferiorem Episcopo & ab eo benedicendum, benedictionem impertiri suo superiori. Episcopus ministerium suum exercet in Presbyterum, non Presbyter in Episcopum.

I. Debetne aqua benedicta ad manum porrigi Dynastis parœchiarum?

R. Debent Dynastæ non secus ac ceteri de populo adspergi aqua benedicta, non manu accipere. In eos enim ministerium exercent Presbyteri non secus ac in reliquum populum (E).

I. Cur canitur Psalmus L. *Miserere*, dum fit adspersio?

R. Quia misericordiam interim petit populus a Deo, *Adsperges me*, inquiunt, *hyssopo, & mundabor; lavabis me & super nivem dealbabor*. Quam recte hic versus totusque Psalmus unde sumptus est huic adspersioni conveniat, nemo non videt. (Ps. L. 9.)

I. Cur in Ecclesia Narbonensi, Montispessulanea, aliisque non paucis adspersio aquæ benedictæ quotidie fit post Completorium?

R. Petit Ecclesia hoc ritu ut visitet Deus per Spiritum suum habitationem istam, & a fidelibus omnes insidias dæmonum hac nocte repellat, lavetque eos & mundet a peccatis ea die commissis. Officium enim completorii est oratio serotina, quæ recitabatur olim a fidelibus paullo ante quam lecto se darent, ut fit etiamnum in plerisque Monasteriis, in iis præsertim in quibus viget sancti Benedicti Regula.

I. Cur ponitur aqua lustralis in introitu Ecclesiarum?

---

1. Cor. x. 4. dum illud Apostoli: *Petra autem erat Christus*; & fides nostra de uno Christo & non de pluribus est: idcirco ut signum signato respondeat, unico altari adsperso universus adspergitur populus: quia ipse solus est qui tollit peccata mundi. (Joan. I. 29.) Cyprianus Papa ait quod homines aqua benedicta adsperguntur, quod valet ad sanctificationem.

(E) *Proces verbal de l'* Assemblee Generale du Clerge de France *des années* 1655 & 1656. *du Samedy* 18. *Novembre pag.* 953. Supra id quod ab Abbate de Bonzi Promotore relatum est, Curatos Urbium vel pagorum, in quibus viri Nobiles Domini degunt, vexari, ut ipsos honoribus, præter ordinem afficiant, ac præcipue in aqua benedicta; est e dignitate huius conventus stabili aliquo ac generali decreto providere, ut Curati sciant quo se modo super hac re gerere debeant. Re mature perpensa, statutum est Provinciarum sententia, ut Curati omnibus Dominicis iuxta Ritualis præscriptum aquam benedicant, & postquam adspersissent altare, & omnes Ecclesiasticos in choro stantes, aqua benedicta lustrent viros nobiles & feminas locorum in suis locis commorantes.

Ceremoniale Paris. *ann.* 1703. *in* 8. *cap. prævium pag.* xv. Caveat præsertim Parochus in adspersione aquæ benedictæ, ne ulli det occasionem offensionis, unde lites, odia & scandala oriantur; doceantque Christianos aqua lustrali non purgari, sed fœdari potius, qui mente superba vanum prærogativæ honorem tunc appetunt, cum per sinceram animi demissionem, & intimum indignitatis suæ sensum ad rem sacram peragendam fideles dignos se reddere totis viribus debeant.

R. Ut ingrediens populus per gratiam Dei hac aqua mundatus a peccatis venialibus, preces fundat puriores, impetretque facilius quod petierit.

I. Ritus ille recensne est an antiquus?

R. Ponebantur olim iuxta valvas Ecclesiæ fontes, aut vasa aqua plena, ut ingrediens populus manus, & os lavaret: decebat enim sic fieri, quia ut iam diximus, sacrum Christi corpus unusquisque extensa manu acceptum a Sacerdote, ad os deferebat. Id iam in more positum erat quarto & quinto seculo, ut constat ex Eusebio in historia Ecclesiastica, S. Paullino, Synesio & aliis (F). Porro aquam illam benedici moris erat; nihil enim est

Pars III. Sacr. II. Cap. VIII. § 10.

Instit. 87. c. 7 §. 12. n. 30.

(F) Eusebius *lib.* 10. *Histor. Eccles. cap.* 4 Hic sacrarum expiationum signa posuit; fontes scilicet ex adverso Ecclesiæ structos, qui interius sacrarium ingressuris copiosos latices ad abluendum ministrarent.

S. Paullin *Epist.* 13. *alias* 32. *ad Pammach ubi basilicam Apostolorum ab ipso Pammachio edificatam describens. ait, num.* 13 Prætento nitens atrin, fusa vestibulo est; ubi cantharum ministra manibus & oribus nostris fluenta ructantem, fastigiatus solido ære tholus ornat & inumbrat, non sine mystica specie quatuor columnis salientes aquas ambiens. Decet enim ingressum Ecclesiæ talis ornatus, ut quod intus mysterio salutari geritur, spectabili pro foribus opere signetur.

Epist. I 32 *alias* 12. *ad Severum, n* 15.

Sancta nitens famolis interluit atria
lymphis
Cantharus, intrantumque manus lavat
amne ministro.

Poemate 24. *de* S. Felice *Natal.* 9. *carm.* 463

Forsitan hæc inter cupidus spectacula
quæras,
Unde replenda sit hæc tot fontibus area
dives,
Com procul urbs, & ductus aquæ prope
nullus ab orbe
Exiguam huc tenui demittat limite guttam.
Respnndebo, nihil propria nos fidere
dextra,
Nil ope terrena confidere; cuncta potenti
Deposuisse Deo, & fontes præsumere
cælo.
Denique cisternas adstruximus undique
tectis,
Capturi fundente Deo de nubibus amnes:
Unde fluant pariter plenis cava marmora
labris.
Quod si etiam interdum eveniat defectus aquarum,
Ordine disposito varias distincta figuras,
Concharumque modis, & pictis florida
metis,
Forte erit & siccis spectabilis area vasis.
Namque tenes etiam magna Salomonis
in æde,
Quam fuerit decori siccum mare: quod
sapiens Rex
Ære dedit solido, & tauris suspendit
ahenis.

Poema 25 *de* S. Felice *Natal* 10. *carm.* 28.

Interior variis ornatibus area ridet,
Læta super tectis & aperta luce serenis
Frontibus, atque infra niveis redimita
columnis
Cuius in exposito prælucens cantharus
exstat,
Quem cancellato tegit ærea culmine turris,
Cetera dispositis stant vasa sub aere
nudo
Fonticulis, grato varie quibus ordine
fixis,
Dissidet artis opus, concordat vena metalli.
Unaque diverso fluit ore capacius unda.

S. Ioan Chrysost. *Homil.* 3. *De verbis Apost.* 2 *Corinth. Habentes &c. num.* 11. Quemadmodum enim sollemne est, ut fontes præsto sint ante oratoria, ut adoratori Deum, manus prius loras inter precandum attollant; ita pauperes fontium vice ante fores collocaverunt maio-

quo utatur Ecclesia, nisi præmissa benedictione, ut iam diximus. Ritus hic hac usque perseverat: sunt enim multæ apud nos basilicæ, iuxta quarum fores sunt fontes, nullaque est in cuius introitu aqua lustralis non habeatur. [illegible] §. 2.

I. Ad quos usus adhiberi debet aqua lustralis?

R. Iam multos illius usus tradidimus. Præterea deferri debet in domos singulas, ibique decenter & in singulis cubiculis iuxta lectum servari, ut ea aqua adspergantur singuli in iis habitantes. Illa quoque adspergi decet quandoque domos, lecta, suppellectilem.

I. Quo maxime tempore fieri debet illa adspersio?

R. Adspergi quemque decet aqua benedicta mane & vespere, ante somnum, post somnum, ante orationem, dum urget tentatio, dum instat aliquod periculum, dum agitatur aer aliqua gravi procella & tempestate, cum timetur infestatio dæmonum tempore ægritudinis. Adsperguntur quoque cadavera fidelium, cœmeteria, domus eiusque suppellex, ut omnis infestatio maligni spiritus ab iis abigatur.

I. Qua mente uti quisque debet aqua benedicta?

R. Debet unusquisque in spiritu humilitatis & fidei, & in animo contrito lavare se hac aqua.

In spiritu fidei, quia hæc aqua nihil per se operatur, nisi quatenus fidem suscipientis vel ea utentis iunctam habet precibus Ecclesiæ.

In spiritu humilitatis, & in animo contrito, quia aqua illa non abluuntur peccata, nisi quis ea detestetur, doleatque de culpis admissis: neque enim peccata remittuntur unquam nisi pœnitentibus.

I. Cur adsperguntur aqua lustrali hominum cadavera, sepulcra, cœmeteria?

R. Adsperguntur fidelium cadavera, ut impetretur illis per virtutem aquæ precibus Ecclesiæ benedictæ locus refrigerii, lucis, & pacis.

Adsperguntur sepulcra & cœmeteria, ut omnis infestatio malignorum spirituum ab iis procul abigatur.

CAPUT NONUM.

De Supplicationibus, quæ Processiones nuncupantur.

§. 1. *De processionum origine variisque speciebus. Quæ mens Ecclesiæ sit, qui scopus in variis Processionibus.*

I. Fiebantne antiquitus ab Ecclesia supplicationes, quæ Processiones nuncupantur?

R. Statim atque post acerbissimas persequutiones Ecclesiæ data pax est currente quarto seculo, necesse fuit fieri Processiones Ecclesiasticas, quarum & in veteri Testamento vestigia quædam exstant.

Quotiescumque in deserto post maris rubri transitum populus Israeliticus ab uno loco in alium movebatur, toties procedebant sollemni ritu Sacerdotes & Levitæ arcam & vasa omnia ad cultum tabernaculi necessaria deferentes; quod quidem genus Processionis erant, si quidem

Psalmos & hymnos canebant procedentes. Dum arca moveretur, inciperetque Processio, cantores intonabant Psalmum LXVII. *Exsurgat Deus, & dissipentur inimici eius*, &c. Quod & hodie initium est omnium Processionum Ecclesiasticarum.

Translatio arcæ ab urbe Cariathiarim in domum Obededom, & inde in Hebron, cuius historia legitur in libro secundo Samuelis, vera Processio fuit (A).

Sollemnis item fuit illa processio qua tempore Iuliani Apostatæ in urbem Antiochiam e suburbio Daphnitico translata sunt ossa sancti martyris Babylæ, Clero canente Psalmum CXIII. *In exitu Israel de Ægypto*, & populo ad singulos versus respondente: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & omnes qui confidunt in eis*. Qua quidem translatione triumphum egit Ecclesia de idololatria, frendente nequicquam Imperatore apostata; & insigni miraculo triumphum illum Deus honorari voluit, referentibus omnibus illius ævi Scriptoribus & Patribus (B).

Pars III. Sect. II. Cap IX. § 1.

Ps. xcvi. 7.

Ps cxiii. 8.

Nec minor pompa fuit earum Processionum quæ Mediolani factæ sunt ad transferenda sollemniter sanctorum Gervasii & Protasii, itemque SS. Nazarii & Celsi corpora, quæ sanctus Ambrosius Episcopus,

---

res nostri: ut quemadmodum manus abluimus aqua, sic prius per beneficentiam abstersa anima, tum demum preces nostras offeramus.

Synesius *Epist.* 121. *Anastasio hydracomete*... Publicus gladius non minus quam lustralis aqua quæ in templorum vestibulis collocatur, civitatis est piaculum.

(A) 2. Reg VI 2. Surrexitque David, & abiit, & universus populus, qui erat cum eo de viris Iuda, ut adducerent arcam Dei, super quam invocatum est nomen Domini exercituum sedentis in Cherubim super eam. Et imposuerunt arcam Dei super plaustrum novum: tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa: Oza autem & Ahio filii Abinadab, minabant plaustrum novum. Cumque tulissent eam de domo Abinadab qui erat in Gabaa, custodiens arcam Dei Ahio præcedebat arcam: David autem & omnis Israel ludebant coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis, & citharis & lyris & tympanis & sistris & cymbalis. ... Nuntiatumque est Regi David, quod benedixisset Dominus Obededom, & omnia eius propter arcam Dei. Abiit ergo David & adduxit arcam Dei de domo Obededom in civitatem David cum gaudio: & erant cum David septem chori, & victima vituli. Cumque transcendissent qui portabant arcam Domini sex passus, immolabat bovem & arietem. Et David saltabat totis viribus ante Dominum. Porro David erat accinctus ephod lineo. Et David & omnis domus Israel ducebant arcam testamenti Domini, in iubilo, & in clangore buccinæ... Et introduxerunt arcam Domini, & imposuerunt eam in loco suo, in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David: & obtulit David holocausta, & pacifica coram Domino. Cumque complesset offerens holocausta & pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum.

So[cr]at. *Histor. Ecclesiast. lib.* 3. *c.* 18. *Vide supra part.* 2. *sect.* 3. *cap* 2. *§.* 4. *litt.* (E)

(B) Sozom[e]n. *Hist Eccles. lib.* 5. *cap.* 19. Rufinus *Hist. Eccles lib* 10. *cap.* 35. Theod[or]et. *Hist. Eccles. lib.* 3. *cap.* 10. *Vide supra part.* 2. *sect.* 3. *cap.* 2. *§* 4. *litt* (E)

S. Chrysost. *Serm.* 1. *de S. Babyla, quæ est Hom* 58. *ad populum Antioch. Vide supra Par.* 2. *sect.* 3. *cap.* 2. *§.* 3. *litt.* (H) *&* *§.* 4. *litt.* (E)

Pars III Sect. II Cap. IX §. 1.

cui revelaverat Deus quo loco laterent, e sepulcris eruerat. Pompam hanc celebriorem effecere miracula. Cum enim corpora SS. Gervasii & Protasii digno cum honore transferrentur in Ambrosianam basilicam, non solum quos indigni vexabant spiritus, confessis iisdem dæmonibus sanabantur; verum etiam quidam plures annos cœcus civitati notissimus, cum populi tumultuantis lætitiæ caussam quæsisset atque audisset, exilivit; eoque se ut duceret suum ducem rogavit. Quo perductus impetravit admitti ut sudario tangeret feretrum SS. Martyrum. Quod ubi fecit atque admovit oculis, statim aperti sunt. Hæc narrant sanctus Augustinus, itemque S. Ambrosius, testes oculati, omni exceptione maiores (C). Narrat quoque Paullinus Diaconus inventis ab Ambrosio corporibus SS. Nazarii & Celsi, dum in Ecclesiam sollemni pompa deferrentur, liberatum fuisse quemdam a dæmone obsessum (D). Alia multa exstant exempla antiquissima similium Processionum, quæ hic referre longum esset & superfluum (E).

(C) S. Ambros. *Epist. class. 1. Epist.* 22. *ad sorar. n.* 2. Invenimus miræ magnitudinis viros duos, ut prisca ætas ferebat. Ossa omnia integra, sanguinis plurimum. Ingens concursus populi per totum illud biduum. Quid multa? Condivimus integra ad ordinem: transtulimus vespere iam incumbente ad basilicam Faustæ; ibi vigiliæ tota nocte, manus impositio. Sequenti die transtulimus ea in basilicam, quam appellant Ambrosianam. Dum transferimus, cœcus sanatus est.

S. Augus. *lib.* 9. *Confess. cap.* 7. *n.* 16. *& lib.* 22. *de Civit. Dei, cap.* 8. *num.* 2. *Vide supra Part.* 2. *sect.* 3. *cap.* 2. §. 4. *litt.* (F)

(D) Paullin. *Diacon. in vita S. Ambros. num* 32. Quo in tempore sancti Nazarii Martyris corpus quod erat in horto positum extra civitatem, levatum ad basilicam Apostolorum quæ est in Romana, transtulit.

N. 33. Quo levato corpore Martyris, & in lectica composito, statim ad sanctum Celsum Martyrem, qui in eodem horto positus est, cum sancto Sacerdote ad orationem perreximus. *Cetera vide supra part.* 2. *sect.* 3. *cap.* 2. §. 4. *litt.* (F)

(E) Baron. *in notis in Martyrol. Rom.* 25. *Aprilis*. Vetustissimum sane morem fuisse in Ecclesia Litanias peragere, certissimum est; nam quod spectat ad Ecclesiam Orientalem, S. Basilius *in Epist.* 63. *ad Neocæsarienses* tradit, in ea Ecclesia in usu fuisse Litanias etiam temporibus sancti Gregorii cognomento Thaumaturgi, eius civitatis Episcopi, qui vixit temporibus Decii Imperatoris, quas postmodum in ceteris Orientis Ecclesiis constat fuisse frequentatas; adeo ut eas sollemniori pompa etiam Ariani fuerint æmulati, ut scribit Socrat. *lib.* 6. *cap.* 8. *&* Sozom. *lib.* 8. *cap.* 8. Quas tamen Arcadius Imp. edicto promulgato illis inhibuit, *lib.* 30. *de hæretic. cod. Theod.* Litaniæ etiam reperiuntur dictæ Processiones *can.* 17. *Concilii Laodic. edit.* 2. Constat autem penes Latinos vetustiorem fuisse usum procedendi ad loca Martyrum, ut Tertul. *lib.* 2. *ad uxorem*, & Hieron. *Epist.* 22. *ad Eustoch.* Easdem itaque sive Litanias, sive Processiones dicere velimus, unusquisque Episcopus in suis Ecclesiis studiose agere consuevit. Unde de sancto Honorato Episcopo Massiliensi hæc pro magna laude Gennadius cap. 99. *Hic Litanias ad supplicandum Dei clementiam cum plebe sibi credita pro viribus agit*. Hæc ille. Porro percelebres, & ab universa pene Ecclesia receptæ sunt illæ, quas S. Mamertus Episcopus Viennensis restituit in Galliis, temporibus Valentiniani tertii Imper. anno circiter 452. ut scribit Ado Episcopus Viennen. *in chron.* quæ & Rogationes appellatæ sunt.

In Annal. Eccles. ad ann. Christ. 58. *num.* 112. Sed illud quoque ad ritum pre-

I. Quæ est origo Processionum? Quid eiusmodi ritui locum dedit?

R. Necesse fuit Processiones fieri multiplicem ob caussam.

1. Finitis persequutionibus, cum primum pace frui licuit, quæ latuerant SS. Martyrum corpora, vel Deo revelante, vel iis quorum cura sepulta fuerant indicantibus, eruebantur e locis in quibus sepulta fuerant & inde ad Ecclesiam sollemni pompa transportabantur. Quod fieri utique non poterat nisi Clero & populo ad locum sepulturæ procedente, & inde ad Ecclesiam redeunte. Necesse fuit similes Processiones fieri quotiescumque corpora Sanctorum de uno loco ad alium translata sunt, ut sæpius translata antiquitus fuisse constat (F).

3. Quotiescumque Episcopus sacrarum Missarum sollemnia sollemniter erat & ritu Pontificali celebraturus, toties, ut etiamnum fit in Ecclesia Narbonensi aliisque non paucis, omnes Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, ceterique de Clero ad domum Episcopalem sollemniter procedebant, Episcopumque Pontificalibus vestibus indutum ducebant in Ecclesiam interim antiphonas & Psalmos concinentes; quæ vera processio est (G).

3. Sæpe fiebant stationes in variis

---

candi spectat, procedentes aliquando consuevisse fideles publico conventu fundere ad Deum preces. De procedendo meminit Tertull. *lib.* 2. *ad uxorem cap.* 4.... Est mentio de Processionibus in Conc. Laodiceno, *can.* 17. Easdem a Patribus dictas esse Litanias, quod expiationis caussa indici publice consueverint, multa exempla declarant. Has ipsas in Ecclesia magni Gregorii, cognomento Thaumaturgi, peragi solitas auctor est Basilius scribens ad Neocæsarienses *Epist.* 63. Frequentatas easdem tam in Orientali quam in Occidentali Ecclesia fuisse, in diesque magis illustratas constat.

Lege Nicolai Serarii. S. I. *de processionibus lib. maxime vero caput* 3. *in quo de Processionum antiquitate fuse disserit; ac supra allata exempla & similia multa congerit ad id probandum. Hæc reperies Tom* 3. Opuscul. Theolog. *post Prolegomena Biblica edita fol. Moguntiæ* 1612.

Lege etiam Iacobi Gretseri S. I. de Catholicæ Ecclesiæ Processionibus *librum editum Ingolstadii*, 1606. *in* 4.

(F) *Vide auctoritates supra allatas hocce §. litt.* (B) *&* (C); *nobis eas hic exscribere non vacat.*

(G) Nicephorus *lib.* 13 *cap* 8. Ariani sub Theodosio sacris ædibus expulsi, extra urbis mœnia Ecclesias conventusque suos agebant. Prius autem nocturno tempore in publicis porticibus congregati, atque in choros suos segregati, carmina quædam alternis antiphonarum modo sibi invicem respondentia, ad hæresis suæ placita accommodata, concinne canebant & noctem multam in eiusmodi psalmodia consumebant. Sub auroram autem publice eadem concinentes, extra urbem in ea ubi Ecclesias habebant loca Procedebant..... Sed enim Ioannes, (*Constantinopolitanus Patriarcha*) ne aliqui ex Ecclesia sua eius generis cantibus demulsi, ab illis seducerentur, ad eumdem modum contra illos psalmodiam suam instituit. Et brevi ea celebrior, quam adversariorum esset, facta est: ut quæ & multitudine, & honorifico Progressu illos superaret. Nam eam cruces argenteæ cereos incensos habentes præibant, Eudoxia Imperatoris coniuge impensas ad eam rem præbente.

Marcus Diac. *in vita* S. Porphyrii Episc. *apud* Bollandum, 26. *Februarii*, *cap.* 3 *num* 19. Congregati Christiani cum viris & feminis & pueris numero ducentis & octoginta, rogarunt S. Porphyrium ut cum eis egrederetur, ut dimitteretur pluvia

Num. 20. Cum fuisset autem mane, accepto signo venerandæ crucis, quod nos

Ecclesiis, ad quas procedebat Sacerdos Missam celebraturus, comitante Clero & populo, & per viam Psalmos & Hymnos concinente. Peractoque ibi sollemniter officio, ad Ecclesiam eodem ritu revertebatur. Huiusmodi stationum exstant vestigia in Missali Romano, in quo etiamnum legitur: *Hodie fit statio ad sanctum Paullum. Hodie fit statio ad sanctam Anastasiam; ad SS. Laurentium extra muros, ad sanctum Clementem*, &c. Qui ritus in omnibus fere Ecclesiis retentus, primævæ est antiquitatis: leguntur enim eiusmodi stationes præscriptæ in Sacramentario Gregoriano, immo & in Gelasiano. (H)

---

præcedebat, egressi sumus cum hymnis ad antiquam Ecclesiam.

Con. Laodicenum I. *can.* 56. *sub* Sylvestro I. *ex vers. Dionysii Exigui*. Quod non oporteat Presbyteros ante processionem Episcopi introire sacrarium, & sedere; sed cum Episcopo debent ingredi, vel in subselliis sedere; nisi forsitan infirmitate detineatur, aut proficiscatur Episcopus.

(H) Ord. Rom. I. *apud* Mabill. *Tom.* 2. *Musæi Ital. num.* 1. Primo omnium observandum est, septem esse regiones Ecclesiastici ordinis urbis Romæ..... Nam primo scire oportet, ut post numerum Ecclesiasticarum regionum sciat, qui voluerit, numerum dierum per hebdomadam, quo ordine circulariter obsequantur. Nam prima feria, regio tertia, id est, Paschæ: secunda feria, regio quarta; tertia feria, regio quinta; quarta feria, regio sexta; quinta feria, regio septima; sexta feria, regio prima; Sabbato, regio secunda. Ordines proprios tam in Processione, quam in Ecclesia, vel ubicumque eos propria dies ratione sui gradus prisca statutio ire vel ministrare eo impulerit, a ministerio Pontificis non poterit sine ulla sui deesse excommunicationis vel animadversionis sententia disciplinæ. Quorum ministeria primitus secundum rationem simplicem dupliciter diebus singulis dividuntur, id est, in Processione Apostolici ad stationem, & in egressu Sacrarii usque ad missarum consummationem.

Num. 2. Diebus itaque sollemnibus, sicuti est Pascha, primo omnes Acolythi regionis tertiæ, & defensores omnium regionum convenientes diluculo in patriarchio Lateranensi, præcedunt Pontificem pedestres ad stationem. Statores autem laici a dextris & a sinistris equi ambulent, ne alicubi titubet. Qui autem eum equitantes præcedunt, hi sunt: Diacones, Primicerius, & duo Notarii regionarii, defensores regionarii, Subdiaconi regionarii. Procedunt vero divisis turmis, spatium inter se & Apostolicum facientes. Post equum vero hi sunt qui equitant: Vice-Dominus, Vestararius, Nomenculator, atque Sacellarius. Unus autem ex Acolythis Stationarius præcedit pedester equum Pontificis, gestans sanctum chrisma manu in mappula involuta cum ampulla. Sed & omnes Acolythi absque sacculis, & sindonibus, & chrismate non procedunt: quod disponit Stationarius. Si quis autem adire voluerit Pontificem, si equitat, statim ut eum viderit, descendat de equo, & ex latere viæ exspectet, usque dum ab eo possit audiri. Et petita ab eo benedictione discutiatur a Nomenculatore vel Sacellario caussa eius; & ipsi indicant Pontifici, & finiunt. Quod & similiter observabitur, etiamsi absque ulla petitione ei quisquam obvius fuerit: Qui vero pedester fuerit, tantummodo loco suo figitur ut ab eo audiatur, vel benedicatur.

Num. 3. Die autem Resurrectionis Dominicæ procedente eo ad sanctam Mariam, Notarius regionarius stat in loco qui dicitur Merolanas, & salutato Pontifice dicit: *In nomine Domini nostri Iesu Christi baptizati sunt hesterna nocte in sancta Dei genitrice Maria infantes masculi numero tanti, feminæ tantæ*. Respondet Pontifex, *Deo gratias*. Et accipit a Sacellario solidum unum: Pontifex autem pergit ad stationem. Feria secunda ad remissa simpliciter. Feria

tertia in reflexione porticus sancti Paulli, tantum item qui pedestres obsequuntur. In die vero sancti Paschæ omnes Acolythi regionis tertiæ simul & defensores omnium regionum conveniunt primo diluculo in Patriarchio Lateranensi, ut dum processerit Pontifex, equum illius præcedant. Acolythi autem, qui inde fuerint, observant, ut portent chrisma ante Pontificem, & Evangelia, sindones & sacculos, & Aquamanus post eum, sicut supra diximus. Apostolum autem Subdiaconus, qui lecturus est, sub cura sua habebit: Evangelium Archidiaconus. Aquamanus, patenam quotidianam, calicem, scyphos, & pugillares (alios argenteos) & alios aureos, & gemelliones argenteos, colatorium argenteum & aureum, & alium maiorem argenteum; amas argenteas, cantatorium & cetera vasa aurea & argentea, cereostata aurea & argentea, de Ecclesia Salvatoris per manum primi Mansionarii sumunt, & bajuli portant. Diebus vero festis calicem & patenam maiores, & Evangelia maiora de vestiario dominico exigant sub sigillo vestorarii per numerum gemmarum, ut non perdantur. Sellam autem Pontificis Cubicularius laicus præcedens deportat, ut parata sit dum in sacrarium venerit.

Num. 4. Ad denunciatam stationem diebus festis primo mane præcedit omnis Clerus Apostolicum, ad Ecclesiam, ubi statio antea fuerit denunciata, exceptis his, qui in obsequio illius comitantur, ut supra diximus: & exspectantes Pontificem in Ecclesia cum supplementario & bajulis, & reliquis qui cruces portant, sedentes in Presbyterio; Episcopi quidem ad sinistram introeuntium, Presbyteri vero ad dextram, ut quando Pontifex sederit, ad eos respiciens, Episcopos ad dextram sui, Presbyteros vero ad sinistram contueatur. Sed dum venerit Pontifex prope Ecclesiam, exeuntes Acolythi & Defensores ex regione illa, cuius dies ad officium fuerit, in obsequio præstolantur eum loco statuto, antequam veniat ubi descensurus est: similiter & Presbyter tituli vel Ecclesiæ, ubi statio fuerit, una cum maioribus domus Ecclesiæ Romanæ vel Patre diaconiæ (si tamen illa Ecclesia diaconiæ fuerit) cum subdito sibi Presbytero & mansionario thymiamaterium deferentibus in obsequium illius, inclinato capite dum venerit. Primum Acolythi cum Defensoribus, deinde Presbyteri cum suis petita benedictione, divisis hinc inde partibus, prout militant, præcedunt Pontificem usque ad Ecclesiam. Advocatores autem Ecclesiæ stant quidem cum maioribus, non autem præcedunt cum eis; sed ipsi tantummodo sequuntur Sellarem Pontificis cum Acolytho, qui aquamanus portat. Quem semper necesse est sequi Pontificem, usque dum ad altare ascendat, paratus sub humero in presbyterio, quando vocetur a Subdiacono regionario ad aquam dandam.

Ord. Rom. II. *num.* 1. Denunciata statione diebus festis, primo mane præcedit omnis Clerus Pontificem ad Ecclesiam, exceptis qui obsequio illius comitantur, qui ordine suo scribuntur, exspectantes Pontificem in Ecclesia. Sed dum venerit Pontifex prope Ecclesiam, exeuntes Acolythi & Defensores ex regione illa, cuius dies ad officium fuerit in obsequio, præstolantur eum loco statuto, antequam veniat ubi descensurus est. Similiter & Presbyter tituli vel Ecclesiæ, ubi statio fuerit, una cum maioribus domus illius civitatis, vel Patre Diaconiæ (si tamen illa Ecclesia Diaconiæ fuerit) cum subdito sibi Presbytero & Mansionario, thymiamateria deferentibus in obsequium illius, inclinato capite dum venerit. Acolythi quidem cum Defensoribus primum, deinde Presbyteri cum suis petita benedictione, divisis hinc inde partibus, prout militant, præcedunt Pontificem usque ad Ecclesiam.

Dom Ioan. Mabillon Monach. Bened. e Congreg. S. Mauri *Comment. in Ord. Rom. num.* 5 Stationis vox ambigua... hoc loco sumitur pro concursu populi ad locum indictum, id est, ad Ecclesiam, in qua processio Clericorum consistit statis diebus, ad statas preces faciendas. Antiquus quippe in urbe ritus est, ut certis diebus Clerus Romanus in unam aliquam Ecclesiam conveniat supplicationis causa, ubi sacra fiunt, aliaque divina officia. Cleri Romani processio in illas stationes duplex est, sollemnis aut privata. Hæc fit, cum unusquisque privatim in locum indictum se recipit: sollemnis vero, cum sollemni more, decantando Litanias aliasque preces, Pontifex aliique omnes eo sese recipiunt. Processiones sollemnes præcedit Collecta, id est, coadunatio Clericorum in una

PARS III. SECT. II. CAP. IX §. 1.

4. Quotiescumque urgebat aliqua publica calamitas, indicebantur preces extraordinariæ ab Episcopo. Ad sepulcra Martyrum procedebat Episcopus, comitante Clero & populo, preces eiusmodi & vota redditurus: inter eundum canebantur Psalmi, in reditu Litaniæ Sanctorum, ut fit etiamnum. Processiones illæ vocabantur *Litaniæ*, seu *supplicationes*; quod nomen hodieque *Processiones* retinent. Nam Processio, quæ quotannis fit in festo sancti Marci dicitur *Litania maior*; & Processiones quæ fiunt in Rogationibus, dicuntur *Litaniæ minores* (I).

Ecclesia, ut ex ea, quasi agmine facto, in locum stationis procedatur: sic dicta, quod in eo loco Clerus cum populo colligatur ad faciendam processinnem sollemnam. Et quia in loco, ubi fit collecta, oratio super populum funditur ante processionem, inde fit quod eiusmodi oratinnes etiam Collecta appellantur.... Eiusmndi collectæ fiebant præcipue in Qusdragesima, & in singulis triduis quatuoe temporum, propterea quod illis diebus sollemnis Processio celebrabatur; at quia forte privata erat aliis temporibus Processio, nullæ collectæ assignantur in veteri indice Collectarum & Stationum.

Geegorius Magn. stationes, antea vagas vel certis Ecelesiis scripto non addictas, in suo Sacramentario constituit, *Ordinavitque per basilicas vel beatorum Martyrum cœmeteria*, testante Ioanne Diacono in eius Vitæ *lib.* 3. *cap.* 8. Primitus vero stationes illæ institutæ fuerant vel nb Sanctorum natalitia, vel ob dies publicæ Processinnis, sive Missæ sacratiori tempore celebrandæ. Stationes nb Sanctorum natalitia fiebant in eorum memoriis vel in cœmeteriis, id est, in Ecclesiis super eorum tumulos constructis, quæ ob id cœmeteria quandoque appellantur. Hinc cum notissimæ essent Sanctorum festivitates & memoriæ, non erat necessarium ad harum stationum diem & locum assignare in Sacramentariis, in quibus quæcumque propriæ Sanctorum Missæ habebantur, publicas olim statinnes exigebant. At vero stationes aliorum dierum, puta Quadragesimæ, quatuoe temporum, Adventus, Natalis Domini, Paschatis, & similium, cum incertæ essent, eas designari oportebat, ne qua oriretue dubitatio ad quamnam Ecclesiam esset procedendum ad publicam stationem. Unde Gregorius eas certis diebus in suo Sacramentario addixit, ut a cunctis cognosci possent. Eas porro constituit passim in basilicis præcipuis, scilicet patriarchalibus & titulis; aliquando tamen in diaconiis & in oratoriis, ut in oratorio sancti Pancratii, in qua idem sanctus Pontifex Homiliam habuit. Gregorius secundus supplevit vacantes aliquot Quadragesimæ dies nempe in feriis quintis: quas stationes, ne repeterentur in titulis, in aliis Ecclesiis statuit.

(I) Domn. IOAN. MABILLON. Monachus Bened. e Congr. S. Mauri, *Comment. in Ord. Rom. num.* 5. *pag.* 34 Ceterum eiusmodi processiones, non raro Litaniæ appellantur apud antiquns Auctores. Intee primos numerandus est Arcadius Augustus, qui in rescripto adversus hæreticos, dato ad Clearchum urbis Præfectum, *interdicit iis omnibus ad Litaniam faciendam intra civitatem noctu vel interdiu profanis coire conventibus*. Ubi Litania pro supplicatione, seu Processione videtur usurpari. Quamquam temporis processu preces & rogationes, quæ in eiusmndi supplicationibus fiunt, Litaniæ vocabulo magis proprie significari mns fuit, sed maxime Sanctorum invocationes. Apposite Valafridus Strabo in cap. 28. *Notandum autem Litanias non tantum dici illam recitationem nominum, qua Sancti in adiutorium vocantur infirmitatis humanæ, sed etiam cunctas, quæ in supplicationibus fiunt, Rogationes appellari*. Principio tamen Litaniæ nomine significabatur solummodo initium nosterarum Litaniarum, ita ut *Kyrie eleison* pluries frequentaretur: quo sensu accipitur non semel in Regula sancti Benedicti. Eodem sensu usurpatum legitur in vetusto Ritnali Romanæ Ecclesiæ, qnod nobis exhibet codex Casinensis, ubi de Assumptione beatissimæ Vir-

5. Antiquissimus est ille ritus, quod hodieque retinetur, ut cum Episcopus primum intrat in urbem mittendus in possessionem sedis suæ Episcopalis; vel cum accedit ad oppidum aliquod suæ diœceseos visitaturus parochias, obviam ei procedat Clerus & populus Pontificem suum sollemniter ad Ecclesiam deducturus; interimque canantur cantica & Psalmi. Quod fiebat quoque antiquitus (ut nunc fit) quoties Rex vel supremus aliquis Princeps accedebat ad urbem aliquam suæ ditionis (K).

6. Tandem in funeribus & obsequiis sollemnis ille mos semper fuit, ut fidelium defunctorum cadavera e domo in Ecclesiam, ab Ecclesia peracto sacro in locum sepulturæ sollemni ritu deferrentur, ut nunc fit, interimque Psalmi canerentur (L).

Hæc fere origo est & primæva ratio Processionum (M). Succedente tempore factæ sunt Processiones varias ob caussas, in quibus ab Ecclesia proceditur ad circumeunda loca quædam, & sine ulla statione ad Ecclesiam reditur, canunturque interim Psalmi & Cantica. Sed mos ille procedendi, & nullibi facta statione ad Ecclesiam redeundi, nec antiquus est, nec ubique receptus. Antiquitus enim, ut fit etiamnum Parisiis aliisque in Ecclesiis non paucis, nulla fiebat umquam Processio sine statione.

Processio quæ fit in ramis Palmarum, in festo Purificationis, in festo Ascensionis, in festo Corpo-

---

ginis supplicatio præscribitur cum ter centena repetitione Litaniæ nostræ initialis. Verba ipsa huc adscribo: *In Assumptione sanctæ Mariæ, in ipsa vespera vigiliarum, præparatur quoddam portatorium in sancto Laurentio apud Lateranos: suppositaque tabula, imagine Christi Domini nostri insignita, a medio noctis concurrente populo, exeunt cum Letania ad sanctam Mariam minorem, mundatis per viam plateis, & suspensis per domos lucernis: ibique in gradibus sanctæ Mariæ deposita aliquandiu icona omnis chorus virorum, ac mulierum, genibus humiliter ante eam flexis, pugnis etiam pectora cædentes, una voce per numerum dicunt centies*, KYRIE ELEISON, *centies* CHRISTE ELEISON, *item centies* KYRIE ELEISON: *fusisque lacrimis & precibus, per sanctum Adrianum recta via vadunt ad sanctam Mariam maiorem, auditaque Missarum celebritate, ad palatium revertuntur.*

(K) BARONIUS S. R. E. Card. *Not. in Martyr. Rom.* 25. *April. Vide supra hocce §. litt.* (E)

LUDOV. THOMASSINUS Orat. D. I. Sacerd. *de antiqua Eccles. disciplina part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 58. *num.* 6. Usus circumferendæ in publico crucis ortum duxisse videtur a Processionibus publicis, ubi & iussu Chrysostomi olim circumgestatæ sunt im perhibente post Socratem Sozomeno.... Prohibuit Iustinianus *Novel* 123. ne qua Processio fieret, nisi prælata cruce quæ iter panderet, & signaret se quasi fidelium pietati.... Ubi in conspectum venere Regis Augustinus & socii, crux præibat argentea cum imagine Christi. Beda lib. 1. cap. 25. *Veniebant crucem pro vexillo ferentes argenteam & imaginem Domini Salvatoris in tabula depictam; letaniasque canentes Domino supplicabant.*

(L) S. CLEMENS, seu AUCTOR *Const. Apost. lib.* 6. *cap.* 30. In funeribus mortuorum cum Psalmis deducite eos, si fuerint fideles in Domino.

S. AUG. *Serm.* 172. *alias* 32. *de verbis Apost. cap.* 1. *num.* 2. Proinde pompæ funeris, agmina exsequiarum... vivorum sunt qualiacumque solatia, non adiutoria mortuorum.

(M) *Hæc videre est fusius probata apud supra laudatos Auctores* SERARIUM & GRETSERUM, *in libris quos* de Processionibus *ex professo conscripserunt.*

PARS III SECT. II CAP. IX §. I.

ris Christi; processio quæ fit diebus Dominicis & in præcipuis sollemnitatibus ante Missam parochialem, vel capitularem, vel conventualem; processiones quæ mane vel vespere fiunt quandoque intra ambitum Ecclesiæ, vel circumeundo claustra monasterii, vel ambitum parochiæ, vel per campos in parochiis ruralibus; processiones, inquam, illæ multis in Ecclesiis fiunt sine ulla statione. Multæ autem Ecclesiæ retinuerunt ritum veterem faciendi semper stationem aliquam in omnibus illis processionibus.

I. Quæ ratio fuit instituendi mox enumeratas a te Processiones?

R. Varia ratio fuit pro variis Processionum generibus.

Huiusce operis p. 2. sect. 4. c. 2. n. 8. & 15.

1. Iam egimus de Processionibus quæ fiunt in ramis Palmarum, in festo Purificationis, & in festo Corporis Christi.

2. Intra ambitum Parochiarum fiunt Processiones, ut impetretur a Deo per Ecclesiæ preces benedictio super fructus terræ, super domos singulas, & omnes habitantes in eis: ideoque multis in Diœcesibus solet deferri vas aquæ lustralis in eiusmodi Processionibus, ut illa aqua adspergantur campi & domus ineundo & redeundo.

3. Ob eamdem forte rationem fit singulis Dominicis diebus, ante Missam parochialem vel conventualem, Processio in circuitu interiori vel exteriori Ecclesiæ, & quandoque in circuitu Parochiæ; & in Monasteriis in claustri circuitu: Monachorum cellulæ, ut norunt omnes, in claustrorum ambitu ædificantur. Itaque Ecclesia ad sollemnem sacrosancti Sacrificii oblationem congregata, singulis diebus Dominicis ante Sacrificii oblationem percurrit domos, ut impetret a Christo orationibus suis pacem omnibus in iis habitantibus, & ad sacrificium congregatis; simulque abigantur inde omnes diabolicæ fraudes, omnes incursus latentis inimici arceantur ab iis locis. Proinde multis in Ecclesiis ad eiusmodi Processionem defertur aqua lustralis, ut fiat eius adspersio transeundo per domos. In Parochiis ad officii divini compendium hæc processio fit intra ambitum vel Ecclesiæ vel adiacentis cœmeterii. Sed in maioribus festis, in quibus officium maiori pompa & sollemnitate celebratur, ante Missam Processio fit intra ambitum Parochiæ.

I. Cur in publicis calamitatibus Episcopi Processiones indicunt?

R. Eiusmodi Processionum originem iam tradidimus; earumque ratio per se patet. In publicis calamitatibus Episcopi populos excitant ad flectendam omnimodis iram Dei. Quapropter ieiuniis, supplicationibus, eleemosynis, & sacrosancto Christi corpore palam exposito divinam ultionem averti satagunt. Sollemniter procedunt, comitante Clero & populo, ad ea loca in quibus protectionis suæ Deus fecit ostensionem. Circa urbium & parochiarum ambitum fieri processiones iubent, ut placatus Deus Ecclesiæ precibus effundat benedictionem suam in loca singula & fideles inibi habitantes.

I. Cur tempore Paschali frequentiores Processiones fiunt quam [illegible] aliquo anni tempore?

R. 1. Ut teneris adhuc terræ fructibus, & variis periculis eo maxime tempore expositis, benedictio divina Ecclesiæ precibus impetretur.

2. Forte etiam ut exprimantur variæ Christi apparitiones factæ Apostolis & Discipulis ab eius Resurrectione ad Ascensionem in cælum.

I. Cur multis in Ecclesiis fit Processio ceteris sollemnior in die Ascensionis?

R. Ut exprimatur triumphus Christi in cælum ascendentis.

Eamdem ob caussam in Galliis fit in festo Assumptionis B. Mariæ Virginis sollemnis Processio, qua exhibetur triumphus sacratissimæ Virginis Deiparæ in cælum assumptæ, ex voto Ludovici XIII. Regis Christianissimi; qui ut se Regnumque suum subiiceret clientelæ beatissimæ Virginis, Processionem hanc quotannis in perpetuum faciendam curavit.

I. Processionem quæ fit in die Ascensionis cur præcedunt Processiones tres, quæ fiunt in triduo Rogationum?

R. De supplicationibus seu Processionibus quæ fiunt in triduo Rogationum, iam egimus in secunda
Sect. 4. c. 7. parte huius operis, ubi de abstinentiis ab Ecclesia præscriptis sermo fuit.

Maxime autem verisimile est ad eiusmodi supplicationes Ecclesiam assignasse triduum ante Ascensionem, ut intelligamus neminem participem fore triumphi Christi in cælis, qui non particeps prius fuerit eius laboris, iuxta illud Aposto-
Rom. vi. 5. li: *Si complantati fuerimus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.*

Item ut intelligamus neminem introducendum in civitatem cælestem, qui prius non vixerit in terris ut advena & peregrinus; iuxta illud effatum sancti Augustini: *Qui* S. Aug. Enarr. in Ps. CXLVIII.
non gemit ut peregrinus, non gaudebit ut civis.

Præcedunt ergo supplicationes tres laboriosæ, quæ fiunt in triduo Rogationum cum ieiunio vel abstinentia. Succedit processio triumphalis, quæ fit in die Ascensionis cum lætitia & iubilo.

§. 2. *De ordine & Ritu Processionum. Itemque de precibus quæ in illis fieri solent, maximeque de Sanctorum Litaniis.*

I. Cur multarum in Gallia Diœceseon hic mos est, ut quamdiu fit Processio tamdiu campanulæ ab apparitoribus Ecclesiæ in itinere pulsentur?

R. Ut de incessu Processionis singuli hoc tinnitu præmoniti planum & expeditum iter faciant, possintque adiungere se Processioni, & eam decenter vel spectare transeuntem, vel excipere ubi pervenerit ad locum stationis. Eamdem ob rationem pulsantur maiores campanæ in Ecclesia unde processio exit, itemque in ea ad quam progreditur.

I. Cur fertur in singulis Processionibus crux erecta, & multis in diœcesibus vexillum, in quo depicta effigies est SS. Ecclesiæ Patronorum?

R. Ut significetur fideles sequi

vexillum crucis Christi, & incedere sub clientela SS. Ecclesiæ Patronorum.

Pars III. Sect. II. Cap. IX. §. 2.

I. Cur multis in Ecclesiis fertur ante crucem liber Evangeliorum, & aqua lustralis?

R. Fertur Evangeliorum liber, ut exprimatur quod ait Psaltes Regius: Ps. cxviii. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.*

§ Super. Fertur aqua lustralis, ut iam diximus, ad faciendam eius adspersionem quacumque transit processio.

I. Cur in plerisque Ecclesiis deferuntur cerei accensi inter mediam crucem?

R. Deferebantur olim honoris caussa ante Principes & Magistratus cerei accensi, ut iam diximus: ad eius rei imitationem, honoris caussa cerei accensi deferuntur inter mediam crucem in processionibus.

I. Cur in sollemnibus Processionibus ante crucem defertur turibulum fumigans?

R. 1. Ut spargantur suaves odores quacumque crux delata transit.

2. Ut significetur quod ait Apostolus, 2. Cor. ii. 15. *Christi bonus odor sumus in omni loco.*

I. Cur in processu Cleri, iuniores ordine gradiuntur primi digniores sequuntur?

R. Ritus hic ex usu vitæ civilis invaluit. Qui enim sunt in comitatu viri Principis, qui cum honore & pompa quopiam deducitur, gradiuntur primi, ipse autem Princeps comites sequitur: Igitur in Processionibus, qui graditur ultimus, locum honorificentiorem tenet: & certe in Processione sanctissimi Christi Corporis, ultimo loco post Clerum graditur qui sacrosanctum Christi corpus tenet præ manibus.

I. Cur post Clerum graditur populus?

R. Quia grex sequitur Pastorem. Quoniam autem locus Pastori proximior honorificentior est, idcirco digniores de populo Clerum proxime sequuntur in Processionibus. Sed quia ritus ille procedendi res est arbitraria, pendens ex vario Regionum more, idcirco non una eademque est ratio incedendi in singularum Ecclesiarum Processionibus.

I. In Processionibus cur non tenetur iter idem in redeundo quod in eundo?

R. Ut quasi circulus fiat, pluraque loca gradiendo percurrantur, & precibus Ecclesiæ transeuntes benedicantur & sanctificentur.

I. Quid observandum in Processionibus?

R. 1. Ea mente agenda Processio est, qua instituta fuit. Deum enim in spiritu & veritate adorari Joan. iv. 24. oportet. Et Iudaice se gerit non Christiane, qui cum litteram teneat, & spiritum & mentem non adsequitur.

2. Incedendum graviter, non festinanter, suo quisque ordine, viri primum, deinde mulieres, quantum fieri potest seorsum a viris.

3. Incedendum modeste, oculis non huc illuc vagantibus, tacite & nemini loquentes per viam, nisi urgeat necessitas.

4. Non linquenda medio in itinere Processio, sed quantum fieri potest usquequo redierit in Ecclesiam prosequenda.

5. Iungenda vox choro psallentium & canentium per totum iter, si fieri possit; sin minus, orandum tacite, & accommodandæ preces scopo Processionis.

6. Ubi perventum est ad locum stationis, orandum simul cum choro; & cavendum maxime ab eorum vel impietate, vel segnitie, vel supina ignorantia, qui dum Ecclesia ibi congregata preces fundit, qui, præcipuus est Processionis scopus, exeunt ad commessandum, vel stant extra locum stationis confabulantes, nec adiungunt se Processioni prius quam exeatur e loco stationis.

I. Quid observandum a Clero in Processionibus?

R. 1. Nullæ faciendæ Processiones insolitæ quæ non indictæ vel approbatæ sint auctoritate Ordinarii.

2. Ad amussim observanda quæ præscripta sunt in Processionali circa Rubricas & præscriptas preces, vel ab Episcopo sive in cursu visitationis, sive extra cursum visitationis aliquid statuente circa preces, ritus, loca stationum, procedendi ordinem, &c.

3. Singuli de Clero debent ad chorum convenire ad preces ante Processionem cani solitas, rursusque ad chorum reverti post reditum, nec prius exire quam ultima Collecta recitata sit.

4. Modestiæ & gravitatis in incessu & in cantu debent ceteris exemplum dare; ut hoc modo pietatem & relligionem spirantes, populum comitantem & spectantem ædificent.

5. Si forte occasione Processionis alicuius advertant abusum sensim irrepere, de eo quam primum Episcopum vel Episcopalem iurisdictionem exercentem monitum cureat (A).

(A) CONCIL. PROVINC. MEDIOLAN I. *Part.* 2. *de Processionibus*, *pag* 31. Generales Processiones a cathedrali, vel cuiusque loci maiori Ecclesia proficiscantur, & eodem revertantur, nisi aliud Episcopo videatur. Eas Canonici & alii Clerici etiam cuiusvis dignitatis sint, cum superpelliceis & usitatis aliis sacris vestibus statuto tempore semper obeant.... Cruces Clerici ferant, talari veste & superpelliceo induti, iique eiusmodi sint, ut eas apte & decore ferre possint. Omnes ordines graviter & modeste procedant, colloquiisque exclusis, psalmis, hymnis & reliquis sacris precibus operam dent.

Nemo ordinem in Processione deserat antequam ad Ecclesiam unde profecti sunt redierint.

Laici a Clericis, feminæ a viris separatim procedantur.

Ea modestia & reverentia adhibeatur, quæ piis & relligiosis huiusmodi actionibus maxime debetur.

Ne inter viam inaniter spectandi gratia subsistatur.

Ne petulanti facto dictove cuiquam molestia afferatur.

Ne quæ minus deceant, spectacula adhibeantur.

Neve actiones pro foribus ædium, aut in via repræsententur.

Qui secus fecerint, severe coerceantur.

CONCIL. PROVINC. MEDIO. II. *Decret.* 9. *p.* 56. Clerus cum in aliquam Ecclesiam, vel ad Processiones, vel ad Stationes obeundas, vel ad funus convenerit: illud meminerit, se esse in domo Dei sancta, quæ domus est orationis: quare nullus cuiusvis ordinis Clericus aut Sacerdos in Ecclesia deambulet, nec in confabulationibus, & congressibus eo loco indignis versetur: sed unusquisque, aut *Luc.* xix. 46.

solus, aut comitibus sociisque aliis adiunctis, relligiosas preces Deo in caussa adhibeat, quamobrem Clerus universus convocatus est.

Cum autem Statio celebratur, ne ullus item Clericus extra Ecclesiam maneat; sed omnes intus sint, omnique pietatis consensione, Deo statas illas preces canant

Concil. Provinc. Mediol. IV. *Tit. de Process. pag.* 127. Cum supplicationes publicas, sollemnesque fieri opus erit, primum earum caussa Processiones agantur; deinde Missa sollemniter celebretur, nisi aliter ob caussam Episcopus aliquando iusserit. Clerus etiam regularis, piarumque Confratriarum homines, populus denique omnis, cum ad Ecclesiam ubi supplicandi caussa statio fiat, processerint, inde ordine item redeant ad Ecclesiam, unde discesserint, ut etiam primo Concilio provinciali decretum est; nisi Episcopi præscripto, in Ecclesia ad quam ventum est, Processio absolvenda & dimittenda sit: tuncque inde ad suas quique Ecclesias, benedictione Episcopali, aut missione de more facta, collegiatim cruce præcedente abeant licet, peractis ante supplicationum, prout ritus est, sollemnibus precibus, atque orationibus. Quæ vero in hoc supplicationis munere, precum & orationum officia, in Ecclesia ad quam itum est, quæcumque illa sit, peragenda sunt, a Capitulo cathedralis: in diœcesi autem, a Clero primariæ secularis Ecclesiæ, non illius ad quam supplicandi caussa processum est, rite præstentur; nisi antiqua consuetudo aliud suaserit. Missæ item sacrificium, cum ibi faciendum est, illud a Capitulo Clerove cathedralis; & in diœcesi primariæ secularis Ecclesiæ sollemniter fiat. Quo tempore reliquus Clerus discedat licet, missione sollemniter facta, ut in suis quisque Ecclesiis conventualem parochialemve Missam concelebret: nisi aliter quandoque Episcopus iusserit. Clero ad Ecclesiam convenienti, Processionis, supplicationis, alteriusve ejusmodi officii caussa, locus aliquis Ecclesiæ illius, ample quantum potest patens constituatur; ubi simul universus, si potest, alioqui collegiatim saltem unusquisque ordo conveniat, & tacite precando consistat, donec illas obeat; ne per Ecclesiam vagetur, aut quidquam aliud admittat, quod Concilio provinciali secundo vetitum est. Clericorum vero sit ostiarii functiones in Ecclesia cathedrali obeuntium, Ecclesiasticos homines, supplicationum, processionumve caussa in eum certum locum congressos, si quos vagantes, deambulantes, colloquentesve animadverterint, Episcopi auctoritate prohibere: tum etiam contumacium nomina ad eumdem deferre. Constituat Episcopus certos homines, qui Clerum ad supplicationes procedentem dirigant; tumque aliquando cum opus est, eumdem subsistere moneant: tum etiam qui populum in ordine consistere, mulieres velatas incedere, aliaque eiusmodi opportune in ipsa etiam via moneant, præcipiant, atque ut serventur efficiant omni sollicitudine. In omni Processione, in illa præsertim quæ die Corporis Domini agitur, Clerus secularis superpelliceo mundo candidoque indutus ut adsit præmoneatur. Cum ad Processionem Clerus vocatur, quid psallendum, quid canendumve ei sit, ut opportunum erit, significetur. Canant omnes: cum vero aliquot canentibus, aliis canere non licet; qui bini incedunt, submissa voce psalmum, hymnum, antiphonam, precemve piam inter se dicant, supplicationi quæ fit, mysteriove convenientem. Clerici omnes seculares, & regulares, & qui in basilica cathedrali dignitates obtinent, bini semper procedant: neque item inter eos ullo modo laici homines, quocumque gradu sint, interiecti incedant; neque item inter Episcopum & eumdem laicis locus sit. Quicumque in Processione erratum contra tabellæ præscriptum commiserint; pro præscripta ratione Punctator sigillatim nominatimque illum notet. Sacrarum imaginum insignia vexillave Cleri, ne laicus homo in Processione præferat; ubi Clericus quisquam est, qui hoc munus præstare possit. In omni Ecclesia, unde ad statas Processiones Clerum, populumque egredi sollemne est, ubi primum procedendi initium fit, campanarum omnium pulsationes sollemniter tamdiu adhibeantur, quoad inde Clerus universus in Processionis munere egressus sit. Idemque cum a Processione redditur, præstetur. Itidem in Ecclesiis fiat, quæ in vicinia sunt, ubi Processio agitur. Musicis vero cuiusvis generis instrumentis in Processionibus sonari ne ullo modo permittatur. Introducere Epi-

Digitized by Google

scopi studeant, ut omnes tum mares, tum feminæ sacro sollemnitatis sanctissimi corporis Domini celligiosnque die, eam Processionis sollemnitatem non e fenestris, neque omnino e superiori loco inspiciant, sed eam prosequantur omni piæ relligiosæque venerationis studio.

Act. Eccles. Mediolan. *Part. 6. Pro supplication. seu Procession. general p. 674.* Dominica aut festo Processionis diem immediate præcedenti Parochus quilibet fideles moneat, de huius die & occasione; unde eos ut intersint Processionemque tam corpore quam animo comitentur, efficaciter adhortabitur; ut Deus omnium preces pro sua misericordia, in animarum & corporum tam nostrorum quam proximorum beneficium, dignetur exaudire, dicatque quanta modestia, devotione, & ordine hæ processiones celebrari debeant.

Hinc serotinis horis, Processionis mane præcedentibus cum in Dominico campanæ pulsabuntur, in aliis quoque Ecclesiis iterato signo campanæ pulsentur, ut moneatur populus de proxima sequentis diei Processione, ad quam ut conveniat invitatur .. Omnes de Clero, mane sequenti, in Dominicum eo veniant post campanarum signum, ut ante Processionum initium omnes congregentur. Cruces modo decenti a personis idoneis gerantur, non humeris sed rectæ, nec in aliquo loco reponantur, sed qui eam portare tenentur manibus teneant stantes.

Ecclesiæ ad quas Processiones discessuræ sunt decenter ornentur, nec pro apparatu calices, aut patenæ, similiaque huiusmodi, sed crux tantum & sacræ imagines; cum sea saltem accensis cereis collocentur.

Quisque superparum nitidum & mundum habeat non laceratum

Non chirotecas, aut pileum, aut serta, aut aliud eiusmodi gerant. Et tam ingrediendo quam egrediendo ex Ecclesia coramque altaribus, ubi per viam oratio recitatur, aut coram imagine sacra stent omnes nudo capite, & observent ordines & monita quæ ceremoniarum magister sut vicegerens iusserit.

Processionis initio tam in cathedrali, quam in aliis Ecclesiis, ubi statio a Clero habenda est, aut agenda publica supplicatio, quivis e loco se movens, ad sanctissimum Sacramentum coram altari maiori genuflectat.

. Observent omnes in via & in Ecclesia debitum silentium & modestiam.

Bini & bini procedant: quique proxime sequuntur, ab aliis præcedentibus distent sex circiter cubitis, nec maiori aut minori spatio.

Pag. 676 Campanæ tam minores quam maiores, liberæ in Ecclesiis, cum iuxta eas Processio steterit, aut in quibus fiet statio, & in iis quidem donec ingressus Clerus omnino fuerit, pulsabuntur, quæ quamdiu durabit officium silebunt.

Ibid. pro Litaniis triduanis pag. 677. Paroche reverende in sacris Litaniis, quas hebdomada post Ascensionem Domini proxima, iuxta huius Ecclesiæ ritum celebraturi estis, præcedenti Dominica die.... eam plebi vestræ hac de re instructionem agetis, quam Dominus suggeret, & officium vestrum postulat: monebitisque ut cum ea pietate & devotione celebrentur, eum qua fuerint institutæ.

Nostroque nomine monebitis ut cibus his diebus Processionum tempore tabernæ occludantur, & ab opere servili abstineatur.

Item, ut mulieres......ab hominibus separatæ incedant.

Item, monebitis ad patres-familias spectare ut hisce publicis rogationibus intersint, hique faciant, ut filii & domestici iuxta antiquam huius populi devotionem ipsos imitentur.

Monebitis etiam, ne tam homines quam mulieres in Ecclesiam, in quam pro stationibus proceditur, intrent, priusquam Clerus universus ingressus fuerit: post quem homines, & post eos mulieres, qui ordo in Processionibus servabitur, introibunt.

Tam homines quam mulieres, his diebus a pompis vanisque ornatibus abstineant; sed modestiam & pœnitentiam, ut Litaniarum institutum postulat, SS. Patres volunt, pietas christiana requirit, & hortatur Ecclesia, exterius exhibeant; cum hoc triduo, vel ex ipso apparatu, & ornamentorum colore, Stationum ordine.... aliisque ritibus, intendatur, fidelium devotionem per preces & orationes, abstinentias, vigilias, eleemosynas aliaque pœnitentiæ munia promoveri.

Pro corporis Domini Processionibus. Tam ex pietatis officio, quam ex sollemnitatis ipsius instituto, & indulgentiarum

PARS III. SECT. II. CAP. IX. §. 2.

I. Quæ preces cani solent in Processionibus?

R. Variæ illæ sunt pro vario Processionum scopo. In reditu autem Processionum fere omnium canuntur Litaniæ Sanctorum: quæ multis partibus constant.

Primo diriguntur preces ad sanctissimam Trinitatem his verbis Græcis, *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, *Kyrie eleison*, quæ sic Latine exprimuntur, *Domine miserere*, *Christe miserere*, *Domine miserere*. Deinde appellantur personæ singulæ sanctissimæ Trinitatis hoc modo *Pater de cælis Deus, miserere nobis*. *Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis*. *Spiritus sancte Deus, miserere nobis*. Tum tota Trinitas simul his verbis, *Sancta Trinitas unus Deus*, *Miserere nobis*.

Deinde invocantur sigillatim sancta Maria Virgo Deipara, sancti Angeli, sanctus Ioannes Baptista, omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ, omnes & singuli Apostoli & Evangelistæ, & sancti Disciputi Domini, omnes sancti Martyres, omnes sancti Pontifices, omnes sancti Doctores, omnes sancti Monachi & Eremitæ, omnes sancti Confessores, omnes sanctæ Virgines, omnes sanctæ Mulieres & Viduæ. Invocantur singillatim singuli Regnorum, Provinciarum, Locorum Patroni: invocantur aliquot Sancti cuiuslibet ordinis, illique præcipue qui sunt singulis in locis celebriores: invocantur denique in globo omnes Sancti & Sanctæ Dei: invocantur autem non hac formula quæ soli sanctissimæ Trinitati competit, *miserere nobis*: sed, *ora*, vel *orate pro nobis*.

Tum ad Christum oratio dirigitur, enixeque postulat Ecclesia, ut propitius sit nobis peccatoribus, ut liberet nos ab omni malo, ab omni peccato, ab ira sua, a subitanea & improvisa morte, ab insidiis diaboli, ab immundis cogitationibus, a spiritu fornicationis, ab ira & odio & omni mala voluntate, a fulgure & tempestate, demum a morte perpetua.

Quarto loco Christum obtestatur Ecclesia, ut per mysterium sanctæ Incarnationis suæ, per adventum, per nativitatem, per baptismum, per sanctum ieiunium suum, per crucem, passionem, per mortem & sepulturam, per resurrectionem

---

assequutione, debent omnes Processionibus interesse.

Fideles ergo vobis commissos moneatis, ut conveniant; nec homines aut mulieres cuiuscumque ætatis aut gradus stent aut ad ianuas, aut ad fenestras, ut videant.

Quod si tamen mulieres aliquæ Processioni interesse ex infirmitate non valuerint, moneatis & nostro nomine deprecamini, ut stantes ad ianuas cum humilitate & modestia, sine vanitate aut apparatu ibi maneant, cum sanctum Sacramentum sollemniter defertur; nec ut videantur, aut videant, cum multorum scandalo huiusque sollemnitatis despectione se fidelibus exponant.

Item mulieres moneantur ut non nisi velatæ incedant.

Nec sit aliquis, qui in Processione Clero misceatur, sed omnes nostro nomine hortabimini, ut post Clerum homines, & post eos mulieres, omnesque cum devotione & silentio procedant.

suam, per adventum Spiritus sancti liberet nos in die iudicii.

Obsecramus quinto, ut audiat nos peccatores, ut perducat nos ad veram pœnitentiam, ut compunctionem cordis fontemque lacrimarum, remissionem peccatorum, fidem, spem & caritatem nobis indulgeat.

Sexto obsecramus ut regat Ecclesiam, ut conservet summum Pontificem, Antistitem & Regem nostrum, omnes Episcopos singulosque in ordine Clericali vel Relligioso constitutos, totum denique Dominicum gregem; ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare dignetur, ut det pacem omnibus Regibus & Principibus Christianis, totique populo Christiano; ut nos in sua sancta servitute confortare, & conservare dignetur; ut mentes nostras ad cælestia desideria erigat, ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuat; ut animas nostras, fratrum, propinquorum & benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripiat; ut fructus terræ det & conservet: ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare dignetur.

Christum denique Filium Dei obsecramus, ut nos hæc omnia postulantes exaudiat: terque contestamur Agnum Dei qui tollit peccata mundi, ut parcat nobis, ut nos exaudiat, ut misereatur nostri; finiturque Litania quomodo incepta est, his verbis: *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison*.

Succedit oratio Dominica, post cuius recitationem dicuntur plures versiculi e Psalmis sumpti, variæ denique Collectæ, quibus hæc eadem postulantur, oraturque pro remissione peccatorum, pro Papa, pro Episcopo, pro Rege, pro pace, pro variis necessitatibus, denique pro vivis omnibus & defunctis (B).

CAPUT DECIMUM.

De piis usibus nulla Ecclesiæ lege præscriptis, sed fidelium arbitrio relictis.

§. 1. *De Peregrinationibus sacris*.

I. Estne prisco in more positum, ut fideles relligionis ergo proficiscantur ad loca pia, Dei opem & Sanctorum patrocinium imploraturi, ibique vota sua reddituri?

R. Ritus ille primævæ antiquitatis est. Iam a primis Ecclesiæ seculis fuit id in more positum, ut fideles proficiscerentur ad sepulcra Martyrum, ad basilicas seu oratoria ubi eorum memoriæ seu relliquiæ habebantur; ad loca præcipuorum mysteriorum operatione consecrata. Testes sunt omnes Historici & Scriptores Ecclesiastici cuiusque seculi (A).

(B) *Huiusce precandi formulæ antiquitatem doctissime defendit* SERARIUS *Tom.* 3. Opuscul. Theolog. *quem adire poteris*.

(A) EUSEBIUS *Hist. Eccles. lib. 6. cap.* 11. Divino admonitus oraculo Alexander, cum ex Cappadocia in qua primum

Episcopus fuerat ordinatus, Hierosolymam profectus fuisset, tum orandi, tum locorum visendorum gratia.

Lib. 3 *de vita Constantini, cap.* 42. Cum (Helena) debitum piæ affectionis munus Deo omnium Regi persolvere decrevisset, & pro filio suo, tanto scilicet Imperatore, ac pro filiis eius Cæsaribus Deo carissimis, nepotibus suis, gratias cum supplicationibus agendas sibi esse statuisset; quamvis afflicta iam ætate, tamen iuvenili animo properavit mulier singulari prudentia, ut terram veneratione dignam perlustraret; & Orientis provincias urbesque ac populos com regali quadam sollicitudine ac providentia inviseret. Postquam vero Servatoris nostri vestigia debito cultu venerata est, prout olim Propheticus sermo
Ps. cxxxi. 7. prædixerat: *Adoremus*, inquit, *in loco ubi steterunt pedes eius*: continuo pietatis suæ fructum posteris etiam dereliquit.

S. Hieronym. *in viris illustrib. Vita* S. Alexandri Mart. *ordine* 62. Alexander Episcopus Cappadociæ eum desiderio sanctorum locorum Ierosolymam pergeret.

S. Ambros. *Orat. de obitu Theodos. num.* 41. Helena mater.... anxia pro filio, (Constantino) cui regnom orbis Romani cesserat, festinavit Ierosolymam, & scrutata est locum Dominicæ passionis.

Num. 43. Venit ergo Helena, cœpit revisere loca sancta, infudit ei Spiritus ut lignum crucis requireret, accessit ad Golgotha, &c.

Socrates *Hist. Eccles. lib.* 7 *cap* 47. Imperator Theodosius pro acceptis beneficiis gratias & vota Deo persolvit. Quod quidem præstitit, eximiis honoribus Christum venerando. Quin etiam uxorem suam Eudociam misit Hierosolymam. Nam & illa hoc se voto obligaverat, si filiam suam nuptam vidisset. Sed illa quidem Ecclesias omnes, tam quæ Hierosolymis, quam quæ in aliis Orientis urbibus sitæ sont, variis ornamentis decoravit, & cum illuc proficisceretur, & cum rediret.

S. Gaudentius Episc. Brixiens. *Homil.* 17. *de Dedicat. Eccles. Tom.* 2. *Bibliothecæ PP. pag.* 60. (Quadraginta Martyres) se itineri meo, cum per urbes Cappadociæ Hierusalem pergerem, fideles comites præbere dignati sunt.

S. Aug. *lib.* 22. *de Civit. Dei, cap.* 8. *num.* 10 Ad eius (*S. Stephani*) memoriam veniebat magnæ multitudinis concursus & occursus.

Epist. 78. *alias* 137. *Clero & populo Hippon. num.* 3. *Cum unus e Presbyteris suis, Bonifacius nomine, a quodam turbulento Clerico calumniis impeteretur*, Elegi, *inquit S. August* ut certo placito se ambo constringerent ad locum sanctum se perrecturos, ubi terribiliora opera Dei non sanam cuiuscumque conscientiam multo facilius aperirent, & ad confessionem vel pœna vel timore compellerent.... Multis enim notissima est sanctitas loci, ubi beati Felicis Nolensis corpus conditum est, quo volui ut pergerent.

S. Ioan. Chrysost. *in Epist. ad Corinth.* 2. *cap.* 12. *Homil.* 26 *n.* 5 Hæc quippe sepulcra, aliis Imperatorum sepulcris multo splendidiora & venerabiliora facta sunt. In illis enim mira solitudo: in his ingens frequentia...... Atque hic quidem Imperator subditos suos Præfecto ita subiecit, ut ei liberum sit alios solvere, alius vinculis astringere. At Sanctorum ossa non miseram hanc abiectamque potestatem habent; verum illa multo maiorem. Dæmones enim sistunt & excruciant, acerbissimisque illis vinculis, eos, qui astricti sunt, solvunt.... Ideo nemo est qui peregrinationem umquam inire sustineat, ut Imperatorum aulas videat: contra multi plerumque Imperatores peregre profecti sunt, ut hoc spectaculo fruerentur.

S. Hieron. *Epist.* 44 *alias* 17. *Paullæ & Eustoch. ad Marcellam*. Longum est nunc ab ascensu Domini usque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Ierosolymam putantes minus se relligionis, minus habere scientiæ; nec summam, ut dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Evangelium de patibulo coruscaverat.

S. Sulpitius Severus *lib.* 2. *Histor. sacræ edit. Lugd. Batav. in* 8 *ann.* 1647. *pag.* 388. Helena, mater Principis Constantini.... cum Hierosolymam agnoscere concupisceret..... basilicam in loco Dominicæ Passionis & Resurrectio-

nis & Ascensionis constituit. ... Et cum quotidie CONFLUENTIUM fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non sentit.

S. PAULLIN *Epist.* 11. *ad Severum nunc* 31. *n.* 4 ... Helena ... divino ... inspirata consilio, cum Hierosolymam agnosceret, quæ Augusta cum filio conregnabat, eum rogavit ut sibi facultatem daret cuncta illic loca Dominicis impressa vestigiis & divinorum erga nos operum signata monimentis purgare, destructis templis & idolis.

Num. 5. Regina illa venerabilis ut venit Hierosolymam, diligenter & pie locis illic & circa omnibus, divinorum cutinsa insignium, & oculis haurire gestiens fidem, quam piis auribus litterisque perceperat, crucem Domini studiosissime inquirere adorsa est.

Num. 6. Neque præter hanc (Paschæ) diem, ... profertur, nisi interdum religiosissimi postulent, qui hac tantum caussa illo peregrinati advenerint, ut sibi eius revelatio quasi in pretium longinquæ peregrinationis deferatur.

Epist. 17. *alias* 13. *num.* 1. Romam ad venerabilem sollemnitatis Apostolicæ diem profecti sumus, concursum nobis illic tuum debita quidem, sed tamen festina meditatione promittentes.

Epist. 20. *alias* 16. *ad Delphin. num.* 2. Romæ cum sollemni consuetudine ad beatorum Apostolorum natalem venissemus, tam blande, quam honorifice excepit (*Anastasius Rom. Pontif.*)

Epist. 43. *alias* 35. *ad Desider. num.* 1. Cum Apostolicam sollemnitatem voti nostri & itineris annui socius celebrasset.

Epist. 49. *alias* 36. *ad Macar. num.* 14. Non enim alter affectus homines ad Hierosolymam rapit, nisi ut loca, in quibus corporaliter præsens fuit Christus, videant atque contingant; possintque & de suo fructu edicere: *Introivimus in* Ps. cxxxi. 7. *tabernacula eius, & adoravimus ubi steterunt pedes eius* .... Religiosa cupiditas est loca videre, in quibus Christus ingressus, & passus est & resurrexit, & unde conscendit: & aut de ipsis locis exiguum pulverem, aut de ipso crucis ligno aliquid saltem festucæ simile sumere & habere, benedictio est.

Poëmate 14. *de* S. FILICE 3. *Carm.* 53.

Stipatam multis unam iuvat urbibus urbem
Cernere, totque uno compulsa examina voto.
Lucani coeunt populi, coit Appula pubes,
Et Calabri, & cuncti quos adluit æstus uterque,
Qui læva & dextra Latium circumsonat unda:
Et qua bis ternas Campania læta per urbes
Ceu propriis gaudet festis, quos mœnibus amplis
Dives habet Capua, & quos pulcra Neapolis, aut quos
Gaurus alit, læta exercent qui Massica, quique
Ufentem Sarnumque bibunt, qui sicca Tanagri,
Quique colunt rigui felicia culta Galesi,
Quos Atina potens, quos mater Aricia mittit.
Ipsaque cælestum sacris procerum monumentis
Roma Petro Paulloque potens, rarescere gaudet
Huius honore diei portæque ex ore Capenæ
Millia profundens ad amicæ mœnia Nolæ
Dimittit duodena decem per millia denso
Agmine: confertis longe latet Appia turbis.
Nec minus, ex alia populis regione profectis,
Aspera montosæ carpuntur strata Latinæ,
Quos Præneste altum, quos fertile pascit Aquinum:
Quosque suburbanis vetus Ardea mittit ab oris,
Quique urbem liquere Cales, geminumque Teanum:
Quam gravis Auruncus, vel quam colit Appulus asper.
Huc & olivifero concurrit turba Venafro,
Oppida Samnites duri montana relinquunt.
Vicit iter durum pietas, amor omnia Christi
Vincit, & alma fides: animisque locisque rigentes
Suadet acerba pati, simul aspera ponere corda.

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. X. §. I.

I. Deus ubique per immensitatem præsens est: quæ ergo necessitas longe proficiscendi ad eum invocandum, quasi vero ubique invocari non possit, ubique exercere opera suæ misericordiæ & potentiæ non valeat?

R. Nulla necessitas est, ideoque nulla Ecclesiæ lege præscriptæ peregrinationes eiusmodi; sed invisere pio affectu loca sacra in quibus Deus signa quædam suæ protectionis exeruit, id laudabile & pium est.

I. In quo laudabile?

R. In eo quod 1. sacra peregrinatio pia intentione suscepta fidei Christianæ quædam professio & exhibitio est.

2. Vulgo qui peregrinationes illas suscipiunt, non curru vel iumento vehuntur, sed pedites incedunt; atque ita labore itineris carnem macerant, & pœnitentiam agunt: quod confert ad peccatorum remissionem, & animæ salutem.

3. Ipsa inspectio locorum, in quibus suam Deus potentiam & misericordiam exhibuit, præsentia sacrorum pignorum quæ ibi relligiose servantur, exemplum ceterorum fidelium ibidem ardenter orantium, fidem excitat, & fervorem in iis qui illuc adveniunt ad fundendas preces,

4. Miracula certa & minime dubia, quæ Deus aliquando operatur in gratiam eorum qui sacras has peregrinationes cum intentione recta suscipiunt, probant gratam & acceptam esse Deo eiusmodi devotionem.

I. Expeditne singulis indiscriminatim consulere, ut sacras eiusmodi peregrinationes suscipiant?

R. Minime. Sed sedulo perpendendum quo quisque in statu positus sit, quibus quisque in rerum circumstantiis versetur, ne quid temere vel suscipiatur, vel cuiquam consulatur.

1. Agendum circa peregrinationes quemadmodum agitur ceteris in rebus quæ nulla lege præcepta sunt, sed relicta singulorum arbitrio & devotioni. Implenda primum præcepta, nec prius vacandum rebus quæ meri consilii sunt & liberæ devotionis, quales sunt peregrinationes sacræ, quam sedulo perspectum sit num isthæc cohæreant cum officiis quibus unusquisque obligatur. Male ergo agit omnino qui cum aliis invigilare teneatur, utpote præpositus alicui Regioni, Diœcesi, Parochiæ, Familiæ, neglecta cura subditorum, peregrinationem longinquam relligionis ergo suscipit. Nec futilis & vana est istiusmodi relligio.

2. Mature ponderandum quæ sit cuiusque indoles, quæ natura, quod ingenium, qua quisque ratione affectus sit, quæ cuique pericula cavenda: ceteraque omnia caute exami-

Una dies cunctos vocat, una & Nola receptat,
Totaque plena suis, spatiosaque limina cunctis;
Credas innumeris ut mœnia dilatari
Hospitibus; sic Nola assurgit imagine Romæ.

Vide quatuor libros Gretzeri *e Soc. Iesu de peregrinationibus ubi multa scitu utilia reperiuntur.*

randa, quæ vel a proposita peregrinatione deterrere, vel ad eam suscipiendam impellere virum prudentem possunt. Nec debet quisquam suscipere peregrinationem sacram, si longinqua sit, inconsulto Confessario qui sit vir prudens, cautus, peritus, & rerum experientia polleat. Plerumque enim usuvenit, ut prætexta peregrinatione sacra multi abusus intolerabiles irrepant.

I. Qui abusus?

R. Frequentes illi sunt & multiplices: præcipuos subiungam, ut ab illis caveatur.

1. Multi non pietatis & relligionis caussa sacras peregrinationes suscipiunt; sed vel curiositatis, vel levitatis, vel quandoque procacis licentiæ caussa, ut subtrahant se obedientiæ & vigilantiæ parentum, ut vitam agant desidem, inertem & vagabundam, ne peius dicam.

2. Sunt qui sub relligionis prætextu currunt ad loca pia, non ut pietatem foveant, sed ut posthabito Pastore vel Confessario tenaci Canonum pœnitentialium, nec temere deflectente a regulis ab Episcopo traditis ad sacramenti pœnitentiæ administrationem, quærant Confessarios laxiores & indulgentiores. Næ illi tota via aberrant, & semetipsos misere fallunt: sed falli Deus, utique cordium scrutator, nequit.

3. Sunt qui procaces in itinere, nullumque tenentes modum in rebus, quæcumque transeunt sunt omnibus offensioni & scandalo, nedum ædificent ut par esset.

4. Multorum adeo supina ignorantia est, ut neglectis ceteris bonis operibus, certam fore sibi salutem putent, dummodo peregrinentur ad loca pia, quantumvis alienum sit ab eorum statu & debitis officiis longe lateque peregrinari.

5. Non pietas, non relligio, sed affectus humani & cupiditates variæ ad suscipiendam sacram peregrinationem impellunt. Species pro re ipsa sumitur, tenetur littera occidens neglecto spiritu vivificante; atque ita videtur Deus exterius coli, cor autem longe a Deo est, cum tamen Deus spiritus sit, & qui eum adorant in spiritu & veritate adorare oporteat. *Ioan. IV. 24.*

I. Qua ratione suscipienda & perficienda sacra peregrinatio est, ut per eam adoretur Deus in spiritu & veritate?

R. 1. Habenda recta intentio, adeo ut solius relligionis intuitu & pietatis caussa suscipiatur peregrinatio. Pietatem intelligo quæ habeat adiunctam prudentiam, cohæreatque cum regulis fidei, & cum omnibus officiis quibus unusquisque obligatur. Alioquin fucata pietas esset.

2. Non vagantibus temere huc illuc oculis incedendum, non mente aliud agente; sed sic ambulandum, ut ubique spargatur bonus odor Christi, modestia, silentio, frugalitate, orandi assiduitate, & fuga cuiusque levitatis & vanæ curiositatis.

3. Abstinendum ab omni colloquio de rebus vanis & futilibus, ne dicam inhonestis. *Sed quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque amabilia,* *Philip. IV. 8.*

Digitized by Google

Pars III. Sect. II. Cap. X. §. 1.

quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, de his in itinere sermones conferendi. Et identidem abstinendum ab omni colloquio, ut vacetur orationi.

4. Cum perventum fuerit ad locum pium quo tendebat peregrinatio, tunc reddenda vota Deo, invocandi Sancti quorum cultus ibidem solemnis est (B). Sed agen-

---

(B) Concil. Mediol. IV. *Part. 1. de relligiosis peregrination. pag. 97. Actor. Eccles. Mediol.* Ut ex sanctorum Patrum institutis fideles provinciæ nostræ sanctas peregrinationes suscipiant, salutisque uberiorem fructum, divina auxiliante misericordia inde capiant: hæc illis servanda proponimus: ac primo Ecclesiastici ordinis hominibus: tum laicis item:

Ne quisquam Sacerdos, Clericusve cujusvis ordinis peregrinaturus, itineri peregrinationis caussa sine litteris dimissoriis ac testimonialibus Episcopi se committat, ut Canone veteri sancitum est: tum præterea nec sine benedictione, quam Episcopus Sacerdoti Clericove peregrinaturo statis precibus libro sacerdotali ritualive præscriptis impartiet.... Peregrinationis comites quos sibi adiunxerit, cum in viam se daturus est, Episcopo aut Vicario exponat, quorum comitum nomina a Cancellario litteris dimissoriis adscribantur,

Si quis item peregrinaturus, Ecclesiam parochialem, aut capellam, aliudve cujusvis nominis beneficium Ecclesiasticum obtinet, cui ministerium aliquod debeat; is ut Episcopus opus esse censuerit, Sacerdotem, vel Clericum, qui eidem Episcopo, Vicariove probatus sit, ratione ministerii ante substituat, quam iter suscipiat, ne Ecclesia debito ministerio cultuque careat; cuius rei per se præstitæ, testimonium scriptum, aut Episcopo, aut Vicario exhibeat. Ei vero quem substituerit; aut alii quem Episcopus maluerit, si aliquot dierum peregrinationem facturus est, vestes sacras, ornamenta, libros, scripta, omnemque Ecclesiasticam supellectilem committat, indice eorum omnium sigillatim ac diligenter confecto, eo scilicet præsente, cui hoc munus Episcopus dederit, ne ex eius absentia aliquod detrimentum Ecclesia patiatur.

Deinde is vel Sacerdos vel Clericus, antequam peregrinationi se committat, peccata primo confessus; tum si Sacerdos est Missæ sacrificium, quod est *pro iter agentibus*, offerre; si Clericus inferior, sacram Eucharistiam sumere studeat.

In itinere, clericali habitu contractiori ad Conciliorum præscriptum omnis Sacerdos & Clericus, dum in peregrinatione est, uti possit: pileum autem induat Clericali ordini congruentem, & a laicali vestitu distinctum. Tonsuram clericalem perpetuo habeat.

Ne itineris caussa canonicas horarias divini officii preces omittat; ac tum etiam stata de præcepto Ecclesiæ ieiunia servet, nisi cum legitime excusatus est.

Si Sacerdos est, ubi probatus fuerit, Missam quotidie celebrare curet: at vero Dominicis & festis diebus id facere non omittat.

Singulis vero diebus, sive Sacerdos, quando ipse non celebrat, sive Clericus, Missæ sacrificio interesse studeat.

Mane singulis diebus præter officium divinum debitum, preces etiam illas pie recitare curet, quæ itinerarii nomine appellantur.

In omni denique itinere, quod sanctæ peregrinationis caussa suscepit, cum se vitæ moribus, omnique actione præstare studeat, ut pie relligioseque peregrinandi exemplum laicis præbeat: quorum si aliquem socium & comitem habet; sanctis peregrinationis exercitationibus, atque rebus ad salutem instruere curet.

Hebræis, & mulieribus comitem non se adiungat, neque eodem curru cum eisdem vehatur; neque item eodem navigio, ut scandalum evitetur, si aliter sibi consulere poterit.

Ne iis etiam se adiungat in via, nisi necessitas coegerit, qui dum iter faciunt, profanis cantionibus, citharis, aliisve musicis instrumentis utuntur.

Abstineat item ipse a profanis canticis & colloquiis eiusdem generis, quorum usu, pietatis in peregrinatione suscepta studium refrigescit.

Psalmis, hymnis, canticis, precariæ coronæ beatæ Mariæ recitationi, ac rerum divinarum meditationibus vacet; & spiritualibus item sermonibus, si comites habet quibuscum loquatur, corporis vel animi lassitudinem sublevet.

Ne mendicet, ostiatimve victum quæritet, nisi ex voto, vel alia caussa ab Episcopo probata, & facultate nominatim scriptis impetrata.

Cum ad aliquem locum vespere perveniet, Ecclesiam quæ eo loco est, antequam ad hospitium divertat, relligiose adeat si potest; ubi supplex Litanias vel alias relligiosas preces recitet.

Si apud Relligiosos homines, vel apud alios viros honestos diversari potest, ab hospitiis publicis abstineat.

Ad cauponas vero si divertere necesse habet; nec una cum eisdem Hebræis, aut mulieribus accumbat in publico hospitio, aut alio omni loco & tempore.

Antequam discumbat, mensæ benedicat: tum pransus, aut cœnatus, gratias agat: ceteraque observet, quæ de temperantia, frugalitate & modestia clericali Decretis provincialibus præscripta accurate præstare debet.

Cum primum ad peregrinationis locum pervenerit, Confessario probato confiteatur, & Missam Sacerdos celebrare & sacram communionem Clericus sumere curet: totusque peregrinationi susceptæ intentus, non rerum novarum curiositates, non loci antiquitates, non quidquam aliud a peregrinandi proposito alienum consectetur; sed relligiosa animi præparatione, Ecclesias, sacrasque relliquias, quas potissimum devotionis votivæ caussa visitatum venit, tum alias etiam sollicite visitet; qua visitationis sollicitudine, pietatis sibi ardorem excitare studeat, ut maxime potest.

Nec vero ubi sanctam peregrinationem absolverit, alio longius vagetur. A peregrinatione reversus, Episcopum primo, aut Vicarium eum litteris dimissoriis, quas dedit, conveniat: sanctæque suæ peregrinationis testimonium ab Ordinario loci, aut saltem a præfecto Ecclesiæ afferat, ad quam peregrinationis caussa iter suscepit; nisi litteris dimissoriis alius nominatim ab Episcopo exprimatur, cuius allato scripto id testatum facere debet.

Laici item antequam peregrinationem suscipiant suum quique Parochum conveniant: a quo sancte peregrinandi consilium capiant; & litteras habeant ab Episcopo canonicas... quarum etiam fide testimoniove eis liceat ubique, & cuivis Confessario ab Ordinario loci approbato peccata confiteri.

Pars III. Sect. II. Cap. X. §. 1.

Deinde benedictionem ab eodem Parocho petant, qui superpelliceo & stola indutus, illis bene precetur, & benedicat statis relligiosis precationibus, quæ ex Ecclesiæ instituto peregrinis adhibentur.

Peregrinationis vero iter suscipiant, ubi rite confessi, sacram Eucharistiam relligiose sumpserint.

Peregrinando omnia fugiant, quæ devotionis studium perturbant, aut impediunt: & illa amplectantur, quibus illud excitari solet.

In itinere stata præcepto Ecclesiæ ieiunia servent, nisi cum legitime excusati sunt.

Singulis diebus Missæ sacro interesse studeant: Dominicis vero & festis ne ullo modo desint; tum sacram communionem sumere curent.

Mane preces quas itinerarium vocant, pie recitare studeant, qui legere noverint.

Eleemosynas, si per facultates possunt, largiantur. Instent potissimum orationi, psalmis, hymnis, canticis, precariæ coronæ beatæ Mariæ recitationi, & rerum spiritualium meditationibus & sermonibus lassitudinem sublevent.

In curru, navigio, & hospitio, cum Hebræorum maxime, tum mulierum etiam, nisi quas cognatione affinitateve iunctas, aut etiam ex familia sua sanctæ peregrinationis socias habeant, omne consortium vitent, nisi necessitas aliud coegerit. Ac sane vero in hoc sancto piæ peregrinationis proposito, ac studio, ad usum revocari cupimus, quod olim factum est ex sacris litteris, Patrumque monimentis animadvertimus; ut scilicet qui etiam eiusdem familiæ essent, cum templum locaque sacra visitatum irent, viri a feminis iter separatim facerent.

Abstineant item a profanis canticis, colloquiis, citharis, aliisque musicis instrumentis, atque adeo ab eorum societate, qui in itinere iis, aliisve eius generis actionibus operam dant, quibus pietatis studium in peregrinatione suscepta languefiat.

Nec mendicatim eleemosynam quæritent; nisi ex voto, vel necessitate alia-

dum id pie, sincere, ferventer, & ea maxime mente, ut obtineatur Sanctorum patrocinio Dei gratia ad sectanda magis ac magis Christi vestigia, ad confirmandos mores ad Evangelica omnia præcepta, & fugiendas mundi vanitates & cupiditates.

5. Quæ cum rite & pie peracta fuerint, repetenda domus, idemque in reditu faciendum observandumque quod mox diximus faciendum in itinere.

§. 2. *De piis Societatibus, quas Confraternitates vocant.*

I. Nomine Confraternitatis quid intelligis?

R. Societatem intelligo quam ineunt inter se fideles ad opus aliquod pium, auctoritate Superioris exercendum.

I. Eiusmodi societatum priscusne est in Ecclesia usus?

R. Perpetuus fere ille fuit in Ecclesia, quantum ad rei substantiam; sed ut fit in rebus ad disciplinam Ecclesiæ pertinentibus, non uno modo factæ sunt eiusmodi societates, variæque in his accidere mutationes. Certum est, ex Actis Apostolorum, Ecclesiam Hierosolymitanam, in qua *omnes qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia: possessiones & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus prout cuique opus erat: quotidie perdurantes unanimiter in templo*: certum est, inquam, hanc veram fuisse confraternitatem. Hinc est quod omnes Christiani fratres dicebantur, ut nunc fit. Monachorum & Clericorum societates, & collegia veræ Confraternitates sunt. Monachi autem in societatem in Oriente coaluerunt seculo quarto, tempore sancti Antonii, in Occidente autem seculo quarto & quinto, iam ante tempora sancti Benedicti, qui seculo sexto ineunte Pater Monachorum fuit. (A)

Act. II. 44. & seq.

Vide supra §. 5. c. 7. sect. 1. huiusce par.

---

ve caussa Episcopi litteris & testimonio probata.

Ad loca ubi primum vesperi divertunt, Ecclesiam precandi caussa prius adeant, quam in hospitium veniant; si temporis tarditas, aliudve non impedierit.

Ad sacra loca, quæ relligiose visitaturi sunt cum pervenerint, nihil aliud sibi propositum habeant, quam ut aut iubilæum indulgentiamve consequantur, aut vota sancte persolvant, sacras relliquias, & sacra loca pie visitent, ab omni curiositate, peccandique occasione abstinentes.

Itaque primo confessi cum sacram Eucharistiam sumpserint, tum relligiose Sanctorum statas Ecclesias visitent, ita ut ex ipsorum locorum admonitione maior affectus in ipsis resurgat ad excitandam pietatem, & Sanctorum, quorum auxilium implorant, orationibus adiuventur. Reversi a peregrinatione, primo Parochum conveniant, a quo benedicantur, adhibitis ex Ecclesiæ instituto præscriptis sanctis orationibus.

Synodo IV. Mediol. *Decreto 23. omnia fere sub eadem verborum formula repetuntur.*

(A) *Vide hac fuse docteque pertractata a* Domn. Ioan. Mabillonio Monach. Bened. Congreg. S. Mauri *in præf. Annal. Ord. S Bened.* §. 1. *& a* Cointio Congreg. Orat D. I. Presbyt. *in Annal. Eccles. Francor. multis in locis. Certe id evincunt* Concil. Agathensis *ann.* 506. *in Gallia celebrati canon* 27. *&* 28. *quos hic exscribere non pigebit.*

Concil. Agath. *T. VIII. p.* 329 *can.* 27. *Concil. Labb.* Monasterium novum nisi Episcopo, aut permittente, aut probante,

Collegium Clericorum instituit sanctus Augustinus in Africa, nec ulla umquam Ecclesia extitit quæ suum non habuerit Clerum ex bonis Ecclesiæ victitantem. Singulis in Dei vinea laborantibus distribuebatur sua portio (B), & quidem maior vel minor pro singulorum meritis,
1. Tim. v. 17 iuxta illud Apostoli: *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur*. Hæc vera confraternitas est.

Ceterum laicos ab bonum aliquod opus convenire, & societatem aliquam inire inter se ad opus illud exercendum sub auctoritate Pastorum, non relictis propterea ceteris vitæ officiis, non abdicato secularis vitæ genere, nec novum est, nec inusitatum, iam a prioribus Ecclesiæ seculis. Illud nulla probatione indiget. Sufficit in Ecclesia perpetuo viguisse caritatem, quæ
1. Cor. ix. 22. omnibus omnia fit, ut cunctos lucri-
1. Cor. xiii. 5. faciat, quæ non quæ sua sunt quæ-
2. Cor. v. 15. rit, quæ vivit non sibi, sed iis pro quibus Christus mortuus est & resurrexit.

Pias autem illas societates, confraternitates vocari non magnæ antiquitatis est. Nomen novum: res vetustissima. PARS III. SECT. II. CAP. X. §. 2.

I. Confraternitates suntne in Ecclesia retinendæ, utpote piæ & sanctæ, & Ecclesiæ utiles?

R. Ita omnino, modo teneantur & observentur Ecclesiæ Canones ea de re conditi, fugianturque abusus, qui præ ignorantia vel cupiditate in res eiusmodi irrepere solent. Quis enim neget pium esse & sanctum, si fideles in societatem conveniant ad Dei gloriam, salutem animarum, & exercenda quædam Christianæ caritatis officia secundum Ecclesiæ Canones? Sed plerumque fit, ut quæ initio sancta sunt & pia, prava tandem eveniant ex abusu, nec tolerari amplius queant, donec abusus eradicentur, & restituatur res in primævam sanctitatem, si fieri possit.

I. Quænam sunt tenendæ regulæ in confraternitatibus?

R. Multa ea de re sancita sunt variis in Conciliis. (C)

---

nullus incipere, aut fundare præsumat. Monachi etiam vagantes ad officium clericatus, nisi eis testimonium Abbas suus dederit, nec in civitatibus, nec in parœciis ordinentur. Monachum, nisi Abbatis sui aut permissu aut voluntate, ad alterum Monasterium commigrantem nullus Abbas suscipere aut retinere præsumat: sed ubicumque fuerit, Abbati suo auctoritate Canonum revocetur. Si necesse fuerit Clericum de Monachis ordinari, cum consensu & voluntate Abbatis præsumat Episcopus.

Canon. 28. Monasteria puellarum longius a monasteriis Monachorum, aut propter insidias diaboli, aut propter obloquutiones hominum collocentur.

(B) CONC. AGATH. *an*. 506. *T. VIII. p*. 331. *can*. 36. *Concil Labb* Clerici etiam omnes qui Ecclesiæ fideliter vigilanterque deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundum servitii sui meritum, vel ordinationem Canonum, a Sacerdotibus consequantur.

(C) CONCIL. TRIDENT. *Sess*. 22. *de Reformat. cap*. 8. Episcopi etiam ..... habeant ius visitandi hospitalia, collegia quæcumque, ac confraternitates laicorum, etiam quas scholas sive quocumque alio nomine vocant: non tamen quæ sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia. Eleemosynas montis pietatis, sive caritatis, & pia loca omnia, quomodocumque nun-

cupentur etiamsi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegiis sint munita: ac omnia, quæ ad Dei cultum aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos, instituta sunt, ipsi ex officio suo iuxta sacrorum Canonum statuta cognoscant, & exsequantur: non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemorabili, privilegio aut statuto.

Cap. 9. Administratores tam Ecclesiastici quam laici fabricæ cuiusvis Ecclesiæ, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynæ, montis pietatis, & quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus & privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis. Nisi secus forte in institutione & ordinatione talis Ecclesiæ seu fabricæ expresse cautum esset.

Concil. Bituricense *Ann.* 1528. *can.* 16. Item statuit quod confraternitates non erigantur inconsulto Ordinario, nec fiant sumptus immoderati præcipue conviviorum, compotationum, chorearum, &c. Convertantur potius pecuniæ confratrum in pios usus. Itemque contractus ficti & usurarii prætextu prædictarum confraternitatum non contrahantur.

Concil. Senonense *Ann.* 1528. *can.* 30. Cum ex multiplicatione confratriarum sæpe monopolia oriri contingat, & quæ in usus pios consumenda sunt, in crapulam converti videantur, siquidem dies festos confratriarum, non aliter se confratres digne celebrare putent, nisi comessationibus & ebrietatibus deserviant: sacro approbante Concilio sub pœna excommunicationis inhibemus: Ne aliqui cuiuscumque status extiterint, confratrias erigere, & de novo instituere sine Episcoporum expresso consensu & approbatione, audeant. Antiquas autem, quas per Episcopos institutas aut aliter approbatas fuisse constiterit, toleramus. Omnem baculorum delationem, confratribus & aliis quibuscumque, tam extra quam intra Ecclesiam, nec non conventiculares comessationes, maxime diebus festis illarum confratriarum, & ex denariis earumdem fiendas seu solvendas, sub prædictis pœnis prohibentes. Ordinamus insuper, quod quantum ad antiquas confratrias attinet, teneantur confratres seu Procuratores, infra sex menses a die publicationis præsentium, afferre Diœcesanis, eorumve Officialibus aut Vicariis, Statuta, si qua habeant: & eosdem Diœcesanos instruere de modo & forma quam in eis servant; de quantitate redditaum, & in quos convertant usus; ut sic, iustitia mediante, quod super his opportunum fuerit statuatur, omniaque ad sobrietatem & modestiam revocentur. Alioquin, elapsis sex mensibus, ad earum annullationem procedatur... Confratriarum Provisores, Procuratores, seu Magistri..... eligantur singulis annis, mox reddituri de receptis & solutis rationem. Et pecuniæ, quæ supererunt, applicentur per eos, vel in usum reparationis Ecclesiæ, aut curam seu alimoniam pauperum, aut alios pios usus, prout Episcopus arbitratus fuerit.

Concil. Rothomag. *Ann.* 1581. *Tit. de Curatorum & aliorum Presbyterorum ac Parœcianorum officiis*, *num.* 23. Quoniam videmus multos adduci ad præceptorum Ecclesiæ & ministrorum eiusdem contemptum, non facile admittantur fundationes & erectiones capellarum & fraternitatum, in quibus ordinatur celebratio Missæ Dominico die, ea potissimum hora, qua populus universus convenire debet ad audienda divina præcepta Dei & Ecclesiæ. In Missis vero caritatum atque aliarum fraternitatum ab antiquo eo die constitutarum, nec aqua nec panis benedicantur: & inter illarum Missarum sollemnia moneatur non esse prætermittendas Missas parœciales, propter assistentiam in ea Missa, quæ ex devotione & consilio celebratur.

Num. 34. Quæ ex pietate & devotione ortum duxerunt, caritatis & aliorum nominum fraternitates & societates, spiritalia opprimunt & deformant in Ecclesia, temporalia vero absumunt atque homines dementant. Etenim in unaquaque Ecclesia altare contra altare, Sacrificium contra Sacrificium, & Sacerdotem contra Sacerdotem, ac denique parœciam contra parœciam erigunt & opponunt. Earum quidem abolitionem non iudicamus expedire, propter piorum operum & suffragiorum quæ exercent, bonitatem, earumque necessitatem in peste & publica calamitate; sed eorum desideramus reformationem, pro-

Digitized by Google

pter abusum. In primis earum fundationes & statuta in visitatione ab Episcopis examinari iubemus, nec in posterum ullam innovari, nisi de expressa Episcopi licentia, & confirmatione in scriptis habita, congrue ducimus a Curatis parœciarum, in quibus celebrantur, quæ sacra ab ipsis fiant, regi ac disponi, & non ab alio Sacerdote nisi de Curatorum consensu, sine quibus quidquam agi non putamus æquum, cum debeant Deo & Episcopis, de omnibus quæ fiunt in eorum Ecclesiis, rationem reddere, & plecti pœna, si quid permiserint perperam aut impie geri. Inhibemus etiam in Dominicalibus earum Missis aquam & panem benedici, aut conciones haberi; sed ea servari parœciali Missæ, a qua populos avertunt. Veramus imagines baculis impositas a mulieribus deferri intra Ecclesias, sed omnia cum pietate & decentia fiant: frequentiam & sumptum conviviorum, quæ a caritatis fratribus, & aliis tam separatim per ordinem, quam coniunctim impensa fraternitatis agitantur, ebrietates, lascivias & scurrilitates quæ in ipsis committuntur, ac denique omnia quæ ad caritatem & ædificationem non pertinent; damnamus, & ea perpetrantes anathematizamus. Quidquid vero de collectis & conscriptorum fratrum contributionibus celebrationi officii divini superfuerit, suffragiis faciendis pro mortuis, fabricis & ornamentis Ecclesiarum, atque aliis piis operibus impendi præcipimus.

Concil. Remens. *ann.* 1583. *Tit. de diebus festis*, *num.* 7. Fraternitatum societates in diebus Dominicis hora Missæ parœcialis, quæ competenti hora celebretur, fiant: neve in iisdem panis aut aqua benedicatur a Sacerdote, sub pœna suspensionis, multoque minus permittantur in huiusmodi conventibus crapulæ, comessationes, monopolia, & alia divino cultui repugnantia. Quæ autem erogabitur pecunia, in capsula recondatur, & ad usum Ecclesiasticum aut aliquod aliud pium opus referatur, & applicetur.

Num 8. Nullæ deinceps fraternitates, sine Episcopi licentia instituantur: quæ autem sunt institutæ hactenus, aut approbentur ab eo, aut aboleantur.

Concil. Bituric. *ann.* 1584 *de Confraternitatibus & sodalitiis*, *tit.* 44. *can.* 1. Confraternitates illæ tantum retineantur, quæ pietatis operibus vigent, & ab omni fastu & pompa sunt alienæ: in quibus etiam leges Christianæ relligioni non repugnantes constitutæ sunt. Si quæ aliter fuerint institutæ, Episcopi arbitrio vel corrigantur, vel tollantur: in posterum vero nullæ sine Episcopi licentia instituantur.

Pars III. Sect. II. Cap. X. § 2.

Can. 2. Si quæ confraternitates hactenus aut intermissæ aut penitus sublatæ sunt, earum redditus ad opera pia arbitrio Episcopi impendantur, quousque seminaria instituantur, quorum usibus tunc applicabuntur.

Can. 3. Non liceat Canonicis & ceteris Ecclesiasticis confraternitatum prætextu suas Ecclesias relinquere tempore divini officii, sub pœna privationis distributionum illius diei.

Can. 4. Non celebrentur confraternitates in choro ad maius altare Ecclesiarum cathedralium aut collegiatarum, sed in sacellis tantum & extra horam, qua divinum officium peragitur.

Concil. Tholosan. *an.* 1590 *Part.* 2. *de Confraternitatibus & sodaliciis*, *cap.* 7. *num.* 1. Disciplinatorum, seu pœnitentium societates absque Episcopi licentia nullæ instituantur; institutas, ex sacris Tridentini Concilii decretis, vel tamquam sedis Apostolicæ delegati, Episcopi visitent, institutorum legumque suarum, si probatæ illæ sint, formam rite confratres exsequi, quæque in illis corrupta viderint, ea emendanda, vel etiam penitus tollenda curent

Num. 2. Quos ad confratriarum regimen accedere Gubernatores continget, eos in ipsa muneris susceptione, in legum statutorumque observationem, aut iuramento, aut saltem pollicitatione Episcopi se obstringere hortentur, curentque diligenter, ut quæ illis iniuncta fuerit officii recitandi, orandique formula, ea statis diebus horisque, qua decet devotione observetur.

Num. 3. Quo tempore Dominicis festisque aliis diebus, divina officia recitantur, sacra Missarum sollemnia cantu celebrantur, concionesque aut in cathedrali, aut parochiali Ecclesia publice habentur, eo tempore nullæ in confraternitatibus ceremoniæ, nulla sacra peragantur.

Num. 4. Quæ publice supplicationes decernentur, quibus confratres adesse

necessarium fuerit, frequentes eos convenire Episcopi hortentur.

Num 5. Quæ petulans adeo confraternitas fuerit, ut omnibus scandalo sit, emendarique nullo modo possit, ei vel aliam Episcopi sufficiant, aut si visum fuerit, rescindant, eiusque penitus memoriam obruant.

Num. 6. Quod Tridentina iussit Synodus, a confratriarum œconomis quotannis Episcopi sibi, vel quibus visum fuerit a se constitutis gestæ administrationis rationem exposcant.

Num. 7. Præfectos, ac sodales, seu confraties hortationes frequenter habere iubeant, hunc laicis modum præscribentes, ut altioribus relictis Theosophiæ mysteriis, solas virtutum laudes, vitiorumque damna morali sermone persequantur.

Num. 8. Confratres confiteri sæpissime, sæpissime Eucharistiam sumere studeant, nocturnas preces, nocturnas ceremonias ob ea, quæ inde emergere solent incommoda, quam fieri poterit, rarissime concedant.

Num. 9. Quæ sodalitiorum precibus dicata sunt oratoria, in iis nulla convivia, comessationesque nullas, vel ipsis confratrum sumptibus agitari, nihilque, quod ad ipsa sodalitia & ad relligionem pietatemque non pertineat, in iisdem tractari permittant.

Num. 10. Qui sacra fidei Christianæ elementa non noverint, quive aut insigniter improbi, aut ad flagitia accommodati fuerint, eos in aliorum numerum Præfecti non adscribant, adscriptos si moniti vitæ rationem non mutarint, flagitiique persequentes fuerint, implorata Episcopi auctoritate, ab eorumdem societate segregent, & expellant.

Concil. Narbon. *an.* 1609. *de Confraternitatibus, cap.* 34. Confraternitates, & societates, in quibus per particulares quasdam actiones, aliaque exercitia spiritualia, faciliorem sibi salutis viam parare conantur fideles non diu in bono pergere possunt, nisi certis statutis & constitutionibus muniantur; ideo visitent eas Episcopi; ubi non sint, constitutiones de novo ordinent: factas, quas sibi exhiberi iubebunt, approbent; si id debere fieri iudicaverint. Inquirant modum vivendi, superstitiosa tollant: Rectores & Administratores annuatim eligendos constituant, qui infra mensem post novam electionem suæ administrationis rationem reddent coram Episcopo, aut per eum ad hoc deputato, aliisque, secundum confraternitatis consuetudinem electis, in quo consistant redditus investigent, & librum inventarii fieri iubebunt, cuius transcriptum penes se in archiviis retinebunt.

In electionibus vitentur rixæ & partialitates, illique tantum eligantur qui in ipsa confraternitate laudabiliter fuerint versati, qui statim & antequam officium exerceant se Episcopo aut ab eo deputando præsentabunt, approbationem & benedictionem recepturi, in cuius manibus iuramentum præstabunt, se fideliter munus obituros, rationem administrationis reddituros, ut quod supererit de redditibus in pios usus (consulto tamen Episcopo aut Rectore Ecclesiæ) convertatur.

Præcedentiæ inter confraternitates dirimantur, ut antiquiores confirmatæ & approbatæ, recentioribus præferantur.

Comessationes & convivia quæ sumptibus confraternitatum alicubi fieri solent, in posterum sub pœna excommunicationis ne fiant: nec sumptus & expensæ ad hoc factæ in computis posthac admittantur.

In ipsis confraternitatibus & capellis, non asservetur sanctissimum Christi corpus, nisi hoc expresse approbante Episcopo: quo casu sit tabernaculum decenter ornatum, obseratum clave, ante quod perpetuo lampas ardeat: illius clavem Presbyter & non secularis teneat: in capellis vero earum confraternitatum ubi aliquod recitatur officium, illud fiat hora competenti, ita ut dum in parochiali recitatur in illis omnino cessetur.

Caveant in posterum Clerici quicumque sub pœna excommunicationis, Rectores confraternitatum cum processione vel cantu vocare aut ducere in Ecclesiam: sed ipsi Rectores Ecclesiam adeant, & processionem si facienda sit, comitentur.

S. Carol. *Concil. Mediol. I. Part.* 3. *de piorum locorum administratione*. Qui pecuniam Ecclesiis, confraternitatibus, aut quibuscumque piis locis debent, illorum Procuratores, Syndici, Ministri esse aut ullam denique in eis officii aut negotii partem administrare non possint.

Digitized by Google

Administratores Ecclesiastici vel Laici piorum locorum, sive hospitalia, montes pietatis, confraternitates, misericordiæ, caritates, consortia, disciplinæ, sive alio quocumque nomine nuncupata sint.... antequam ad administrationem accedant, iurent se fideliter & accurate munus suum exsequuturos. Fructus qui pauperibus addicti fuerint, veris pauperibus tantum distribuant, quemadmodum cuiusque inopia, & eius voluntas a quo bona illa profecta sunt, postularit.

Quos autem compererit Episcopus vel inique distribuendo, vel in suum commodum vertendo, vel inutilibus & supervacaneis sumptibus faciendis, male in administratione versari, eos pro modo culpæ puniat, & ad restitutionem legitime compellat, & ab officio etiamsi ei videbitur, amoveat.

Curent Episcopi, ut retento piæ eleemosynæ instituto, tollantur publicæ illæ comessationes, ceteræque huius generis, quæ a sodalitatibus, quas confratrias vel confraternitates vocant, præsertim intra ambitum Ecclesiarum.... pietatis specie fieri solent.

Conc. Mediol. IV. *Part* 3. *quæ ad pia loca pertinent, pag.* 160. Quicumque piorum locorum administrationem procurationemve suscipiunt, geruntve, illud in primis sæpe meminisse debent, se pauperum, pupillorum, viduarum, senum, egestate aut ægritudine laborantium, peregrinorum, & aliorum id generis hominum aliena ope egentium, prout propria unius cuiusque loci instituta ratio est, curam sustinere.

Quare hi valde curent, ut omnibus suscepti muneris partibus satisfaciant: deinde videant, ut nihil quidquam a curæ quam gerunt ratione alienum ullo modo pactove admittant; tum id sollicite studeant, ut quæ officia illis pro administrationis susceptæ munere debent, ea obeant, atque adeo præstent omni piæ caritatis affectu ..... Non suis, sed eorum quorum curam susceperunt commodis, atque utilitatibus serviant. Omnibus pie consulant, nec ullam partem pro susceptæ curationis procurationisve officio negligant.

Munus quod gerunt, sæpe sibi proponant eiusmodi esse, in quo non profanæ cuiusdam administrationis negotiive, sed sanctæ spiritalisque actionis partes atque officia, & Deo gratissima caritatis opera exsequantur, pie, relligiose, & quam diligentissime.

Cum capitula, congregationesve habent, tum initio tum in fine sanctis precibus & orationibus in libro officii beatissimæ Mariæ Virginis eo nomine præscriptis, utantur. Cum vero aliquid aggrediuntur, quod ad curæ suæ rationes pertineat, initium a pia oratione faciant; ut quod inchoatur, bene, salutariterque succedat. Omni denique morum gravitate, vitæ integritate, pietatis relligione, & spiritualium exercitationum Episcopo probatarum, quas inter se collegiatim præstent, studiis tales se præbeant, ut eorum locorum rectam administrationem, piamque institutionem non solum conservent: sed optimis progressionibus Deo auctore adiuvent, atque amplificent.

Ne ullæ cuiusvis nominis piæ confratriæ instituantur, eriganturve, neve erectæ, aut institutæ collegii sibi habitum sumant, sine sedis Apostolicæ, vel Episcopi auctoritate & facultate litteris explicata.

Ut odiis, dissidiis, atque inimicitiis occurratur, rursusque paci, cuius fideles in primis amantissimi esse debent, tot sanctissimis vinculis inter se iuncti, consulatur; id præter cetera Episcopi paterna sollicitudine curent, in sua quique urbe & diœcesi, aliquam hominum, qui morum gravitate, spectata integritate & auctoritate præstantiores sint, confratriam.... instituere: cuius officium sit discordiæ flammas restinguere, dissidia amovere, concordiam inire, pacemque inter omnes reconciliare; aut hoc ipsum componendæ inter dissidentes pacis officium alteri confratriæ adiungant, quæ recte, apteque id ipsum præstare queat.

Conc. Mediol. V. *Par.* 3 *pag* 237. Ne cuiusvis confratriæ scholæve Præfectus in scholæ suæ numero quemquam doctrinæ Christianæ rudem atque ignarum adscribi permittat, cuiuscumque ætatis aut conditionis ille sit. Id vero curæ sit Sacerdoti proprio illius scholæ vel Parocho in cuius finibus est.

Ne facinorosi homines neve turpis vitæ aut infamiæ labe notati in ... confratriis adscribantur. Si qui vero iam adscripti sunt, si moniti, honestæ vitæ rationibus se non conformarint, a con-

Pars III. Sect. II. Cap. X. §. 2.

Hæc spectant vel eos qui confraternitates instituunt diriguntve, vel eos qui adscribuntur in confraternitatem.

Quæ spectant Institutores vel Directores confraternitatum, hæc fere sunt.

Caveant 1. ne quid fiat inconsulto nec approbante Superiore legitimo.

2. Ne quid statuatur quod non sit rectum & pium, quod non conferat ad utilitatem & ædificationem communem, quod adversetur menti & regulis Ecclesiæ.

3. Ne quid fiat quod componi non possit cum ceteris Christianorum sive communibus sive specialibus officiis. Verbi gratia, ne sub prætextu confraternitatis quisquam abstrahatur a debito Parochialium officiorum, &c.

4. Ne ullæ indulgentiæ, ulla nova miracula publicentur sine auctoritate Episcopi.

5. Ne bona confraternitatis dissipentur, ne ex illis fiant convivia, aliæve expensæ superfluæ: sed sancte illa expendantur in usus pios, & scopo confraternitatis accommodatos.

Quæ vero spectant ad eos qui nomen dant confraternitati, hæc præcipua sunt.

1. Nemo in confraternitatem adscribi postulet, nisi intentione pura, & oculo simplici, nihil in mente habens nisi Dei gloriam, suamque proximique salutem.

2. Ideoque videat primum num stare possit scopus confraternitatis cum reliquis officiis quæ obligant Christianos omnes, vel quæ propria sunt alicuius conditionis: verbi gratia patris matrisve familias, servi, ancillæ, Iudicis, &c. vel unicuique pecularia sunt; verbi gratia, peccandi occasionum fuga, debitum pœnitentiæ sacramentalis, &c. Nam, ut iam diximus, observatio præceptorum præponenda est consiliorum observationi: & turpiter hallucinatur qui posthabitis præceptis, consilia relligiose sectatur. Huius certe vana est relligio.

3. Qui cum hac cautione nomen dedit confraternitati ab Ecclesia approbatæ, quæ ædificationis sunt sectetur & custodiat, Pastoribus & Præpositis subditus sit, leges confraternitati positas, quoad eius fieri potest, teneat & observet: alioqui

---

fratrum numero Episcopali auctoritate & cura amoveantur.

Quo tempore in basilica cathedrali, Ecclesiave parochiali officium vesperarum celebratur, tunc ne in ullis confratriæ scholæve oratoriis civitatis aut loci illius ab iisdem confratribus recitari liceat officia; sed vel ante vel post recitentur: ita tamen ut non solum eiusmodi officiorum occasione non divertantur illi a divinis officiis publicis; sed nec etiam a scholis doctrinæ christianæ, in quibus eiusmodi confratres utiles adiutores & operarii esse solent.

Conc. Mediol. VI. *pag.* 258. Unicuique confratriæ Episcopus Sacerdotem constituere studeat, vitæ spiritualis usu peritum, beneque in sanctis exercitationibus versatum; qui salutaribus consiliis, monitis, documentis, aliisque officiis, confratres in omnem agendi partem tamquam pater & dux spiritalis conformet.

Ne (processiones) in posterum noctu agi liceat, nisi & Episcopi consensu, & regulis certis ab eo præscriptis. Mulieres autem processiones nocturnas obire interdictum omnino sit.

scopum confraternitatis numquam assequuturus. Denique fugiat abusus omnes in res huiusmodi irrepere solitos.

I. Quinam abusus irrepere solent in confraternitates?

R. Abusus illi plerumque oriuntur ex infractione regularum mox traditarum. Pauca subiiciam ad maiorem rei explicationem.

1. Sunt quos non pietas, non relligio, non Christiana caritas, sed vanitas, levitas animi, hypocrisis, aliæve rationes culpandæ impellunt ad nomen dandum confraternitati.

2. Sunt qui præsumptione temeraria existimant certam sibi fore salutem, dummodo adscribantur in aliquam confraternitatem, quantumcumque aliena sit eorum vita a principiis & regulis vitæ Christianæ.

3. Sunt qui contenti gestatione habitus quo confratres ab aliis secernuntur, scopum confraternitatis, quod præcipuum in ea est, ne norunt quidem, nedum assequantur: verbi gratia, multis relligio foret abstinere a gestatione scapularii Fratrum Carmelitarum, vel funiculi Franciscanorum; illis autem nulla relligio est vivere in luxuria, crapula, ebrietate, comessationibus. Næ iis vere dici potest quod exprobrabat Christus Pharisæis: *Reliquistis quæ graviora sunt legis... hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Pars III. Sect. II. Cap. X. §. 2. *Matth.* xxiii. 23.

Non magna eruditione opus est ad condemnandos abusus eiusmodi: & si qui forent Prædicatores, & conscientiarum moderatores, quod vix credibile est, qui faverent illis abusibus, neminem lateat illos ab Ecclesia vehementer reprehendi, & cognitos pœnis gravibus coerceri (D).

I. Quid facto opus iis qui adscripti sunt in confraternitatem aliquam, cuius id moris est ut confratres secernantur ab aliis signo aliquo exteriori: verbi gratia, rosario, scapulari, funiculo, cingulo pelliceo?

R. 1. Qui gestant eiusmodi signa, his signis iugiter admonentur ad vivendum pie, sancte & sine ulla offensione: item ad sectanda, quantum fieri potest, confraternitatis illius officia. Qui aliter facit, næ ille Iudaice vivit, non Christiane.

2. Caveant signa illa gestantes, ne non gestantes habeant pro profanis: caveant non gestantes, ne gestantes contemnant & parvipendant

(D) Concil. Trident. *Ann.* 1546. *Sess.* 5. *de Reform. Cap* 2 Si vero, quod absit, Prædicator errores aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi in monasterio sui vel alterius ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat. Quod si hæreses prædicaverit, contra eum secundum iuris dispositionem aut loci consuetudinem procedat, etiamsi Prædicator ipse generali vel speciali privilegio exemptum se esse prætenderet: quo casu Episcopus auctoritate Apostolica, & tamquam sedis Apostolicæ delegatus procedat.

Quæstores vero eleemosynarii, qui etiam quæstuarii vulgo dicuntur, cuiuscumque conditionis exsistant, nullo modo nec per se, nec per alium prædicare præsumant: & contra facientes ab Episcopis & Ordinariis locorum, privilegiis quibuscumque non obstantibus, opportunis remediis omnino arceantur.

Pars II. Sect. I. Cap. X. §. 2.

ceu minutioribus rebus nimium deditos. Res illas singulorum devotioni permittit Ecclesia; nec nisi temere, ne dicam impie, culpatur quod Ecclesia approbat. Mos iste signa illa gestandi pius & sanctus est, nec multum recens, si rerum origines spectes. Parvi ingenii est res singulas non nisi ex propria animi affectione, ex proprio ingenio æstimare. Qui ista vituperant, forte ex eorum numero sunt de quibus loquitur Iudas Apostolus: *Quæcumque ignorant, blasphemant:* forte res non ut sunt, sed abusus ab Ecclesia damnatos spectant. Qui rem penitus perspexerit, fatebitur ultro hunc morem ex usu antiquo & minime reprehendendo, ne dicam sancto, manare. Rem explico.

Iudas 10.

Erat id olim non insolens, ut ii maxime qui morti proximi erant monachalia indumenta ritu sollemni assumerent in signum pœnitentiæ. Id egit anno 1137. Ludovicus VI. cognomine Crassus, Francorum Rex. Recuperata sanitate non dimittebatur assumptus semel relligionis habitus; nec propterea monachatum profitebatur, qui monachali veste sic induebatur: Unde illud vetus effatum, usurpatum a Concilio Tridentino: *Habitus non facit monachum.*

Conc. Trid. Sess. 14. de reform. c. 6.

Piæ illi devotioni successit consuetudo laudabilis suscipiendi ritu sollemni scapulare Carmelitarum, cingulum pelliceum Eremitarum sancti Augustini, funiculum Franciscanorum, rosarium Dominicanorum. His veluti tesseris initur societas cum illis Ordinibus, moneuturque confratres imitari pœnitentiam ceterasque virtutes eorum qui in illis Ordinibus sanctitate floruerunt: non nisi temere carpitur eiusmodi consuetudo; nec minus aberraret a vero, si quis pietatem & relligionem omnem spemque salutis in signis illis exterioribus collocaret, neglecto eiusmodi confraternitatum scopo. Quo in errore fieri potest ut versati fuerint multi eorum qui in signum pœnitentiæ Relligiosis vestibus induebantur ante obitum, ut fit etiamnum sæpius in Hispania, Italia, Germania, &c.

Idem dicendum de alia pia consuetudine, quæ frequens olim fuit, ut Christiani morientes in strato cilicio & cinere decumberent. Quod fecere quidam e Regibus Christianissimis & observatur etiamnum relligiose in domibus Cisterciensibus, aliisque monasteriis nonnullis. Si isthæc exteriora fiant cum intimo pietatis sensu, cuius signa sunt; laudanda sunt & retinenda. Si interiori pietatis sensu destituantur, revocanda sunt ad litteram occidentem, non ad spiritum vivificantem: corpus sunt anima destitutum. Nedum prosint, noxia sunt quatenus dant occasionem plus nimio confidendi signis illis exterioribus, & spem salutis maiorem in iis constituendi quam oporteret. Itaque Pastores, ceterique moderatores conscientiæ rudem plebem sedulo doceant qua mente sectanda sint exteriora eiusmodi devotionis arbitrariæ signa, ne plus quam par est iis tribuatur virtutis, illaque adiumento esse valeant ad salutem. Id ipsum eloquantur & prædicent quicumque ex Relligiosis ad ministe-

rium prædicationis & directionis
Rom. xv. 6. animarum aſſumuntur: *ut omnes unanimes uno ore honorificent Deum*, docendo quod docet Eccleſia, damnando & reiiciendo quod illa damnat & reiicit; atque ita *obſtruatur os* hæreticorum, impiorum, aliorumque *loquentium iniqua* (E).

Rom. III 19. *Pſ. LXII. 12.*

§. 3. *De Roſario & Corona B. M. Virginis Gallice* Roſaire *&* Chapelet.

I. Roſarii & Coronæ B. M. Virginis nomine quid intelligis?

R. Intelligo vel inſtrumentum ex granis maioribus minoribusque inter ſe certo ordine connexis conſtans, ad iuvandam memoriam in frequenti orationis Dominicæ & ſalutationis Angelicæ recitatione.

Vel ipſum circulum orationis Dominicæ & ſalutationis Angelicæ, quæ alternis vicibus recitantur, hoc ordine:

Fit ſignum crucis; invocatoque Dei adiutorio, ut fit in precibus horariis, recitatur Symbolum Apoſtolorum, oratio Dominica & ſalutatio Angelica, quæ ter dicitur;

(E) La Guesnois *pag* 1117. *Titre* 15. §. 4. *Ordonnance de* François I. *donnée a Villers Coterest au mois d'Aoust* 1539. *art.* 185. Iuxta iuſſa & edicta noſtrarum ſupremarum Aularum deleantur & interdicantur per totam noſtram ditionem omnes Confraternitates artificum.

Art. 186 Neque adſcribentur artifices ſub pœna corporalis punitionis: tenebunturque intra duos menſes poſt harum publicationem in ſingulis Urbibus, ad Iudices locorum afferre ea omnia, quæ inſerviunt, deſtinataque erunt ipſis Confraternitatibus, ut inde ex iis fiat, quod nobis faciendum videbitur.

Art. 187. Qui vero artificum anteſignani intra dictum tempus id facere neglexerint, in carcere detinebuntur uſquedum obedierint, gravique inſuper mulcta punientur, quia nobis obtemperare intra præſcriptum tempus renuerunt.

Charles IX. 1560. *Etats d'Orleans art.* 10. Iubemus pecunias & redditus Confraternitatum, ſumma divino ſervitio inſerviente detracta, in Scholarum uſum impendi, & in eleemoſynas per Civitates, pagos, & rura proximiora locis, in quibus Confraternitates erant, diſtribuendas: neque in alium uſum erogari poſſe quacumque de cauſſa. Præcipimus noſtris Officialibus, Magiſtris, Præfectis, Conſiliariis Civitatum & pagorum, ut in ſua ditione quilibet attente in id incumbat, tamquam rationem ipſe redditurus.

Charles IX. *a ſaint Germain en Laye, le* 5. *Fevrier* 1561 *donnée pour la ville de Lyon* Volumus nobiſque placet, iuxta edictum noſtri quondam Domini & Avi menſe Auguſto 1539 omnes confraternitates deleras & abolitas eſſe, & eas delemus & abolemus. Interdictum itaque clariori modo volumus omnibus hominibus cuiuſcumque ætatis, gradus, & conditionis ſint, dummodo in Civitate Lugdunenſi & ſuburbiis domicilium habeant ſub pœna corporalis punitionis, aliarumque pœnarum & mulctarum arbitrariarum, ferre ſuos panes benedictos in modum cœtus, verum ad Templa accedere & ab iis quiete recedere, atque ad ſua remeare domicilia ſine ſtrepitu, vel alio actu minime decenti.

Charles IX. 1566. *de Moulins Art.* 74. Præcipimus, ut ii, ad quos ſpectat, revera exſequantur edicta a nobis facta, ut deleantur, & interdicantur Confraternitates & cœtus & ſimilia.

Henri II. 1579. *Etats de Blois art.* 37. Antiqua Regum noſtrorum Prædeceſſorum edicta ſequentes: Prohibemus omnes confraternitates artificum, cœtus, & tripudia; earumque redditus ſervitii divini celebrationi applicentur, ad nutum Epiſcopi Diœceſani, nec non in pauperum alimentum, aliaque miſericordiæ opera inſumantur.

Deinde recitatur semel oratio Dominica, & decies salutatio Angelica, quod fit eodem ordine sexies. Finito circulo ter dicitur salutatio Angelica, semel oratio Dominica: concluditurque precatio recitatione Symboli; Hoc est quod Corona beatæ Mariæ dicitur, Gallice *Chapelet*.

Si hic orationis Dominicæ & salutationis Angelicæ post orationem Dominicam recitatæ circulus quindecies repetatur, hoc *Rosarium* dicitur.

Potest quisque pro devotione addere si velit, *Gloria Patri*, ante quamlibet orationis Dominicæ recitationem. Potest & alias preces innectere. Potest sic invertere ordinem ut dicat semel salutationem Angelicam, & decies orationem Dominicam; hocque sexies, vel quindecies repetat.

Possunt ad eius Rosarii vel Coronæ imitationem alia fingi pro arbitrio Rosaria. Verbi gratia, recitetur semel oratio Dominica, & decies deinde postuletur divina misericordia his verbis, vel aliis: *Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. Et sub tegmine alarum tuarum exultabo, donec transeat iniquitas.* (Pſ. LVI. 2. & 3.)

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. (Pſ. CXLII. 10.)

Vias tuas, Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus salvator meus, & te sustinui tota die. (Pſ. XXIV. 4. & 5.)

Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim. (Ibid. 11.)

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me. Vide humilitatem & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. (Ibid. 17. & 16.)

Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, Prævalui adversus eum. (Pſ. XII. 4.)

Alias eiusmodi precandi formulas, quæ decies post orationem Dominicam repeti possunt idque sexies vel quindecies, multas Psalmorum liber complectitur.

Potest & in honorem sanctorum Angelorum recitari Rosarium hoc modo: Recitetur semel oratio Dominica, & decies hæc aliave verba huiusmodi: *Sancti Angeli, quos Deus ineffabili providentia ad nostram protectionem & custodiam mittere dignatur, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo iudicio:* idque sexies quindeciesve eodem modo repetatur.

Potest & in honorem Sanctorum recitari Rosarium hoc modo. Post orationem Dominicam dicatur decies, *sancte Ioannes Baptista, sancte Petre, sancte Paulle, omnes sancti Apostoli, omnes sancti Discipuli Domini, omnes sancti Martyres, omnes sancti Pontifices, & Confessores, omnes sancti Monachi & Eremitæ, omnes sanctæ Virgines, omnes sanctæ Viduæ, omnes sanctæ Pœnitentes, omnes Sancti & Sanctæ Dei intercedite pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ. Amen.* Idque sexies quindeciesve eodem ordine repetatur.

Ex his precandi formulis priores duæ celebriores sunt, ex oratione

Dominica & salutatione Angelica constantes, de quibus iam supra fuse egimus: adeo ut superfluum sit alia subnectere, ut probemus sanctum & salutiferum esse harum usum.

Huiusce sect. n. 4. & 5

I. Quid observandum, & a quo cavendum est in recitatione Rosarii vel Coronæ B. M. Virginis?

R. Id observandum, ab eo cavendum, quod supra diximus, ubi sermo fuit de quacumque oratione vocali. dest orandum mente, orandum ore, orandum corde. Cavendum in hoc maxime orationum sæpius repetitarum circulo, ne mens vagetur, dum labiis verba pronuntiantur. Christiano non Iudaico more orandum: ne ad Christianos orantes verba Christi ad Iudæos post Isaiam Prophetam loquentis referantur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.*

Huiusce sect. n. 3.

Isai. xxix. 13. Matth xv 8.

I. Vereor ne quid superstitionis inesse videatur in hoc determinato precationum numero. Nam ad Rosarium B. M. Virginis, recitatur oratio Dominica quindecies, salutatio vero Angelica decies post quamlibet recitationem orationis Dominicæ. Ad coronam vero B. M. V. recitatur oratio Dominica sexies, salutatio vero Angelica decies post quamlibet orationis Dominicæ recitationem. Quid habet numerus iste mysterii?

R. Qui hanc precandi formulam instituerunt, in Rosario quindecies recitandam orationem Dominicam, post quamlibet orationis Dominicæ recitationem decies recitandam salutationem Angelicam proposuerunt, ut plebs rudis occuparetur recitatione precum quas unusquisque memoriter tenet. Ut autem mens, quæ vix potest eamdem orationem toties attente repetere, interim occuparetur aliqua pia cogitatione, numerum præfixerunt qui responderet Christi mysteriis quindecim, quæ solebat B. Virgo Deipara mente revolvere, & quorum aliquatenus particeps fuit; ut eadem mysteria mente revolvantur in ipsa Rosarii recitatione. In Corona vero B. Mariæ Virginis ter supra tricesies recitatur salutatio Angelica, ut revocentur in memoriam tres anni supra triginta, quibus Christus vixisse vulgo creditur. Nihil ibi superstitionis est, nihil alienum a fidei Catholicæ regula. Adde quod non in eo præcise numero constituatur vis orationis. Eadem oratio sæpius cum fide repetita denotat orationis instantiam.

§. 4. *De piis usibus quos approbat Ecclesia. Itemque de iis quos tolerat solum.*

I. Probatne Ecclesia singulas fidelium *devotiones*, ut vulgari sermone loquar?

R. Sunt quas Ecclesia probat & laudat multum; sunt quas Ecclesia carpit, & quantum in se est extirpat: sunt quas Ecclesia carpit quidem, sed tolerat tamen.

Probat Ecclesia & laudat quæcumque sancta sunt & iusta & laudabilia, quæcumque veram pietatem sapiunt, quæcumque consona sunt regulis fidei, doctrinæ sanctorum Patrum, Ecclesiasticæ traditioni & disciplinæ; uno verbo quæcumque

Pars III. Sect. II. Cap. X. §. 4.

ædificationis sunt, & conferre possunt ad verum Dei cultum, & ad salutem animarum.

Carpit & extirpat quæcumque aliena sunt a fidei & morum regula, nec possunt sub quocumque prætextu tolerari.

Carpit & extirpare satagit, sed tolerat tamen abusus quosdam, quos vel ignorantia, vel pietas falsa invexit, alienos quidem a mente Ecclesiæ, sed tamen a fidei & morum regula non prorsus discrepantes. Sunt quæ corrigi in melius nequeunt sine gravi scandalo. Sunt quæ tolerari satius est, quam reformari, ob inde sequutura incommoda. Sunt sæpe mala minora ferenda patienter, ne maiora mala ex ipsa minorum malorum correctione nascantur. *Detrahendum est aliquid severitati*, inquit sanctus Augustinus, *ut maioribus malis sanandis caritas sincera subveniat. Hoc non fieret*, inquit idem, *quoniam revera fieri non deberet, nisi pacis ipsius compensatione sanaretur... Fit vulnus in arbore, ut ipso quodam vulnere matris Catholicæ filii reviviscant* (A).

Ep. 185. alias 50. ad Bonif. c. 10 n. 45.

Ibid. n. 44.

I. Quid agendum, cum videmus abusus ab Ecclesia non approbatos quidem, sed toleratos?

R. Tolerandum patienter quod Ecclesia tolerat. Si quid Ecclesia novit non rectum, silet tamen; silendum. Nec propterea sequendi abusus, si ab iis abstineri possit; sed assequenda in omnibus, quantum fieri potest, mens Ecclesiæ.

I. Probatne Ecclesia, an tolerat solum, usum hunc a plebe Christiana frequenter usurpatum, ut cruces, rosaria, sudariola applicent feretris quibus Sanctorum corpora vel relliquiæ continentur?

R. Usus ille sanctus est & pius, ab Ecclesia probatus, & ipsius Scripturæ sacræ auctoritate consecratus. Sic enim legimus in Actis Apostolorum: *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Paulli. Itaut super languidos deferrentur a cor-*

Act. xix. 11, & 12.

(A) S. Aug. *ad inquisit. Ian. lib. 2. Epist.* 55. *alias* 119. *cap.* 19 *num* 35. Quod autem instituitur præter consuetudinem, ut quasi observatio sacramenti sit, approbare non possum, etiam si multa huiusmodi propter nonnullarum vel sanctarum vel turbulentarum personarum scandala devitanda, liberius improbare non audeo. Sed hoc nimis doleo, quod multa quæ in divinis libris saluberrime præcepta sunt, minus curantur; & tam multis præsumtionibus sic plena sunt omnia, ut gravius corripiatur qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia sepelierit. Omnia itaque talia quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino numquam inveniri possint caussæ, quas in eis instituendis homines sequuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo. Quamvis enim neque hoc inveniri possit, quomodo contra fidem sint: ipsam tamen relligionem, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumtionibus subiiciuntur. Sed Ecclesia Dei inter multam paleam multaque zizania constituta, multa tolerat, & tamen quæ sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit.

pore eius sudaria, & semicinctia, & recedebant ab iis languores, & spiritus nequam egrediebantur.

Hinc ortus est pius usus applicandi ad corpora vel relliquias Sanctorum, sudariola, cruces, rosaria, aliaque id genus, quorum fit quotidianus usus. Non potest Ecclesia improbare usum a Deo ipso in sacris codicibus probatum, & miraculis confirmatum. Quod ait liber Actuum, *Cum deferrentur super languidos a corpore Paulli sudaria & semicinctia, recedebant ab iis languores, & spiritus nequam egrediebantur*: hoc ipsum testatur sanctus Ambrosius accidisse, cum a feretris sanctorum Gervasii & Protasii, sudaria super infirmos & energumenos deferrentur. Hoc ipsum testatur S. Augustinus in Africa contigisse ex contactu relliquiarum sancti Stephani aliorumque quorum testis oculatus ipse fuerat; sicut & Mediolani S. Ambrosius (B).

I. Probatne Ecclesia an tolerat solum usum hunc multis in locis celebrem, ut in templis, immo & in vicorum angulis, & urbium compitis, sculptæ B. M. Virginis ceterorumve Sanctorum imagines, pretiosis vestibus circumtestae collocentur, & ante eas lampades vel cerei accendantur?

R. Hunc usum Ecclesia non præcipit quidem, sed nec reprehendit, immo probat, utpote nihil habens alienum a fidei & morum regula. Si Christiana plebs eo ignorantiæ prolaberetur, ut putaret esse in illis imaginibus vim insitam, vel si quid superstitionis in illo cultu exteriori admisceretur, contradiceret Ecclesia, ut patet ex Concilio Tridentino: seduloque invigilare tenentur Episcopi ne quid superstitionis subrepat in re eiusmodi. Sed res in se bona est, fidei consona; nec quidquam habet quod reprehendi iure merito possit. Vestes illæ ad tegendas Sanctorum sculptas imagines, fiant ex sculpto lapide, vel marmore, vel ære, an ex panno serico, perinde est. Pretiosarum vestium ornatus exhibetur Sanctis ipsis, quos statuæ repræsentant, debita reverentia. Lampadibus vero vel cereis ante sacras illas imagines ardentibus admonemur Sanctos in æternæ lucis regione iam cum Christo regnare, ut ad illam lucem & nos accedere satagamus.

PARS III. SECT. II. CAP. X. §. 4.

Vid. Conc. Trid. seſs. 25. decreto de invoc. SS. & sacris imaginibus, supra par. 2. sect. 3. c. 2. §. 5. lit. (I)

I. Probatne Ecclesia an tolerat solum ritum hunc, quo Presbyteri vel Diaconi posita super capita fidelium stola, recitant Evangelium, ad satisfaciendum piæ plebis devotioni?

R. Ritum hunc Ecclesia probat, immo multis in Ecclesiis post sollemnem Baptismi ceterorumque quorumdam Sacramentorum administrationem iam pridem adhibet. Dubium nullum est quin magna vis insit sacrosanctis Evangelii verbis ad impetrandum quod a Deo supplices petimus, ad depellendos morbos, & fugandos dæmones. Hoc ritu adorandis Evangelii verbis ho-

(B) S. AMBROS. *Epist. class.* 1. *Epist.* 22. *num.* 9. & S. AUG. *lib.* 22. *de civitate Dei*, *cap.* 8. *Vide superius par.* 2. *sect.* 3. *cap.* 2. §. 4. *litt.* (F)

Pars III. Sect. II Cap. XI.

norem & reverentiam exhibemus, id est, Christo ipsi, qui veritas est. Quod sane non potest Christus improbare.

Sed quoniam plerumque accidit depravatos homines & diabolico spiritu actos rebus optimis & sanctissimis ad suam aliorumque perniciem abuti, cum in aliquibus Germaniæ regionibus accidisset huic sancto ritui adiunctas fuisse super-
Lege ſupra huiuſce Con. can. 10. c. 7. huiuſce ſect. §. 22. n. 31. litt. (C) stitiones, Concilium Salegunstadiense ritum hunc usurpari prohibuit ab iis qui eo pro aliqua divinatione abuterentur: sicut & hunc tollere omnino iure potuisset, immo & debuisset, si aliter non potuisset tolli superstitio huic adiuncta.

(Multæ quæstiones aliæ fieri possunt circa usus ab Ecclesia vel probatos, vel toleratos solum. Sed facile solvi possunt quæstiones eiusmodi, ex positis in toto huius operis decursu principiis.)

CAPUT UNDECIMUM

De Visitatione Episcopali.

I. Cur Episcopus visitat singulas Ecclesias suæ ditioni subditas?

R. 1. Ut secundum monitum Sa-
Prov. xxvii. 23. lomonis, *diligenter agnoscat vultum pecoris sui, suumque gregem consideret; non enim habebit iugiter potestatem*.

Joan. x. 3. 2. Ut quod ait Christus ipse Princeps Pastorum, *Oves vocem eius audiant, & proprias oves vocet nominatim, & educat eas; & cum proprias oves emiserit, ante eas vadat: & oves eum sequantur; quia sciunt vocem eius*.

3. Ut *ad omnia ad quæ missus est, eat, & universa quæ mandata sunt sibi, loquatur*. Jer. 1. 7

4. Ut constitutus super univer- Ib verſ. 7.
sam diœcesim, ubique evellat, & destruat, & disperdat, & dissipet, & ædificet, & plantet.

Evellat abusus, errores, ignorantiam, superstitiones, & cetera id genus.

Destruat lucos & excelsa, id est, ea omnia quæ rectæ religioni & sincerae pietati adversantur.

Disperdat & dissipet vitia, scandala, impietatem.

Ædificet: quod sensu litterali & metaphorico intelligi debet. Sensu litterali, quia Episcopus circuit Diœcesim, ut curet novas ædificari Ecclesias, veteres resarciri, decorari: item cœmeteria, domos curiales, xenodochia, scholas ad erudiendam iuventutem, & cetera id genus vel erigi vel refici. Ædificat autem sensu metaphorico, quia visitat Diœcesim, ut quæcumque ædificationis sunt stabiliat vel confirmet, & procuret Parochiis omne bonum tam in spiritualibus quam in temporalibus.

Et plantet virtutes & omne bonorum operum genus. Nam *semen* Luc. viii.
est verbum Dei; & dum Episcopus visitat Diœcesim, dici de eo potest: *Exiit qui seminat seminare se-* Ibid. 5.
men suum. Hoc non fit sine labore, quia & ipsi Apostoli, quorum Episcopi successores sunt, *Euntes* Ps. cxxv.
ibant & flebant mittentes semina sua; sed cum *apparuerit Princeps* 1. Petr. v. 4.
Pastorum, *Venientes venient* ante Ps. cxxv. 7.

Pſ. cxxv. 8. faciem eius *cum exsultatione, portantes manipulos suos*, hoc est, 1. Petr. v. 4. fructus bonorum operum, *immarcessibilem æternæ gloriæ coronam accepturi*.

4. Ut sacramentum Confirmationis per totam Diœcesim Baptizatis conferat.

5. Ut pro recens confirmatis ceterisque omnibus in eadem parochia commorantibus offerat sacrificium salutare, simulque cum eis communicet corpori & sanguini Domini.

Pontificale Romanum quinque caussas præcipuas ponit propter quas fit visitatio Episcopalis. Illas subiicimus ex eo Pontificali excerptas.

Sacri canones, inquit, *& Ecclesiasticus ordo hoc* (id est parochiarum visitationem per Episcopum) *fieri præcipiunt propter multa*.

Primo, ad absolvendas animas defunctorum.

Secundo, ut sciat & videat qualiter Ecclesia ipsa spiritualiter & temporaliter gubernetur; quomodo se habeat in ornamentis, qualiter ibi Ecclesiastica Sacramenta ministrantur, & divina officia peraguntur, quale servitium ibi impenditur, qualis sit vita Ministrorum & populi; ut ex officio inquisitionis suæ, per eum si qua in præmissis corrigenda fuerint, corrigentur & emendentur.

Tertio, ad adulteria, fornicationes, sacrilegia, divinationes, & similia publica in populo punienda, ad quod interdum non sufficiunt Ecclesiarum Rectores; ostendens diligenter populo, quam damnabilia & detestanda sint crimina ipsa.

Quarto, propter casus qui de iure vel consuetudine, ad Episcopum dumtaxat pertinere noscuntur, qui in constitutionibus Synodalibus continentur, in quibus nullus alius se intromittere potest; protestans plebi, quod si quis vel si qua in aliquo ipsorum casuum, vel in quocunque alio, consilio eius indiguerit, paratus sit benigne audire, & consilium & absolutionem impendere, ac pœnitentiam misericorditer iniungere salutarem. PARS III. SECT. II. CAP. XI.

Quinto, ad exhibendum sacramentum Confirmationis, cuius solus Episcopus ordinarius minister est.

I. Quis ordo tenetur, qui ritus observantur in visitatione Episcopali?

R. Recipitur Episcopus a Clero & populo cum honore & reverentia debitis. Sollemniter ad Ecclesiam deducitur, & quidem sub umbella, si tunc primum visitet Ecclesiam. Interimque canuntur antiphonæ & responsoria, aliave cantica.

Intranti in Ecclesiam offertur a Præposito Ecclesiæ adspersorium cum aqua benedicta: quo accepto, adspergit Episcopus se ipsum & alios circumstantes. Deinde tus benedicit, & incensatura Præposito Ecclesiæ. Tum accedit ad altare maius, & genuflexus orat. Interimque Præpositus Ecclesiæ recitat preces in Pontificali præscriptas pro Episcopo adveniente, & populo visitando. Quibus dictis canitur antiphona in honorem Sancti Ecclesiæ illius Patroni seu titularis, canitque Episcopus orationem de eo. Deinde osculatur medium altaris, populo-

Pars III. Sect. II. Cap. XI.

que sollemniter benedicit: factaque a circumstantibus confessione, absolutionem generalem, & quadraginta dierum indulgentiam confert iis qui visitationi interfuerint.

Depositis ornamentis albis, assumit violacea, statimque canitur Psalmus *De profundis*: quo finito cum versiculis, canit Episcopus orationem pro defunctis Episcopis.

Psal. xxix.

Deinde præeunte Clero, & sequente populo, procedit Episcopus ad cœmeterium, ibique dictis precibus pro defunctis Presbyteris ceterisque in cœmeterio quiescentibus, ad Ecclesiam eodem ordine revertitur, fusisque tertio precibus *pro omnibus omnino in pace Ecclesiæ defunctis*, deponit ornamenta violacea, resumitque alba.

„ Tum vel antea pro beneplacito sermonem habet ad populum, „ in quo exponit caussas suæ visitationis, *ut ait Pontificale Romanum*. Deinde inducit diligenter populum ad pœnitentiam, „ & instruit in Ecclesiasticis Sacramentis, & in articulis fidei, „ & qualiter debent declinare a „ malo & facere bonum, fugere „ vitia & sectari virtutes; alteri „ non facere quod sibi fieri nolunt. „ Uno verbo dat populo monita salutis quæ magis expedire iudicaverit.

Postea incipit visitationem a sacrosancta Eucharistia; deinde ad Baptisterium, inde ad sancta olea, ad sacras reliquias, tum ad altaria, & capellas, & sacrarium se confert: videt num Ecclesia sufficienter & decenter ditata sit ornamentis cuiusque coloris, vasis, libris, ceterisque ad Dei cultum & officia divina rite celebranda necessariis. Postea baptizatos confirmat. Tum visitat ipsam Ecclesiam, si forte aliqua reparatione indigeat in muris, pavimento, tecto, campanili. Visitat item domum Presbyteralem, hospitalia, scholas, confraternitates, aliaque pia loca. Reddi sibi rationem iubet redditũum fabricæ, fundationum, aliorumque bonorum Ecclesiæ. Benedicit ornamenta, calices, aliaque si quæ benedicenda sunt. Confessiones audit, si expedire iudicaverit: inquirit de conversatione Cleri & populi, & qualiter spiritualia & temporalia administrentur: audit querelas si quæ sint, componit lites & dissidia quo ad eius fieri potest. Demum statuit, & decernit quæcumque statuenda & decernenda iudicaverit, & decretum visitationis Clero, & populo, si opus fuerit, significari curat.

Peracta visitatione, & omnibus expeditis, accedit ad Ecclesiam recitaturus Psalmum *De profundis* cum versiculis & oratione præscriptis in Pontificali pro defunctis; actisque Deo gratiis discedit.

I. Cur ad Ecclesiam procedentem Episcopum Clerus & populus comitatur, cum canticis; & cum in Ecclesiam introierit, fundit pro eo preces?

R. In signum lætitiæ canit cantica, oratque Deum pro Episcopo, ut utilis Parochiæ sit visitatio Episcopalis.

I. Cur post illas orationes, invocantur Sancti Ecclesiæ Patroni, deinde fiunt orationes pro mortuis;

tum dat Episcopus Benedictionem, Absolutionem, & Indulgentiam populo, antequam incipiat visitationem?

R. Ipso ordine quo fiunt illæ precationes innuitur quanta sit inter triplicem Ecclesiam, triumphantem scilicet, patientem & militantem connexio. Eo præcipue tendit visitatio Episcopalis, ut nexus ille inviolabilis permaneat, augeatur & perficiatur. Tum demum perficitur illa connexio cum triplex illa Ecclesia in cælum introducta, nec locorum spatiis dissita, coadunata fuerit, & impletum fuerit quod Christus in sua sollemni oratione precatur: *Rogo ut omnes unum sint, sicut & nos unum sumus: ut sint consummati in unum*. Ut fiat illa consummatio, necesse est prius ut animæ in carcere detentæ a pœnis purgatoriis liberentur, & fideles in terra superstites, Deo miserante, sic vivant ut ad æternam pervenire mereantur felicitatem. Hoc ut fiat & promoveatur, visitat Episcopus plebem suam. Itaque visitationem incipit ab invocatione Sanctorum Ecclesiæ Patronorum, ut eorum intercessione & fideles iam mortui in regione lucis & pacis constituantur, & viventes ambulent semitas rectas, & insistant Christi vestigiis. Quod ut facilius obtineat, precatur, ipsis benedictionem, datque populo supplicanti peccatorum remissionem, absolutionem & indulgentiam. Fundit varias preces pro fidelibus defunctis: ordinat & præcipit quæcumque ordinanda & præcipienda sunt ad salutem vivorum: tandemque expletis omnibus quæ spectant ad vivos, redit in Ecclesiam precaturus iterum pro mortuis; ut Ecclesia patiens & militans coadunatæ tandem Ecclesiæ in cælis triumphanti, consummentur in unum, atque ita totum corpus Christi mysticum Spiritu sancto afflante in æterna Dei solius cognitione, adoratione, laude, iugique amore conquiescat.

I. Quid agere debet populus Christianus dum visitat Episcopus parochiam?

R. Debet 1. iungere se precibus quas fundit Episcopus, & enixe Deum orare pro Episcopo & tota parochia; ut utilis & fructuosa sit illa visitatio.

2. Audire cum reverentia & attentione Episcopi sermones & monita.

3. Qui nondum susceperunt sacramentum Confirmationis, debent parati esse ad illud digne suscipiendum.

4. Omnes maxime convenit paratos esse & ad communicandum sacramentaliter, si forte Episcopus sit Missam celebraturus.

5. Si qui sint in parochia abusus, si quæ scandala, vitia, aliave quæ correctione indigeant, de iis monendus Episcopus, seclusa prorsus omni contentione, ira, rixa, æmulatione, vindicta. Id agendum ea solum mente & intentione, ut *quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ*, hæc in parochia stabiliantur, & decreto Episcopali firmentur. *Filip. iv. 8.*

Cccc 2

6. Interroganti Episcopo respondendum non ambigue, sed vere & sincere: omniaque ipsi plane & recte exponenda.

7. Absoluta visitatione, quæcumque recta & pia & vera decreverit, monuerit, docuerit Episcopus, omnia ad amussim exsequenda (A).

(A) S. Carol. *Actor. Eccles. Mediol. part.* 1, *Conc. Prov. part.* 2. *de Visit. pag.* 21. Inter Episcopalis officii munera, præcipua est, & ad salutem gregis maxime necessaria visitatio, ideo monemus Episcopos omnes, ut singuli ex decreto sacri Tridentini Concilii, Ecclesiam suam ac diœcesim visitent intra tempus ab eodem Concilio præstitutum. Meminerint autem visitationem ad salutem eorum, qui visitandi sunt, institutam esse: quamobrem illis maxime propositum esse debet. ut in eis incorruptam orthodoxamque doctrinam, probatam morum disciplinam tueantur, ac restituant. Visitationis ordo is adhibebitur, ut primum civitatem, deinde Diœcesim visitent; nisi forte aliud Episcopo videatur. In civitate cathedralis Ecclesia primo loco visitetur, tum singulæ collegiatæ, deinceps Parochiales omnes; quo & Parochi, & quicumque præterea Sacerdotes & Clerici in Parochiis commorantur, evocandi sunt: scholas, seminaria, sodalitates, hospitalia, ac cetera pia loca visitantes, studiose ac diligenter inspicient.

Studebunt verbi Dei prædicatione, vehementi cohortatione, ad relligionem, vitæ innocentiam, pacemque & concordiam omnes adhortari. Si vero privata admonitione opus esse intelligent, in eam docendo, arguendo, obsecrando pro rei, personæ, ac temporis ratione incumbent. Confirmationis sacramentum, ubi opus erit, ministrabunt. Omnes ad pœnitentiam cohortabunt, & quos aliquo peccato teneri cognoverint, cuius absolutio Episcopo reservata sit, eos pie confitentes & humiliter veniam petentes, vel ipsi, vel per alios ad id munus delectos, absolvent. In singulis locis a viris ætate, usu & probitate commendatis, de omnibus subtiliter inquirent, quæ eos pro officii sui munere scire oportebit. Ecclesiam & eius partes omnes inspicient: an eo cultu & nitore teneatur, qui domum Dei decet; & si quid restituendum, reparandum, reconciliandumve sit, iubeant ab iis, ad quos pertinet, resarciri. An Sanctorum relliquiæ, tuto, ornate decenterque conditæ asserventur: an quæ de sepulchris, ac cœmeteriis a nobis sancita sunt, re ipsa præstentur. Si consecranda sint altaria, consecrabunt. Si qua Ecclesia aut cœmeterium pollutum sit, reconciliabunt.... Denique dispicient, an in populo sint hæretici, usurarii, concubinarii, aliique flagitiosi & facinorosi homines, qui inimicitias generant, qui Quadragesimam, alia ieiunia, festos dies, & reliquos Ecclesiæ ritus non servent; quique saltem semel in anno peccata sua confessi non sint, aut sanctam Eucharistiam non sumpserint. An sint qui legata pia non exsequantur. An domestica disciplina patrum familias in educandis liberis diligens, pia, & honesta sit.... Dent autem operam. ut non solum quam diligentissime, sed etiam quam celerrime visitationem conficiant.

Concil. Provinc. IV. *par* 3. *pag.* 141. Episcopo ad cuiuscumque loci, vel Ecclesiæ parochialis curatæve visitationem adventanti, cum illi potissimum, ut vetus canon Concilii Turonensis iubet, qui Confirmationis sacramentum ab eo suscepturi sunt, tum præterea reliqui omnes fideles, exceptis tantum iis, qui morbo adversave valetudine laborant, sicut in Concilio Rothomagensi cautum est, obviam ordine prodeant; ac statis hymnorum, psalmorumque precibus, & cum gaudio, timore, summaque reverentia, illum tamquam vicem Christi agentem excipiant, prout eodem Rothomagensi Concilio sancitum est, cuius canone excommunicatio illis constituta erat, qui ei muneri defuissent.

Neque solum quo tempore ille adventat, sed aliis etiam diebus, dum visitatio parochiæ fit, fideles quam frequentissimi adsint; ut ipsi omnes ac singuli si quid ad animarum salutem procurandam opus habent, proprio Pastori parentique libere exponant; ei, quæ pro illius officii ratione oportet, interroganti respondeant; illum concio-

Digitized by Google

CONCLUSIO, COLLECTIO ET REPETITIO TOTIUS OPERIS.

De iis quæ hominem viatorem beatum efficiunt, donec æternam beatitudinem consequutus sit.

I. Hactenus exposuisti plane, dilucide & fuse quæcumque spectant ad relligionem, eique annexa sunt. Iam ut cumulus addatur perutili & laborioso operi, collige quæso & commone quibus de rebus verba feceris, dicta repete per capita, & decurre quam brevissime. Conclus. Operis.

R. Rem faciam libenter & facile. Partitus sum in partes tres quidquid dicturus eram de Relligione.

In prima parte, postquam sermonem habui de Deo uno & trino, & de eius attributis & perfectionibus, egi de rebus creatis, præsertimque de homine, cuius exposui creationem, lapsum, reparationem. Exposui quid Deus egerit per Christum mediatorem & redemptorem hominum, quid acturus sit usque ad consummationem

---

mantem, monentem, & paterne arguentem, obsecrantem & increpantem audiant: eiusdem iussa, monita & decreta suscipiant; atqoe Dei denique voluntatem, quam præsentes per ipsum auribus percipiunt, non tantum obediendi propensione, sed etiam recte factis omnino exsequantur. Id porro omne ut fideles diligenter promptoque animo præstent, frequentissimique in Episcopali Visitatione adsint; Parochorum, & aliorum quorum interest Sacerdotum sit crebro, prout usu venerit, intra Missarum sollemnia illos docere, cum eas officii partes, quas Episcopo visitanti ab ipsis præstari conveniat, tum visitationum in primis utilitates, fructusque salutares.

Actor. Part. 4. in Instruct. Visit. pag. 559. Triduo proximo antequam visitationis initium fiat cuiusque vel Ecclesiæ curatæ, vel oppidi, præsertim insignioris; celebretur in eadem Ecclesia oratio 40. horarum a Clero populoque illius parochiæ oppidique continentur pro salutari visitationis eventu. Parochus vero, aliusque Ecclesiæ Rector, vel Præfectus, in qua animarum cura geritur, cum visitandus erit, Pastorales Archiepiscopi litteras visitationis nomine editas duobus ante illius adventum proximis festis diebus intra Missarum sollemnia, cum populi frequentia adest, de scripto recitet....

Illud vero curet, ut nemo qui intra Parochiæ suæ fines habitat omnino sit, qui eo visitationis tempore confessus, sacram communionem non sumat; idque ab Archiepiscopo ipso, etiam si in alia parochiali Ecclesia sumere oporteret, scilicet eo loco, ubi ille mane visitans Missæ sacrum faciat. Nemo item, qui chrismate non ante confirmatus, modo ætate in Confirmationis litteris Archiepiscopalibus præscripta sit, illud ab eodem tunc non accipiat.

Quamobrem tum pridie diei visitationis, tum maxime ubi Archiepiscopum visitationis caussa iam adventare cognoverit, certo aliquo sollemnique campanarum sono illius adventum fidelibus significet; quo frequentius etiam ex agro evocati, omni alia prætermissa actione conveniant, eique tale tamque necessarium munus obeunti diligentius præsto sint, qua debent observantia, ac veneratione. Studeat item confessariorum Sacerdotum qui ad id muneris probati sint (nisi Archiepiscopi cura præmittantur) copiam necessariam habere; qui biduo, triduoque Parochiæ suæ hominum confessiones audiant, aut confessos reconcilient: ut stata visitationis aliave die quam Archiepiscopus statuerit, preparati sint ad sacram communionem, & ad confirmationem, qui nondum confirmati sunt, ab eo sancte sumendam.

Conclus. Operis. seculorum, ut homines perveniant ad completam possessionem vitæ æternæ, ad quam conditi sunt. Hoc est quod Religionis historiam dicimus.

In altera parte tradidi quam viam tenere, quod vitæ genus homines sectari oporteat, ut pervenire valeant ad vitam æternam. Proinde egi de vitiis & virtutibus, de Præceptis Dei & Ecclesiæ.

In tertia parte exposui quibus adiumentis sic vivere valeant homines, ut vitam adipiscantur æternam. Adeoque egi breviter de gratia, quæ prorsus necessaria est ad Christiane vivendum. Et quoniam gratia confertur per Sacramenta, & per orationem impetratur; ideo post tractatum de gratia, exposui quidquid pertinet ad Sacramenta, & ad orationem.

Ex dictis liquet homines conditos ad Deum clare videndum, quæ summa felicitas est, ad eam felicitatem totis viribus tendere oportere, in id unum omnes actus, cogitationes omnes dirigere.

Huius beatitudinis intuitu Christum debemus plurimum plus plusque in dies diligere & colere cum gratissimi animi sensu pro collatis in nos tot tantisque beneficiis, ut, quod orbi universo pene ignotum fuit, hanc nobis unam esse felicitatem probaret, hanc nobis mereretur, huius iter panderet, ad hanc nos introduceret.

Huius beatitudinis intuitu nihil non agere debemus ad fugienda vitia & peccata, sectandas virtutes, obtemperandum Deo & Ecclesiæ.

Huius beatitudinis intuitu pie suscipienda Sacramenta, instituta ad dandam, conservandam, augendam, restituendam gratiam, qua Christiane vivitur. Huius denique intuitu, sedulo vacandum orationi, ceterisque Christianæ pietatis exercitiis.

Quamdiu in terris degimus, exules sumus a patria: ad eam suspirare, & continuis votis & gressibus tendere debemus, alioquin ad eam numquam perventuri. *Dum sumus in corpore*, ait Apostolus, *peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus, & non per speciem. Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præsentes esse ad Dominum; & ideo contendimus sive absentes, sive præsentes placere illi.* 2. Cor. v. 6. 7. 8. & 9.

Hæc totius religionis, totius vitæ Christianæ summa est. Hæc & summa est eorum omnium, quæ toto hocce opere tradita & explanata sunt.

I. Ex a te dictis colligitur, nullam esse extra patriam, extra cælos felicitatem. Ergone in terris nulla hominis felicitas est? nec est quisquam qui in terris vere beatus dici possit?

R. Popule meus, inquit Propheta, *qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant*. Is. iii. 12. Nimirum beatum dixerunt populum, qui abundat divitiis, gloria, honoribus; cui nihil deest eorum quæ necessaria sunt ad vivendum commode, molliter & delicate; qui familiam & supellectilem habet copiosam & locupletem; qui ædes possidet elegantes, ma-

gnificas, amœnissimas; cuius ab nutu & potestate pendent plurimi, & cetera id genus: *Beatum*, inquam, *dixerunt populum cui hæc sunt. Beatus populus cuius Dominus Deus eius*. Rem fusius explico. Pſ. cxliii. 15.

Homini viatori nulla perfecta felicitas. Tunc enim solum homo perfecte beatus est, cum Deum facie ad faciem in æternum videt, cognoscit; cum summo fruitur bono: hoc autem nemini in terris degenti conceditur. Imperfecta tamen potest gaudere felicitate dum vivit, posita in spe vitæ æternæ (A). Quo maius & firmius est illius spei fundamentum, eo maior est hominis viatoris felicitas: quo recedit magis a tramite vitæ æternæ, eo infelicior est. Proinde quo magis accedimus ad Deum, & cum illo coniungimur, eo beatiores sumus, sed eo genere beatitudinis quod competit viatoribus & exulibus ab æterna patria. Quo magis a Deo recedimus, eo infeliciores sumus. Non ergo divitiæ, honores, voluptates, hominem beatum faciunt: id ipsa docet experientia. Nimirum animam Deo capacem quidquid Deo minus est occupare quidem potest, satiare non potest (B). *Fecisti nos*, Conclus. Operis.

(A) Rom. viii. 24. Spe enim salvi facti sumus. xii. 12. Spe gaudentes.

(B) S. Aug. *lib.* 19 *de civit. Dei*, *cap.* 4. *num.* 1. Respondebit æternam vitam esse summum bonum, æternam vero mortem summum malum; propter illam proinde adipiscendam, istamque vitandam, recte nobis esse vivendum.

Num. 5. Vita humana, quæ tot & tantis huius seculi malis esse cogitur misera, spe futuri seculi fit beata, sicut & salva. Quomodo enim beata est, quæ nondum salva est? Unde & Apostolus Paullus non de hominiibus imprudentibus, impatientibus, intemperantibus, & iniquis, sed de his qui secundum veram pietatem viverent, & ideo virtutes quas haberent, veras haberent, ait: *Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur non est spes. Quod enim quis videt, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus*. Sicut ergo spe salvi, ita spe beati facti sumus: & sicut salutem, ita beatitudinem, non iam tenemus præsentem, sed exspectamus futuram: & hoc per patientiam; quia in malis sumus, quæ patienter tolerare debemus, donec ad illa veniamus bona, ubi omnia erunt, quibus ineffabiliter delectemur; nihil erit autem, quod iam tolerare debeamus. Rom. viii. 24. & 25.

Serm. 158. *alias* 16. *de verbis Apostoli*, *cap.* 7. *num.* 7. Unusquisque ergo, Fratres mei, inspiciat se intus, appendat se, probet se in omnibus factis suis, bonis operibus suis, quæ faciat cum caritate, non exspectans retributionem temporalem, sed promissnm Dei, faciem Dei. Non enim quidquid tibi Deus promittit, valet aliquid præter ipsum Deum. Omnino me non satiaret Deus, nisi promitteret mihi se ipsum Deum..... Omnium creatorem sitio. ipsum esurio, ipsum sitio, ipsi dico: *Quoniam apud te est fons vitæ*.... Esuriat & sitiat peregrinatio mea, ut satietur præsentia mea. Arridet mundus multis rebus, pulcris, fortibus, variis: pulcrior est ille qui fecit, fortior, & clarior ille qui fecit, suavior ille est qui fecit. Satiabor cum manifestabitur gloria tua... Fides... quæ per dilectionem operatur, sine spe esse non potest. Pſ. xxxv. 10.

Num. 8.... Ipsa spes peregrinationi necessaria est, ipsa est quæ consolatur in via. Viator enim quando laborat ambulando, ideo laborem tolerat, quia pervenire sperat. Tolle illi spem perveniendi, continuo franguntur vires ambulandi. Ergo & spes quæ hic est, ad iustitiam pertinet peregrinationis nostræ. Ipsum Apostolum audi: *Adoptionem*, inquit *exspectantes, in nobismetipsis ingemiscemus adhuc*... Quare? *Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est* [illegible] *Si enim videt quis, quid sperat? si autem quod non* Rom. viii. 23. Ibid. 24. & 25.

Digitized by Google

CONCLUS. OPERIS. *Domine, ad te*, inquit sanctus Augustinus, *& inquietum est cor nostrum donec requiescat in te*. S. Aug. l. 1. Confess. c. 1.

I. Quæ res hominem viatorem beatum reddunt, quantum in terris potest esse beatus? Quæ res fundant maxime spem æternæ felicitatis?

R. Octo vulgo numerantur, quas octo *Beatitudines* dicimus. Has subnecto, quales nobis tradidit Christus. Matth. v. 1. & seq.

1. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

2. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

3. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

4. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

6. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

7. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

8. *Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

Pauperes spiritu dicuntur. 1. humiles, 2. pauperes qui contenti vivunt sua paupertate, 3. divites alieni ab amore divitiarum, secundum illud quod dicitur in Psalmo: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Ps. lxi. 11.

Mites appellantur, qui non sunt amari, rixosi, querulosi, murmuratores. Promittiturque eis possessio terræ, id est Paradisi, quæ dicitur terra viventium. Quamvis enim plerumque mites possideant iam nunc terram, eo sensu quod eos sua mansuetudo reddat gratos & acceptos hominibus simul cum ipsis degentibus; non tamen is est sensus litteralis huius sententiæ a Christo maxime intentus. Docet enim omnium seculorum experientia Sanctos plurimos sua mansuetudine & humilitate commendabiles, expositos fuisse furori & persequutioni impiorum.

Lugentium nomine Christus intelligit, 1. gementes de suis, & aliorum peccatis; 2. qui vitam agunt duram, asperam, pœnitentiæ operibus deditam; 3. qui patienter tolerant vitæ huius ærumnas & incommoda.

Esurientes & sitientes iustitiam appellantur qui, si iusti nondum sunt, ad iustificationem pervenire satagunt; si iusti sunt, novos in pietate, & iustitia progressus facere in dies pergunt, secundum id quod dicitur in Apocalypsi: *Qui* Apoc. xxii. 11.

---

videmus speramus, per patientiam exspectamus. In hac ergo patientia Martyres coronabantur, desiderabant quæ non videbant, contemnebant quæ ferebant. In hac spe dicebant: *Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persequutio, an fames, an nuditas, an gladius?* Ibid. 35.

N. 9. Ipse tibi erit cibus, ipse tibi erit potus... ipse tibi immortalitas erit... Avare quid tibi sufficit, si Deus ipse non sufficit?.... Deus tibi erit gloria.... Tunc erit Deus omnia in omnibus. Hoc modo credimus, hoc modo speramus: cum venerimus, tenebimus, & iam visio erit non fides: cum venerimus, tenebimus; & iam res erit, non spes.

Serm. 231. *alias* 141. *de temp in dieb. paschalib.* 2. *Vide supra huiusce operis par.* 2. *sect.* 4. *cap.* 2. §. 12. *litt.* (H)

iuſtus eſt, *iuſtificetur adhuc*: uno verbo qui totis viribus tendunt ad perfectionem caritatis.

Miſericordes nuncupantur, qui indigenti proximo pro ſuis facultatibus opitulantur, qui exercent opera miſericordiæ ſpiritualia, & corporalia quantum in ſe eſt, qui defectus aliorum patienter tolerant, quoad eius fieri poteſt excuſant, qui condonant libenter acceptas iniurias.

Mundi corde ſunt, qui cor alienum habent ab omni peccato, & cupiditate, & qui concupiſcentiam quantum in ſe eſt reprimunt.

Pacifici eſſe intelliguntur ii, qui dominantur inordinatis affectibus, qui pacem habere curant intus & foris, qui ſecum & cum proximo & cum Deo non pugnant, ſed concordes eſſe ſatagunt, qui veram pacem, quæ ex Deo eſt, aliis procurant. CONCLUS OPERIS.

Perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam, qui cum veritatem & iuſtitiam verbo, vel ſcriptis, vel vita tueantur & propugnent, qui cum Deo, qui veritas eſt, conſtanter adhæreant, cum nulla ratione avelli poſſint ob officiis vitæ Chriſtianæ, ideo ſubiacent odio, calumniis, contemtui, contumeliis, iniuriis hominum.

I. Itaque octo illæ beatitudines totam vitam Chriſtianam comprehendunt?

R. Ita eſt ut dicis. Neque enim beatus eſſe poteſt qui Chriſtiane non vivit. Nec fieri poteſt ut qui Chriſtiane vivit & moritur, non ſit beatus in æternum & in ſeculum ſeculi. Amen (C).

(C) S. HILAR. *Comment. in Matth. cap.* 4. *num.* 2. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Exemplo Dominus docuerat humanæ ambitionis gloriam relinquendam dicens: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Et eum ſe per Prophetas populum humilem & ad verba ſua trementem præmonuiſſet eſſe electurum; in ſpiritus humilitate perfectæ beatitudinis poſuit exordium. Igitur humilia ſpirantes, id eſt, eſſe ſe homines recordantes, in cæleſtis regni poſſeſſione conſtituti, conſcii ſibi ex ſordentibus ac tenuiſſimis ſe principiis coalitos in hanc formam perfecti corporis procreari, & in hunc ſentiendi, contuendi, iudicandi, agendi ſenſum, Deo profectum miniſtrante, procedere: nihil cuiquam ſuum eſſe, nihil proprium, ſed cunctis dono parentis unius eadem & veniendi in vitam tribui primordia, & utendi ea ſubſtantiam miniſtrari: ut nos optimi illius, qui nobis ſit iſta largitus, exemplo, perfunctæ in nos bonitatis eius eſſe æmulos oportere; ut boni omnibus ſimus, communia omnia omnibus exiſtimemus; nulla nos nec ſecularis faſtus inſolentia, nec opum cupiditas, nec inanis gloriæ ambitio corrumpat: ſed ſubiecti Deo ſimus, & de communione vivendi in omnes communis vitæ caritate teneamur. Magnum etiam in eo quod nati ſumus, divinæ bonitatis futurum profectum exiſtimantes, cuius præmium atque honor præſentis vitæ operibus ſit merendus: atque ita per hanc ſpiritus humilitatem, qua de Deo nobis meminerimus & indulta omnia, & deinceps potiora ſperanda, cælorum regnum erit noſtrum.

Matth. v. 1. — Matth. iv. 10. — Iſa. LXVI. 2.

Num. 3 *Beati mites, quoniam ipſi hereditabunt terram.* Mitibus terræ hereditatem pollicetur, id eſt, eius corporis, quod ipſe Dominus aſſumſit habitaculum. Quia per manſuetudinem mentis noſtræ habitaverit Chriſtus in nobis, nos quoque gloria clarificati eius corporis veſtiemur. Matth. v.

Num. 4. *Beati lugentes, quoniam ipſi* Matth. v. 5.

Conclus. Operis. *consolabuntur*. Lugentibus æternæ consolationis solatia repromittit. Non orbitates aut contumelias aut damna mœrentibus, sed peccata vetera flentibus, & criminum quibus obsordescimus conscientia ærumnosis, hæc sedula in cælo consolatio præparatur.

Matth. v. 6. *Num.* 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur:* Sitientibus & esurientibus iustitiam, beatitudinem tribuit: significans extensam in Dei doctrinam Sanctorum aviditatem bonis perfectæ in cælo satietatis expleri.

Ibid. 7. *Num. 6. Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus.* Misericordibus misericordiæ munera præparat. In tantum enim Deus benevolentiæ nostræ in omnes, delectatur affectu, ut misericordiam suam sit solis misericordibus præstiturus.

Ibid. 8. *Num. 7. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Mundis corde conspectum Dei spondet. Nihil enim pollutum & sordidum ad occursum divinæ claritatis insistit, & ad conspectum Dei acies obsoletæ mentis hebetatur: eos scilicet & visui & occursui Dei esse patentes, quibus per animi nitorem ac vitæ puritatem potestas sit contuendi. Non enim nisi Spiritu perfecti, & immortalitate immutati, quod solis mundis corde dispositum est, hoc quod in Deo est immortale cernemus.

Ibid. 9. *Num. 8. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Pacificorum beatitudo adoptionis est merces, ut filii Dei maneant; parens enim omnium Deus unus est. Neque aliter transire in nuncupationem familiæ eius licebit, nisi oblivione earum rerum assumta, quibus possemus offendi, fraternæ invicem caritatis pace vivamus.

Matth. v. 10. *Num. 9. Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam*, & reliqua. Perfecta ad postremum eos beatitudine muneratur, quibus omnia pro Christo pati pronus affectus est: quia ipse iustitia est. His igitur & regnum reservatur, & merces in cælo copiosa promittitur, qui in contemtu seculi pauperes spiritu, & damnis rerum præsentium infacturisque probrosi, & adversus maledicta hominum cælestis iustitiæ confessores, ac deinceps gloriosi promissorum Dei martyres, omnem vitæ usum testimonio æternitatis eius impenderint.

S. Ioan. Chrysost. *in caput V. Matth. homil.* 15. *num.* 1..... Audiamus diligenter ea quæ dicuntur: illis namque dicta sunt, & scripta sunt pro omnibus post futuris. Idcirco concionans quidem discipulos alloquitur; neque tamen in illis dicta circumscribit; sed indeterminate beatitudines omnes profert. Non enim dixit, beati estis vos, si pauperes fueritis; sed beati pauperes: certe etiamsi illis speciatim dixisset communia tamen consilia futura erant. Etenim cum diceret: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, Matth. xxviii. 20. non illos solum alloquitur, sed & per illos totum orbem: & cum illos beatos prædicat persequutionem patientes, pulsos, & intolerabilia sustinentes; non illis tantum sed etiam omnibus talia fortiter ferentibus coronam nectit. Ceterum ut id clarius evadat, & discas ea quæ dicta sunt tibi communia esse nec non toti humanæ naturæ, si attendere volueris, audi quomodo hunc mirabilem sermonem ordiatur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Matth. v. 3. Qui sunt pauperes spiritu? Humiles, & animo contriti. Spiritum enim hic dicit animam & voluntatis propositum. Quia enim multi sunt humiles, non sponte sua sed rerum necessitate coacti; illos mittens; neque enim id laudi est; eos qui ex voluntatis proposito sese humiliant ac deprimunt, primos beatos appellat. Et cur non dixit, humiles; sed, pauperes? Quia hoc illo præstantius est: nam hic dicit eos, qui Dei præcepta metuunt & contremiscunt; quos & per Hesaiam prophetam se valde acceptos habere Deus declarat: *Ad quem respiciam, nisi ad mansuetum & quietum & trementem verba mea?* Isai. lxvi. 2.

N. 2. Etenim multi sunt humilitatis modi: & alius quidem est moderate humilis, alius vero supra modum. Hanc porro humilitatem laudat beatus propheta, non depressum simpliciter animum describens, sed omnino contritum, cum ait: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* Ps. l. 19. Hanc & tres pueri pro magno sacrificio Deo offerunt, dicentes: *Sed in anima contrita, & spiritu humiliato suscipiamur.* Dan. iii. 39. Hanc & Christus beatam nunc prædicat. Quia enim maxima mala quæ totum orbem labefactant ex superbia prodierunt: quandoquidem diabolus,

qui talis ante non fuerat, sic diabolus effectus est. Quoniam igitur hæc malorum arx erat, itemque radix & fons omnis nequitiæ; morbo congruens remedium apparans, quasi fundamentum firmum & tutum hanc primam posuit legem. Hac enim posita, tuto cetera omnia superponit Architectus. Hac vero sublata, si quis ex instituto vitæ vel ad cælum pertingat, omnia facile ruunt, & in pessimum finem desinunt. Etsi ieiunium, etsi orationem, etsi eleemosynam, etsi castitatem, etsi aliud quidvis bonum collegeris, absque humilitate,
Luc. xviii. 14. diffluunt omnia & pereunt. Id etiam Pharisæo accidit: nam cum ad ipsum culmen pertigisset, omnibus amissis delapsus est; quia matrem bonorum non habuit. Quemadmodum enim superbia fons omnis nequitiæ est; sic humilitas philosophiæ omnis principium. Quamobrem hinc incipit exauditorum animis arrogantiam evellens radicitus. Ecquid hoc ad discipulos, inquies, qui omnino humiles erant? Nullam enim arrogantiæ ansam habebant, piscatores cum essent, pauperes, obscuri, & idiotæ. Etsi hæc ad discipulos non spectarent, sed ad eos qui præsentes erant hæc pertinere poterant, nec non ad eos qui postea ipsos excepturi erant, ne propterea ipsos despicerent. Immo vero ad discipulos hæc dicta erant. Etiamsi enim non tunc, at postea opus habituri erant illa utili cautione, post signa nempe & miracula, post tantum in orbe honorem, & tantam in Deo fiduciam. Neque enim divitiæ, neque potentia, neque regnum ita quempiam poterant efferre, ut ea omnia quæ Apostolis suppetebant. Alioquin autem fieri poterat ut etiam ante miracula, efferrentur, tantam multitudinem cernentes, & theatrum illud quod Doctorem suum circumdabat; certe humanum quidpiam pati poterant. Idcirco illos statim reprimit ne altum sapiant. Neque dicta sua admonitionis vel præceptorum more profert, sed propositæ beatitudinis forma sic gratiorem ordiens sermonem, & doctrinæ stadium omnibus aperiens. Non enim dixit hic vel ille, sed qui hæc faciunt, beati omnes erunt; ita ut sive servus sis, sive mendicus, sive pauper, sive peregrinus, sive idiota, nihil te impediat quin sis beatus, si hanc virtutem colueris. Hinc itaque orsus unde maxime par erat, ad aliud mandatum procedit, quod videtur totius orbis appugnare sententiam. Cum enim omnes putent eos qui gaudent & lætantur esse beatos; eos vero qui in mœrore, paupertate & luctu versantur, esse miseros; hos ille præ aliis beatos prædicat, dicens: *Beati qui lugent*. Atqui ab omnibus hi infelices esse dicuntur: sed ideo ille signa præmisit, ut leges afferens tales, fide dignus esset. Hic autem rursus non simpliciter lugentes posuit sed eos qui de peccatis lugerent: ut & aliud quoque luctus genus admodum prohibetur, nempe de rerum secularium dispendio lugere; quod significabat & Paullus dicens: *Quia seculi quidem tristitia mortem operatur: quæ autem secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*.

Conclus. Operis.

Matth. v. 4.

2. Cor. vii. 10.

N. 3. Hos igitur ille, qui sic lugent, beatos prædicat. Neque simpliciter lugentes ponit, sed qui impense lugent. Quapropter non dixit, qui mœrent, sed, qui lugent: nam hoc præceptum totius est philosophiæ magisterium. Si enim qui filios, uxorem, vel alium quempiam cognatum defunctum lugent, non pecuniarum, non corporum amore tenentur illo doloris tempore, non gloriam appetunt, non iniuriis moventur, non invidia corripiuntur, neque alio quopiam animi morbo obsidentur: sed prorsus luctui addicti sunt; multo magis qui peccata sua lugent, sicut ea lugenda sunt hac maiorem exhibebunt philosophiam. Deinde, quod eorum præmium erit? *quoniam ipsi consolabuntur*, inquit. Ubi vero, dic mihi, consolabuntur? Et hic, & illic. Quia enim præceptum grave admodum erat & onerosum, hoc se promisit daturum, quod illud maxime leve posset efficere. Itaque si velis consolationem accipere, luge. Et ne putes ænigma esse id quod dictum est. Cum enim Deus consolatur, etiamsi mille tristia accidant, omnibus superior eris. Etenim multo maiores dat semper Deus laborum mercedes: id quod etiam hic fecit cum dixit beatos esse eos qui lugent; non secundum rei meritum, sed secundum ipsius benignitatem; non ex operis scilicet dignitate, sed ex eius erga homines amore. Nam qui lugent, peccata sua lugent. His vero sufficit si veniam impetrent & excusationem. Quoniam autem ille magno erga homines amore tenetur, neque in supplicii remissione,

Conclus. Orabis. neque in peccatorum venia mercedem
sistit, sed etiam beatos efficit, & multam affert consolationum. Lugere autem nos iubet: non de peccatis tantum
nostris, sed etiam de alienis. Huiusmo-
Exod. xvii. & xxxii. di vero erant sanctorum animæ, ut Moy-
sis, ut Paulli, ut Davidis: nam hi alio-
1. Reg. xv. rum sæpe peccata luxerunt: *Beati mi-*
Rom. ix. *tes, quoniam ipsi possidebunt terram.*
Eph. iii. Dic mihi; quam terram? Terram quidam
Matt. v. 4. intelligibilem dicunt. Verum non ita se
res habet. Nusquam enim in Scriptura
reperimus terram intelligibilem. Sed
quid sibi vult illud? Sensibile præmium
Matth. xv. 4. statuit, sicut & Paullus. Cum dixisset
Exod. xxii. 12. enim: *Honora patrem tuum & matrem*
tuam, subiunxit: *sic enim eris longævus*
Deut. v. 16. *super terram*: & ipse Dominus Latroni:
Ephes. vi. 2. *Hodie mecum eris in paradiso.* Neque
Luc. xxiii. 43. enim ob futura solum bona cohortatur,
sed etiam ob præsentia propter illos
auditores, qui crassiores hæc priusquam
futura quærunt. Ideo & in sequentibus
Matth. v. 25. dicit: *Esto consentiens adversario tuo.*
Deinde huiusmodi philosophiæ præmium
statuit, & ait: *ne tradat te adversarius
iudici, & iudex ministro.* Viden unde
terruit? A sensibilibus scilicet, & quæ
Ibid. 22. sæpe contingunt. Et rursus: *Quicumque
dixerit fratri tuo, raca, reus erit conci-
lio.* Paullus quoque frequentissime sub
sensum cadentia præmia proponit, & a
præsentibus hortatur; ut cum de virgi-
nitate disserit: nihil quippe de cælis
commemorat, sed ex præsentibus hor-
1. Cor. vii. 26. tatur his verbis. *Propter instantem neces-
sitatem*, &, *ego autem vobis parco*, &,
Ibid. 28. *volo autem vos sine solicitudine esse.*
Ibid. 32. Sic igitur & Christus spiritualibus sen-
sibilia miscuit. Quia enim mitis quisque
putare possit se sua omnia perdere, con-
trarium ille pollicetur dicens: hunc ipsum
esse qui sua tutissime possideat, qui nec
audax, nec ostentator sit, nam qui talis
fuerit, paternis etiam bonis sæpe exci-
det, & ipsius animæ iacturam faciet.
Alioquin autem quia in veteri testa-
Ps. xxxvi. 11. mento propheta dixerat: *Mites autem he-
reditabunt terram*, a verbis iam fami-
liaribus sermonem texit, ut non ubique
inusitatis utatur verbis. Hæc porro dicit
non in præsentibus præmia circumscri-
bens, sed cum his illa quoque suppedi-
tans. Nam si quidpiam spirituale dicat,
non aufert tamen præsentia; si vero ali-
quid in præsenti vita promittat, non in
his tantum promissionem sistit: nam,
quærite, inquit, *regnum Dei*,* *& hæc* Matth. vi. 33.
omnia adiicientur vobis. Et rursum:
Quicumque dimiserit domum, aut fra- Matth. xix. 29.
tres, aut patrem, aut matrem, aut uxo- Marc. x. 29.
*rem, aut filios, aut agros propter nomen
meum, centuplum accipiet in seculo isto,
& in futuro vitam æternam possidebit.*
Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Matth. v. 6.
Quam iustitiam? An virtutem illam in
genere, an speciem illam iustitiæ, quæ
avaritiæ opposita est? Quia enim de elee-
mosyna præceptum daturus est, docet
quomodo illam exercere oporteat; videli-
cet non ex rapina, non ex avaritia bea-
tos prædicat eos qui iustitiæ dant operam.

N. 4. Et animadvertas velim cum quan-
ta vehementia id expresserit. Non enim
dixit, beati qui iustitiam sectantur, sed:
Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam,
ut non perfunctorie, sed cum omni cu-
piditate ipsam adeamus. Quia enim il-
lud avaritiæ maxime proprium est, ne-
que ita cibum atque potum desidera-
mus, ut plurima possidere & acquire-
re, talem cupiditatem, in contrariam
avaritiæ virtutem transferre iussit. Dein-
de rursus sensibile præmium definit di-
cens, *quoniam ipsi saturabuntur.* Quia
enim putatur avaritia multos divites
facere, dicit contrarium omnino esse:
id enim præstat iustitia. Ne itaque eum
iusta operaris, paupertatem timeas, ne-
ve famem metuas. Nam qui aliena ra-
piunt, hi maxime ab omnibus excidunt;
ut qui iustitiam amat omnia tuto possi-
det. Si autem ii qui aliena non cu-
piunt, tot fruuntur divitiis, multo ma-
gis ii qui sua largiuntur. *Beati miseri-* Ibid. 7.
cordes. Hic non tantum pecuniæ lar-
gitores dicere mihi videtur, sed etiam
eos qui operibus misericordiam exer-
cent. Varii enim sunt miserendi modi,
& latum est præceptum. Quod igitur il-
lorum est præmium? *Quoniam ipsi mi-
sericordiam consequuntur.* Et videtur
quidem æqualis esse retributio; sed est
ipso bono opere longe maior. Ipsi nam-
que miserentur ut homines, sed miseri-
cordiam consequuntur ab universorum
Deo. Non sunt autem æquales humana
miseratio & divina; sed quantum inter
malitiam & bonitatem discrimen est, tan-
tum inter hoc & illud. *Beati mundo* Ibid. 8.
corde quoniam ipsi Deum videbunt. Ec-
ce rursus spirituale præmium: mundos
autem hic vocat eos qui universalem vir-
tutem possident, nulliusque sibi mali

conscii sunt, sive eos qui in continentia vivunt: nulla enim nobis ita opus est ad Deum videndum, ut illa virtute. *Hebr. xII. 14.* Ideo & Paullus dicebat: *Pacem sectamini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum*. Visionem porro hic dicit, quæ homini sit possibilis. Quia enim multi sunt qui miserentur, nec rapiunt, nec avaritiæ student, sed fornicantur & libidini se dedunt, ostendens illud primum non satis esse, hoc etiam addidit. Quod etiam Paullus Macedonibus testificatus est in *2. Cor. VIII. 1.* epistola ad Corinthios, quod non modo eleemosyna divites essent, sed etiam aliis virtutibus: loquutus enim de liberalitate eorum in erogandis pecuniis, *Ibid. 5.* addit, illos sese dedisse Domino, *& nobis*. *Matth. v. 9.* *Beati pacifici*. Hic non modo dissensiones mutuas, & inimicitias prohibet; sed aliud quidpiam insuper exigit; ut & alios dissidentes ad concordiam revocemus, ac rursus spirituale præmium offert. Quale illud est? *Ibid.* *Quoniam ipsi filii Dei vocabuntur*. Si quidem Unigeniti opus illud fuit, disiuncta copulare, pugnantia conciliare. Deinde ne putes pacem ubique esse bonum, subiunxit: *Ibid. 10.* *Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam*; hoc est virtutis caussa, pro aliorum defensione, pro pietate. Virtutem enim semper solet vocare totam animæ philosophiam. *Ibid. 11.* *Beati estis, cum exprobraverint vobis homines, & persequuti vos fuerint, & dixerint omne malum verbum adversum vos mentientes, Ibid. 12.* *propter me. Gaudete & exultate*; ac si diceret; si vos præstigiatores, si seductores, si maleficos, si quovis alio nomine vocent, beati estis. Quid his præceptis insolentius fuerit, cum hæc desideranda dicit, quæ aliis fugienda putantur: nempe mendicare, lugere, persequutionem pati, male audire? Attamen & dixit, & suasit, non duobus, vel decem, vel viginti, vel centum, vel mille hominibus, sed universo orbi. Et audientes illa onerosa, molesta, vulgari consuetudini contraria, stupebant turbæ. Tanta erat dicentis virtus.

N. 5 Ceterum ne putes male audire solum beatos efficere, duos opposuit distinctiones; quando scilicet vel propter ipsum prolata, vel mendacia fuerint dicta illa. Nam si hæc non adsint, non modo non beatus sed etiam miser est is qui male audit. Deinde vide rursus præmium: *quoniam merces vestra multa est in cælis*. CONCLUS. OPERIS. *Matth. v. 12.* Tu vero etsi non ad singulas beatitudines regnum dari audias, ne animo deficias. Etiamsi enim præmia diverso appellet nomine, tamen omnes ad regnum introducit. Nam cum dicit, lugentes consolationem, & misericordes misericordiam consequentur, & mundi corde Deum videbunt, & pacifici filii Dei vocabuntur, nihil aliud per hæc omnia indicat, quam regnum cælorum; qui enim his fruuntur id consequentur omnino. Ne igitur mercedem illam putes ad solos pauperes spiritu pertinere, sed etiam ad esurientes iustitiam, ad mites, & ad alios omnes. Ideo enim in singulis beatitudinem apposuit, ut ne quid sensibile exspectes. Neque enim beatus erit ille qui iis coronabitur, quæ in præsenti vita dissolvuntur, & umbra celerius prætercurrunt....

N. 6... Propterea mercedem magnam posuit Christus. Deinde ne quis dicat: Hic ergo non vindicas, neque eorum ora consuis, sed ibi mercedem das? Prophetas memoravit, ostendens neque tunc ipsos Deum ultum esse. Si vero tunc cum prope erant retributiones, spe futurorum fovebat illos, multo magis nunc, quando spes illa clarior effecta est, & Philosophia maior. Vide autem post quot mandata hoc statuat. Non enim casu quopiam hoc fecit; sed ut ostendat, non posse eum, qui non ad hæc omnia paratus & instructus sit, in hæc certamina prodire. Ideo a priori semper ad sequens mandatum viam parans, catenam nobis auream texuit. Cum enim quis humilis fuerit, etiam sua omnino lugebit peccata: qui lugebit, mitis erit, modestus & misericors; misericors vero iustus erit, compunctus & mundus corde: qui talis erit, etiam pacificus futurus est. Qui porro hæc omnia assequutus fuerit, ad pericula etiam paratus erit neque male audiens turbabitur, neque si innumera patiatur mala.

S. AUG. *de Serm. Dom. in monte lib.* I. *cap.* I. *num.* 3 *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cælorum*. *Matth. v. 3.* Legimus scriptum de appetitione rerum temporalium, *omnia vanitas & præsumptio spiritus*: *Eccles. 1. 14.* Præsumptio autem spiritus, audaciam & superbiam significat: vulgo etiam magnos spiritus superbi habere dicuntur... Unde est etiam illud Apostoli, *scientia inflat, caritas* *1 Cor. VIII. 1.*

CONCLUS. OPERIS. *vero ædificat*. Quapropter recte hic intelliguntur pauperes spiritu, humiles & timentes Deum, id est, non habentes inflantem spiritum. Nec aliunde omnino incipere oportuit beatitudinem: si quidem perventura est ad summam sapientiam: Eccli. XXI. 16. *Initium autem sapientiæ timor Domini*: quoniam & e contrario, Eccli. X. 15. initium omnis peccati superbia inscribitur. Superbi ergo appetant & diligant Matth. V. 3. regna terrarum: *Beati autem pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cælorum*.

Ibid. 4. *Cap. 2. num. 4. Beati mites: quoniam ipsi hereditate possidebunt terram*: illam credo terram, de qua in Psalmo dicitur: Ps. CXLI. 6. *spes mea es tu, portio mea in terra viventium*. Significat enim quamdam soliditatem, & stabilitatem hereditatis perpetuæ, ubi anima per bonum affectum, tamquam loco suo requiescit, sicut corpus in terra; & inde cibo suo alitur, sicut corpus ex terra: ipsa est requies & Rom. XII. 21. vita Sanctorum. Mites autem sunt qui cedunt improbitatibus, & non resistunt malo, sed vincunt in bono malum. Rixentur ergo immites, & dimicent pro terrenis & temporalibus rebus: *Beati autem mites; quoniam ipsi hereditate possidebunt terram*, de qua pelli non possint.

Matth. V. 5. *Num. 5. Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur*. Luctus est tristitia de amissione carorum: conversi autem ad Deum, ea quæ in hoc mundo cara amplectebantur, amittunt: non enim gaudent his rebus, quibus ante gaudebant: & donec fiat in illis amor æternorum, non nulla mœstitia sauciantur: consolabuntur ergo Spiritu sancto, qui maxime propterea Paracletus nominatur, id est consolator, ut temporalem amittentes æterna lætitia perfruantur.

Matth. V. 6. *Num. 6. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur*: Iam istos amatores dicit veri & inconcussi boni. Illo ergo cibo saturabuntur, Joan. IV. 34. de quo ipse Dominus dicit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei*, quod est iustitia; & illa aqua, de qua Ibid. 14. quisquis biberit, ut idem dicit, *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*.

Matth. V. 7. *Num. 7. Beati misericordes; quoniam ipsorum miserebitur*. Beatos esse dicit qui subveniunt miseris, quoniam eis ita rependitur ut de miseria liberentur.

Ibid. 8. *Num. 8. Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt*. Quam ergo stulti sunt qui Deum ipsis exterioribus oculis quærunt, cum corde videatur, sicut alibi scriptum est. *Et in simplicitate cordis quærite illum*. Sap. I. 1. Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor: & quemadmodum lumen hoc videri non potest nisi oculis mundis, ita nec Deus videtur nisi mundum sit illud quo videri potest.

Num. 9. Beati pacifici; quoniam ipsi filii Dei vocabuntur. Matth. V. 9. In pace perfectio est, ubi nihil repugnat; & ideo filii Dei pacifici, quoniam nihil resistit Deo, & utique filii similitudinem patris habere debent. Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, & subiicientes rationi, id est menti, & spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei: in quo ita sunt ordinata omnia, ut id quod est in homine præcipuum & excellens, hoc imperet ceteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestiisque communia: atque id ipsum quod excellit in homine, id est, mens & ratio, subiiciatur potiori, quod est ipsa veritas unigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se ipse subiiciat. Et hæc est pax quæ datur in terra hominibus bonæ Luc. II. 14. voluntatis; hæc vita consummati perfectique sapientis. De huiusmodi regno pacatissimo & ordinatissimo missus est foras princeps huius seculi, qui perversis inordinatisque dominatur. Hac pace intrinsecus constituta atque firmata quascumque persequutiones ille qui foras missus est, forinsecus concitaverit, auget gloriam quæ secundum Deum est; non aliquid in illo ædificio labefactans, sed deficientibus machinis suis innotescere faciens quanta firmitas intus exstructa sit. Ideo sequitur: *Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam; quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Matth. V. 10.

Cap. 3. num. 10. Sunt autem omnes istæ octo sententiæ. Iam enim cetera compellans loquitur ad illos qui aderant, dicens: *Beati eritis, cum vobis maledicent, & persequentur vos*. Ibid. 11. Superiores autem sententias generaliter dirigebat; non enim dixit: *Beati pauperes spiritu*, quoniam vestrum est regnum Ibid. 3. cælorum; sed: *Quoniam ipsorum est*, inquit, *regnum cælorum*. Neque: *Beati mites*, quoniam vos possidebitis terram; sed *quoniam ipsi possidebunt terram*. Et Ibid. 4.

Digitized by Google

Ibid. 10. ita ceteras usque ad octavam sententiam, ubi ait: *Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam; quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Inde iam incipit loqui præsentes compellans, cum & illa quæ supra dicta sunt, ad eos etiam pertinerent, qui præsentes audiebant, & hæc postea quæ videntur præsentibus specialiter dici, pertineant etiam ad illos qui absentes vel post futuri erant. Quapropter iste sententiarum numerus diligenter considerandus est. Incipit enim beatitudo ab humilitate: *Beati pauperes spiritu*, id est, non inflati, dum se divinæ auctoritati subdit anima, ne mens post hanc vitam ne pergat ad pœnas, etiamsi forte in hac vita sibi beata esse videatur. Inde venit ad divinarum Scripturarum cognitionem, ubi oportet eam se mitem præbere pietate, ne id quod imperitis videtur absurdum vituperare audeat, & pervicacibus concertationibus efficiatur indocilis. Inde iam incipit scire, quibus nodis sæculi huius per carnalem consuetudinem ac peccata teneatur: itaque in hoc tertio gradu, in quo scientia est, lugetur amissio summi boni, quia inhæretur extremis. In quarto autem gradu, labor est, ubi vehementer incumbitur ut sese animus avellat ab eis, quibus pestifera dulcedine innexus est: hic ergo esuritur & sititur iustitia, & multum necessaria est fortitudo; quia non relinquitur sine dolore quod cum delectatione retinetur. Quinto autem gradu perseverantibus in labore datur evadendi consilium; quia nisi quisque adiuvetur a superiore, nullo modo sibi est idoneus ut sese tantis miseriarum implicamentis expediat: est autem iustum consilium, ut qui se a potentiore adiuvari vult, adiuvet infirmiorem, in quo est ipse potentior: itaque *Beati misericordes; quia ipsorum miserebitur*. Sexto gradu est cordis munditia, de bona conscientia bonorum operum valens ad contemplandum summum illud bonum, quod solo puro, & sereno intellectu cerni potest. Postremo & septima ipsa sapientia, id est, contemplatio veritatis, pacificans totum hominem, & suscipiens similitudinem Dei, quæ ita concluditur: *Beati pacifici; quoniam ipsi filii Dei vocabuntur*. Octava tamquam ad caput redit; quia consummatum perfectumque ostendit & probat: itaque in prima & in octava nominatum est regnum cælorum. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*: &, *Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Cum iam dicitur, *Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persequutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* Septem sunt ergo quæ perficiunt: nam octava clarificat, & quod perfectum est demonstrat, ut per hoc gradus perficiantur & ceteri, tamquam a capite rursum exordiens. *Conclus. Orat.* *Rom. viii. 35.*

Cap. 4. num. 11. Videtur ergo mihi etiam septiformis operatio Spiritus sancti, de qua Isaias loquitur, his gradibus sententiisque congruere. Sed interest ordinis: nam ibi enumeratio ab excellentioribus cœpit, hic vero ab inferioribus. Ibi namque incipit a sapientia, & desinit ad timorem Dei: sed *initium sapientiæ timor Domini* est. Quapropter si gradatim tamquam ascendentes numeremus, primus ibi est timor Dei, secunda pietas, tertia scientia, quarta fortitudo, quintum consilium, sextus intellectus, septima sapientia. Timor Dei congruit humilibus de quibus hic dicitur: *Beati pauperes spiritu*, idest, non inflati, non superbi: quibus Apostolus dicit: *Noli altum sapere, sed time*, id est, noli extolli. Pietas congruit mitibus: qui enim pie quærit, honorat sanctam Scripturam, & non reprehendit quod nondum intelligit, & propterea non resistit, quod est mitem esse unde hic dicitur, *Beati mites*. Scientia congruit lugentibus, qui iam cognoverunt in Scripturis quibus malis vincti teneantur, quæ tamquam bona & utilia ignorantes appetiverunt: de quibus hic dicitur, *Beati qui lugent*. Fortitudo congruit esurientibus & sitientibus: laborant enim desiderantes gaudium de veris bonis, & amorem a terrenis & corporalibus avertere cupientes: de quibus hic dicitur, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*. Consilium congruit misericordibus: hoc enim unum remedium est de tantis malis evadendi, ut dimittamus, sicut nobis dimitti volumus; & adiuvemus in quo possumus alios, sicut nos in quo non possumus cupimus adiuvari: de quibus hic dicitur, *Beati misericordes*. Intellectus congruit mundis corde, tamquam purgato oculo, quo cerni possit *quod* corporeus

Isai. xi. 2. *Eccli. i. 16.* *Matth. v. 3.* *Rom. xi. 20.* *Matth. v. 4.* *Ibid. 5.* *Ibid. 6.* *Ib. 7.* *Isai xxiv. 1. Cor. iv.*

Digitized by Google

Conclus. Operis. *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*: de quibus hic
Matth. v. 8. dicitur, *Beati mundi corde*. Sapientia congruit pacificis in quibus iam ordinata sunt omnia, nullusque motus adversus rationem rebellis est, sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cum & ipse obtemperet Deo: de quibus hic dicitur,
Ibid. 9. *Beati pacifici*.

Num. 12. Unum autem præmium quod est regnum cælorum, pro his gradibus varie nominatum est. In primo, sicut oportebat, positum est regnum cælorum, quod est perfecta summaque sapientia animæ rationalis. Sic itaque dictum est,
Ibid. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*: tamquam diceretur,
Eccli. 1. 16. Ps. cx. 10. *Initium sapientiæ timor Domini*. Mitibus hæreditas data est; tamquam testamentum patris cum pie-
Prov. 15. 10. Matth. v. 4. tate quærentibus: *Beati mites quoniam ipsi hereditate possidebunt terram*. Lugentibus consolatio, tamquam scientibus quid amiserint, & quibus mersi sint:
Ibid. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Esurientibus & sitientibus saturitas, tamquam refectio laborantibus fortiterque certantibus ad salutem:
Ibid. 6. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. Misericordibus misericordia, tamquam vero & optimo consilio utentibus, ut hoc eis exhibeatur a potentiore, quod invalidioribus exhibent;
Ibid. 7. *Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur*. Mundis corde facultas videndi Deum, tamquam purum oculum ad intelligenda æterna gerentibus:
Ibid. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Pacificis Dei similitudo, tamquam perfecte sapientibus formatisque ad imaginem Dei per regenerationem renovati hominis:
Ibid. 9. *Beati pacifici, quoniam ipsi Filii Dei vocabuntur*. Et ista quidem in hac vita possunt compleri; sicut completa esse in Apostolis credimus. Nam illa omnimoda in angelicam formam mutatio, quæ post hanc vitam promittitur, nullis verbis exponi potest.

S. Bern. *de divers Serm.* 56. *num.* 1. Eodem ordine quo præcessit culpa, subsequuta est etiam culpæ medicina. Primum peccatum est factum in cælo per superbiam prævaricatoris Angeli.... In seipso tumuit, & de sorte beatorum spirituum eiectus, cælorum regnum amisit. Con-
Matth. v 3. tra hoc peccatum dictum est: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Secundum peccatum commissum est per inobedientiam mulieris in paradiso. Ex hoc peccato facta est caro rebellis spiritui, ut quoniam spiritus eius non fuit subiectus Creatori, nec caro sit subiecta spiritui. Contra hoc est dictum: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*. Ibid. 4. Horum duorum peccatorum comprehendit Dominus medicinam dicens: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*. Matth. xi. 29. Tertium peccatum fuit, quod ipsa mulier virum quoque secum traxit in culpam. Debuit quidem illa peccatum suum deflere, nec addere peccatum peccato: sed in hoc se putavit habere consolationem, si virum faceret peccati sui participem. Quodammodo enim naturale est unumquemque velle, sive in vitiis, sive in virtutibus, associare sibi consortem. Contra hoc peccatum est istud remedium: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Matth. v. 5.

Num. 2. Quartum peccatum commisit *Adam*, qui consensit. Adam enim, sicut ait Apostolus: *Non est seductus; mulier autem seducta in prævaricatione fuit*. 1. Timoth. ii. 14. Illa per ignorantiam, iste peccavit per infirmitatem. Peccavit autem nimis diligendo uxorem, non quia eius voluntatem fecit, sed quia eam voluntati prætulit divinæ..... Contra hoc quartum peccatum adhibitum est remedium: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. Matth. v. 6. Habuit quidem Adam iustitiam, a iusto Deo creatus iustus: sed quia non eam ex libero arbitrio direxit, facile ab ea per idem liberum arbitrium defluxit. Quod contra dicitur per Psalmistam de Christo: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem*. Ps. xliv. 8. Quintum æque peccatum commisit, qui propriam culpam retorsit in uxorem, cum ait: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*. Gen. iii. 12. Primo quidem crudelis in se, qui peccatum suum excusavit: secundo in uxorem, quam accusavit. Et utique satis sumpta est digna de peccato vindicta, quando eam accusavit, cuius amore peccavit. Contra hoc peccatum dictum est: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Matth. v. 7

Num. 3. Sextum peccatum fecit Eva, quæ cum increparetur a Domino cur hoc fecisset, respondit ei: *Serpens decepit me; & comedi*. Gen. iii. 13. Sic declinavit & ipsa

Ps. CXL. 4. *in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis*, refundens culpam in serpentem, quasi immunis a crimine, cum nil obfuisset suggestio serpentis, si illa negasset assensum propriæ voluntatis: & forte præcessit in ea aliquis motus superbiæ, unde seduci meruit a
Matth. v. 8 serpente. Contra quod dictum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Septimum peccatum factum est contra paradisum, quando Cain consur-
Gen. IV. 8. rexit adversus Abel fratrem suum, & interfecit eum. Ex eo iam tempore inveteratum est, ut mali insurgant in bonos, & opprimant eos. Huius peccati
Matth. v. 9. remedium est illud: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Quod si ab infestatione cessare noluerint iniqui, patienter tolerent eos iusti, audientes consolationem quæ sequitur, & dicit: *Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Ecce quam necessarius fuit adventus Christi, qui carnem subiiceret spiritui, hominem pacificaret sibi, Deum reconciliaret homini. CONCLUS. OPERIS. Matth. v. 10.

Consule, si lubet, sacræ Scripturæ Interpretes, inprimis vero MALDONATUM *&* CORNELIUM A LAPIDE; *& omnes fere qui* de Ethica Christiana *scripserunt*. *Maxime vero legendus libellus Gallice a pio quodam & erudito Auctore conscriptus, cuius est inscriptio, Interpretatio Octo Beatitudinum*, Explication des huit beatitudes. *Prostat hic liber Parisiis apud viduam* ROULLAND.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

005673789

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google